LUCÆ TOZZI NEAPOLITANI

IN RELIQVOS

HIPPOCRATIS APHORISMOS COMMENTARIA,

PARS TERTIA:

UBI UNIVERSÆ MEDICINÆ, tum Theoreticæ, tum Practicæ celebriores Quæstiones perpenduntur, atque nedùm Recentiorum inventis, sed & genuinæ ejusdem Hippocratis menti congruentes, quàm dilucidè explicantur.

TOMUS QUARTUS.

Cui accessit Appendix ad Commentarium Aphorismi III. Libri I.



VENETIIS, MDCCXI.
Apud Nicolaum Pezzana.
SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.



TYPOGRAPHUS LECTORI SALUTEM.



N lucem tandem omnium votis expetitum, & jamdiù desideratum incomparabilis ingenii Viri D. Lucæ Tozzi Operis Complementum proferimus, quo fidem suam liberans Author, reliquos tres Aphorismorum Hippocratis libros publici juris facit, eaque majori qua potuit solertia, ac perspicuitate inter tot temporis angustias, & corporis ægrimonias quibus afflictatur, doctissimis, luculentissimisque commentariis illustratos. Protractum hucusque opus, qui Authoris laboriosissimas occupationes agnoverit, facillimè excusabit, quibus distentus præsentem excussionem adornare, summamque illi manum imponere non valuit: Post quatuor enim priorum librorum editionem, à Summo Pontifice INNOCENTIO XII. *initio anni MDCXCV. Neapoli Romam accersitus, ut sibi esset à Cubiculo Medicus, tantæque vitæ curam adhiberet, hujus negotii absolvendi facultas ipsi nulla fuit: dum enim illum senectute confectum, vehementer, crebròque ægrotantem, diligentia exactissima sustentat (sinistro namque latere debilis factus fuerat ob gravem casum, femorisque luxationem usque è primis sui Pontificatus temporibus) atque assiduis chiragricis, podagricisque fluxionibus obnoxium, & labentem vitam, ut diù produceret insudat, hæc animo versandi, nedum perficiendi, non fuit ipsi datum. Sed cùm fine Septembris anni MDCC. post diuturnum alvi profluvium, & purulentas sedes, stomacho prorsùs resolutus, ciborum, & cujusvis liquoris fastidio affectus, tandem exacto octuaginta septem annorum curriculo ille supremum diem obiverit, vix ab hoc negotio expeditus, extemplo Madritum proficisci, vocatus à recolendæ memoriæ Catholico Rege* CAROLO II. *Hispaniarum Monarcha suo Domino (recusato, quod à Sacro Cardinalium Collegio ipsi fuerat oblatum, Primarii Medici Conclavis munere) obstrictus est; cujus nutibus obtemperans, nulla interposita mora, omniaque postponens, illicò, commutatis ad celeritatem equis usus, alacriter se in viam dedit. At verò cùm Mediolanum pervenisset, accepto infausto mortis ejusdem Regis nuncio, Romam, unde profectus erat, regredi coactus est; Ibique aliquo temporis spatio immoratus, præsertim ut Sanctissimi Patris nostri* CLEMENTIS XI. *tunc noviter ad Summi Pontificatus apicem evecti, qui semper illum singulari humanitate, cùm adhuc Cardinalis esset, summaque beneficientia fuerat prosecutus, pedes exoscularetur, ejusdem humanissimis invitationibus, ut Romæ permane-*

 ret,

ret, quàm molestissimè recusatis, minimum, aut nihil curans primariæ Medicinæ Cathedræ, quam in Inclyta Urbis Universitate (Sapientiam vocant) obtinuerat, jacturam facere, & vela vertere, Neapolimque repetere voluit, ut tandem post tot exantlatos labores requiesceret, & procul negotiis, omnibusque curis solutus, sibi paterno sub lare posset vivere, & in amatissimæ patriæ, suorumque gremio consenescere. Sed nec otio, quod illi Deus fecerat, omninò uti, aut studiis, & Minervæ vacare licuit: turbata perditissimorum quorundam hominum facinore iam patria, & sceleratissimis commotionibus concussa, cùm jam toto fureret Mars impius orbe, & tremebundam dissidiis, ac furoribus vexaret Italiam. Hoc tamen intereà temporis Protomedici Generalis Regni munus obiens, quam ei dignitatem memorati Catholici Regis CAROLI II. *munificentia adjunxerat, nihil pro Rei Medicæ incremento, & quo saluti, utilitatique publicæ prospiceretur, intentatum reliquit, omnia, quæ ad Medicam praxim faciendam pertinent, suo ordine componens, & in numerum digerens, nova, atque efficaciora medicamenta loco antiquiorum substituens, atque ideò Petitorium, quod vocant, ac Antidotarium medicamentorum, juxtà Recentiorum usum, confectioni apprimè necessarium, promulgans, redegit ad regulam, normamque Pharmacopolarum. Itaque ejus diligentia, atque vigilantia factum est, ut horum Officinæ hac in Urbe tam perbellè, ac magnificè ornatæ, omnibus, quibus humanæ vitæ succurritur, affluentes conspiciantur, & nullo medicaminum genere tam simplicium, quàm compositorum, careant: ut facilè animadverti possit, quo studio, atque industria semper Author animum attenderit, ut magis, magisque hìc Ars Medica excelleret, & nostra Neapolis tam ob illius peritiam, quàm ob remediorum composituram, inter alias Urbes caput exereret, atque extolleret. Hæc te monitum volebam, ut causam scires protractæ hucusque Commentariorum impressionis, ad quos componendos, inter tot maximas curas, vix furtim otia captans Author animum advertere potuit: in quorum, aut ipsius Authoris commendationem, ut multa, aut pauca dicam, ne exspectes; etenim nec meum est illum laudibus ornare, cùm satis Sol luce se prodat sua, nec hi alienis indigent encomiis, quibus emptores alliciantur. Nostris intereà Tu laboribus fruere, fave, & vale. Neapoli VII. Kalendas Decembris MDCCIII.*



APPENDIX AD COMMENTARIUM APHORISMI TERTII

LIBRI PRIMI.



Uamvis hactenùs recensita, atque è medicis fundamentis eruta satis esse potuissent, ut quemlibet præjudiciis exutum facilè persuadere valerent, ut in hac, & quidem magni momenti, re, cautiùs se gererent; quia tamen nec his adhuc plerique Recentiores acquiescunt, quinimmò vetustam fortasse cupientes in re medica mittendi sanguinis consuetudinem sustinere, illam è Mechanicis, secundùm regulas motuum, suffulcire nuperrimè conati sunt: atque statuta in primis, juxta moderniorum Anatomicorum observationes, Cordis primi Impellentis putati, musculari structura, deindè verò Arteriarum, mox etiam musculorum adjacentium, atque motum sanguinis per suos ductus coadjuvantium pressione, acutè quidem, & ingeniosè nimis, persuadere satagunt, plurimùm in sanguinis, aliorumque liquorum cum sanguine commiscendorum vitiis, & partium solidarum ægritudinibus, venarum, atque arteriarum sectiones, sed earumdem curationes conferre, & tum (ut Veteres consueverunt) è directo, tum ex opposito partis laborantis latere, atque ex locis tam remotioribus, quàm vicinis, & tum gratia motus sanguinis promovendi, tum etiam refrigerandi, ipsumque vel quantitate excedentem, vel qualitate vitiosum diminuendi, depurandi, invertendi, aut alterandi, illas commendant: quamobrem in omnibus ferè ægritudinibus illas prodesse posse se firmiter ostendere arbitrantur. Sed & (quod majus)

ex iifdem legibus Mechanices, etiam finopifmos, ac phœnigmos, cauteria, & fonticulos, fetones, cucurbitulas, ac quodcumque aliud ex Chirurgico fonte petitum auxilium, in idem adjumentum revocant, ac ritè, rectèque revocandum demonftrare conantur; proinde fi hæc alia adiiceremus, operæ pretium nos facturos effe exiftimavimus.

Et fanè, fi liberè licet in hac re fateri, quod præjudiciis exuto probabile magis videtur, etfi quæ à Mechanicis defumuntur, veriffima in fe ipfis fint, & firmis, folidifque demonftrationibus, ac experimentis ftabilita, cùm nimirùm Mechanica, ut Ars ipfa fuggerit, purè confiderantur; fi tamen illa eadem ad viventia corpora, eorumque phyficas operationes reducantur, mirum quàm longè varient, ac deficiant, cùm ab ipfis plurimùm alterari, ac permutari poffint, immò veluti labe quadam erroris inficiantur, ut proptereà à præconcepto fine declinent, & multoties penitùs aberrent. Ea fiquidem eft Phyfices, & phyficarum rerum conditio, faltem refpectu noftri, ut cujufcumque aliæ facultati fi jungantur, illam coinquinent, ac deturpent. Quare licèt multum conferant, quę à Mathematicis, Opticis, Dioptricis, Hydraulicis, Mechanicis, cæterifque fumuntur, ad explicanda phænomena Naturæ, quibus fcilicet meliùs nos valeamus illa percipere, & noftris fenfibus adaptare; nihilominùs, quòd inde poffimus fine ullo penitus errore de iifdem indubiè, & evidenter concludere, non eft quod fperare liceat. Ita quidem licet Aftronomi, ut mentibus noftris quaqua ratione Cœleftia phænomena, ac fyderum motus aptarent, ad regulas quafdam è Mathefi petitas, quo fieri poffet congruentiùs, redegerunt, finxeruntque motus circulares in Epicyclis, Excentricis, Concentricis, aliifque deferentibus circulis, & orbibus; & Ingeniofiffimus Cartefius per vortices, partefque varias, primi, fecundi, & tertii, ut ipfe vocat, elementi; unde commodè noftris obfervationibus congruerent, & intelligenda infinuarent: ex hypothefi tamen hæc omnia propofuere, quia revera nulla funt, & mente folummodò confictæ. Sic etiam multa in phyficis per Sal, Sulphur, Mercurium, Phlegma, Terram damnatam, & fimilia, itemque per Acidum, & Alkali conantur Phyfiologi per experimenta noftris fenfibus exhibere; fed an revera viventium corporibus hęc infint à prima fui conftitutione, penitùs ignoramus, nec certò ftatuere valemus. *Quemadmodùm enim* (fcitè advertit, licet ad rem aliam, acutiffimus Bernardus Connor) *qualibet pars Terræ, Aquæ, aut Aeris, vel alterius, five fimplicis, five mixti, & compofiti Corporis, mutatis figuris, quę falinę erant, fulphureę fieri poßunt; hoc eft, quę acuminatis cufpidibus fales referebant, rotundatę, aut pyramidales redditę, evadunt fulphureę; & viciffim, ut proptereà juxta variam earumdem proportionem, ac texturam, tranfeant, & commutentur in Arbores, Plantas, fructus, femina, flores, adeòque in vinum, panem, aliaque alibilia; ita viciffim ifta, everfa figura, & mole, in alias res tranfmutari poffunt: Sic Carnes, Panis, Fructus, aliaque edulia nobis ufitata, brevi fpatio intra Ventriculum aßumpta diffolvuntur, & in fluxilem fuccum, nempe chylum, commutantur,*

tur, quippe alimenta ista salibus acidis, & alkalicis redundant, qui deindè in stomacho, ac postmodùm in sanguine, toti convertuntur in Alkali: quod patet, quia, si plu- ries, & pluries sani Hominis sanguinem distillaveris, ne guttulam quidem salis acidi, sed copiosum salem alkalinū inde colliges. Et mox: *Spiritus vini, cornu Cervi, salis ammoniaci, aqua fortis, spiritus vitrioli, sulphuris, salis communis, aluminis, & reliqui liquores salini, ac sulphurei, repetitis distillationibus acrimoniam exuunt, & in aquam insulsam convertuntur, mutata scilicet eorumdem salium figura: Aqua ipsa, teste Boyle, lenissima distillatione, per triennium super ignem in vasis vitreis strictissimè clausis, in terram elementarem transmutatur, servato ferè eodem pondere.* Sic pariter commisti liquores extra nos aliud quid omninò peragunt, ac cùm intrà ventriculum fuerint assumpti, utpotè in eodem infracti, inversi, permutati ab aliis humoribus ibidem stagnantibus, aut aliundè transfusis; undè ab illis ad istos non licet congruenter inferre. En igitur quàm facilis, & prompta mutatio in rebus physicis, quæ in Mathematicis neutiquam contingit. Hinc Cartesius ipse, qui primus Animantia, veluti Automata, contemplatus est, & per regulas Mechanicas multa in operationibus eorumdem scitè admodùm dilucidare est adnisus, nonnisi hypotheticè solùm illa considerando proposuit; quod & alii plures post ipsum confirmare non sunt veriti. Itaque commendabilia planè sunt, quæ ex Mechanicis ad nostrum captum deprompta, pro explicandis rerum naturalium proprietatibus, proponuntur, sed non inde tamen licet certò concludere, illas ita se prorsùs habere, parique ratione in cunctis aliis re ipsa prosequi posse. In hunc eundem modum se habet Boyle, cæterique omnes post ipsum, quoniam benè norunt Mechanicæ documenta, ac præcepta in Artificialibus, si rectè aptentur, infallibilia evadere; in Naturalibus verò non æquè, nec ad amussim congruere, licèt similitudine quadam nos doceant idipsum à Natura, vel non multùm dissimiliter peragi posse, sicut in Artificialibus usu venire comperimus: & quidem ratione clarissima, siquidem in Artificialibus, quæ aptantur ad opus, & operis exequutionem omni ex parte noscuntur, & ut expedit, ac opus est, ita prorsùs disponuntur, & adaptantur, ut nihil lateat, quod eidem conferre queat; at verò in Naturalibus, pleraque omnia recondita sunt, & penitùs occulta, quæque potissimùm ad opus ipsum adimplendum præcipua sunt, & necessaria. Sic ad exequendum motum arbitrarium musculorum, licèt sciamus inservire musculos, & nervos, ac motrices eorumdem fibras diversimodè inflecti oportere, itemque extendi, contrahi, tendi, laxari, atque in diversas figuras Mathematicas adaptari, latet tamen, qua ratione, quibus mediis, qua vi, aut imperio superioris virtutis opus illud peragatur, ut ad simplicem Arbitrii nutum multifariam expeditissimè disponatur, perficiaturque. Hinc jure optimo dixerim Mechanicæ Leges, & Instrumenta assimilari quidem posse, sed non æquè, ac ad amussim comparari operibus Naturæ, quæ cùm nobis ignota sint, nusquam poterunt ad certas leges redigi.

Ut autem, quæ generatim dicta

sunt, ad nostrum propositum, tam in statu sano, quàm in morboso Corporis humani, contrahamus, placeat Lectori hæc mecum sigillatim perpendere, & examinare, ut omni exutus præjudicio de proposita quæstione decernere possit, num scilicet, quæ ex Mechanicis petuntur, exactè consonent physicis Animalium operationibus, & pariformiter quadrent motui cordis, & sanguinis, cæterisque musculorum, & membranarum motionibus.

Dubio procul est, Pulsum, seu motum Cordis, & sanguinis, localem esse, atque ad ipsum perficiendum requiri in universum movens, mobile, spatium, terminos motus, motum ipsum dirigentia, ac denique eundem coadjuvantia, ut ritè, rectèque peragatur, ac certa, stabilique regula, statutoque ordine rhythmo, ac usu convenienti moderatus, perennis fiat. Hæc sanè in manufactis, secundùm regulas Mechanicæ, ritè, rectèque dispositа cùm fuerint, fieri nequit, quin motus inde exigitus, omni ex parte absolutus, ac directu, minimèque in terruptus consequatur: quamobrem, ubi quis hæc omnia, benè, exactèque disposita noverit secundùm Mechanicæ regulas, ita ut nil quidpiam deficiat, aut excedat, nilque intermissum, interjectumque sit, quod possit pervertere, impedire, celerare, aut retardare mobilis locomotionem, profectò concludenter, & scitè poterit de motu ipso, & motus operationibus determinare. At verò, si fortè fortuna aliquid accedat, quod unum ex iis, quæ ad motum ipsum perficiendum concurrunt, perturbet, aut dimoveat, planè motus ipse devius fiet, aut desinet. Quoniam ergo in Naturalibus, & præsertim in Viventibus sensitivis, hæc omnia tam alterabilia, ac mutabilia sunt, ut planè dixerim, nunquam in se ipsis æquabiliter constare, propterea qui fieri poterit, ut exinde certæ leges, aut inconcussæ regulæ colligi queant. Sed &, quod gravius, non dum plenè de illis hucusque constat, quo pacto in Animalibus peragantur, cùm universæ operationes Naturæ hactenùs nobis incompertæ sint, nec quispiam possit per mille sæcula gloriari, ad certam notitiam illas redegisse. Etsi enim plurimùm in his sit allaboratum, multaque per accuratissimas observationes Anatomicorum, & alia per Physicorum ingeniosissima excogitata, ac experimenta, inventa sint; illa tamen nonnisi probabiles conjecturas ad summum attingunt, captui nostro magis aptabiles, haudquaquam verò certas, de quibus jurare possimus.

Et quidem, post tot, tantaque in Rem Medicam promovendam solertissimè introducta, nescimus adhuc qua vi, quibus modis, aut instrumentis, motus iste Cordis, & sanguinis absolvatur, & num revera Cor primum, ac præcipuum sit hujus motus Movens, & Impellens, an potiùs ex adverso sanguis sit causa proxima, & immediata ejusdem motus, & impulsus? Etenim in primo illo puncto saliente Embryonis, cum vix tenuis bullula sensibus nostris conspicua fit, ejuscemodi motus percipitur, eodem prorsùs ordine, ac rhythmo, quo in adultis observatur, sibique tunc sanguis viam facere videtur per exiguos arteriarum, & venarum tubulos, quousque vas Ovale, sinistrumque

que Cordis ventriculum ſubeat: neque id abſre dictum, quoniam à ſanguine partes cunctas corporis vigere, ac nutriri, & vitales operationes ſuſtinere, pleriſque non irrationabiliter putatur. Sed etſi Cor ſit primum movens, primumque impellens, in controverſiam adhuc eſt poſitum, num ab interna facultate, eaque ſive naturali, ſive vitali, ſive etiam animali, motum hunc tam regularem peragat, & num etiam electiva, ac cognoſcitiva, immò cum advertentia, ad inſtar cæterorum muſculorum; an verò ab uſu, & conſuetudine contracta per iteratos actus ab initio vitæ. Sic pariter dubitare licet, num tam accurata, & exacta Cordis ſtructura, conſtructa ſit propter ipſum motum, an potiùs ad robur ſolùm, & fortitudinem ejuſdem, ut huic perenni motui reſiſtat, cùm in pleriſque animalibus talis, ac tanta illa non ſit, immò etiam diſſimiliter diſpoſita. Ingreſſus præterea, & egreſſus ſanguinis à Corde, nec in cunctis animantibus uniuſmodi eſt; quin & in ipſo homine tam adulto, quàm nuper nato, intra, & extrà uterum varius. Dubio etiam vertitur, num motus ejuſdem compoſitus ex diaſtole, & ſyſtole, ſit uterque ab interno principio, an alteruter ſolùm; & alter quidem à mera gravitate, ſive introrſum, ſive extrorſum concidente. Quæ inſuper, qualis, & quanta ſit univerſim, tam in ſtatu ſano, quàm in morboſo vis, & facultas ſolidi impellentis in fluidum impulſum, & num ſemper, ac perpetuò æquabilis in utriſque ſit illa in impellendo, hæc in obſequendo, debita convenientique proportione, quis unquam poterit certa methodo determinare? Planè iſta captum noſtrum penitùs effugiunt. A muſculis etiam per univerſum corpus diſperſis vis quoque plurima poteſt ſanguini circumeunti impertiri, quippè qui, ex doctrina Helmontii, peculiari quadam vi motrice ſunt præditi, ut aliàs innuimus. At verò, poſito quòd partes Corporis univerſæ ſimul unà in generatione præjactæ ſint, ut aliàs à nobis eſt oſtenſum, nec una ante aliam ſit formata, etiam ex documento Hippocratis, proculdubio una alteram in ſuis operationibus juvabit, nec una dici poterit reipſa ab alia pendere, ſed potiùs ſimul omnes conſentire ad corporis molem, vitaliter ſuſtinendam, & conſervandam: Reciproca enim, & æquè potens eſſe debet vis, & influxus unius in alteram, atque adeò poteſtas, & impetus ſolidi in ſolidum, & ſolidi in fluidum viciſſim proportionaliter æqualis; cùm ſolidum à fluido vigeat, ſuſtineatur, & conſervetur, ac fluidum ex adverſo à ſolido reparetur, repurgetur, ac refloreſcat; ut propterea alterutra ex parte vis iſta ſi deficiat, aut vacillet, Motus, Movens, Mobile, à conſueto, & naturali ſtatu ſano plurimum deficient. Etſi deinde quidpiam mali ab illis emergat, haudquaquam ſciri poterit cujus vitio, aut defectu, id accidat, cùm conjecturæ utrinque deſumi, & utrimque deſumptæ, fallaces eſſe poſſint.

Neque præterea ſolidum ſemper in fluidum actionem exerit in motu promovendo; cùm ex adverſo ſæpeſæpiùs experiamur fluidum in ſolidum potiùs eamdem excitare; etenim in febribus quibuſcumque, prima actio videtur eſſe à liquidis in motum fermentatio-

tationis indebitum adactis, unde poſtmodùm partes ſolidæ in ſuis operationibus depravantur. Sic pariter fibræ nerveæ, membraneæ, muſculi, nullatenùs in Epilepſia, cæteriſque affectibus ſpaſmodicis contorquerentur, niſi à proritante aliquo liquore in motum illum forent laceſſitæ. Idemque dicendum in Tuſſi, Empyemate, Stranguria, Dyſuria, Dyſenteria, & ſimilibus.

Vitia inſuper, quæ ſolidis primò tribui videntur, nonniſi à fluidis multo anteà vitiatis, promanant: nam cùm à ſe ipſis lædi nequeant, profectò ab aliis, & quidem liquidis, afficientur, ſive cauſæ externæ, ſive internæ ad idipſum accuſentur; ſiquidem ſolida quæcumque, ſive laxa, ſive contracta, ſive tenſa, & dura, ſive mollia, aut aliter affecta dicantur, nonniſi per actionem liquidorum talia fiunt, cùm membranæ, muſculi, nervi, fibræ, glandulæ, aut ſi mavis alia ſolida, in corporibus viventium conſiderata, ſua natura non arida, exucca, rigida, inflexilia omninò ſunt, ſed convenienter mollia, illita, irrorata, humefacta; quamobrem cùm præternaturam contrahuntur, tenduntur, obrigeſcunt, vel plus juſtò molleſcunt, & laxantur, ab aliquo humore proculdubio corrugante, irritante, vel contra diſtendente, & emolliente, aut aliter preter naturam afficiente, lædentur: & cùm in ſtatu ſano in Athleticis firmantur, roborantur, conſolidantur, nonniſi per alimentum ejuſdem generis, & conditionis, ob exercitia affluentiùs ſuggeſtum, & meliùs elaboratum, ita afficiuntur; ut propterea quæ partes magis exercentur, majus quoque, abundantiùs, ſolidiuſque nutrimentum ſuſcipiunt: qua ratione experimur in cunctis, etiam natura languidioribus, dextrum brachium majoris molis, & robuſtioris virtutis evadere, quàm ſiniſtrum; quia per aſſiduas exercitationes, pori illius magis dilatati, majus quoque alimentum recipiunt, magiſque compactum, ac ſolidum in poſterum ſortiuntur. Itaque innumerabilia propemodùm ſunt, quæ dubiam, atque incertam hanc de primo Movente poſitionem reddunt.

At verò Cor ipſum (dato quòd ſit primum movens) multifariam præ cæteris turbari, adeòque impulſum varium excitare poteſt, tum cauſa ſui diverſimodè affecti, tum cauſa aliorum ad ejuſdem impulſum concurrentium, ut ſunt nervi, ac ſpiritus animales dicti, in Cor ipſum influentes, nec non Phantaſia ex diverſis objectis; & phantaſmatibus commota, per innumerabiles animi paſſiones. Quare, cùm nunquam Cor in eodem ſtatu permaneat, ſed diverſas aſſiduò ſubeat, etiam in ſtatu ſalubri, perturbationes, profectò non ſemper eodem modò æquabiliter movetur, & impellit; eoque magis quia in ſanguinis, & chyli per venam cavam aſcendentem receptione, modò in diaſtole, modò in ſyſtole, modò in utriſque, diverſimodè ſe habet; unde poſtmodùm pulſationes variæ; ſicut etiam variæ quoque in motu, ac in quiete corporis, in ſomno, ac in vigilia, vacuo, aut repleto ventriculo, cæteriſque mutationibus, præter ea, quæ caſu, aut inopino eventu, Corporibus accidunt.

Secundò Mobile, idèſt ſanguis à Corde impulſus, perpetim quoque variat, tum ratione ſui, interiùs in ſuis particulis commoti, & à rementis repurgandi; tum ratione aliorum humorum cum ipſo permiſtorum,

ſtorum, aut permiſcendorum, qui varii, ac multigeni eſſe ſolent, ſive in ſtatu naturali, ſive præter naturam, ex innumeris ferè ægritudinibus contingentes; unde multoties, qui exinde ſecerni, ac repurgari debebant, non ſecernuntur, nec repurgantur; aut mali, ac vitioſi cum ipſo commiſcentur. Spiritus item, ſeu potiùs pars ejuſdem ſanguinis vivida, ſemper in eodem variat, aut immodica exſolutione, aut non convenienti refectione; idque potiſſimùm in ægris. Pars etiam glutinoſa nec ſemper uniformis eſt, neque chylus, qui eidem ſuggeritur, ut & lympha undequaque variabilis, tam in quantitate, quàm in qualitate, cæteriſque. Aer pariter inſpiratus per pulmones, aut circumambiens per poros corporis, mirum quantam etiam varietatem in corporibus faciat: itemque vapores, aut halitus perſpiratione diſſolvendi, tam in ſanis, quàm in morboſis: motus item pulmonis, ac diaphragmatis, & muſculorum intercoſtalium, ſimulque cum his alia plura, quæ nos latent, à quibus mobile iſtud diverſas ſubire poteſt mutationes, ut propterea non æquè ſemper moveatur, nec ejuſdem virtutis, energiæ, aut elateris, neque certa lege, aut periodo comprehenſibilis.

Idemmet quoque ſanguis, ſive in ſtatu ſecundùm naturam, ſive in ſtatu præter naturam, aliquandò plus juſto rareſcit, aliquandò denſatur; interdùm parte florida abundat, aut deficit, interdùm fibroſa; alius eſt jejuno ſtomacho, & alius à paſtu; alius in quiete, alius in motu; unde & aliquandò latiùs ſpatium, aliquandò anguſtius, nonnunquam concitatior in ſuo circuitu fit, quandoque tardior, crebrior, aut rarior; idque paſſim ſingulo quoque die, & in individuis, adeò inter ſe differentibus. Sive inſuper ſanguis à ſe ipſo moveatur, ac veluti undatim ſuum gyrum abſolvat per arterias, & venas; ſive à corde impellente, ut in motu projectorum, vel à comprimentibus arteriis, per eandem fortaſsè vim utriſque inſitam; vel ob texturam fibrarum oſcillantium, aliudve ſimile, ſemper in ſuo motu inæqualem ſubibit varietatem: in motu ſiquidem projectorum, quo magis à propellente projectum diſtat, eo debilius, ac debilius evadit, ut tandem in quietem deſinat. Si verò à ſanguine ipſo motus hìc habeatur, quia in ipſo itinere ſemper conſumitur, & tenujore ſui parte fatiſcit, aut etiam in robur, & nutrimentum partium tranſit, tractu temporis remotiores partes pertingens, in arteriolis hebeſcit; mox etiam in venas transfuſus, magis, magiſque lenteſcit, adhuc ex valvulis earumdem impedientibus; unde non raròfit, ut in eiſdem pariter concreſcat, veluti in varicibus, deſinente ſimul una impulſu, & preſſione arteriarum, & craſſeſcente pariter ſanguine, vi ejuſdem non leviter imminuta, quamobrem certa lege hæc omnia ad normam invariabilem redigere, impoſſibile videtur.

Per venæ ſectionem præterea, ſanguis exiliens nonniſi ab arteria, quæ in venam ſectam influit, egreditur, adeòque, lege circulationis, ſanguis arterioſus aliquantulum dumtaxat mutatus inanitur: eo autem diminuto, minuitur deinceps quoque impulſus in venas adjacentes, & ſucceſſivè in reliquas ſuperiores, atque in ramum venæ cavæ aſcendentis, quæ ſanguinem in Cor reducit: Hinc impetus in idem Cor, & vigor à ſan-

à fanguine promanans, pariformiter imminuitur. Celeratur autem per aliquod tempus motus in pulfu, & in arteriis, quia ob earumdem depletionem coguntur in fupplementum inaniti fanguinis, à fuperioribus arteriis, & à Corde, novum, & novum alium excipere, atque in detracti fanguinis, arteriarumque inanitarum auxilium, frequentiori nifu, reliquum fanguinem propellere, qui tandem iteratis circuitionibus fenfim deficit, poftquam fcilicet ab adftricta vena fecta paulatim fubftiterit.

Tertiò Spatia, feu Cavitates, per quas mobile, ideft fanguis affiduò movetur, & circuit, quales funt Ventriculi cordis, Arteriæ, & Venæ, varias fubire poffunt mutationes: & quidem hæ cum fuis fibris fint intertextæ, quæ nunc molliores, nunc duriores, modò laxæ, modò rigidæ; proindè fit, ut aliquando latiores, aliquandò anguftiores illæ evadant, præfertim in morbis, atque in diverfis eorumdem temporibus, tum univerfalibus, tum particularibus; undè aliter fe habent inter initia acceffionum, aliter in augmento, & aliter in ftatu, ac declinatione; idque potiffimùm ex varietate humorum illas afficientium, acrium, acidorum, aliorumq; nec non ex diverfa eorumdem motione, ut & à caufis externis, ambiente aere, cibo, potu, medicamentis affumptis, cæterifque; itemque cùm per vifcera malè affecta recurrunt, quæ in ægris quoque multum variant, & magis, magifque in glandulis, & apicibus arteriarum, quæ ex obfervatione plurium Anatomicorum, non pulfant: qua etiam de caufa diverfimodè pariter per poros partium percolantur, & ab ofcillis venarum excipiuntur, indeque in vafa majora, ac in jecur, cæteraq; vifcera. Simul cum his variant etiam fpiritus è fanguine eliciti, qui vel diffipantur plus jufto, & evanefcunt, vel concrefcunt, acefcunt, & in alios omninò degeneres permutantur; quemadmodùm, & halitus, five evaporationes, quæ diutiùs retentæ fanguinem inficiunt, & in fuo motu plurimùm perturbant. Quòd fi tubercula, abfceffus, aliique tumores in glandulis, cæterifque partibus, ingenerentur, ut non rarò fieri folet, quàm graviora, & pejora contingant, nemo planè addubitabit. Quamobrem neque ex hoc certæ leges hauriri poterunt.

Quartò Interftitia, feu intermedia arteriarum, & venarum, quàm etiam ignota fint, quifque novit. Si enim per intermedios poros partium, proculdubio in his moram aliquam contrahens fanguis, five ut partes ipfas nutriat, five ut eafdem vivificet, & roboret, multùm à priori, per arterias impulfo deficit, tam ratione fui, parte aliqua depauperati, quàm ratione impellentis, nequeuntis pari impetu, ficut in arteriis, eumdem promovere; cùm fanguis in arteriis inclufus, è latiori femper loco in anguftiorem deferatur; & contrà in venis ex anguftiori traducatur in ampliorem. Si verò per Anaftomofim, quam plerique habere ajunt arterias cum venis; plane conftat, exiles arteriolas in apicibus non pulfare, adeòque nec æquabili ratione propellere fufceptum fanguinem. Neque prætereà plene liquet, num indifcriminatim plures venulæ ab una arteriola; an plures arteriolæ in unam venulam impulfum fanguinem transfundant, & quo pacto per venas perpetuò majores, ac majores, fuis etiam valvulis interfeptas, motum

eun-

eundem continuent, cum in latiori spatio motus, ac impulsus lentescat. In Arteriis insuper contentus sanguis lympha, & sero scatet, quibus resumptis à vasis lymphaticis, per interjacentes glandulas, magna ex parte destituitur, cùm in venas traiicitur; unde non eandem omninò tenuitatem, fluxilitatemque in iisdem retinet: quamobrem diversus à cunctis ponitur sanguis, qui in venis est, ab illo, qui per arterias excurrit. Quòd si in glandulis, intermediisque ejuscemodi spatiis, seu interstitiis, aut etiam in apicibus arteriarum, vel venarum impedimentum aliquod, fortassis præter naturam, acciderit, quàm varia adhuc, interrupta, & vitiosa fiet sanguinis trajectio? ut non rarò contingit in febribus acutis. Quid si insuper vitium sit in lympha, & vasis lymphicis, itemque in nervis per eas partes perreptantibus, aut etiam in adjunctis, & circumjacentibus partibus, quæ pressæ, constipatæ, obstructæ, tumefactæ, aliterve affectæ, plurimùm possunt circumgyrantem sanguinem, & lympham incommodare? præter innumera alia accidentia, quæ vix mente concipere valemus, sed tamen anatomicis cadaverum dissectionibus non semel inventa, & observata sunt.

Quintò Adjuvantia, aut dirigentia motum, ut præsertim sunt Musculi, eorumdem fibræ motrices, ac Viscera, diversimodè quoque circumpellunt, cùm proritata, gravata, constipata, impedita non uniformiter moveant, & moveantur, tum multoties vitio sui, tum non rarò vitio nervorum, & spirituum animalium in eos influentium; unde sæpenumerò laxitates, contractiones, tensiones, durities, compunctiones, dolores, imbecillitates, torpores, aliaque innumera accidentia illis contingunt: qua de re, nec æquabilis semper in eisdem compulsio, aut in motibus sanguinis adjumentum fit, cùm omnia ferè in ægrotis permutari soleant; (præter ea, quæ sanis quoque frequenter accidunt) nam bonum, & sanum ex integra causa, malum, & morbosum ex singulis defectibus evenit.

Quantum præterea ista varient in cunctis individuis, non est, quòd multis persuadeam; etenim constat ex corporum constitutionibus, ætatibus, habitibus, regionibus, victus ratione, exercitiis, temporibus, & tempestatibus Anni, cæterisq; hæc omnia ità diversificari, ut quo pacto uni accidunt, alii aliter contingant. Hinc pulsus quibusdam sunt perpetuò magni, quibusdam parvi, nonnullis celeres, & frequentes, aliis rari, & tardi, immò etiam pusilli, & debiles: Sed & aliquibus non rarò intermittentes, exiles, obscuri, vix perceptibiles. Quapropter quis unquam certis legibus, aut invariabili, constantique rationi illos restringere valebit? En igitur, quomodò fieri poterit, ut possint Mechanicis regulis, certisque demonstrationibus, physicæ in hominibus habitæ operationes congruenter aptari, aut ex illis istæ certò sanciri?

Sed & ulteriùs quis unquam pro certò definiet, num impulsus Cordis in sanguinem æquè fiat in Ramum Aortæ descendentis, ac in Ramum Aortæ ascendentis, cùm in Ramo ascendente consideranda sit major resistentia ex parte sanguinis impulsi, quòd sursum sit ascensurus; quàm in descendente, qua propria gravitate, fluxilitateque, faciliùs movetur, & profluit.

fluit. Et quamvis à proportione majoris capacitatis in Ascendente, per quam major sanguinis impulsi quantitas traducitur, comparatione habita ad ramum descendentem angustiorem, minoris quantitatis susceptivum, quaqua ratione evinci possit, æqualem in utrisque fieri propulsionem, quemadmodùm in Hydraulicis per varios ductus, latiores, angustioresque, aquam fundentibus, experimur; non tamen idipsum omninò contingit in Aorta ascendente, ac descendente; nam una sursum, altera deorsum vergit; nec deinde per ęquales tubulos, aut conformes semitas, sed omninò varias, diversasque, adeòut licèt impulsus in descendentem Aortam, ob angustiorem, ac perimetro minorem locum, major evadat; sanguis tamen, veluti in angustiori loco receptus, paucior est, qui deinde per plures, & plures ramulos tortuosè admodùm diffusus, & quantitate minutus, ac impetu deinceps relentescente, non leviter retardatus, comparari haudquaquam proportionaliter poterit sanguini abundantiori, per ampliorem Aortam ascendentem sursum excurrenti. Quin & Sanguis per Aortam ascendentem majori quantitate assurgens, quàm per descendentem, remoram sibi faceret ob sui ipsius pondus, quod pondere sanguinis descendentis majus esset.

Idipsum considerare est in ramis, & canalibus Arteriosis, per quos in aliquibus partibus recta, in aliis verò tortuosè admodùm, & in quibusdam aliis partibus spatio ampliori, in aliis arctiori, & vix conspicuo, sanguis diffunditur; unde qui, qualisve impulsus in his accidat; quis unquam divinabit? In iis prætereà, qui Aneurismate laborant, ubi veluti in altero Corde, impulsus sanguinis vehementissimus percipitur, qua methodo ista peragantur, saltem in partibus infra partem affectam sitis, vereri quoque subit. In Arteria similiter Cœliaca hypochondria affectorum, pulsus observantur elatiores, & crebriores, licèt in aliis arteriis exiliores sint: contrà verò in varicosis, hęmorrhoidibus affectis, aliisque, quibus sanguis inter valvulas venarum hæret. Quæ igitur uniformitas motus in cunctis concipi poterit, ut exindę certæ regulæ deduci possint, quales in Mechanicis? Si enim corpus humanum sua natura perpetuò mutabile est, & mille propemodùm alterationibus obnoxium, quomodò fiet, ut in ipso unquam stabiles, & immutabiles leges stabiliri queant, cùm ex quacumque, etiam levi, causa mutetur, & licèt nostris sensibus id conspicuum aliquandò non sit, reipsa tamen tale est; atque de momento in momentum variabile, potissimùm verò in statu morboso, cùm scilicet causæ morborum occultæ sunt, & partes affectæ nullatenùs determinabiles, sed solùm dubiis conjecturis nobis suspectæ.

Sed quid quæso, unquam ponderis addit, vel detrahit ictus Scorpii, vel Viperæ, aliusve venenosi animalis? cujus causa sanguis momento temporis veneno infectus statim à sua crasi naturali declinat, & à suo motu desciscit, adeòut paulò post demorsus vita defungatur. Quid etiam ponderis exquirendum in peste, cæterisque contagiosis affectibus, ex infecto aere; atque in animi defectionibus, ex pravo halitu, ut & in præfocatione uterina, aliisque similibus? Quid in his, quæ extrinsecùs admota corpori, ut emplastra, olea, caustica, præsertim carpis pedum, & tarsis manuum,

nuum, momento fere temporis sanguinem inficiunt, ejusque motum perturbant, & in magnam virium jacturam patientem coniiciunt? Similiter fumus mercurii, sulphuris, & salis ammoniaci, nec non pleraque alia sive benè, sive malè olentia, à quibus non leviter sanguis, & corpus universum alteratur, & vel benè, vel malè afficitur, quid ponderis adiiciunt, vel adimunt? Animi quoque pathemata inducta ex solo aspectu, vel nuncio, objecti tristis, aut voluptuosi, adhuc in sanis, quantum sanguinem perturbent, & immutent, nemo est, qui non sciat, cùm tamen nihilum illi adiiciatur, vel detrahatur.

Sed etsi certò sciretur, sanguinis detractionem alicui ægrotanti profuturam, adhuc tamen de quantitate evacuanda dubium maneret, quousque scilicet demenda foret, & quo tempore; quidque in detracti sanguinis supplementum esset adiiciendum, ut meliorem, in relicto sanguine crasim, introduceret. Cùm naturæ, ætates, & cujusque ægrotantis corporis constitutiones (præter regiones, & anni tempestates) variæ, diversæque semper sint, atque in posterum futuræ; cùm tamen ex regulis Mechanices ista essent indiscriminatim peragenda. Quamobrem prudenti Medico non tam facilè licebit, in remedio tantoperè ancipiti, certam jacturam facere per balsami vitalis detractionem, ac vitalium spirituum dispendium, in humanæ salutis, & vitæ manifestissimum periculum. Accedit, quòd plerique ad simplicem sanguinis aspectum repentè animo linquuntur, alii evomunt, aut alvo turbantur, & alii alias subeunt, sive animi, sive corporis, afflictiones.

Prætereà, à misso sanguine, & multoties meliori, puriorique, tuendæ vitæ magis necessariò, spiritus, seu partes tenujores, & volatiles aliquatenùs diminuuntur; unde sicut in ipso defectus aliquis emergit, ita & in corde motus, ac impulsus aliquantulum pariter, ut elangueat, necesse est: languente autem motu cordis, sanguis quoque minùs impellitur; diminuto impulsu, facilè sanguis lentescit, crassescit, hæret, adeòque momenta virtutis impulsus, & gravitatis, penitùs mutantur, præter alia mala, & non raro etiam graviora. Nec satis est dicere, refici illicò utrumque posse ex novo cibo assumpto, aut pretiosis medicamentis: Nam hæc, eadem ratione, qua sanguis deficit, etiamsi convenienter assumantur, nunquam restaurare poterunt; siquidem non æquè benè in ventriculo, cæterisque visceribus, in chylum, & sanguinem commutabuntur, ad eam exactè refectionem, quæ necessaria est; nam à languente sanguine deficiunt quoque succi digestivi, & reliqua fermenta viscerum, immò quidquid ad ciborum, & sanguinis elaborationem, repurgationemque requiritur.

Neque insuper perpetuò verùm est, à sanguinis missione motum ejusdem citatiorem fieri, atque adeò successivè lentescentem, & crassum sanguinem attenuari, & exolvi. Quoniam non raro contrarium potiùs evenit, siquidem educta per venæ sectionem parte sanguinis tenujori, floridiorique, qui remanet, magis, magisque crassescit, atque spiritibus magna ex parte depauperatus, fibras, & cavum Cordis minùs expandit, ac sollicitat, minùsq; pars ejusdem sanguinis vivifica in glutinosam, fibrosamque impetit, aut

attritione rarefacit;unde pulſus tardior, rarior, & imbecillior fit. Atqui prætereà cavitates Arteriarum, & Venarum inanitæ, minùs etiam per compreſſionem reſiduum ſanguinem propellunt; itemque fibræ motrices, tum cordis, tum earundem, laxiores redditæ, minùs aptæ evadunt coarctationi, preſſionique, quæ major ſolùm accidit à ſanguine uberiori, & vividiori illuc appellente, ac opplente, & veluti per iteratos cuneos amplificante.Conſtat autem hæc omnia potiùs deficere, quàm augeri à ſanguine miſſo, quamobrem non eſt, quòd citatior pulſus exinde perpetuò haberi poſſit.

Majus certè periculum ulteriùs accidit à ſanguine miſſo in febrientibus, quæ ſæpenumerò à particulari fermento alicubi hærente contingunt, quemadmodùm in panaritiis, in ſpina digito infixa, vulnere, ulcere, abſceſſibus, tumoribus,carbunculis, anthracibus, cæteriſque; unde ſanguis ſubinde in motum præternaturalem adactus, etiamſi totus educeretur, febrem non ſolveret, neutiquam ſcilicet educta materia illa febrem excitante. Et quidem pleræque febres omnes hujus generis eſſe ſolent, ut ex diſſectis cadaveribus innotuit. Quæ igitur, aut qualis unquam futura erit utilitas à ſanguinis miſſione, quocumq; tempore, aut modo peragatur in febrientibus? Hinc propterea ſatius, tutiuſque viſum accuratioribus, prudentioribuſque Medicis, in morbis, & præſertim cum febribus conjunctis, ab hoc ancipiti præſidio,immò tot, tantiſque periculis implexo, abſtinere, quod vitæ, & vitali fomiti directè nimis inſidietur, per virium, & vitalis roboris detractionem, cui ſemel infracto, aut languenti, non tam facilè deinde ſuccurritur, etiamſi pretioſa adhibeantur.

Quòd ſi dicatur per miſſionem adaugeri in ſanguine motum fermentativum ob indebitam fermentationem febrilem inductum, qua ſcilicet partes tenues coguntur ſeipſas à craſſioribus, & heterogeneis extricare, adeòque ex fermentatione ipſa fieri expanſionem majorem in ſanguine, qui in anguſtis cavitatibus arteriarum, & venarum veluti incapacibus, coactionem quandam patitur, ideoque exigere ſui diminutionem, ut poſſit meliùs deinceps amplificari,ſubigi,& extricari,immò etiam in ſuo motu celerari, obicibus per miſſionem ablatis,vel ſaltem imminutis. Contrà eſt, quia ſi fermentatio illa in ſanguine major,proficua eſt, eo quòd per eam nititur Natura partes impuras à ſanguine ſegregare, haudquaquam eſt impedienda. Per ſanguinis miſſionem prætereà vel fermentatio diminuitur, vel augetur: ſi minuitur,impeditur proculdubiò beneficium ſequeſtrationis, quæ ſubindè ſperatur: ſi augetur, inutilis planè fiet miſſio, quæ ad ſedandam febrilem fermentationem ab ipſis creditur conducibilis. Sed & in canalibus anguſtioribus, vel niſus liquidorum eſt major, quàm ſit in canalibus amplioribus, vel eſt minor: ſi major, benè poterit vi ſua in ſpatium latius adigi,atque adeò ſine miſſione ampliorem locum exquirere; ſi minor, longè debilior, & minor fiet, facta ex venis detractione,quia per ipſam multum diminuetur niſus in ſanguine inibi contento. Sed nec quis ſibi fingat per miſſionem augeri fermentationem, ac ſubinde mox mox eſſe ſedandam, facta nimirùm ſequeſtratione: Nam cùm ſequeſtratio motus Naturæ

ſit

sit, isque tempus plurium dierum exigat, planè fieri non potest, ut tam brevi tempore illa per missionem futura sit, quæ potiùs confundit, & turbat sanguinem, excreta scilicet parte tenujori, fluidiorique tanquam faciliùs excurrente, & reliqua commota remanente cum crassa. Quin & contrarium sæpesæpiùs experimur factis præsertim inter initia febrium, sectionibus, in quibus impossibile est coctionem, secretionemq; in humoribus haberi, quæ nonnisi ad statum earumdem comparere solet. Quæ præterea vis ex missione ista sanguini inferri potest, quę valeat bonum à malo sanguine secernere? cùm contra in motu liquidorum confusio potiùs inducatur, & inæqualis permistio, à commotione, & pressione varia, quam subeunt partes illorum tenujores, & crassiores: & si unquam cœnosæ subsident in ductibus, liquentes solum, & fluidę egredientur, quod nocuum.

Iisdem omninò ambiguitatibus subiiciuntur reliqua omnia, quæ pro sanguinis missione à suis Fautoribus proponuntur: & quidem quod primò dicitur de majori velocitate sanguinis aucta in venis, à quibus sanguis mittitur, non est universaliter verum, quin plerumque infractis momentis contractionum, & pressionum, in fibris cordis, arteriarum, & musculorum adjacentium, contrarium evenit. Quippè universus sanguis, & totus quantus est, in suis ductibus suscipiat impulsum à corde, & partibus circumambientibus, & coadjuvantibus ejusdem motum, sive modicus ille sit, sive multus. Finge per syncopen Cor stetisse; stat quoque & sanguis: cum verò Cor in suo motu redit, totus etiam sanguis pariformiter successivè commovetur. Sed & contra, sit sanguis sua quantitate minutus, quia præcedentem nisum Cor amittit, ut nequeat tam valdè continuum in venas commeandum impellere, ex resistentia majori contracta in iisdem, proculdubio velocitas illa prior sensim hebetatur, & languet. Unde sanguis in Animalibus tantum impellitur, quantum impellit, promovetque cor ad motum, & pulsum sui; ut observare est in pulsu myuro, & deficiente. Pulsus quoque formicantes dicti, velocissimi, & creberrimi sunt, cùm tamen pusilla, & multum infracta vis, seu vigor, & calor in corde, & sanguine est. Quamobrem non est considerandus sanguis in arteriis, & venis, velut purus, & simplex liquor fluens per vasa, sed velut humor heterogeneus compositus ex multis partibus, & spiritibus quoque plurimis abundans, qui cum per emissionem resolvuntur, ac dissipantur, reliquum in venis ineptum, effœtumque relinquunt, ut nequeat deinceps Cor, & reliquas partes corporis vivificare, atque ad motum solicitare; undè postmodum universalis languor, atque in pulsu, & motu ejusdem ingens varietas. At verò, si verum simpliciter esset, quòd ex missione sanguinis, motus ejusdem velocior fieret, proculdubio data proportione, ex majori detractione, longè major velocitas oriretur, quod contrarium evenit, languescente potius pulsu. Accedit, quòd ex missione sanguinis, venæ inanitæ admittunt majus spatium sanguini circumfluenti, ut propterea non multum turgeant; indeque etiam arteriæ nec multum etiam amplificentur, unde pulsus, qui primùm fortè erat elatus, & magnus, fiat humilis, & parvus, & velocitas,

citas, quæ exurgit ex missione, fiet solùm causa majoris, & citioris spirituum dissolutionis, ex illo motu magis concitato. Hinc tandem fit, ut licèt per modicum illud tempus, quo sanguis educitur, velocior motus in eodem habeatur; paulo tamen post idem subsistit, & æqualiter per arterias, & venas mole, & virtute diminutus, hebescit, & languet; quoniam universus sanguis intra horam suum circuitum per totum corpus absolvit: & licèt nisus sanguinis in arteriis major sanè fiat, quia in ipsis, vegetior, tenujor, & spirituosior est; attamen, quia per accessum illius ad varias partes corporis multum de sua vi amittit, fit, ut qui superest, per venas remeandus, lentescat nimium in motu, utpotè crassior, & parte sui puriore diminutus; ubi verò vitium aliquod contraxit magis, magisque in arteriis, profectò longè minor vis, ac nisus habebitur in venis.

Quod insuper subditur, sanguinem in vasis, post missionem relictum, minùs coactum remanere, & vasa ipsa minùs etiam infarcta; verum esse poterit in sanis, in quibus sanguis nullo vitio infectus esse solet; secùs verò in corporibus morbosis, in quibus plerumq; sanguis coagulationi subiicitur, & per detractionem magis, magisque concrescere, & coarctari solet. Arteriæ pariter magis contrahuntur ex defectu sanguinis missi; quia quanto minùs attolluntur, tanto magis contrahuntur. Neque momentum contractionis in Corde potest esse idem ante, & post missionem: quoniam sanguis appellens in Cor non idem est neque mole, neque virtute, ob præcedentem evacuationem. Solet præterea sanguis in statu morboso ejus esse conditionis, ut licèt ratione quantitatis resistere magis, vel minùs possit impulsui, non tamen idipsum valeat proportionaliter efficere præ sui pravitate; etenim in statu morboso omnia planè permutantur, etiam in partibus solidis, secundùm texturam, porositatem, fermentorum energiam, &c. Sed & contra fieri potest, ut resistentia hæc minor fiat mole, sed major evadat impetu, atque virtute, inducta nimirùm in sanguine majori commotione, ac fermentatione. Hinc etiam nec momentum Cordis impellentis fingi potest idem ante, & post detractionem, nec minùs canales eamdem servabunt rationem ut priùs.

Nec insuper ex sectione venę ampliori, aut angustiori motus, ac impulsus sanguinis habitus à pressione circumambientium partium quidquam conferre potest, ut minor, vel major resistentia habeatur in sanguine mittendo, adeòque majus, vel minùs incommodum corpori patienti inferatur; siquidem non in omnibus, credibile est, ut sanguis sit uniformis, cùm in aliquibus tenujor, in aliis crassior inveniatur; sed & textura, compositio, magnitudo, robur partium, & ipsarum præsertim venarum, variat in individuis; undè difficilè admodùm est divinare ubinam sectio amplior, aut angustior sit profutura: Non enim quæ mente à Nobis utiliter successura concipiuntur, in actum practicum deducta juxta propositum finem solent evenire, quinimmò speculationes metaphysicæ plerumque non congruunt physicis experimentis. Sic in libra prægrandi e. g. exactè ad æquilibrium posita, quisque proculdubio crederet quodcumque corpus adhuc minimum ad alterutram lancem adjectum, ad eandem partem pondus

addere, atque deorsum ducere, quod sanè mens, ac ratio concludenter, infallibiliterque futurum suadere videtur, cùm tamen ex adverso duas, tres, quatuorque muscas, & fortè etiam plures, ad alterutram partem superincumbentes, haudquaquam physicè pondus majus adjicere experiamur, licèt proportio unius lancis ad alteram ex illarum adjectione, major fiat. Ita prorsus, quod ex præmissis quibusdam futurum quid putatur tutum, utileque; ex adverso nocuum, vel infructuosum eveniet, ut millies expertum in praxi.

Quoniam insuper nisus sanguinis per venas continuus est nisui sanguinis per arterias, fit, ut per sanguinis emissionem ex venis, dimotio ejusdem sanguinis per arterias succedat minor, quia minor nisus sequitur post missionem: id quod in statu morboso graviùs contingit, quoniam sanguis cùm mittitur, non solùm quantitate diminuitur, sed etiam viribus infirmatur ob dispendium partium tenujum, & mobilium, seu spirituosarum; hinc fieri nequit, quin officiat, licèt sensibus externis minimè percipiatur. Quòd si dicatur nullam sensibilem mutationem exindè succedere, adeòq; eamdem majorem sanguinis velocitatem haberi in arteriis, quàm in venis; proculdubiò nec juvamentum ex ipsa missione sequuturum dicendum erit, cùm in tantùm juvamen ex missione speretur, in quantum mutatio aliqua in sanguine exindè successura speranda sit. Nequit autem intelligi, quo pacto per missionem sanguinis, velocitate motus ejusdem per arterias majori affecta, calor diminuatur pro ratione emissi sanguinis, cùm calor in sanguine à motu ejusdem haberi dicatur, ob attritionem partium calorem comprehendentium, & per ejusdem emissionem, motus ejusdem velocior subsequatur. Si enim calor per missionem minuitur, proculdubiò motus in sanguine tardior erit: vel è contrà, si motus post missionem velocior succedit, calor exindè resultans adaugeri simul unà dicendus erit. Quæ verò de cohæsione, & contractu partium intersese proponuntur, quis unquam ad amussim ariolabitur? Sed nec omninò verum, quod per attritionem partium in motu calor habeatur, cùm pleraque stagnantia calorem ingentem contrahant, quem in motu posita non proferrent, immò mota potiùs refrigescunt, ut in fimo, fœnu, aqua stagnante, & similibus: Sanguis ipse alicubi hærens inflammationem parit, & ardorem vehementissimum. Hinc concludendum missionem sanguinis non semper calorem imminuere, sed aliquando etiam augere; nisi cùm vires infirmat, & in exitium ducit: Tutum igitur non est quibus in corporibus, qua in ætate, loco, victu, aut ægritudinibus, id uniformiter possit accidere.

In obstructionibus præterea habitis in orificiis arteriolarum, ubi plerumque contingunt, nisus iste sanguinis ex arteriis in venas longè admodùm variabit, quippè ex ejusmodi impedimento ab obstructione habito, nisus hic debilior, & tardior fiet, adeòque motus sanguinis per venas lentè admodùm peragetur; qui deindè per sanguinis detractionem ab iisdem, multò adhuc tardior, & debilior subsequetur, ac successivè etiam in arteriis, in quas nisus ex venis in Cor, assiduò fit; quamobrem ubi ante missionem nisus,

indeque velocitas, obſtructionem in apicibus arteriarum inductam minimè poterat dimovere, longè minùs poterit poſt emiſſionem: idque magis cùm obſtructiones accidunt in intimioribus partibus corporis, in glandulis, & in capillaribus arteriolis, in quibus nullus pulſus, nullusque niſus, vel ſaltem debiliſſimus, & tardiſſimus, omninò improportionatus hærenti humori, plerumque etiam tenaci, acido, rebelli, maligno, qui non ſolùm obſiſtit ſanguini circumfluenti, ſed quod gravius, eundem inficit, & circumjacentes partes hebetat, & inquinat. Accedit, quòd etiamſi per miſſionem, ſanguis, qui in arteriolis hæſit, per dimotionem loco moveatur, ille in venas ipſis continuas intrudetur, & vitium in ſe ipſo contractum reliquo ſanguini communicabit; undè noxa major; quoniam ſemper faciliùs vitiabitur exindè bonus, qui ſupereſt ſanguis, à malo, qui hæſit, licèt modico, quàm malus à bono, in ſeipſum intruſus, in meliorem ſtatum reducetur; à privatione enim ad habitum non datur regreſſus. Si præterea id quod hæſit, præſertim in magnis vaſis, indebitam fermentationem in univerſo ſanguine, adeòque febrim excitet, proculdubiò nequibit miſſionem auferri, niſi totus ſanguis infectus educatur, exemplo vini aceſcentis. Sed poterit, inquies: ergo non certè, igitur dubitas: Ergo ſicuti in bonum, ita & multò magis, in malum cedere poterit; in dubiis autem non licet tam facilè de vita periclitari, præſertim per ſanguinis, ideſt vitalis theſauri detractionem, ne præſertim illud Plinii nobis obiiciatur, *Negotiantur animas noſtras, & experimenta per mortes agunt*. Ambiguitatem auxilii quoque probat, quod à nonnullis ſubditur, ſi morbus exigat miſſionem ſanguinis, ſed non ejuſdem mutationem, prævideri oportere num illa officiat morbo, an ſecùs; & ſi morbus diſtributus ſit per omnia vaſa, an alicui ſolùm parti hæreat; idq; genus alia. Etenim ad hæc prævidenda exquiruntur Vates, qui ariolentur de ſtatu ſanguinis, de morbo, de cauſis, cæteriſque morbum comitantibus, ex quibus ſanè in re Medica difficultates oriuntur innumerabiles.

Quare licèt, quæ de motu ex Mechanicis deducuntur, veriſimilitudinem pariant; in praxim nihilominùs medicam translata, nonniſi magna cum difficultate, & gravi periculo duci poterunt. Atqui ſi ſanguis in omni morbo ſalubriter mitti poteſt, ob innumera, quæ affert beneficia, cur eſt, quòd prævidentiis iſtiuſmodi indigeamus? proculdubio ſi minùs uno, ſaltem altero modò, certò proficiet. At id non ita evenit, nec ſemper ex voto reſpondet: ergò dubium. Si dicatur non in omnibus eaſdem circumſtantias debitas inveniri. En denuò ambiguitas, & periculum. Sed & in dijudicandis circumſtantiis, & opportunitatibus mittendi, quis ignorat, quàm anxiæ occurrant difficultates, quoniam conjecturæ, quibus nitimur, fallaces ſunt, & innumeris dubietatibus implicitæ. Et licèt medicamenta ad correctionem perturbati ſanguinis exhibeantur, quæ fortaſsè neceſſaria fuerint præcognita; quis ſubindè tutus fiet, num illa pro opportunitate in ventriculo mutentur, an potiùs in malos ſuccos degenerent, & num alios ductus pervadant, quàm quò neceſſe eſt. Neque verò liquida ſtatim, & tutò in alias partes corporis perpetuò fluitant, cùm non

non rarò accidat, ob pravitatem humorum, & ventriculi indiſpoſitionem ibidem inverti, & depravari, quandoque etiam concreſcere, & inhærere, aut paulò poſt per vias urinæ deduci, aut cum fæcibus inteſtinalibus commiſceri.

Quod ulterius aſſeritur de ſelectu venarum conſentientium cum parte affecta, aut inflammata, vel eidem oppoſitarum, neutiquam deduci poterit in praxim, quando inflammatio eſt interna: tunc enim trunci venarum conſentientes, utpote interni, ſeligi non poſſunt, multoties etiam ignorantur, quales ſint, neque tam patens, ac perſpicuum eſſe poterit, ubi nam propriè inflammatio contracta ſit, ut inde conii cere liceat, quænam poſſit eſſe vena conſentiens cum parte affecta. Sed & non rarò fit, ut nihil prorsùs ex inflammata parte deduci poſſit, quin potiùs contra in eandem magis confluat ex venæ ſectione commotus, cùm ibi ſanguis in ſuo motu præpediatur ob impedimentum inflammationis, & venarum, atque arteriarum anguſtiam; niſi etiam propter languorem partis inflammatæ faciliùs ibidem deponatur, & hæreat; & ſi fortaſsè aliqua portio ejuſdem ulteriùs promoveatur, & effluat, ſanè tenujor, ſeroſior, acrior, ac plurimùm infecta in alias partes promanabit, non ſine totius corporis incommodo. Et dato, quòd ſanguis exindè influat in partem laborantem minori quantitate, quàm per oppoſitam, quo tempore ſanguis immittitur, quia tamen ſubindè velocior redditur motus ejuſdem ob uſum circulationis, cujus cauſa, quo ſanguis minor quantitate fit, eo celeriùs commovetur, ad ſupplendam motus cordis, & vitæ indigentiam, ſequitur proindè, ut paulò poſt impetuoſiùs ille irruat in partem inflammatam, utpotè debiliorem, undè compreſſio major in eadem. Sed neque tollitur exindè vitium in ſanguine introductum, cujus cauſa hæſit, puta inducti acoris, aut lentoris; quin miſſo ſanguine tenujori, reliquus craſſior, & hærentior remanebit, unde tam inflammatio, quàm febris illam concomitans adaugebitur. Difficile inſuper admodùm eſt tempus internoſcere, quando ex venis oppoſiti lateris, & quando lateris ejuſdem, miſſio facienda ſit, cùm conjecturæ dubiæ ſemper utrinque ſint, unde ignorabitur, num preſſio, & contractio potiùs, quàm expreſſio, & propulſio ſit ſucceſſura. Accedit, quod per ſanguinis detractionem maturatio apoſtematis, quæ tamdiù deſideratur, plurimùm impeditur, proindèque recrudeſcente illo, majus, & periculoſius damnum inſequetur. Atqui licet rami aliqui venarum conſentiant magis cum parte affecta, quia tamen ſanguis breviſſimo temporis ſpatio totus circuit, per miſſionem æqualiter etiam ex toto corpore diminuitur, & quod vitium in ipſo eſt, aut ex parte inflammata contractum, toti pariter corpori communicabit, atque ex reditu per eamdem partem inflammatam, veluti debiliorem redditam, & fermentanti humori magis ſubditam graviùs inficiet, hebetatis intereà per miſſionem viribus. Inflammationes pretereà fiunt à ſanguine hærente in poris partium, vel etiam in glandulis, aut in intertextura earundem non ſine vi coagulante illum in apicibus arteriolarum, quæ non pulſant; quamobrem ſanguis, qui mittitur à venis ſive conſentientibus, ſive non, nullimodè poterit hærentem dimo-

dimovere, nam nifus qui fortè fit, vel concipi poteft à fanguine per miffionem velociori reddito,fiet primum in ramis venarum cum vena fecta confentientium, qui quoufque pertingat ad Cor, & arterias, indeque ad illas, quæ inflammatæ parti fubiiciuntur, vix fenfibilis erit,propter virium deperditionem, unde major femper erit refiftentia hærentis fanguinis in parte inflammata, quàm nifus ejufdem ex velocitate habita per miffionem, & licèt inaniatur aliquantulum vena inflammatæ parti attigua, arteriolæ tamen illæ, & pori partium oppleti, nulla ratione deplebuntur: idque etiam fi venæ per circuitum inflammationis fitæ aperiantur, ut promptiùs, ac proximiùs inflammata pars inaniatur, quoniam non femper ac minuitur quantitas, pari ratione minuitur preffiò, & crefcit velocitas motus fanguinis, cùm poffit id totum impediri à conditione partis inflammatæ, & à vitio fanguinis magis, magifque concrefcentis, ut in malignis tumoribus, anthracibus, furunculis, carbunculis, aliifque fimilibus, in quibus ubi femel nifui fanguinis, & cordis impellentis, necnon preffioni partium circumambientium, quod alicubi hæfit, obftitit, nufpiam tractu temporis poterit loco dimoveri, & alio propelli, fed fola maturatione fubigi, & evinci; quæ tamen per miffionem potius retardatur, & impeditur. Sed & per circuitum partis inflammatæ quis unquam aufit fanguinem educere ob periculum mali gravioris, & gangrenæ? Verumtamen fi unquam fanguinis miffio fperanda foret profutura in inflammationibus; planè magis per arterias in partem inflammatam influentes, quàm per refluentes venas effet facienda, ut minus fanguinis in eamdem conflueret, ne fcilicet inflammatio mole augeretur: at per eam definente impulfu in venas neceffario, facilè qui in venis adjacentibus eft intromiffus,fubfifteret, nec in fuperiores venas adigeretur, adeòque facilè poffet per moram ibidem concrefcere, & corrumpi, non fine graviori partis inflammatæ periculo, quæ per concretionem ejufdem fanguinis gangrenæ fubiiceretur, id quod non ita pridem in nobili quodam Viro vifum. Verùm Arteriotomia jamdiù è Praxi Medica exulavit ob innumera alia, ac fubitanea vitæ pericula.

Quod tandem dicitur fanguinis miffionem in omni morbo effe conferentem, five ad diminuendam fanguinis quantitatem, five ad velocitatem fanguinis adaugendam, five ad refrigerandum,& humectandum, five ad dimovendum, id quod fanguini circumeunti remoram præbet, five ad quæcumque fanguinis vitia præter naturam inducta removenda, vel corrigenda; planè, fi verum, hinc fiet in omni morbo, & quocumque tempore indifferenter adminiftratam, effe perpetuò profuturam, adeòque remedium univerfale, & indubitatum,quo fcilicet juxta corporis laborantis indigentiam fi non uno, faltem alio, atque alio modo certò proficiat. At verò id experimentis non cohæret,cum fæpefæpius officiat, etiamfi omnis diligentia in ipfa adhibeatur. Si dicas id evenire, quia non femper invêniuntur illæ circumftantiæ ad miffionem rectè peragendam requifitæ, vel ex parte nifus fanguinis, & cordis, vel ex parte adjacentium membrorum coadjuvantium, & comprimentium, vel ex parte refiftentiarum, aliorumque: Id planè decernit dubiam

illam

illam esse, atque variis difficultatibus implicitam, & nonnisi ambiguis conjecturis innixam, adeòque sub dubio nimis eventu ducendam in usum, quòd hic probandum intendebatur.

Sed & consideratione quoque dignum, arbitror non esse prætereundum, quàm facilè nunc sit factum, ut Mechanicam corporis constructionem unusquisque sibi talem fingat, qualem ex arbitrio præconceperat, ut proindè super una, eademque re tot, tantęque, inter se plurimùm differentes, audiantur meditationes, immò in ipsismet partium, & viscerum sectionibus, discordes nimiùm opinationes, & sententiarum varietates, adeòut quæ unus affirmat, alter neget, & quos meatus, poros, fibras, glandulas hic statuit, immò pluries observasse testatur, alter ex adverso implexus alios, penitùsque diversos, & contrarios refert; quin & pro certò nonnulli stabilire conantur, itaque structuras partium omninò differentes, & non raro etiam è diametro oppositas constituunt; unde postmodùm origines, nexus, communiones, tendentiæ, influxus, refluxus, & usus earumdem omninò varii, & vicissim contradicentes decernuntur. Hinc suspicari fas est non procul abesse, ut quæ hactenùs tam improbo labore, ac solerti industria, etiam in rebus minutissimis pervestigandis, à Recentioribus Anatomicis in publicum sunt pro certis prodita, sint brevissimè penitùs ruitura, vel in contrarios usus extorquenda. Atqui, si unquam debeant in minutissimis hisce rebus firmiora corporis humani fundamenta stabiliri, pro Mechanicis ejusdem operationibus enucleandis, quis planè ex adverso inficiari verebitur, quòd alia quamplurima, & innumerabilia ferè minutiora corpuscula, inconspicuique ductus, exilissimæque glandulę corporibus insint, quæ adusque latuere, attamen Mechanicam hanc corporis Oeconomiam regunt, & conservant, sintque fortè fortuna in posterum patefacienda? cùm jam satis superque fuerimus edocti, non omnia simul Naturæ Authorem Deum voluisse humanis ingeniis patefacere, ac præmonstrare, & qui *mundum tradidit disputationi hominum, ut in suis operibus occuparentur, sed nunquam inveniant*, Ecclesi.c. 3. & 8. successoribus nostris ad aliud tempus esse ostensurum.

Quare quæ, & qualis revera sit completa humani corporis fabrica, & œconomica compages, semper semperque in posterum ambigere erit, ut nec post mille sæcula sciatur exactè. Quæ prætereà detectę de his observationes, ac ope microscopiorum, peractæ, referuntur, quęque videntur plurimùm ponderis excogitatis istiusmodi superaddere, suspectæ nimium sunt, etenim ab his non leves fallaciæ exoriuntur, pro lentium eorumdem varia figura (si quæ fieri possint) majori, vel minori convexitate, aut concavitate; siquidem ad harum diversitatem variant admodùm intersese repræsentationes, apparitionesque rerum, tum in magnitudine, tum in figura, tum in situ, tum in coloribus, cęterisque, ut proptereà ipsis non omninò fidendum sit, cùm facillimè decipiant, & sensibus nostris imponant: nam vel moles, & magnitudo illa taliter figurata, & circumscripta, reverà talis, ac tanta est, qualis, ac quãta microscopiis spectatur, & ita nos in cunctis rebus dijudicandis per naturales sensus hallucinari dicemur, cùm tales, ac tantæ nostris sen-

fibus non appareant; adeòque fatendum effet, Naturam ipfam nimium defeciffe in animalium, & prę- fertim hominis creatione, qui artis beneficio, per confpicilia, & microfcopia, egeat, ut ad amuffim de reliquis corporibus dijudicet, tum in magnitudine, tum in figura; Vel contrà moles, & amplitudo illa rerum per microfcopia apparens, & fictitia eft, & jam exindè affirmabimus ejufmodi apparentiis non effe fidendum: & quidem ita putandum; fiquidem apparens illa quantitas ope microfcopiorum adaucta, fi reipfa talis fieret, ampliorem fpatium pariter exigeret, quod fanè nullum per ejufmodi apparentias progigni poteft, cùm & ex altero capite omne fpatium fit jam occupatum. Sed & magnitudo ipfa apparens fallax etiam eft; fiquidem uno microfcopio minor videtur, altero major pro varietate, & multiplicatione lentium, & eò magis fi in ipfis figuræ haberentur ellipticæ, parabolicæ, aut hyperbolicæ, perimetri latioris, aut anguftioris, quibus etiam colores multi, & varii, inftar Iridis apparerent. Quòd fi dicatur nil per ipfa revera adaugeri, aut in figura mutari, fed tantummodò apparenter talia fieri, ac videri, planè concludendum fenfus noftros in iis decipi, & plurimùm hallucinari; ut propterea ficut major illa quantitas re ipfa nulla eft, ita vacuitates, meatus, pori, & reliqua per microfcopium vifa, apparentia folùm effe, fed revera nulla ibidem inexiftere.

Non diffimiliter de finapifmis, phœnigmis, cauteriis, cæterifque ftimulis, motum in liquidis corporum, & fuccorum expreffionem, evacuationemquę promoventibus, putandum, quòd fcilicet illa iifdem ambiguitatibus fint implexa, cùm nec dum benè pateat, num illa re ipfa detrahant, an aliquid potiùs in corpus immittant, adeòq; alterent, perturbent, depravent, ac fcindant quidquid glandulis, & cute fubeft, aut quòd vafa lymphica, nervea, & fanguifera permeat: num etiam ftimulatas partes contrahant, & corrugent, vel potiùs delaxent, inficiant, & corrumpant; fiquidem ab aliquibus denfatio, & efchara ab aliis pororum obftructio; ex aliis diftractio, & laxitas; à nonnullis cutis elatio, tumefactio, rubificatio; ab aliis ftupefactio, frigefactio, mortificatio, idq;genus alia exoriuntur. Sed & non rarò tantùm abeft, ut à ftimulis iftiufmodi citatior motus fiat in humoribus, ut potiùs illi in parte ftimulata concrefcant, & hęreant, veluti in tumoribus, gangrænis, & membrorum inuftionibus. Per id ipfum quoque, quòd varia, & multiplicia beneficia hæc corporibus malè affectis afferre dicuntur, dubia, & fufpecta fiunt; cùm fortafsè id applicita peragant, quod minimè defideratur, & utile non eft: Illud namque remedium tutum, & falutare folummodò putandum, quod id dumtaxat agit, quod prodeft; & agere natura aptum eft: cùm autem varium eft, & in operando multiplex creditum, ex illa eadem varietate periculofum, & nocuum plerumque fit; quamobrem à peritioribus tutiora femper funt habita, quæ fpecifica nuncupantur, atque ad unum folummodò opus addicta. Cæterùm de veficantibus, cauteriis, uftionibus alibi à nobis fufiùs actum eft.

Innumeræ propemodùm aliæ in hanc rem afferri poffent difficultates, fed fatis fit has breviter præmonftraffe, ut incertitudinem, nimiamque dubietatem iftius magni, & in-

& ingentis auxilii in Medicina facienda, putati, cognitam faciant; cautosque reddant Medicos, ne tam fidenter à concredito Mechanices sustentaculo, illi in curandis ægrotantibus incumbant: Etenim ab his tam dubiis, & opinabilibus solùm, quid unquam certi poterit universaliter concludi, quemadmodùm ex Mechanicis proponitur sperandum, immò evictum, stabilitum, ac determinatum? Hæc planè omnia dubia sunt, ut & quæcumque alia in Re Physico-Medica. Sed quid in his diutiùs immoror? Res Medica, ut & Philosophica, atque Anatomica quæcumque, eo nunc devenit, ut post tot, tantaque magnorum Virorum excogitata, adinventa, & communi omnium plausu probata, ac recepta, magis adhuc jam claudicet, tam sunt ista à nuperrimis Professoribus excussa, quassa, inversa, & præsertim, quæ hactenùs summa industria, ingentique labore à Bartholino, Vvillisio, Malpighio, Bellini, cæterisque, in opem Medicam invecta erant.

Pro coronide adiicere juvat, quod in Philosophia Burgundica *to.3.Physicæ Generalis tract. 2. disp. 1. qu. 1. concl.* 1. dicitur: *Corporis Mathematici notione, tanquam physici, plerique abutuntur. Id enim fefellit Cartesium Geometriæ assuetum, quod res physicas, more mathematicorum, consideraverit; cùm corpus physicum sit actuosum, & principium motus, non item Mathematicum.* Et in Thesibus, ex Universa Philosophia, in Regia Burgundia propugnatis, Quarta hæc ex Physicis fuit apposita: *Principia rerum Mechanica, ut minimè sunt contemnenda, sic nec prima dici possunt, nec viventium conformationi, & functionibus explicandis sola sufficiunt.* Quamobrem jure optimo Simplicius vetustissimus Aristotelis Interpres, in *3.de Anima*, Geometriam, ut & cæteras Mathematicas, abdicandas à Philosophia censuit. Postremò concludamus cum Ecclesiaste *Cap.8. Intellexi, quod omnium operum Dei nullam possit homo invenire rationem eorum, quæ fiunt sub sole, & quanto plus laboraverit ad quærendum, tanto minùs inveniet, etiamsi dixerit sapiens se nosse, non poterit reperire.*



LUCÆ TOZZI
In Quintum librum Aphorismorum
HIPPOCRATIS COMMENTARIA.

APHORISMUS PRIMUS.

Convulsio ex elleboro lethalis est.



Libi, *Aphorismo* xvi. *Quarti*, dixerat Hippocrates, elleborum facere convulsionem: Nunc convulsionem ex ipso inductam lethalem esse pronunciat.

An autem de albo, vel de nigro intelligat, dubitari primùm hoc loco potest. At si in memoriam revocentur ea, quæ ab eodem pluribus Aphorismis scripta sunt *eodem lib.*4. sanè afferere non dubitabimus de albo elleboro esse intelligendum, quemadmodùm fatetur etiam Gal. *in comm.* tum quia ejus usus præ cæteris apud Veteres erat frequentissimus; tum quia de eo expressè meminit cit. *lib.*4.*Aphor.tex.* 13. 14. 15. & 16. ubi, cùm de elleboro ad vomitum inferendum verba fecerit, nonnisi album intellexit; quippè albus sursùm movet, deorsùm niger: tum etiam quia convulsio, quæ hìc ab usu ellebori notatur, faciliùs ex albo, difficiliùs ex nigro contingere solet.

Affert autem convulsionem elleborus albus, non tam evacuatione per vomitum excitata, quàm irritatione, punctioneque nervis per stomachum dispersis, inducta, ob illius acritatem nervorum fibris infensissimam. At si prætereà hypercatharsim promoveat, quia tunc præter evacuationem humorum in ventriculi cavum derivantium, etiam exsolutionem roridæ substantiæ, & liquoris nervorum, non sine eorumdem molestia inferet, convulsionem longè faciliùs succedentem excitabit.

Sed an reverà convulsio, quæ retractio est nervorum, & musculorum ad propria capita, an potiùs motus convulsivus, ex elleboro immoderatam evacuationem promovente, subsequatur, adhuc subdubitare est. Et licèt ferè communiter ab expositoribus de convulsione propriè dicta aphorismus exponatur, cum in Græco Codice σπασμὸς scriptus sit; videtur tamen dicendum, incipere primùm motum convulsivum, seu convulsionis prodromum, subsequi verò convulsionem. Etenim inverisimile videtur posse tam subitò convulsionem exoriri ex vomitionibus ab usu ellebori, cùm non statim nervi, & musculi contrahantur, & contracti remaneant, nisi postquam iteratis motibus convulsivis fuerint irritati, concussi, ac tandem obrigefacti. Crediderim eapropter ab usu ellebori motus convul-

vul-

vulsivos, seu inæquales, irregularesque contractiones primùm inferri, mox verò, nisi opportunis remediis occurratur, aut compunctio nervorum sedetur, exoriri convulsionem; quemadmodùm aliquando memini me observasse ab hypercatharsi virulenti cujusdam medicamenti purgantis; & aliàs ab importuno usu pulveris Algorethici, seu mercurii vitæ dicti, ex quibus primùm motus convulsivi, postmodùm reipsa convulsiones subortæ sunt. Idipsum etiam expertum non semel est in his, qui venenum assumpserunt, præsertim Mercurium sublimatum, aut Arsenicum; nam cùm præ irritamento vomitus foret excitatus, motus convulsivi, non vera convulsio inducta est. Hoc idem observare est in singultu, qui ad motus quoque convulsivos refertur: quin & singultus sæpesæpiùs fit à re stomachum vellicante, unde non convulsio, sed motus convulsivus insequitur. Verumtamen cum diutiùs isti perduraverint, in veram denique convulsionem desinere solent, quemadmodùm in epilepsia, quæ non raro transit in apoplexiam, vel commutatur in convulsionem; unde tandem exitium.

Sed quod Hippocrates de elleboro scribit, an dici quoque possit de cæteris catharticis tum per superiora, tum per inferiora plus justo moventibus, in controversiam revocari potest: & dicendum Hippocratem ellebori, loco exempli, meminisse, adeòque idipsum referri quoque posse ad cætera pharmaca, si modum excesserint, & hypercatharsim promoverint. Nam quæcumque possunt toridam nervorum substantiam extenuare, & eorumdem fibras lacessere, irritare, & extorquere, poterunt quoq; motus convulsivos, & convulsiones ipsas parere. Quin & humores ipsi præter naturam affecti, ac maligni, deleteriique redditi idipsum possunt excitare, quemadmodùm Galenus *in comm.* refert de eo, qui humorem æruginosum evomens, toto corpore convulsus est; illo autem excreto, & penitùs educto, à convulsione liber evasit. Itaque etsi Hippocrates convulsionem ex elleboro lethalem dixerit, non tamen ex cæteris catharticis inductam exemptam ab hoc eodem periculo putavit, ut idem habet 7. *aphor. text.* 25. cætera cùm paria esse possint; potissimùm autem cùm ob sui acritatem, ac vehementiam, præter dejectionem, vomitum etiam excitaverint, quippè per vomitum plurimùm stomachus lacessitur, ubi nervi plurimi in consensum quoque spinam, & cerebrum contrahunt.

Cur autem omninò lethalis dicatur ex elleboro convulsio, non æquè apud omnes convenit. Galenus, & cæteri Expositores ad siccitatem in nervis inductam ex immodica inanitione causam retulere. Nam cùm convulsio ab eodem Hippocrate dicatur vel inanitione, vel repletione fieri, curabilem fore illam existimarunt, quę ex repletione est, incurabilem verò, & penitùs mortalem, quę ab inanitione. Attamen cùm non adeò facilè sit tantam siccitatem in nervis excitari, quanta satis sit ad vitam destruendam, cùm alioqui toto corpore tabefacti, & marasmo affecti, licèt summoperè extenuati, non tamen in convulsionem incidant. Hinc probabiliùs creditum, eam, quę ex repletione fit, convulsionem, faciliùs sanari, quia nervorum fibrę ab humore quodammodò crassescunt, & tumefiunt; quę verò ex inanitione fieri dicitur,

cùm

cùm ab acritate, & virulentia succorum, nervorum fibræ contorqueantur, & obrigescant, nec tam facilè in pristinum statum restitui possunt; sed læsione cerebri meditullio communicata, talis noxa inducitur, quæ à compage, & naturali constitutione cerebrum ipsum deturbet, proindè fieri, ut illa insanabilis evadat; cùm & difficillimum sit dissolutum erveum liquorem restituere, & fibras convulsione distortas, ac retractas denuò mollificare, atque in naturalem statum restituere. Verùm, quoniam usus ellebori albi apud nos jam exolevit, & cathartica quæcumque tam benè ope chymica corriguntur, ut omne virulentum exuant, immò & ista rarenter ducantur in usum, ejusmodi incommoda nulla fiunt, nec ullatenùs formidanda. Cæterùm si unquam id accideret, remediis oppugnandum foret sistentibus hypercatharsim, humefacientibus, & retundentibus acritatem, atque postremò vomitum sedantibus, de qua re actum à nobis est in expositione Aphorismi 16. *libri* iv.

APHORISMUS II.

Convulsio ex vulnere lethalis est.

QUod de convulsione ab assumpto elleboro præcedenti aphorismo dixerat, nunc de eadem ex vulnere subjungit. Et quidem pari ratione, ac anteà est animadversum, dicendum hic etiam, ex vulnere eam non raro subsequi post iteratos motus convulsivos. Contingit autem sæpenumerò convulsio ex vulnere, vel ob vulneratam partem nervis plurimis contextam, quemadmodùm in spina, in membranis, in musculis, & tendinibus eorundem; vel ob ingentem inflammationem vulneratæ parti supervenientem; vel ob indebitam acrium, & irritantium medicamentorum applicationem, quemadmodùm aliquando memini me observasse ex importuna trochiscorum de minio in partem vulneratam immissione.

Sed & sæpissimè quoque accidit sine ulla evidenti causa vulneratam partem subire convulsionem, immò & alias quoque partes in consensum trahere, ob solam nervi punctionem: ea enim est nervorum conditio, ut cæsi, atque omninò resecti minùs periculi afferant, puncti verò sæpissimè exitium inferant irreparabile: quod & notatum à Galeno *lib. Artis medicæ*; siquidem cæsi, & resecti nervi æqualiter in suis fibris coafficiuntur, & commodè per convenientia medicamenta conglutinantur; at verò punctis non æquè fibras affici contingit, undè fit, ut illarum aliquæ retrahantur, aliæ resolvantur, ideòque inæqualiter in seipsis contorqueantur. Hinc consueverunt peritiores Chirurgi ad inhibendam ejusmodi inæqualem nervearum fibrarum commotionem, punctum nervum penitùs rescindere, ac resecare.

Quoniam verò convulsio ex vulnere orta arguit ingentem nervorum læsionem, ob quam etiam cerebri meditullium coafficiatur, idcircò fit, ut lethalis evadat: Cerebri enim læsiones potissimùm in meditullium, atque in nervorum originem inflictæ periculosæ perpetuò sunt, & sæpissimè in mortem desinunt, dissipatis subindè spiritibus, & rorida nervorum substantia, vel corrupta, vel exsoluta: atqui etiam constat Anatome, cor pariter ejuscemodi spiritibus egere, ut suum

motum,

motum, & vitam tueatur: deficiente autem cordis motu, vita ipfa definit.

At quæri hic poteft, num etiam ex ulcere convulfio lethalis fit. Et dicendum fæpiffimè quoque fuiffe obfervatam exitialem, an quia inflammatio ibidem suborta eft, & non rarò cum gangræna, & fphacelo; an etiam quia fanies ex ulcere prodiens tantam aliquando acquirit pravitatem, ut five halitibus, five continuata per partes virulentia, cerebrum, cerebrique functiones deturpet, unde poftmodùm animales, & vitales operationes læfæ confequantur. Verùmtamen eft, quòd non femper convulfiones ex ulcere inductæ lethum afferunt, potiffimùm cùm ejufmodi funt, ut à forditie ulceris proficifcantur; etenim abfterfis fordibus, & ulcere mundificato, facilè folet convulfio definere. Expertum quoque eft, convulfionem ex punctura nervorum defiiffe, admotis medicamentis motum illum fibrarum inæqualem fedantibus; quemadmodùm ab ufu olei terebinthinæ. Idipfum dicendum in convulfione ex ictu, contufione, hęmorrhagia, aliifque, quoniam admotis remediis, quæ contufioni, aut hæmorrhagiæ opitulantur, folet ftatim convulfio definere, nifi tamen talem illa fecerit in nervis, & cerebro impreffionem, ut non tam facilè fit emendabilis. Sic quoque pro partium vulneratarum varietate, varius quoque effe folet eventus, cum aliquæ faciliùs, aliæ difficiliùs reftituantur. Quandoque etiam loco convulfionis accidit refolutio, quæ comparata ad convulfionem, minoris folet effe periculi. Cæterùm quæ his conferunt, petenda erunt à Chirurgis, qui fusè nimis de his agunt.

APHORISMUS III.

Ubi fanguis plurimus fluxerit, fingultus, aut convulfio fuperveniens, malum.

UBi anteà lethale dixit, hic malum dumtaxat pronunciat Hippocrates. Neque verò malum cum lethale confundit, quemadmodùm exiftimat Galenus *in comm.* nam non adeò funeftus eft exitus ex convulfione, aut fingultu ab hæmorrhagia, uti ex convulfione ab elleboro, & vulnere. Vifum enim pluries eft ab his ægrotantes convaluiffe, ab illis verò rarenter admodum, vel nunquam. Attamen levis momenti negotium putandum eft, cùm non folùm ob convulfionem, & fingultum, vitę periculum involvat, fed, quod graviùs, ab immoderato fanguinis fluxu, cum hic vitę thefaurus fit, quo exhaufto vita ipfa deficit.

Quoniam verò Hippocrates indefinitè dixit, ubi fanguis immodicè fluxerit, neque locum exitus fanguinei determinaverit, proculdubiò intelligendus ille erit de fanguinis evacuatione undecumque contingat. Quare five ex ore, naribus, & partibus fupernis, five ex alvo, viis urinæ, aliifque partibus infernis prodeat, femper ac fingultus, aut convulfio fuccedat, vitæ periculum minabitur: quamquam cohærenter Aphorifmo præcedenti, manans folùm ex vulnere à quibufdam exponi foleat.

At qua de caufa periclitentur ægrotantes ex fingultu, aut convulfione poft immodicam fanguinis profufionem; & undè contingat fingultum, aut convulfionem oriri ex immoderato fanguinis fluxu, gravis eft hujus loci difficultas. Omnes Inter-

terpretes cum Galeno utriusq; causam referunt ad immodicam ipsam sanguinis evacuationem, per quam nervi, & musculi inaniti, & exsiccati contrahantur. Verùm qui convulsionem nonnisi à causa irritante progenitam admittunt, non benè his conveniunt, neque ad solam causam inanitionis illam referunt, & eo magis, quia præter convulsionem, singultum quoque hìc memoraverit Hippocrates: modò cùm singultus ventriculi læsionem arguat, & hìc non tam facilè ab ejusmodi inanitione afficiatur, propterea fit, ut ad aliam causam confugere sit necesse, ut ratio scilicet utriusque probabilior eluceat. Crediderim eapropter convulsionem, & singultum, non propriè oriri ex ipsa sanguinis evacuatione, sed consequi antecedentem illam causam, quæ talem, ac tantam evacuationem promoverit. Cùm enim sanguis è suis vasis non prosiliat, nisi post contractam acritatem, venenatamque conditionem valentem erodere, & reserare vasa, sanè quæ in causa est, ut sanguis prodeat, erit quoque, ut nervorum fibræ proritentur, & convellantur, atque in ventriculo singultus concitetur: postquam enim sanguinem infecerit, etiam nervos, & nervorum liquorem depravat, undè postmodùm convulsio, aut singultus. Vitium autem sanguini illatum acorem plerumque refert, qualis in aqua stygia: at verò ab acidis facilè nervi proritantur, & convelluntur, atque eo magis, magisque, quo per hæmorrhagiam citatior fit sanguinis motus, & acidum oberrans impetuosiùs furit, & quoquoversùm irruit. Non est autem necesse, ut junctim convulsio, & singultus immoderatam sanguinis evacuationem consequantur; sed satis est, si alteruter contingat; etenim pro majori, vel minori hujus, vel alterius partis affectione, modò una, modò altera convellitur; atqui convulsio ventriculo contingens, singultum parit: Quin apud plerosq; controverti solet, num singultus ad ventriculum, an verò ad septum transversum potiùs referri debeat, ob fibrarum communem utriusque texturam; quamobrem si ventriculi revera affectio sit, difficultatem omnem elidet, ut propterea convulsio, quæ musculorum ægritudo est, ad ventriculum referri non possit per singultum, cùm ventriculus musculosa pars non sit. Verùm etsi ventriculus propriè ad musculos non referatur, fibris tamen carneis est intertextus, quemadmodùm plerisque Anatomicis est animadversum.

Sed quamvis ad sanguinis acritatem, convulsionem, ac singultum ex immodica sanguinis evacuatione provenientem retulerimus, subest nihilominùs alia causa, ob quam nervorum principium ab istiusmodi evacuatione coafficiatur: quippè ubi sanguis plurimus profusus est, nervorum liquor fatiscit, & rorida illa substantia, qua eorundem fibræ irrorantur in statu sano, ex non suggesta materia à sanguinis glutine dependente, facillimè contorquentur; & eo magis quo partes sanguinis acriores redditæ sint, ut dictum.

APHORISMUS IV.

Ex nimia purgatione, convulsio, aut singultus superveniens, malum.

Hoc alio Aphorismo Hippocrates generaliori sententia, quod

quod de evacuationibus ab uno, vel alio medicamenti genere promotis retulerat, ex quacumque evacuatione immoderata edocet, ut propterea videatur præcedentium aphorismorum ratio, & causarum inferentium convulsionem epilogus, & corollarium. Quoties enim ex nimia purgatione convulsio, aut singultus accidit, semper arguitur interna aliqua causa nervos, & nervorum principium afficiens, ita ut quæ nimiam evacuationem promoverit, eadem convulsionem, & singultum afferat, & sive evacuatio sponte naturæ suborta sit, sive à cathartico vehementi sit excitata. Quoniam verò dixit ex nimia purgatione, indicare videtur non quamcumque evacuationem, ex quibusvis ductibus corporis habitam, sed tantummodò per alvum, & intestina; etenim usus est voce græca, καθάρσει, quæ propriè alvi dejectionem significat. Attamen visum aliquandò est ex mictu sanguineo à cantharidibus excitato, motus convulsivos prodiisse. Verùm faciliùs, frequentiùsque contingunt convulsiones ex superpurgatione, quam ex alia quacumque evacuatione; immò singultus, qui ad ventriculum pertinet, nonnisi ab immodica evacuatione per alvum oriri potest, ob communem nervorum, & membranarum texturam. Sed & non rarò sanguis ipse ex hypercatharsi funditur, & eliquatur; undè postmodùm, præter virium jacturam, fit quædam acritas in omnibus humoribus à sanguine procedentibus, quæ convulsionis causa est, ut anteà dictum. At verò ex cunctis partibus corporis magis afficitur ventriculus, & cerebrum; Ventriculus quidem ab acri cathartico, ejusque immoderata evacuatione: Cerebrum verò ob peculiarem sui imbecillitatem, & succi nervicei exhaustionem, undè postmodùm singultus ex uno, convulsio ex altero oriatur.

APHORISMUS V.

Si ebrius quispiam repentè obmutuerit, convulsus moritur, nisi febre corripiatur: aut ubi ad horam pervenerit, qua solvuntur crapulæ, vocem recuperet.

Inter cæteras causas convulsionem inferre valentes, recenset speciatim hoc loco Hippocrates ebrietatem, per quam cerebrum, & nervi proximè affecti soporantur, cùm omnibus notum sit exindè cerebrum vacillare, & corpus universum in sensu, motuque animali vehementer offendi.

Quamvis autem ebrios hìc memoret, non tamen explicat, undè ebrietas ipsa contingat, nam licèt plerumque ex immodico usu vini illa oriatur, passim tamen eandem fieri experimur ab aliis liquoribus in fermentationem adactis, quemadmodùm de cerevisia satis notum est, itemque de succis fructuum, præsertim Dactylorum, Fragorum, Pomorum, facilè fermentescentium. Aliquandò etiam observatum, ab immodico usu lactis, potissimùm acescentis, inductum fuisse soporem; quin & non aliundè fit, cur pueri lactentes facilè in somnum delabantur. Quamobrem crediderim, Hippocratem consultò tacuisse liquoris potionem, sed indefinitè ebrietatem undecumque provenientem, referre voluisse, modò talis sit, ut aphoniam, ac deindè convulsionem pariat. Sed ne dum ex assumptis liquoribus, verum etiam

ex

ex plerisque vaporibus, halitibus, benè, vel malè olentibus, ebriorum ad instar, somnum induci posse compertum est; sic plerique memorantur ex moscho, ambra, croco; alii ex peto, carbonibus; alii aqua ardente, similique spiritu soporati. Idipsum ex cellis vinariis, ex mephitibus, fodinis, crypta Anguiana propè Puteolos, aliisque, ut cunctis notum, observatur. Quare quęcumque possunt nimia, ac subita evaporatione cerebrum gravare, aut excursiones spirituum, & roridę cerebri substantiæ irrigationem intercipere, poterunt quoque soporem, & aphoniam inferre. At quamvis hæc ita sint, specialiùs videtur hìc intelligendus Hippocrates de ebrietate ab epotis liquoribus inducta, potissimùm autem à vino, eoque meraco, cujus usu bibaces Gręci sæpesæpiùs nedùm ebrii, sed etiam convulsi supremum diem obire consueverant; undè deductum videtur verbum illud *græcari*, *&* *pergræcari*, hoc est Græcorum more bibere. Cùm igitur ex ejusmodi ebrietate repentina contingit aphonia, edocet Hippocrates futuram paulò post convulsionem, ut proindè ebrius aphonus, non apoplecticus, sed convulsus moriatur.

At qua de causa convulsio ebrietatem subsequatur, si illa aphoniam attulerit, non est levis momenti difficultas, & quamvis veteres omnes Interpretes cum Galeno ad vim vini, conditionemque retulerint, quippe illud cerebro infensum dicitur, non tamen benè evinci potest, quamobrem soporem, & aphoniam inferat, attenta præsertim vini natura, quæ calida à Galeno, cęterisque ponitur. Quò fortasse respiciens idem Galenus 2.*de causis morborum*, ut hanc difficultatem solveret, scripsit, vinum moderatè sumptum naturalem calorem augere posse, immoderatiùs verò potatum, frigidos morbos excitare. Et 3.*de Temperam. cap.* 3. subdit, non semper illud calefacere, sed ubi plus fuerit epotum, quàm evinci possit à calore naturali, frigidos morbos gignere, puta apoplexiam, carum, convulsionem, & tetanum. Verumtamen neque his satisfacit difficultati propositæ; nam si moderatè sumptum calefacit, certè à fortiori magis calefaciet immodicè potatum. Sunt etiam, qui solo ejusdem odore inebrientur: sunt & alii, qui ex ejusdem usu immoderato vigilent, febricitent, ac delirent, ut propterea non perpetuò verum sit vinum refrigerare, atque adeò soporem inferre. Sed etsi vinum immoderatiùs epotum sopores afferat, maleficio vaporum cerebrum occupantium, & gravantium, cur est, quod convulsionem etiam afferat, & motus convulsivos, qui non sine acritate, & vellicatione contingunt; quin & plerique per ebrietatem fiunt phreneticis similes, ac delirantes, quousque vinum edormierint, quemadmodùm testatur de suis popularibus Hollerius hìc.

Probabilius eapropter dicendum vinum, cęterosq; liquores ad caput facilè effumantes, fermentatione indebita in ventriculo promota, acorem talem, ac tantum contrahere sulfureo-narcoticum, ut halitus, ac vapores illuc pertingentes, non solùm cerebrum, ejusque roridam substantiam infarciant, & obtundant, verùm etiam figant, hebetent, ac stupefaciant, unde primùm aphonia; siquidem rectè Seneca *Epist.* 83. vinum opio, elleboro, & veneno comparat, quòd nimirùm mortiferum, somniferum- Vide etiam Pl, lib.4.c.5.

que

que sit. Et Lucretius *lib. 3. de Natura rerum.*

.....Cum vini vis penetravit
Acris, & in venas discessit diditus ardor:
Consequitur gravitas membrorum, præpediuntur
Crura vacillanti, tardescit lingua, madet mens,
Nant oculi, clamor, singultus, jurgia gliscunt.

Et quoniam per ejusmodi acorem fibræ nervorum vellicantur, & compunguntur, propterea fit, ut post aphoniam convulsio subsequatur, qua nervi ad suum principium retrahuntur, idque speciatim facta transpositione in nervos, & musculos subjectos, potissimùm cervicis, & spinæ, vel etiam labiorum, & mandibularum, ut in spasmo Cy-
4. tusc. nico. Testatur autem Cicero eos, qui reliquis potionibus inebriandi vim habentibus replentur, in omnem partem, & in dextram, & in sinistram, & pronos, & supinos cadere, qui verò sunt vino inebriati, retrorsum solùm, atque supinos decumbere: nervis scilicet per cerebellum præcipuè ad cervicem, & spinam pertinentibus affectis. Accidit itaque aphonia, seu vocis privatio, quoniam nervi potissimùm vocales afficiuntur, qui per guttur, & fauces, aliasque partes circumjacentes diffunduntur, unde etiam lingua in suis musculis, & nervis offenditur. Et quamvis aphonia proximè accedat ad apoplexiam, non tamen omninò cum illa confundi debet; etenim per apoplexiam respiratio graviter læditur; at verò per aphoniam illæsa illa remanet, offensis dumtaxat musculis, & nervis vocalibus: Sed & apoplexia desinere solet in paralysim; aphonia verò potiùs in convulsionem. Adnotat autem Hippocrates in tex. repentinam obmutescentiam, siquidem ista omninò morbosa est, & convulsionis prodroma: nam si fortasse sensim ebrius obmutesceret per soporem, qui ex ebrietate plerumque contingit, certè in convulsionem non desineret. At verò cùm repentè obmutescit, convulsus moritur: significatur etenim vitium tale ex ebrietate cerebro, cerebrique meditullio fuisse illatum, ut spiritus animales, & roridam nervorum substantiam violenter admodùm figat, atque coarctet, ut propterea fibræ nervorum postmodùm contrahantur, & convulsione fatiscant ab acore eorundem vaporum: quippè partes vini acriores in nervorum substantiam repunt, & contorquendo fibras convellunt. Acescere autem in his vinum ostendunt ructus, & vomitus plerumque ab ebrietate evenientes; ex acore verò nervorum, membranarumque fibris inducto caput vacillat, trepidant artus, oculi rubent, & coarctantur, pupilla constringitur, lingua contrahitur, & titubat. Sed & spiritus ipse è vino elicitus ope destillationis, acidas in se continet particulas, quibus corrugandi, atque roborandi vi pollet; unde vulneratis partibus admotus nedùm sanguinem sistit, sed & fibras discissas conglutinat, suppurationem prohibet, ac tandem vulnera ad certam, tutamque cicatricem perducit.

Hanc autem lethalem ex ebrietate convulsionem sola febris prævertere potest: quippe per eam facillimè, atque citissimè dissolvitur quidquid in nervis, ac musculis coagulatione concretum est. Hinc idem Hippocrates pluries etiam advertit, tum in Aphorismis, tum in

Coacis prænotionibus, convulſionem ſuperveniente febre deſinere, ut & nos aliàs adnotavimus. Debet autem febris ſuperveniens non omninò levis eſſe, ſed aliquam præſeferre magnitudinem, qua poſſit compactam in nervis materiam acore vitioſam diſſolvere, immò etiam per ſudorem, aut urinam expellere. Verùm non dixit Hippocrates omninò per febrem convulſum ex ebrietate convaleſcere, ſed dumtaxat non ex convulſione perire: fieri enim poteſt, ut adhuc per febrim intereat nulla adhuc convulſione detentus; ſiquidem ſi febris talis ſit, quæ cauſam convellendi deprimat, neque vitium aliud in cæteris humoribus præſupponat, proculdubiò & convulſionem tollet, & ebrium in priſtinum ſalutis ſtatum revocabit. Si verò febris ſuperveniens ex malo fortaſsè corporis apparatu alios humores inficiat, & alia inſuper pariat ſymptomata, etſi convulſionem auferat, poterit ex alio capite mortem inferre, cùm acidi, vitioſique ſucci convulſionem afferentes, in alias partes delati, benè poſſint febrem mali moris excitare. Itaque conferet febris ſuperveviens convulſioni, ſed nihilominùs poterit ex alio capite nocere. Et quidem plurimùm verendum, ſi febris, quæ ſupervenerit, intrà triduum, vel quatriduum ad ſummum non contulerit, nec intrà idem tempus deſierit, quemadmodùm idem Hippocrates admonuit in *Coacis prænotionibus*.

Adjecit Hippocrates in aphoriſmo, poſſe convulſionem ex ebrietate inductam amoveri ex ſpontanea ebrietatis ſolutione; undè inquit: *aut ubi ad horam pervenerit, qua crapulæ ſolvuntur, vocem recuperet*. Quamobrem etſi febris nulla ſuperveniat, ſi tamen per id temporis, quo crapulæ ſolvi ſolent, loquela reſtituatur, convulſus ex ebrietate convaleſcet. Hinc notare eſt, convulſionem non ſtatim ſupervenire aphoniæ ex ebrietate, ſed poſt aliquot horas, aut etiam dies integros: nam tunc affectio in nervis, & cerebro firmiter hærens deſignatur, quam nullatenùs potuerit Natura vincere, & debellare. Quantum autem temporis videatur poſſe exigi ad ebrietatis ſolutionem, dubium eſſe poteſt hoc loco. Et quamvis Galenus *in comm.* pro vini conditione, & corporum affectorum habitudine, aliquos dicat poſtridiè, alios ſequenti die, alios etiam tertio ex ebrietate reſipuiſſe; id tamen fortaſsè verum in vino potentiori, craſſiorique, quod fortaſsè ſua tempeſtate erat in uſu; at verò ex uſu adhuc immoderato noſtratium vinorum nunquam non ante unum diem crapula ſoluta viſa eſt, fortè quia noſtratia vina non tam craſſiora ſunt, neque tam difficilis diſſolutionis: quamquam non his aſſueta corpora graviùs ſubindè afficiantur, quemadmodùm experimur in Teutonicis, cæteriſque Septentrionalibus. Conducit in hoc idem varia corporis textura: nam pueri, fęminæ, debile caput habentes, & quicumque ſunt texturæ mollioris, rarioriſque, facillimè ebrietatem incurrunt, etiam ex uſu vini levioris, cùm contra, texturam nacti duriorem, exercitati, aſſueti, merum etſi biberint, difficiliùs inebrientur.

Qua autem ratione his ſuccurrendum ſit, ne in convulſionem incidant, & ex ebrietate liberati vocem recuperent, ſcitè quidem edocet Hippocrates 2. *de morb.* ubi hanc eandem ſententiam repetens, ſic inquit:

quit: *Si quis ex ebrietate voce privetur, & statim sanè ipsum febris corripiat, sanus fit, si verò non corripuerit, die tertia moritur. Si itaq; in sic affectum incideris, multa calida lavato, & spongias calida aqua madefactas capiti apponito, & cepas decorticatas in nares indito. Siquidem si apertis oculis loquatur, & ad se redeat, nec deliret, hac die sopore pressus jacet, postridie sanus exurget; si verò surgens bilem vomuerit, insanit, & moritur, maximè in quinque diebus, si non dormierit. Huic igitur hæc facere oportet, multa calida lavato, donec ad se redeat: deinde copioso oleo illitum mollibus in stragulis repone, ac contege cum silentio, & in tenebris, ut plurimum enim ex balneo dormit, & si dormierit sanus evadet. Postquam autem redierit, primis tribus, aut quatuor diebus milium tenue, aut ptisanæ succum sorbeat, & vinum mellis speciem referens bibat. Deindè cibis utatur mollissimis, ac paucis primùm.* Et iterùm lib.3. subdit. *His validas sternutationes excitare convenit, & clysterem bilem ducentem, & ipsum validum inducere. Quod si sensum æger receperit, thapsiæ succum in multa aqua calida dato, quo quam citissimè revomat. Posteà attenuato, & à cibo abstineto usque ad septem dies. Detrahendus est, & à lingua sanguis, si venam comprehendere possis.* Verùm nos pluries vidimus sedatas ejusmodi ebrietates iteratis lotionibus pudendorum ex aqua gelida: mirum enim, quàm istæ partes cum cerebro consentiant, & madorem, frigefactionemque eidem communicent. Sunt & alii, qui à fumo tabaci idipsum assequuntur, & alii sternutationem moventibus. Sed præstaret vomitum incitare statim, ac immodicè vinum fuerit epotum, & antequam temulentia sit confirmata: Quod & ab Athenæo memoratum inveni *lib.11.cap.x.in fin.* Cæterùm ebrietatem præcavere referuntur allium, & amygdalæ amaræ, si anteà sumantur. Et quidem de allio extat auctoritas Hippocratis 4. *de ratione victus in acutis*, dum inquit: *optimum est ipso* (idest allio) *vesci ei, qui crapulæ se daturus est, & futurus ebrius*. De amygdalis verò amaris præter graves alios Auctores, testatur Plutarchus *libr.1. sympositacorum quæst 6.* ubi Medicum memorat in comitatu Drusi Tiberii Cęsaris filii, qui cum quinque, vel sex amygdalas amaras ante compotationem edisset, omnes bibendo superabat: sed deprehensa fraude, prohibitus ne id faceret, facillimè à vino devictus fuit. Unde autem id fiat, curiosè à plerisque quæritur. Novi & ego alium, qui seipsum ab ebrietate frigidæ aquæ haustu paulò ante comessationes præmuniebat, & quidem felicissimo successu. Apud Athenæum *libr.1. cap. 30.* Brassica, ejusque semina commendantur, quòd præcomesta potatores ebrios fieri non patiantur, quin & in qua vinea nascuntur brassicæ, vinum progigni debilius dicitur. Multa alia ad ebrietatem arcendam recenset Zacutus Lusitanus *libr. 3. Prax. admir. observat* 123. Mercurialis *variar. lect. lib.4 cap. 6.* & Joannes Langius *Epistol. lib. 1. Epist. 30.* præter alios. Vide Vvecker lib. 5. Secr.

Pro coronide tandem advertere non pigebit, cautos, attentosque oportere esse Medicos in ebriis internoscendis, & judicandis, ne illos cum apoplecticis confundant, & uti apoplecticos tractent, magno cum salutis ęgrorum detrimento, & non sine sui ipsorum honoris infamia. Me-

mini ebrium quendam ab ignaro quodam Medico, qui illum apoplecticum existimaverat, adeò perperam tractatum frictionibus, cucurbitulis, vesicantibus, immò ad verticem capitis ignito ferro cauteriatum, ut postquam experrectus se tam afflictum, tortumque vidisset, Medicum ipsum, nisi fugam arripuisset, veluti sui tortorem, ac hostem peremisset. Idipsum non ità pridem mihi retulit dignissimus quidam Prȩlatus evenisse Romæ cuidam suo famulo, & nonnisi magno cum Medici derisu. Equidem apoplectici præter soporem, respirationem habent graviter læsam, pulsum inæqualem, pallentem vultum, vel plus justo rubentem, & tumidum: Ebrii verò somnum suavem dormiunt, in cunctis benè se habent, & si convelluntur, ab ipsis motibus nonnumquam excitati, statim exsolvuntur, & valent.

APHORISMUS VI.

Quicumque Tetano corripiuntur, in quatuor diebus pereunt, si verò hos effugerint, sani fiunt.

DAt in hoç Aphorismo Hippocrates exemplum Tetani, ut indè terminum convulsionis in interitum desinentis coniiciamus. Refertur quippè Tetanus ad convulsionem, velut species ad genus, siquidem Tetanus est nervorum tensio æqualiter in toto corpore facta, per quam illud rigidum, & immobile remanet, cùm partes anteriores æquè, ac posteriores contrahantur; undè Galenus *in comm.* inquit, illum esse affectum compositum ex Emprosthotono, idest tensione ad anteriora, & Opisthotono, idest tensione ad posteriora.

Cum ergo contingit aliquem Tetano corripi, idest æqualem pati ad anteriora, & posteriora contractionem, facile est, ut intrà terminum acutissimorum morborum, qui est quartus dies, intereat. Arguitur enim ex æquali, & vehementi nervorum per partes anteriores, & posteriores excurrentium affectione, plurimùm gravari Naturam, & multam, potentemque esse causam, quæ potuerit cunctos utriusque partis nervos afficere, undè postmodùm omnes ferè operationes, & potissimùm vitales offendantur. Si verò terminus quatuor dierum transigatur, quia sensim morbosam causam cedere indicio est, ac pedetentim concoctione dissolutam sensibiliter, aut insensibiliter expurgari, proindè si hunc terminum ægrotantes evaserint, nullo negotio revalescent.

Verùm animadversione dignum est, non dixisse Hippocratem quarto die Tetano affectos interire, sed infrà hoc tempus posse periclitari; undè & prima, & secunda, & tertia die etiam obire poterunt: quamquam & plerosque novi etiam ad septimum periisse, qui nimirùm viribus, & ætate præpotentes, violentiam morbi diutiùs sustinere potuerunt.

Verisimile autem est ex majori, vel minori vitiosi humoris aciditate, ejuscemodi varietatem Tetano affectis evenire: ubi enim aciditas pontica nervos affecerit, & præter contorsionem, ac rigiditatem, stuporem attulerit, certè mors citiùs accidet, atque inevitabiliter; ubi verò potiùs corpulentia, quàm acore summo nervi fuerint divexati, non solùm in longius tempus Tetanus protrahetur, verùm etiam paulatim remittetur, & in salutem definet.

Etsi insuper Hippocrates dicat post quar-

quartum diem Tetano correptos ſanos fieri, non tamen credendum eſt ſtatim, & abſque ullo auxilio medico illos ſanari, cùm nervi, & muſculi affecti non ſubitò in priſtinum ſalutis ſtatum remitti poſſint, abſque eo, quòd humores per illos diffuſi ſenſim diſſolvantur, & evaneſcant. Quare exponendus aphoriſmus eſt, ut licèt poſt quartum diem Tetano correpti mortem evadant, poſt longius tempus tamen in priſtinam ſalutem reſtituantur. Sed & neque perpetuò verum eſt, quòd poſt quartum diem mortis periculum effugiant, cùm aliquando obſervatum ſit, etiam in ſeptimo, atque etiam poſt ſeptimum illos eſſe periclitatos. Fortè autem, tempore Hippocratis citiùs ſanabantur, ſive ob ſalubriorem incolatus conſtitutionem, ſive ob fortiores corporum temperaturas, ſive etiam ob temperatiorem victus rationem.

Quod denique pacto iſti juvari poſſint, ut ſaltem poſt quartum diem mortem effugiant, & in ſalutem revocentur, inquiſitione dignum. Et quoniam muſculorum, & nervorum affectus dependentes ab humoribus, vel ſudore copioſo, vel abundantiori urina ſolvi conſueverunt; proindè opportunum erit utroque hoc præſidiorum genere in illis uti. Verumtamen vitanda erunt ea, quæ acriorem conditionem nacta ſunt, & volanti alkali prædita, ne ſcilicet ex his nervi, & muſculi proritentur, & convulſione impenſiùs afficiantur. Conferunt eapropter, quæ molliter laxando, blandè admodùm humores alliciant, & educant, unde decocta, ſeu potiones quidem humefacientes, ex medicamentis tamen diſſolventibus, & roborantibus paratæ, proficuæ erunt; itemque ſudores proliciantur ex balneis vaporoſis, quibus & pori cutis leniter laxentur, & humores in muſculis, & nervis impacti molliantur, ut ſine noxa fluitent. In eundem uſum ſæpiùs contulere unctiones ex oleis, & linimentis emollientibus ſimul, & roborantibus: quod ſanè perpetuò obſervandum in omnibus affectionibus nervorum.

APHORISMUS VII.

Quibuſcumque morbi comitiales fiunt antè pubertatem, mutationem accipiunt, quibuſcumque autem vigeſimoquinto ferè commoriuntur.

Dixerat *Aphor.* 45. *Secundi* Hippocrates, juvenes morbo comitiali correptos, mutatione maximè ætatum liberari; ubi pro juvenibus, juniores expoſuimus; nunc eandem ſententiam clariùs explicans, inquit, ante pubertatem mutationem illos accipere, poſt vigeſimumquintum annum verò, ferè ſemper commori ſolere.

Comitialis morbus idem eſt ac Epilepſia, quaſi ſupra captio, quoniam Epileptici veluti à ſuperis, ſeu divinitùs capti, ac fulmine icti videntur, vel quòd ſupernis partibus, ideſt cerebro, afficiantur; cumque publicè, & in comitiis plerumque corriperentur, perterritis adſtantibus, iiſque mox etiam abſcedentibus, comitia finiebantur, Comitialis morbus appellatus eſt. Hinc Quintus Serenus cecinit.

Eſt ſubiti ſpecies morbi, cui nomen ab illo eſt,
Quod fieri nobis ſuffragia juſta recuſat.

Sepè etenim membris atro languore caducis
Concilium populi labes horrenda diremit.

Is ergo si ante pubertatem accidat, mutationem, & quandoque etiam sanationem facilè sortietur; ineunte nimirùm ætate juvenili. Est autem pubertas, ætas illa, quæ à decimoquarto ad vigesimum primum, vel vigesimumquintum annum extenditur, & quamquam plerisque visum sit à decimooctavo anno ad vigesimumquintum, non puberes, sed adolescentes esse appellandos, attamen pubertas hìc, & adolescentia simul unà confunduntur. Itaque si contingat puberes intra hoc tempus, & ante vigesimum quintum annum corripi morbo Comitiali, in ætatem vegetiorem, puta juvenilem progressi, mutationem in meliùs subibunt.

Sed qua de causa id accidat, non benè convenit inter Interpretes. Major autem illorum pars cum Galeno existimat id illis benè succedere, quia pueritia, & pubertas propter humiditatem, & cruditates, in ea ætate faciles, obnoxia est Epilepsiæ, ut propterea Puerilis morbus fit etiam appellatus; facta autem mutatione in juventutem, humida illa temperies in siccam, magisque calidam transmutatur, indeque fieri, ut mutationem in melius subeat. Verùm crediderim id potiùs evenire ex solidiori, consistentiorique fibrarum nervearum textura, quippè quæ, per ætatum mutationem, magis, magisque confirmantur, & exoluta illa acri sanguinis serositate, non tam facilè deinceps nervi proritantur, nec aliunde vitium in reliquis humoribus inductum, adeò contumax, & pertinax erit, ut per ejusmodi ætatis mutationem nullatenùs infringi, ac tandem subigi possit: verumtamen neque dixit Hippocrates revera post pubertatem Epilepsiam sanari, sed in meliùs solùm abire: fieri enim potest, ut epileptici insultus adhuc post pubertatem repetant, non sint tamen adeò infensi, ut violenter adhuc extorqueant, & convellant; quinimmò & rariùs, & per longiora intervalla molestent, quemadmodùm pluries à nobis est observatum. Jure ergo scriptum est, tum hìc, tum *aphor.* 45. *secundi*, mutationem solùm accipere. Sed & aliquando contigit mutationem hanc epilepticos subiisse in aliam ægritudinem aliquantò degenerem. Novi quemdam, qui cum epilepticus in pubertate fuisset, post vigesimumquintum annum non ampliùs epilepsia, sed palpitatione, & cordis oppressione laboravit, citrà sensibilem mentis læsionem; sed & plerique status mutatione, uti puellæ ab erumpentibus menstruis, aut inito connubio, promptè admodùm convaluere.

Advertere tamen est, quòd ejusmodi mutationes in melius, faciliùs contingent servata simul exacta victus ratione; unde si fortasè puber epilepticus errata in victus genere perpetim committeret, proculdubio etiam post vigesimumquintum annum eundem comitialem morbum esset perpessurus. Hinc qui mutationem in melius etiam sub spe recuperandæ salutis sunt oppérituri, exactam victus rationem servent oportet, & cum illa salubrioris quoque aeris incolatum, quemadmodùm ex cit. *aphor.* 45. *secundi* colligere est.

Quoniam verò post vigesimumquintum annum epilepticos interire scribit Hippocrates, dubitari proinde potest, num de illis intelligat,

qui

qui in pubertate epilepsiam contraxerunt, an verò, qui post vigesimumquintum annum epilepticos fieri contigerit, ac propterea his recuperandæ salutis spes omnis absit. Et ad primum, putaverim eos intelligi interituros, vel saltem cum epilepsia commorituros, qui licet ad senium perducti, post vigesimumquintum annum in epilepsiam inciderint; secus verò, qui ex pubertate affecti beneficium mutationis post vigesimumquintum annum non sunt sortiti: etenim hi plerumque consenescunt, & sensim, ac pedetentim mutatione aliarum ætatum in melius semper abeunt; Qui verò post vigesimumquintum annum; morbum comitialem incurrunt, duplici ex capite videntur difficulter convalituri, uno quidem, quia in juventute corripiuntur, unde is causam proculdubio præpotentem arguit, cui ætas juvenilis obsistere non potuit: altero, quòd nullam in melius mutationem sint in cæteris succedentibus ætatibus speraturi, quippè per has semper in pejus ruunt, fatiscente natura per sanguinem, cæterosque liquores, qui semper, semperque hebetiores, acidioresque evadunt: Quamquam, si fortasse ex male ante acta vita morbus comitialis acciderit, possit usu medicamentorum, & salubriori regimine instituto, in meliorem etiam statum ille revocari. Verùm Hippocrates de ea epilepsia videtur hic loquutus, quæ ab his, quæ sponte per ætates homini accidunt, provenire solet, nulla propemodùm externa causa perspecta.

Sed an revera simul unà illa affecti commoriantur; ulteriùs ex textu addubitare licet. Verùm cùm Hippocrates scripserit illos, *ferè commori*, id est simul unà consenescere, & ad interitum perduci, propterea probabilius est dicere, non omninò, & infallibiliter ad mortem usque patientes comitari, sed ut plurimùm solùm. Quo pacto non semel vidimus etiam in ætate consistenti, & in prima senectute, epilepsiam desiisse, superstite adhuc patientis vita. At verò non inde deducendum est, eos qui ultrà vigesimumquintum annum sunt hoc morbo correpti, esse in senio commorituros; nam ineunte virilitate, plerumque visi sunt periisse, commutata præsertim Epilepsia in Apoplexiam. Quare verbum illud *commori*, non debet referri ad ætatem senilem patientis, quasi verò ad ultimam ætatem morbus ipse protrahatur, & tandem desinente vita, desinat; sed debet referri ad ipsum morbum comitialem, qui cùm non ampliùs patientem deserat, eò illum deducit, ut tandem interficiat, adeòque simul cum ejusdem interitu desinat, ut propterea videatur quodammodò dici posse commori morbum cum interitu ægrotantis.

Quibus denique præsidiis ejuscemodi ægritudini, tam ante, quàm post pubertatem, occurrendum sit, latè à nobis enarratum *in parte Medicinæ practica*.

APHORISMUS VIII.

Quicumque morbo laterali laborantes, in quatuordecim diebus non repurgantur, ii ad suppurationem vertuntur.

De pleuritidis progressu, & eventu agit hoc aphorismo Hippocrates, illamque intra quatuordecim dies non repurgatam, in suppurationem tendere docet. Verùm ad exactam aphorismi intelligentiam,

gentiam, oportebit plura primùm examinare.

Et primò, cùm de pleuriticis agat, qui intrà quatuordecim dies non repurgantur, in dubium verti poteſt, an computus iſtorum dierum fieri debeat ab initiante, & cruda pleuritide, an verò à pleuritide ad maturationem, declinationemque perducta. Pro cujus difficultatis ſolutione meminiſſe decet, pleuritidem eſſe ſpeciem inflammationis factam à ſanguine alicubi in vaſis ſanguiferis pleuræ, vel etiam pulmonis (qua parte præſertim pulmo ſuperiori pectori alligatur) hærente. Non enim videtur hìc Hippocrates de pleuritide, quam ſpuriam vocant, ſermonem feciſſe, quippè cùm is ſubdat, ad ſuppurationem verti, & non niſi quæ exquiſita dicitur, utpotè à ſanguine facta, in ſuppurationem verti poſſit, proculdubio quæ exquiſita eſt, videtur hìc ſpecialiter adnotata. Cùm ergo inflammatio à ſanguine facta egeri nequeat, priuſquam maturitati ſubjecta fuerit, id quod circà ſtatum accidit, proinde probabilius videtur dicendum de pleuriticis ſermonem habuiſſe, qui jam ad declinationem morbi pervenere; quamobrem computus dierum quatuordecim repurgationis, à fine ſtatus, vel ab initio declinationis deſumendus eſt; atque adeò illi pleuritici in ſuppurationem deducentur, qui poſt ſtatum, & maturitatem pleuritidis per dies quatuordecim in poſterum non repurgabuntur. Et quidem inflammatione jam edomita, & concocta ejuſdem materia, illam dirumpi neceſſe eſt, & paulatim per ſputum expurgari; cùm verò contingit ejuſmodi expurgationem intercipi, aut impediri, fortè ex imbecillitate naturæ expellere nequeuntis per tuſſim, vel ob multitudinem peccantis humoris, vel ob craſſitiem ejuſdem, vel ob viarum anguſtiam, vel ob loci diſtantiam, vel ob thoracis, aut pulmonis impotentiam, vel ob aliam ſimilem cauſam, profectò detenta materia ſuppurabitur, indeq; commutabitur pleuritis in empyema; unde etſi prior morbus deſinat, novus, & quidem pejor ſuperveniet; id quod ab Hippocrate tum hìc, tum clariùs infrà maniſeſtiſſimè declaratur. Itaque cum pleuritis ad declinationem perducta, & ſanguis illam faciens jam fuerit maturatione ſubactus, ſi per ſuccedentes quatuordecim dies non fuerit integrè repurgatus, ac per anacatharſim excretus, certè commutabitur in pus, & morbus in empyema degenerabit.

Dubitari prætereà poteſt, cur Hippocrates terminum ejuſcemodi repurgationis dies quatuordecim conſtituerit, cum cæteroqui Anaxion pleuriticus relatus ab eodem 3. *epid.* nonniſi à die, qua cœpit expuere, nempè à decimaſeptima uſque ad trigeſimamquartam, qua judicatus eſt, fuerit repurgatus. Et dicendum quatuordecim dierum terminum fuiſſe hìc ab Hippocrate conſtitutum, quia ex eodem *lib.* 2. *aphor. tex.* 23. omnes acuti morbi in quatuordecim diebus judicantur, facto tamen initio à die, qua revera acuti evaſerunt; hinc non abſre in hoc aphoriſmo dixit, *in quatuordecim diebus non repurgantur*. Anaxion verò pleuriticus memoratus in Epidemiis, cœpit decimaſeptima die pauca dumtaxat expuere, & deinceps abundantiùs. Quinimmò niſi ſudore fuiſſet judicatus, proculdubio in longiùs tempus ægrotaſſet. Quare ſuppuratione facta à ſputo abundantiori, verè intrà quatuoedecim dies fuit repurgatus,

tus, ac postremò etiam sudore judicatus; Atqui si hunc terminum transegisset, in aliam planè ægritudinem lapsus esset.

Ulteriùs dubitari potest, num revera de pleuritide mens Hippocratis sit exponenda. Nam in vulgata latina versione scribitur, *quicumque morbo laterali*: morbus autem lateralis latiori significatione aliam pectoris ægritudinem referre potest. Verùm dicendum in græco Codice scribi pleuriticos, qui propriè pleuritide, seu membranæ succingentis costas inflammatione correpti sunt; in quam sanè expositionem reliqui omnes Interpretes conveniunt. Neque enim, si de morbo laterali, qui costis, & musculis intercostalibus externis accidit, sermò foret, posset indè anacatharsis, & repurgatio per sputum expectari, quæ hìc ab Hippocrate memoratur: modò sputum, & anacatharsis sperari potest dumtaxat in morbis pectoris, partes internas, non externas afficientibus.

Adnotat etiam, & rectè Heurnius materiam debere esse expectorabilem, nam si fortasè præ sui crassitie, & viscositate, non facilè concoqueretur, & longius tempus exquireret ad subeundam maturationem, profectò tempus hoc loco assignatum ab Hippocrate dierum quatuordecim sufficiens non esset peragendæ repurgationi. Verumtamen cum de pleuritide loquatur Hippocrates, & hæc plerumque, cùm præsertim exquisita est, à sanguine concreto fiat, facile suppurabili, idcircò non absq; ratione terminus dierum quatuordecim est adjectus, quo planè spatio verisimile est, posse materiam jam concoctam expurgari: humor autem crassus, & viscosus nonnisi in pleuritide spuria observari solet, qui longius tempus expostulat.

Deniq; ut ejusmodi incommodo futuræ suppurationis, & imminentis empyematis occurramus, juvabit toto hoc spatio dierum quatuordecim, ea adhibere medicamenta, quę anacatharsim promoveant, & facilitent, cujusmodi sunt, quæ ex hyssopo, hyperico, hedera terrestri, tussilagine, & similibus parantur, aquæ, syrupi, extracta, tincturæ. Confert etiam in idem balsamum Peruvianum, sperma ceti, elixir proprietatis Helmontii, balsamum sulphuris, præsertim terebinthinatum, & his similia.

Si hæc repurgatio fortasè deficiat, consueverunt practici in opem diuretica sufficere, quoniam non rarò expertum, materiam in pectore collectam, aut in pulmonibus hęrentem, fuisse per vias urinarias eductam; quamvis hoc non tam facile sit, nec dum benè constet apud Anatomicos per quos ductus eò ferri possit. De qua re alibi.

APHORISMUS IX.

Tabes fiunt præcipue ætatibus à decimooctavo usque ad trigesimum quintum.

QUoniam à pleuritide suppurata, nec deinceps sufficienter repurgata empyema fit, cui postmodùm Tabes adjungitur, idcircò referens Hippocrates damna ex non repurgata in pleuriticis materia, subdit in hoc aphorismo, Tabem, seu græcè Phthisim, exoriri, eamque potissimùm à decimooctavo anno ad trigesimumquintum.

Et quidem quotiescumque materia, quæ pleuritidem faciebat, ad suppurationem perducta est, nec deinde intrà spatium quatuordecim die-

dierum repurgetur, in thoracis cavo colligitur, & mox tum pravo halitu, tum corpulentia pulmonem, indeque circumgyrantem sanguinem inficit. Quoniam verò ab infecto pulmone, immò etiam à præsentia puris exulcerato, simulque unà vitiato sanguine, accidit febris, quæ hæcticæ naturæ est, proindè fit, ut tabes oriatur, seu universalis corporis consumptio. Cùm enim sanguis pure infectus salinam acritatem nanciscatur, indeque plus justo dissolvatur, & glutine privetur, quo scilicet partes cunctæ corporis nutriuntur, fit propterea, ut sensim illæ macrescant: quippè pus sanguini communicatum, tam potenter illum vitiat, ut partibus accedens, loco nutrimenti, acre venenum evadat.

Sed cur scriptum sit in hoc aphorismo id potissimùm evenire à decimooctavo ad trigesimumquintum annum? Neque solùm in casu pleuritidis non repurgatæ, sed etiamsi ex quacumque alia causa tabes oriatur, ut propterea videatur indiscriminatim locutus Hippocrates de facili hujus ætatis contabescentia ad trigesimumquintum annum usque, reliquis ætatibus exceptis. Immò, ut ex græca voce Phthisis deducitur, speciatim videtur voluisse designare illam speciem tabis, quæ ex ulcerato, vel aliter affecto pulmone contingit. *Fuchsius in comm. istius aphor* rationem deducit ex Galeno, qui *in comm.* 29. *lib.* 3. exponens ægritudines juvenilis ætatis ibidem ab Hippocrate enarratas (ubi præ cæteris sputa sanguinis, & tabes referuntur) non ad ætatis rationem, sed ex accidenti, adolescentiæ, & juventuti tabem evenire interpretatur, quia adolescentes, & juvenes plerumque saliunt, currunt, clamant, digladiantur, belligerant, venationem, aliudve genus laboris, vel exercitii immodici exercent. At causæ istæ, ut alibi quoque à nobis est dictum, communes esse possunt reliquis ætatibus. Sed & neque Hippocrates eorum, quæ ex accidenti eveniunt, hic habuit in animo meminisse, sed dumtaxat, quæ ratione ætatis contingunt, etenim limitavit tempus à decimooctavo ad trigesimumquintum: quod sanè non fecisset, si id ex accidenti tantùm evenire putasset. Crediderim eapropter ego id potissimùm ea ętate contingere, quia sanguis tunc etiam in sua constitutione permutatur: cùm enim in præcedenti ætate puerili pars ejusdem glutinosa, & auctifica prævaluerit, sensim postmodùm incipit pars vivifica virtute præcellere, & acrior, tenujorque fieri, quę propterea orgasmum in arteriis, & venis efficit, ut facilè oscilla vasorum aperire queat; hinc sanguinis sputa, & partium spiritalium erosiones accidunt, potissimùm verò pulmonis sua natura laxioris. Sed & propter ipsius acritatem, nutricationes non tam benè fiunt, quemadmodùm in ętate præcedenti; unde etiam fit, quamobrem per ætatem juvenilem contingant faciliùs febres ardentes, vulgò ex bile fieri putatæ, sive potiùs ex sanguine acriori, summoperè ad fermentescendum idoneo.

At verò neque dixit Hippocrates tantummodò in hac ætate tabem accidere, *præcipuè* solùm; nam possunt quoque tabes in aliis ætatibus evenire, & non solùm ex prænarrata causa, verùm etiam ex aliis innumeris, potissimùm ex distillatione serina, ex tussi vehementi, ex pleuritide suppurata, ex angina, aliisque, quæ sanè sunt præsenti apho-

aphorismo comprehensa ex ejusmodi ætatis adolescentis, & juvenilis constitutione. Non tamen hinc negaverim specialius tabem notare voluisse, quæ ex pleuritide suppurata, nec deinde repurgata procedit, de qua præcedenti aphorismo mentio facta est, ut anteà pariter animadversum.

APHORISMUS X.

Quicumque ab Angina liberantur, iis ad pulmonem vertitur, & in septem diebus pereunt; Si verò hos effugerint, suppurantur.

NOn facilè quis huic aphoristicæ sententiæ assentietur, si superficie-tenùs solùm, & ut verba textus sonant, illam accipiat; etenim qui fieri potest, ut ab angina liberatus incidat in pulmoniam, & deinde in empyema; si ab angina liberati, penitùs sanati dicendi sunt: si ergo omninò sanati, proculdubiò nequibunt ex præcedenti morbo in alium delabi, qui causam, & originem à priori mutuetur. Verùm huic difficultati facilè fiet satis attenta Hippocratis elocutione, is siquidem dixit: *qui ab angina liberantur*, idest vim, violentiamque illius effugiunt, ob quam periculum suffocationis incurrissent, eo quòd musculi laryngis inflammati intercipiunt aeris ingressum, egressumque, remanente intereà causa materiali inflammationis. Hinc genuinus Hippocratis sensus erit, quòd illi, qui ex angina videntur liberati, sed citrà inflammationis maturationem, aut resolutionem, & sine ulla manifesta materiæ expurgatione, cùm humor ille inflammationem faciens aliò transferatur, & in pulmonem promptissimè decumbat, sequitur, ut ex una ægritudine, nempè ex angina, incidant in peripneumoniam, seu pulmonis inflammationem: sunt enim partes istæ, per quam inter se contiguæ, & tum per musculos, asperam arteriam circumtegentes, tum etiam per arterias, aliosque inconspicuos ductus mutuò consentientes, unde promptè admodùm humor inflammationem in gutture faciens, sponte sua potest in pulmonem decumbere; quamobrem ex illius translatione desinit inflammatio in musculis gutturis, & consequenter desinit angina, sed supervenit pulmonis inflammatio, ac peripneumonia. Appositè igitur Heurnius aphorismum hunc ita legit: *Qui ex anginosis fiunt peripneumonici*: quandoquidem non semper ex angina contingit peripneumonia; sed si fortasse, qui anginosi erant, videantur ab angina evadere citrà suppurationem, & purulenti humoris evacuationem, cùm non possint tam repentè, & salubriter ab illa sanari, nisi humor, qui inflammationem faciebat, aliò trāsferatur, benè proinde scriptum est, in peripneumoniam illos delabi. Ex transitu autem isto, etsi patientes ab angina, seu ab inflammatione gutturis, & faucium liberentur, non tamen vitæ periculum effugiunt, quippè peripneumonici facti, intra septem dies, adhuc periclitabuntur: etenim non minoris acutiei, & malitiæ est peripneumonia, quàm sit angina, cùm ob maximam respirandi difficultatem, febrem acutam, ac continuam, contracta in laxa pulmonis substantia inflammatione, facillime ægrotantes mortem incurrant. Id quod clariùs expressit Celsus *lib*: 2. *cap*. 7. *Si angina subitò finita est, in pulmonem id malum* *tran-*

transfit, idque sæpe intrà septimum diem occidit.

Statuitur autem ab Hippocrate istius exitii terminus septima dies, non quòd propriè ad septimum diem peripneumonia protrahi debeat, ut interitum afferat, sed quòd intrà hoc temporis spatium mors contingere possit; unde non dixit septimo die pereunt, sed in septem diebus, sive ut clariùs explicat Fuchsius, Celsum in hac parte secutus, intrà septem dies, cùm & ante septimum, quarto scilicet, quinto, aut sexto die, peripneumonia interimere possit.

Sed quamvis facillimè interire possint ægrotantes ex humore in pulmonem translato, tum ratione ipsius partis affectæ respirationi destinatæ, tum etiam ratione febris adjunctæ acutissimæ, non tamen omninò necesse est, ut subindè pereant, quasi quòd inevitabiliter sint ex peripneumonia interituri; unde meritò subjunxit Hippocrates: *Si verò hos effugerint, suppurantur*; idest, si spatium septem dierum transiliant, quia humor in pulmonem delapsus mitioris naturæ significatur, facilèque subigibilis, & ex altero capite natura præpotens denotatur, quæ potuit tanti morbi impetum, & violentiam sustinere, profectò delapsus humor in suppurationem in posterum vertetur, atque adeò prior morbus commutabitur in alium, atque ex peripneumonia fiet empyema: sanguis enim ibidem hærescens, & qui inflammationem excitavit (ut superiùs etiam notatum est) maturitati subjectus vertetur in pus. Quare semper ac inflammatio in sui augmento necem non attulerit, sed ad statum perducta, naturæ concoquenti subiicitur, desinet proculdubio in suppurationem; quemadmodùm in externis inflammationibus passim experimur. Est tamen verum, quod aliquando non vera inflammatione, sed potiùs erysipelate affecto pulmone, fortasse quia sanguis tenujor est, insensibiliter, vel sensibiliter per sudorem peripneumonia terminari potest: quamquam raro fiat, ut ab erysipelate pulmonis ægrotantes evadant, cùm plerumque phrenetici moriantur, ut pluries expertum in praxi, quod etiam ab eodem Hippocrate memoratur 2. *de morbis*.

Quoniam verò scriptum est ab eodem 6. *aphorismorum* 37. *Angina correpto, si tumor fiat in collo bonum, foras enim morbus deducitur*; fieri potest, ut exindè evitetur peripneumonia, adeoque mors, vel suppuratio, quia scilicet humor anginam faciens non ad pulmonem, sed ad partes exteriores colli deducitur: At nec semper id conferet, nisi solùm cùm per transpositionem humoris ad partes colli exteriores, interiores affectæ liberantur; Nam si fortasse contingat, quòd tumor in collo appareat, nec subindè musculi gutturis affecti exonerentur, certè majus vitæ periculum imminebit, quoniam extramissio humoris ad partes colli externas non sequitur criticam naturæ depositionem, sed potiùs arguit multitudinem peccantis humoris, qui cùm non totus possit in partibus internis gutturis absumi, occupat ulteriùs partes externas, & vitæ periculum non minuit, sed adauget.

APHORISMUS XI.

Qui tabe molestantur, si sputum, quod extussiunt, grave olet injectum carbonibus, & capilli à capite defluunt, lethale.

CUm superioribus aphorismis de quibusdam inflammationibus tum gutturis, tum pectoris, & pulmonis in suppurationem versis egerit, nunc eventus indicia ad prognosim pertinentia tradit, atque generaliter inquit: tabidos in interitum desinere, quoties sputum, quod extussiunt injectum carbonibus malè olet, & capilli à capite defluunt.

Debent autem ista duo simul in empyicis copulari, ut interitum portendant, quandoquidem aliquando observatum est, ex sputo purulento, & malè olente, adhuc plerosque convaluisse. Quare junctim illa retulit Hippocrates, ut certius prognosticum inde deducatur.

Atque hinc clarè etiam colligitur, tabidos hìc illum adnotare, qui ex pulmone affecto, & ex empyemate in tabem sunt delapsi, aliter purulentum sputum hìc non memorasset, neque per tussim excretum, ut ex verbis textus manifestissimè patet. Et quamvis sæpenumero purulentum sputum per se malè oleat, potissimùm cùm pravæ conditionis est, & aliquandiù fuerit in pectore detentum; nihilominùs non semper in empyemate ejusmodi fœtorem referre solet, nisi solùm cùm pulmonis substantiam ulceratam, & putrefactam redolet, quippe tunc ulcus pulmonis, & sæpissimè etiam sordidum subsequitur. Addidit quoque Hippocrates injectum carbonibus, ut scilicet phlegmatis, & sputi ordinarii portio, si fortassè cum pure conjungatur, vi ignis possit absumi; & quod purulentum est, in halitus meliùs diffundatur.

Sed & capilli defluere quoque debent, idest sponte sua è cutis poris decidere: etenim isti nunquam decidunt, nisi poruli cutis fuerint relaxati, & alimentum, quod illis suggeritur, acre, & erodens evaserit. Unde autem hæc in tabidis contingant, dubitari solet. Et dicendum id his evenire ex pure, quod sive præsentia, sive halitu sanguinem circumeuntem inficit, immò dissolvit, eliquat, erodit, suoque glutine privat; quamobrem expertum est, sanguinem in tabidis fluidum plus justo fieri, & omni glutine orbatum apparere, unde partibus accedens, non solùm nutrire, & reficere non potest, sed potiùs acritate infensa, & venenata, illas extenuat, & arefacit, quo deinde fit, ut capilli in suis radicibus erosi, sponte sua decidant. At verò promptiùs è capite defluunt, quàm ex mento, superciliis, aliisque partibus, quoniam istæ succulentiores sunt, & cutim crassiorem obtinent, at illud exsuccum nimis est, & cutim ossi hærentem habet.

Hinc ergo fieri non potest, quin tabidi ad tantam perniciem deducti, non sint paulò post interituri, cùm ex pure fœtido infectus, ulceratusque pulmo, sanguinem universum, & cor vitæ fontem, virulenta contagione depravet, indeq; totum corpus, & alimento, & vita privet. Accedit tussis molestissima, qua coguntur graves molestias, & maximam virium jacturam tabidi subire, immò somno, & quiete privari, & mille alia incommoda pati,

cum

cum quibus vita diù sustineri nequit. His infrà additur alvi profluvium, quo naturalis regio omninò labefactata designatur, ut sequenti aphorismo dicitur.

APHORISMUS XII.

Quibuscumque tabe laborantibus capilli à capite defluunt; iis alvi profluvio superveniente, moriuntur.

POstquam præcedenti aphorismo lethale signum esse dixit in tabidis, si sputum injectum carbonibus malè oleat, & capilli à capite defluant, nunc quibus capilli defluunt, si alvi profluvium superaccidat, mortem præstò esse subdit: sed licet utraque mortem portendant, non tamen tempore indistinctam præsagiunt, nam lethale quidem signum est sputum malè olere, & capillos à capite defluere, sed nonnisi post aliquod temporis intervallum; at verò cùm post defluvium capillorum alvus solvitur, mors brevi imminet, nec ad longum tempus protrahitur, sed intra triduum, vel quatriduum irreparabiliter accidet.

Qua autem de causa post sputum purulentum, & mali odoris, itemque post defluvium capillorum alvus laxetur; facilè quis dijudicabit ex corruptione à pure inducta, quæ cùm sanguinem, cæterosque liquores corporis pertigerit, unà simul ductus corporis delaxari necesse est, & potissimùm, qui feruntur in alvum, puta ex ventriculo, ejusque fermento, liene, jecore, mesenterio, aliisque visceribus imi ventris; Quare ex alvi fluxu certò coniicere poterimus universam corporis œconomiam esse resolutam, ac proindè extinctis viribus, vitam ipsam esse omninò defituram. Id totum perbellè expressit Hippocrates *lib.* 1. *de morb.* his verbis: *Cùm pus ipsum in ventre moram traxerit, totum corpus ab ipso calescit, tum maximè vicinissimæ partes: calescente autem corpore, humidum maximè eliquatur, & quod quidem à supernis partibus eliquatur, in supernum ventriculum præcipue confluit; fitque pus, ad hoc, quod jam in ipso est. Pars verò ejus etiam in infernum ventriculum defertur, & quandoque alvus ab ipsa turbatur, & hominem perimit, nam cibi ingesti secedunt inconcocti, & alimentum ab ipsis corpori non accedit. Et sputi sursum purgatio non æqualis contingit, alvo nimirùm calefacta, & omnia deorsum trahente in seipsam: Et à sputo quidem suffocatur, & stertit, dum non purgatur: à ventre verò fluente debilitatur, & plerumque perimitur.* Cæterùm hæc nonnisi contingunt tabidis ex diuturno pulmonis ulcere, & febre, ut vocant, habituali emaciatis, quibus nil ultrà videtur toto corpore remansisse, quàm σκελετὸς sola pelle contectus.

APHORISMUS XIII.

Quicumque sanguinem spumosum extussiunt, iis è pulmone eductio fit.

ETsi tabidi multifariam fieri possint adhuc ab affecto pulmone, ut anteà ostensum est; peculiariter tamen Phthisici fiunt ex præcedente sanguinis sputo, ut dicitur 7. *aphorismorum* 15. & 16. Quoniam verò sanguineum sputum non semper ex pectore, & pulmone emanat, quamvis per tussim inde prodeat, idcircò accuratissimus Hippocrates indi-

indicia tradens, quibus ejusmodi eruptionis sanguinis affectas partes internoscere possimus, adiicit in hoc aphorismo signum, illudque pathognomonicum prodeuntis è pulmone sanguinis, desumptum à modo ipsius rejectionis, & qualitate sanguinis rejecti.

Et quidem modus rejectionis cum tussi esse debet, etenim quæ in pectoris cavo continentur, nonnisi tussi egeri possunt; quamobrem accuratiores Interpretes loco verbi *expuunt*, vertunt (& quidem rationabiliùs) *extussiunt*, sicut & Galenus ipse in *comm.* innuere visus est: Nam simpliciter sanguinem spumosum expuere tribuitur quoque ab Hippocrate in *Coacis prænotionibus* dextro præcordio dolentibus, atque ex hepate; quamvis nec hic spumosus sit ex conditione rutilantis sanguinis, sed ex sola interceptione, permistioneque aeris in ductibus, vel asperæ, vel œsophagi, unde foras prosilit, cùm per utramque viam è jecore prodire possit, facta scilicet in eas partes irruptione à compresso per tumidum, dolensque jecur, diaphragmate.

At verò, quia non semper sanguis, qui tussi eiicitur, è pectore, aut pulmone prodit, cùm fieri possit, ut è faucibus, gutture, aspera arteria, in pulmonis bronchia delabens, tussi pariter egeratur, idcircò ad differentiam istarum expulsionum, adjecta est in textu qualitas sanguinis excreti, ut proindè si spumosus ille sit, floridus, ac rutilans, è pulmone prodire dicatur; qui verò alteriùs est conditionis, fortasse nigricans, grumosus, minimèque floridus, certè ab aliis partibus, quàm à pulmone prodibit, etiamsi tussi regeratur.

Solius ergo pulmonis erit sanguinem spumosum egerere, quoniam in solo pulmone istiusmodi sanguinis qualitas invenitur. Fit autem spumosus sanguis à mixtura illius cum aere, qui cum pulmones dumtaxat ingrediatur pro usu respirationis, idcircò nullibi, quàm in pulmone, spumosus inest.

Et tamen advertendum, quòd tunc spumans è pulmone egressus sanguis apparebit, cùm immediatè è suis vasis exilit: nam si fortasse è pulmone sanguis guttatim in pectoris cavum extillet, aut etiam in tracheolis asperæ arteriæ per aliquod tempus detineatur, proculdubio spumis expers extussietur, quandoquidem sanguis ibidem restagnans, mox concrescit, & grumosus egeri potest; sed & contrà falli quoque contingit in eo, quòd multoties tussi excretum, credatur è pectore prodiisse, cùm tamen ab aliis partibus processerit: Hinc valebit illatio affirmativa, secus verò negativa: Nempè, sanguis spumosus prodit, igitur à pulmone est, at non contrà: sanguis non spumosus egeritur, ergo ab aliis partibus, quàm à pulmone.

Ab ejusdem insuper sanguinis excreti quantitate dijudicare poterimus, num sanguis ab ipsa pulmonis substantia, & à vasis exilibus, per illius substantiam diffusis, egeratur; an verò à vasis majoribus, per quæ sanguis in circuitum adigitur, uti sunt vena cava ascendens, & vena arteriosa, itemque arteria venosa, & bronchialis. Siquidem cùm sanguis ex vasis majoribus erumpit, nedum spumosus, sed etiam copiosus erit, quinimmò periculum suffocationis minabitur; at verò cùm è pulmonis substantia, & è vasis exilibus prodit, neque multus erit, neque tam proximum vitæ periculum minatur.

An insuper sanguis undecumque

ex

ex ore prodiens è venis, an potiùs ex arteriis egeratur, controverti potest. Et sanè attenta tum qualitate sanguinis floridioris, tum etiam ejusdem circulatione, verisimilius dicendum ex arteriis prodire, quippè in arteriis floridus magis, & rutilans sanguis invenitur, nec non per arterias ad partes excurrit, per venas verò remeat in cor; immò semel venas ingressus, regredi non potest, impedientibus scilicet valvulis. Solùm venæ compati poterunt, si fortasse fuerint erosæ, nam tunc ob erosionem data porta, sanguis exinde manare poterit. Cæterùm etsi è reliquis partibus pectoris, immò etiam ex aspera arteria sanguis possit extillare, is tamen neque multus, neque spumosus erit: quippè sanguis nullibi præterquam in pulmonibus spumosus invenitur. Ex his tandem admonemur, Tabem, ac Phthisim propriè dictam ab ulcere pulmonis exoriri, idque nonnisi à sanguinis sputo, de quo idem Hippocrates 7.*aphor.*15.& 16. scribit: *à sanguinis sputo puris sputum, à puris sputo Phthisis, & mors*; unde tunc propriè Empyici, & Phthisici moriuntur ægrotantes, ut præcedentibus aphorismis dictum est, cùm sanguinis sputum præcesserit, atque ille è pulmone prodierit.

Denique licèt plerique absq; sanguinis sputo, & ulcere pulmonis tabidi referantur, nil tamen huic aphoristicæ sententiæ refragabitur, qua solùm Hippocrates edocet sanguinem per tussim excretum tunc revera à pulmone prodire, cùm spumosus est, atque hinc necessariò fieri, ut Tabes, & Phthisis oriatur, ac postremò mors. Hinc autem minimè negatur, posse etiam Tabem, ac Phthisim aliunde proficisci, etsi sputum sanguinis nullum præcesserit: attamen verum semper erit pulmonem in cunctis tam malè affici, ut ineptus evadat sanguini perficiendo, & vitæ, ac motui cordis conservando. Quæ verò sint medicamenta fluentem hunc sanguinem sistere, & cohibere valentia, ex nostra praxi petenda erunt.

APHORISMUS XIV.

Tabe laborantibus profluvium alvi superveniens, lethale.

QUoniam superioribus aphorismis dixerat Hippocrates profluvium alvi cum defluxu capillorum mortem paulò post tabe laborantibus allaturum, cùm idipsum hìc ferè repetat, creditum est à Commentatoribus nil prorsùs novi in hoc aphorismo contineri, quod superiùs dictum non sit; at verò non tam temerè de Hippocrate suspicandum, quòd bis idem omninò repetere voluerit; quamobrem putaverim, aut illum voluisse hoc loco tabidos omnes comprehendere, immò etiam alia quacumque de causa, aut ægritudine macie confectos, cùm alvi profluvium quibuscumque extenuatis superveniens lethale sit, veluti labefactatæ omninò virtutis indicium; Vel etiam significare voluisse, solam diarrhœam, & alvi solutionem tabidis esse perniciosam, licèt cætera alia symptomata anteà memorata deficiant; unde quamvis capilli à capite non defluant, & licet sputum purulentum ingentem fœtorem non redoleat, si nihilominùs alvi profluvium tabidis superveniat, lethale est, quoniam cùm tabidi veluti omninò extenuati nil habeant, quod egerere possint, vel debeant, quinimmò indigeant potiùs restauratione, & carnium appositione, proculdubio alvi

pro-

profluvio si corripiantur, mortem obibunt, resolutis exindè omninò viribus, & labefactata penitùs in ipsis reficiendi facultate. Est tamen verum, quòd pro tabidis hìc intelligere debeamus, qui diuturna tabe fuerunt affecti, atque extrema macie consumpti; his etenim quæcumque evacuatio superveniens perniciosa est, cùm ex quacumque evacuatione penitus deficiant. Neque satis est, si semel tantùm alvus laxetur, & excrementa solùm deiiciat, sed omninò necesse est, ut iteratò, & pluries solvatur, & nedùm, quæ ventriculi, & intestinorum cavitatem occupant, sed etiam, quæ in intimioribus partibus continentur, & intrà ductus corporis relicta erant, affluenter egerat.

Accidit quoque, ut aliquando etiam iterata vomitio necem attulerit, itemque immodica urinæ profusio, sudor, hæmorrhagia, siquidem istiusmodi evacuationes veluti omninò incompetentes tabidis exitium parant, brevique temporis intervallo, quemadmodùm ex superiùs traditis facillimè deduci potest.

APHORISMUS XV.

Quicumque ex morbo laterali suppurantur, si in quadraginta diebus purgantur, à die, qua fit ruptio, liberantur, si verò non, ad tabem transeunt.

EDocuerat aphorismo 8. Hippocrates pleuriticos in suppurationem desituros quandocumque in quatuordecim diebus non forent repurgati, nunc verò eosdem in tabem lapsuros inquit, cùm intrà quadraginta dies materiam in pectore contentam per anacatharsim non penitùs expurgaverint; unde differt hic aphorismus ab illo, eo quòd ibi suppuratio portendatur, materia in quatuordecim diebus non repurgata, hìc verò ex eadem præsignetur tabes in diebus quadraginta.

Et quidem cùm pleuritis sit de genere morborum acutorum, & morbi acuti vel in quatuordecim diebus terminentur, si exquisitè acuti sint, vel protrahantur ad dies 40. si fuerint acuti ex decidentia, & quodammodò spurii; proindè quandocumq; pleuritis ad decimumquartum diem judicata non sit, prorogari poterit ad quadragesimum, præsertim in aliam ægritudinem commutanda; unde si spatio quatuordecim dierum materia pleuritidis per tussim non fuerit expurgata, vertetur in suppurationem, & empyema; à die verò decimoquarto usque ad quadragesimum, nisi suppurata adhuc per anacatharsim expurgetur, à detento pure in pectore, vel pulmone, tabem, & phthisim inferet. Hinc humor, qui faciebat pleuritidem, duplicem subire potest mutationem; alteram quidem, ad diem decimumquartum coctionis, & suppurationis, alteram verò expurgationis, seu expectorationis, spatio quadraginta dierum, quo transacto, quia purulentus humor ob diuturniorē morā pulmonē simul, & sanguinem per cor circumeuntem inficit, planè tabē, ac phthisim, adeòque febrem habitualem, & consumptionem universalem affert.

Quod verò adjectum est in textu, illos liberari à die, qua fit ruptio, manifestè declarat, ob expurgationem in posterum subsequentem, revalescentiam exoriri, quemadmodùm contigit Anaxioni, qui trigesimaquarta die judicatus est. Sed non per hoc, quòd intrà quadra-

ginta dies non sint repurgati, omninò fit, ut tabidi interire debeant, quoniam fieri potest, ut etiam ultrà hoc tempus repurgatio protrahatur, & evadant: multoties enim accidit, ut vel ex multitudine, vel ex crassitie materiei suppuratæ satis non sint dies quadraginta ad integrè explendam è pectore repurgationem, unde deinceps adhuc expectoratio desideretur, ac perduret.

At verò initium hoc quadraginta dierum, non erit à principio pleuritidis desumendum, sed à quo die maturatio, & ruptio apostematis facta est; etenim inde principium faciendum, à quo tempore puris expectoratio haberi potest: modò ante maturationem, & ante ruptionem apostematis nulla per anacatharsim expectanda repurgatio. Itaque cùm inquit Hippocrates *à die, qua fit ruptio*, certè ab eo tempore computus quadraginta dierum faciendus est. Hinc etiam nonnisi post quadraginta dies periculum erit futuræ tabis; quoniam tunc tabes accidit, quando materia purulenta in pectore retenta pulmonem infecerit, illumque ulceraverit: verisimile autem est intrà spatium quadraginta dierum pulmonem ab ulceratione illæsum posse perseverare, ut proinde si totum pus intereà fuerit repurgatum, non solùm à pleuritide, & à suppuratione, verùm etiam à tabe æger facilè liberabitur.

At quo pacto dignosci possit jam apostema ruptum esse, indeque pus fuisse collectum in cavitate pectoris, plenè edocuit idem Hippocrates *lib. Prænot. Cæterùm omnes suppuratos, ex his signis cognoscere oportet. Primùm quidem si febris, non dimittit, sed per diem quidem tenuis est, noctu verò amplior, & sudores multi oboriuntur, tußesq; ac tussiendi promptitudo ipsis adest, & nihil memoratu dignum expuunt, & oculi cavi fiunt, & maxillæ ruborem contrahunt, & ungues quidem manuum curvantur, digiti verò calescunt, & potissimùm summi, & in pedibus tumores fiunt, & cibos non appetunt, & pustulæ per corpus enascuntur*. Et num in dextro, vel in sinistro latere pus collectum sit, his indiciis tradit. *Si verò suppuratio fuerit in altero latere solùm, vertere, & considerare oportet in his, num aliquem habeat dolorem in altero latere, & an alterum altero sit calidius, & ægro in latus sanum reclinato, interrogare ipsum, an videatur ipsi grave quid ex superno latere incumbere? si enim hoc fuerit, in eo latere est suppuratio, in quo gravitas percipitur*. Quòd verò non in omnibus æquè suppurationes fiant, & neque suppurata apostemata æqualiter in ipsis dirumpantur, edocet expresse eodem loco, inquiens: *At verò aliæ suppurationes rumpuntur, plurimæ quidem vigesimo die, aliæ verò trigesimo, aliæ quadragesimo, aliquæ verò ad sexaginta dies perveniunt. Considerare verò suppurationis principium oportet, supputatione facta a die, qua primùm homo febricitavit, aut si fortè ipsum primùm rigor apprehendit, & si pro dolore gravitatem sibi factam eße dixerit in eo loco, in quo dolebat. Hæc enim in principiis suppurationum fiunt. Ex his igitur initiis suppurationem juxtà tempora predicta futuram expectare oportet*. Denique an citiùs, vel tardiùs futura illa sit, sic postremò concludit: *Siquidem dolor, & spirandi difficultas ab initio adsint, & tussis, & sputatio perseverans ad vigesimum diem pertingat, eruptionem*

tunc

tunc expectare oportet; aut etiam prius: si verò quietior fuerit dolor, & alia omnia pro hujus ratione, eruptio posteriùs expectanda est. Necesse verò est accedere, & dolorem, & spirandi difficultatem, & sputationem ante puris eruptionem. Hactenùs Hippocrates.

In calce tandem Aphorismi additur, *si verò non, in tabem transeunt*, hoc est, si spatio quadraginta dierum non fuerint ex toto repurgati, ratione scilicet detenti puris, pulmo inficietur, & ulcus contrahet, atque adeò tabem inferet; quoniam ex diuturna puris per tussim repurgatione, ejusdemque transitu per pulmonem, facilè is eroditur, & ulceratur; ab ipsius autem ulcere contingit tabes, & mors. Sed & insuper quandocumq; materia ex pleuritide suppurata intrà hoc tempus expulsa non fuerit, & adhuc perdurat, vereri subit à præcedenti pleuritide, ejusque suppuratione, vomicam quoque in pulmone fuisse contractam, quæ dirupta puris productionem continuò foveat, ut propterea etsi jugiter per anacatharsim illa egeratur, perpetuò tamen alia, & alia ex ulcerato pulmone effluat, unde puris excreationem in longiùs tempus protrahat, atque perennet.

APHORISMUS XVI.

Calidum, ubi quis sæpiùs eo utitur, hæc mala affert, carnis effœminationem, nervorum imbecillitatem, mentis torporem, profluvia sanguinis, animi defectionem: quibus mors succedit.

DEtrimenta calidi hìc memorat Hippocrates, relaturus in sequenti aphorismo ea, quæ ex frigido proveniunt. Cùm autem *calidum* dicat, non *calorem*, quæri hoc loco primùm potest, quid nomine *calidi* voluerit intelligere; & quidem ex ipsamet voce clarè deducitur, non calorem unde sumptum pro qualitate, ut Scholastici intelligere solent, is acceptum voluit, sed rem potiùs calidam, potissimùm quia, medicè loquendo, quæ corporibus adhibentur calida, nonnisi res calidæ sunt, sive medicamenta, sive alimenta, sive alia quæcumque corpora illa sint, cùm nunquam sensiones in corporibus fiant, nisi à rebus similiter corporeis.

At si rem calidam, calidumque corpus hoc loco designare voluit, videndum de quo specialiter id dictum intelligat. Et benè Fuchsius in *comm.* de aqua calente exponit, quod colligit *ex lib. de usu humidorum*, unde præsens aphorismus videtur desumptus; quandoquidem damna, qua hìc à calido memorantur, nisi illud cum humore conjungatur, neutiquam subsistere poterunt, nam corpora calida, & arefacientia, idest quæ calorem siccitati conjunctum habent, haudquaquam possunt corporis effœminationem, nervorum imbecillitatem, mentis torporem, profluvia sanguinis, animi defectionem, & alia consimilia mala parere, cùm potiùs à siccitate, seu rebus siccis, ac exsuccis contrarii effectus oriantur. Igitur probabilius est, voluisse Hippocratem hìc notare calida in humoribus, seu liquoribus quibuscumque, potissimùm verò in aquis, quæ inter liquida, humidaque corpora primùm locum obtinent: quamquam & usu diuturnus hypocausti, longa insolatio, atque ad ignem immoderata excalefactio, & longior sub Sole mora, possit idipsum afferre,

ſed planè diuturniori tempore, ac exitu difficiliori.

Num inſuper de calido intrà corpus aſſumpto, an potiùs de calido extrinſecùs admoto, poteſt ulteriùs dubitari. Et veriſimiliùs videtur dicendum, ſermonem hìc haberi de calido exteriùs admoto, potiſſimùm de balneis, ac lotionibus aquarum, tam thermalium ſimplicium, & naturalium, quàm artificialium, & compoſitarum. Illa enim, ut experientia conſtat, cutim laxando, & humefaciendo, ſudorem promovendo, ſanguinem eliquando, & lympham extenuando, benè poſſunt, ac ſolent carnes, artus, nervos, & viſcera quæcumque corporis diluere, mollificare, delaxare. Quæ verò interiùs aſſumuntur, præterquamquod ſæpeſæpiùs per fermenta ventriculi conſentanea, vel diſſentanea calorem amittunt, neque tam facilè in totum corpus calefactoriam vim, & calorem, quem actualem vocant, communicare valent, licèt attenuando, diſſolvendo, acuendo ſanguinem, ſint in cauſa, ut corpus aliquantulum incaleſcat. At verò paſſim experimur balnea, tum naturalia, tum artificialia promptiſſimè ſolere ejuſmodi corporis delaxationem parere.

An præpereà calidum intelligi debeat moderatum, vel immoderatum, ulteriùs quæri poteſt. Et ſanè licèt immoderatum calidum efficaciùs in his omnibus, de quibus ſermo in præſenti aphoriſmo eſt, operetur, nihilominùs ſi verba textùs attendantur, videtur calidum adhuc moderatum, fuiſſe hoc loco conſideratum; etenim in aphoriſmo dicitur, *ubi quis ſæpiùs eo utitur*: non videtur autem veriſimile, quod quis ſæpiùs utatur calido immoderato; quod toleratu non eſt tam facilè. Immò ſi fortaſsè Hippocrates voluerit hoc aphoriſmo morem Veterum vituperare, qui frequenter balneis utebantur, certè, quia uſus balneorum non erat, niſi cum moderato calore, dicendum erit moderatum calidum fuiſſe in hoc aphoriſmo deſcriptum. Accedit, quòd calidum hìc contraponitur frigido ſequentis aphoriſmi; at verò in aphoriſmo ſequenti, nonniſi frigidum moderatum conſiderandum exponitur; igitur & moderatum calidum in præſenti hoc aphoriſmo, erit quoque intelligendum. Verumtamen pro moderato non intelligimus, quod conſentaneum naturæ eſt, & nullum exceſſum ſupra mediocritatem habet, ſed quod à mediocritate quidem recedit, non tamen extremum frigoris gradum attingit, ut propterea non ſit conveniens naturæ, ſed nec ſit omninò in ſummo poſitum. Idipſum quoque dicendum de calido, quod non ſit in exceſſu caloris urentis, ſed à mediocritate naturæ conſentanea declinet. Debet autem calidum iſtud, etſi non multùm excedens, diutiùs tamen, iteratis vicibus, & ſæpiùs adhiberi, ut exinde nocumenta in textu moderata ſubſequi poſſint, aliter ſi ſemel, & brevi adhiberetur, quia non multam in partibus corporis læſionem induceret, neque poſſet relata in aphoriſmo detrimenta afferre. Jure igitur optimo notatum eſt ab Hippocrate, *ubi quis eo ſæpiùs utitur*: quibus verbis denotatur frequens, & iterata rei calidæ adminiſtratio: hac quippè ratione calidum, etſi non multùm excedens, poteſt memorata damna parere, nam quod ſemel, & brevi inferre nequit, iteratis vicibus, ac frequenti uſu, benè poterit excitare.

Damna

Damna autem, quæ hoc loco describuntur, partim spectant ad operationes animales, partim ad vitales, partim denique ad naturales: ad animales quidem nervorum imbecillitas, & mentis torpor: ad vitales profluvia sanguinis, & animi defectiones: ad naturales demum carnis effœminatio, & totius corporis languor.

Qua verò de causa carnium effœminatio à calido proveniat, facilè quis dijudicabit, attenta perspiratione copiosiori cutis, & majori laxitate, quę tum sudore, tum abundanti per poros cutis evaporatione, è corporibus calidis contingit; hinc motus Aristoteles *lib. de long. & brevit. vitæ*, dixit, Æthiopes, & qui Regiones sub Zona Torrida inhabitant, nedum imbecilles, & effœminatos observari, verùm etiam brevissimam vitam ducere, languescente nimirùm vitali partium calore, & dissipatis ex ambiente calido spiritibus, unde totius corporis, & operationum vitalium languor.

Nervorum quoque imbecillitas ex eadem causa provenit, etenim quotiescumque partes solidæ corporis, & viscera quæcumque languent, tum sanguis, tum omnia fermenta ex illo derivantia, plurimùm dissoluta, nequeunt liquorem nervorum suggerere talem, ac tantum, qualis & quantus necessarius illis est. Sed & fibræ nerveæ plus justo à calore delaxatæ, neque firmæ, & constantes esse possunt ad pondus partium sustinendum; quamobrem nervorum imbecillitas contingit, unde etiam reliquæ partes, immò totum corpus languidum observatur in omnibus præsertim operibus animalibus. Notavit autem signanter Hippocrates mentis torporem, & nervorum imbecillitatem, ut tum ea, quæ ad hegemonicas operationes pertinent, tum etiam, quæ ad operationes sensitivas, & motivas sunt addicta, sub his duabus vocibus comprehenderet. Et quidem mentis torpor, nonnisi significat hebetudinem operationum animalium, pertinentium ad sensus internos, scilicet ad imaginativam, æstimativam, & memorativam; nervorum verò imbecillitas complectitur languorem sensuum externorum, & motuum animalium, qui nonnisi per nervos in musculis peraguntur. Quòd autem calidum frequenter adhibitum valeat etiam sensus internos hebetare, patet manifestè ex eisdem rationibus superiùs recensitis, nam ex illo funduntur humores, sanguis dissolvitur, succus nerveus extenuatur, spiritus dissipantur, quibus omnibus deficientibus, necesse est plurimùm quoque hebescere, & infringi prædictas operationes animales, quæ absque sanguine vegeto, & nervorum liquore repurgato, itemque sine præpollentibus spiritibus perfici non possunt.

Neque solùm læduntur, quæ ad animalem partem pertinent operationes, verùm etiam, quæ ad vitales, ubi calidum intrà fines mediocritatis non fuerit coercitum: etenim cùm id ejus sit virtutis, ut rarefaciat, attenuet, dissolvat, aperiat, proculdubio laxatis venarum, & arteriarum osculis, atque eliquato sanguine, facilè hæmorrhagias excitare potest, & quidem non solùm reseratione, sed etiam erosione vasorum, præsertim cùm in aliquibus propter acritatem, promptè admodùm in fermentationem adigitur, & partim distendendo, partim etiam proritãdo extrà sua vasa prosilit. Hac porrò ratione fit, ut hęmorrhagiæ

rhagiæ faciliùs contingant æstate, & in Regionibus calidis, quàm hyeme, & in Regionibus frigidis, quandoquidem per æstatem, & in Regionibus calidis, sanguis rarescit admodùm, & promptè fermentescit, secus verò hyeme, & in Regionibus frigidis. Quia verò non explicuit Hippocrates, unde sanguis ex frequenti usu calidorum profunderet, ansam præbet dubitandi, num ex naribus, ore, hæmorrhoidibus, an ex aliis partibus corporis erumpat. Et quidem credere licet, ex omnibus indiscriminatim posse manare, cùm calor æquè benè universum sanguinem fundendo, possit omnes, & quascumque venas, aut arterias delaxare, ac aperire; sed tamen specialiùs poterunt narium arteriolæ, ac venulæ veluti delicatiores, ejusmodi incommoda subire, præsertim in adolescentibus; quamquam in cæteris etiam hæmorrhoides reserari possint pro varia corporum affectione, & sanguinis in hanc, vel illam partem irruptione faciliori.

Usus est denique nomine profluvii, græcè hæmorrhagiæ, ut nimirùm ostenderet non quamcumque sanguinis evacuationem exinde designari, sed largam, copiosam, & fortasse etiam iteratam, ad differentiam illarum sanguinis evacuationum, quæ guttatim solùm fiunt, & modica dumtaxat quantitate, quæque stillicidia à medicis appellari solent, cùm paucæ nimirùm stillæ sanguinis erumpunt. Quòd autem exitus sanguinis copiosus, & immoderatus hìc intelligatur, patet ex sequenti textus dictione: *animi defectionem*; nam animi defectio non ex quacumque sanguinis evacuatione, sed ex immoderata, & incompescibili procedit.

Contingit autem animi defectio tum ex immodica sanguinis eruptione, tum etiam ex spirituum, & partis ejusdem floridæ nimia dissolutione; quamobrem his deficientibus, vivens animo deficit, & perit. Pro animi verò defectione, licèt græcè scriptum sit leipothymia, nihilominùs cùm exinde dicatur subsequi mors, certè fortis, & vehemens illa intelligenda est, quæ proximè accedat ad syncopem, nisi tamen leipothymia pluries repetat, quo casu, etsi levior, quàm syncope sit, ob repetitionem tamen, facilè posset mortem afferre, præsertim ubi quis natura debilis, ex immoderata sanguinis evacuatione nullo negotio à quacumque animi defectione succumbit.

APHORISMUS XVII.

Frigidum autem convulsiones, tetanos, livores, rigores febriles.

PErgit nunc Hippocrates ad enarranda mala, quæ ex frigore viventibus contingunt, & pari loquendi formula, non frigus, sed frigidum recenset, pro quo etiam corpus, & rem frigidam intelligere est, eamque potissimùm cum humido conjunctam, veluti, aqua frigida, nix, glacies, aliave res consimilis, quamquam quodcumq; corpus frigidum, etiam durum, solidum, siccum, pro rata sua intelligi possit, quemadmodùm de calido superiùs dictum est; sed & aer ipse, qui inter corpora fluida collocatur, si frigidus plus justo fiat, nive, grandine, gelu, itemque ventis borealibus, pari ratione eadem detrimenta inferre potest, ut propterea quodcumque extrinsecùs viventia malè afficiens, frigore cujusvis generis, poterit

præ-

prænarrata mala excitare; verumtamen cùm frigidum per comparationem ad calidum, longe admodùm infensiùs sit hominum vitæ, quæ calore fovetur, & conservatur, planè, ut ejusmodi mala corpori incutiat, intensiori gradu molestare debet, etenim ab intraneo calore aliquatenùs repercutitur, immò facta constipatione in poris cutis, aliquandò vis illius fortificatur; nisi propter excessum externæ partes hebetentur, & mortificentur.

Cùm igitur extrinsecùs ad motum, vel diuturniori tempore, vel intensiori gradu, cutis poros constipando, effluvia impedit, & sanguinem circumeuntem in apicibus arteriarum per partes extimas corporis excurrentium, figit, & coagulat, in causa est, ut aliquando etiam mortificatio subsequatur; Hinc ab Hippocrate inter præcipua illius damna referuntur convulsiones, tetani, livores. Convulsiones quidem, & tetani, ob rigiditatem, & contractionem inductam in fibris nerveis, & congelationem in ipso nervorùm liquore, qui propterea nequeat membranas irrorare, & pro rata sua vigorem iisdem impertiri. Convulsiones autem hoc loco memoratæ, non motus convulsivi, sed veræ, & propriæ convulsiones intelligendæ sunt, per quas nervi, & musculi rigidi, immobiles, & inflexibiles redduntur, cùm frigoris sit hebetare, obtundere, & motum cuicumque rei adimere. Tetani verò ad convulsiones etiam referuntur, & quidem universales, cùm ex illis universum corpus rigidum, & immobile fiat, ut neque ad anteriora, neque ad posteriora flecti possit. Id autem non semel expertum est in his, qui per loca nivosa, & montana, hyemali tempore iter facientes, ingentis frigoris incommoda subire coacti sunt.

Accidunt præterea ex frigore livores, seu nigrities, & mortificationes in partibus externis eandem ob causam, quoniam sanguis præ frigore constipante, nequit per eas partes circumire, ut proinde nec illas potest vivificare, unde veluti emortuæ, & viribus, ac calore vitali destitutæ, nigrorem subeunt, ut in cadaveribus experimur. Observatum non rarò etiam est in tantam labefactationem externas partes corporis, potissimùm manus, & pedes incidisse, ut gangrænam incurrerint, & deinde à reliquis partibus sejunctæ sponte sua conciderint, potissimùm cùm ad ignem, aliudque corpus impensè calidum, repente fuissent admotæ. Quo moniti itinerantes per ejuscemodi loca, non statim ad extremum calorem, & ignem se exponunt, sed sensim ac lente pannis laneis, aut tepenti aqua, calorem revocant, quousque paulatim sanguis per suos ductus remeare incipiat, & circuitum pristinum repetere videatur. Addit in textu Hippocrates *rigores*, qui licet in vulgata versione legantur febriles, revera tamen febriles non sunt, sed tantùm per analogiam tales dicuntur, quòd scilicet quemadmodùm initiantibus accessionibus febrilibus rigores accidunt cum inæquali corporis concussione, & sensu frigoris, ita ab externo frigore, vel aeris, vel aquæ circumambientis, corpus universum riget, & contremiscit, inita quodammodò pugna inter sanguinem arteriosum, vi cordis, & portione vivifica impulsum, ac frigoris externi vi constipantem, & repercutientem, atque ita inæqualiter cutim commoventem, & contorquentem. In his autem mirum,

quantum valeat iteratus usus aquæ ardentis dephlegmatæ; etenim ipsa sæpiùs, leni frictione, admota, simul poros constrictos reserat, & sanguinem hærentem dissolvit, atque in motum concitat, & partes roborat, ut propterea cutaneos istos livores, per quàm optimè deleat, citrà suppurationem, aut ulcerationem. Illam autem, ut efficaciùs operetur, solent practici vigorare, adjecta convenienti portione camphoræ, vel etiam infusis floribus, & summitatibus roris marini ad plures dies in loco calido ad digestionem convenientem detentis, ut in ea, quæ Reginæ Hungariæ nominatur.

Cæterùm quòd hæc mala ab externo frigore evenire Hippocrates doceat, palàm fit, ex nuper dictis de rigore, & livore partium externarum; quippe rigor, & livor nonnisi ad partes extimas corporis pertinere possunt. Res autem frigidæ interiùs assumptæ non solent ejuscemodi mala parere; quin & nostra tempestate gelidæ potiones tam in usu frequenti sunt, ut in deliciis habeantur, & licèt procedente tempore cruditates, atque inde alia incommoda pariant, haud tamen memorata hæc in aphorismo mala excitare observantur.

Quo denique pactò inductis ex frigore nocumentis occurrere possimus, non erit abs re hoc loco breviter recensere. Et primùm animadversione dignum videtur, quòd quamvis his ex frigore malis calefacientibus debeamus opitulari, non tamen illa affatim, ac violenter, sed sensim, atque sensim erunt administranda; non minùs enim nocere solent frigefactis partibus calorifica subitò, ac repentè administrata, quàm frigida, quæ anteà læserint: experientia enim cuique notum est, algentes manus igni repentè admotas, longè graviorem molestiam subire. Itaque oportebit paulatim amissum in partibus calorem restituere, pannis laneis excalefactis, itemque vino calente, aqua ardente, & similibus, cavendo immoderata, humefacientia, & violenter operantia.

APHORISMUS XVIII.

Frigidum inimicum ossibus, dentibus, nervis, cerebro, spinali medullæ: calidum verò utile.

Retulit præcedentibus aphorismis Hippocrates detrimenta à frigido, & à calido universum provenientia, hoc nunc aphorismo recenset partes, quibus frigus specialiùs noceat, & calidum contrà proficiat: & quidem frigidum inimicum ossibus, cerebro, spinali medullæ, nervis, & dentibus; calidum verò eisdem utile esse proclamat.

Rationem ferè communiter Interpretes desumunt à natura, & conditione partium spermaticarum: etenim inquiunt, carnosas partes, veluti à sanguine progenitas, sua natura calidas esse, spermaticas verò frigidas: sicut autem carnosæ partes meliùs resistunt agentibus frigorificis, ita ex adverso partes spermaticæ ab his plurimùm offenduntur. Verùm id in controversiam vertit jampridem Laurentius Joubertus *lib.* 1. *Paradoxor*; qui acriter contendit partes spermaticas veluti à semine calidiori oriundas, calidiores carnosis, seu sanguineis debere dici, juxta receptam veterum opinionem, qui existimabunt omnes partes corporis vel à semine,

vel

vel à sanguine, ceu duobus generationis humanæ comprincipiis exoriri; cumque ossa, cerebrum, spinalem medullam, nervos, membranas, aliasque partes similes à semine profectas dicerent, propterea spermaticas illas appellarunt. At cùm Recentiorum Anatomicorum observationibus compertum jam satis sit, omnes partes corporis primordia sua sumere à materia illa albuginea in ovo contenta, nutricationem verò, & incrementum solùm à sanguine, ejusque portione glutinosa, proindè fit, ut ejuscemodi partium corporis distinctio vana apud ipsos reputetur, sed solùm, quæ irriguum sanguinem affluentiùs excipiunt, sint vivaciores, calidioresque, quæ verò exiles tantùm arteriolas, & venulas sortiuntur, debiliores, minùsque calidæ observentur; unde quæ carnosæ dicuntur, ab abundantiori sanguine, quo irrorantur, sint calidiores, reliquæ verò spermaticæ appellatæ, ob sanguinis paucitatem, & exilitatem arteriolarum, dicantur frigidæ.

Quo autem pacto frigidum enarratis partibus officiat, breviter hìc quæri potest, nam etsi hoc apud omnes ratum sit, non cunctis tamen æquè benè videtur explicatum, potissimùm quia experimur frigidam etiam aquam quibusdam partibus magnoperè prodesse, unde dentes, & os, frigida aqua abluti firmantur magis, & oculi pari ratione frigidis lotionibus mirificè vigorantur; unde Q. Serenus:

Sæpè etiam gelida gingivas collue lympha,
Dentibus ut possis validum firmare tenorem.

Et Pl. *lib.* 28. *c.* 4. inter remedia doloris dentium, numerat collutionem ex aqua frigida matutino tempore.

Verùm facilè difficultas solvetur, attenta causa, unde calor in viventibus habeatur: is quippè à solo sanguine est, adeòque quas partes sanguis benè irrigat, & affluenter fovet, simul una calefacit, & roborat; at verò ubi nec irrigare, neque fovere potest, non solùm frigus persentitur, sed & gravis noxa percipitur. Cùm igitur cerebrum, nervi, spinata medulla, periostia, membranæ, aliæque partes modico sanguine irroratæ, à frigore offenduntur, gravem noxam subeunt, ab impedita in ipsis, vel saltem magnoperè hebetata sanguinis circulatione. Sed nedum in specialibus partibus corporis id evenire experimur, verùm etiam in omnibus corporibus debilibus, & extenuatis, quæ vehementer à frigore læduntur, quoniam in his à frigore torpescit sanguis, ejusque circuitus præpeditur, immò aliquoties etiam hæret, unde postea tumores, abscessus, inflammationes exoriuntur. Sed & aqua frigida non dentibus, sed gingivis potiùs prodest, facta nimirùm in ipsis corrugatione, retusisque in ipsas irruentibus acribus humoribus, ex quibus sæpenumerò vacillant. Hinc patet quoque de frigido extrinsecùs occursante sermonem Hippocratem hìc habuisse; cùm à frigore præsertim ambiente, vel aeris, vel aquæ gelidæ, vel ventorum borealium, cerebrum, spinalis medulla, dentes, & ossa vehementer afficiantur.

At verò quemadmodùm à frigore prænarratæ partes graviter lædi solent, ita ex adverso convenienti calore plurimùm juvantur; unde Hippocrates in aphorismo subjunxit, *calidum verò utile*. Et quidem non hìc intelligendum calidum vehemens, & immoderatum, nam ex supe-

superiùs traditis, non minùs illud nocere potest, cùm repente, & violenter adhibetur, quàm frigidum præcedenter inductum; ideòq; moderatum, & conveniens esse debet. Quamvis comparatione facta inter frigidum, & calidum excedenti gradu applicatum, levior semper noxa à calido, quàm à frigido partibus superiùs memoratis inferatur. Hinc in omnibus affectibus cerebri, spinalis medullæ, nervorum, ossium, aliarumque partium exanguium, uti solemus medicamentis tùm extrinsecis, tum intrinsecis, moderatè calefacientibus, quin & pro spina, & nervis inde exorientibus, semper prodesse consueverunt inunctiones ex oleis, ac linimentis calorificis, quibus scilicet modicus harum partium calor reviviscat, & humores, si qui fortasse ibidem hæserunt, leniter digerantur, & extenuentur.

APHORISMUS XIX.

Quæcumque refrigerata sunt, excalefacere oportet, exceptis iis, quibus sanguis fluit, aut fluxurus est.

QUod præcedentibus aphorismis Hippocrates de incommodis calidi, & frigidi, quæque à frigore mala oriri possent, partibus potissimùm exanguibus, nunc in correctionem illorum subdit, excalefacienda esse ea, quæ prẹter modum sunt refrigerata; ut propterea videatur, veluti per corollarium superioris aphorismi, documenta tradere, quo pacto tractanda sint membra à frigore malè affecta; etenim si calidum illis utile est, certè cùm fuerint refrigerata, calorificis erunt in statum naturalem reducenda, adhibita tamen in ejusmodi partibus malè affectis distinctione; nam alio modo cerebrum, ac spinalis medulla, & alio modo dentes, ac ossa, calefacientibus fovenda erunt.

Quamvis insuper indiscriminatim dixerit refrigerata calefacere oportere, & quidem tum extrinsecùs, tum intrinsecùs, calorificis adhibitis, nihilominùs attentis his, quæ in præcedentibus aphorismis dicta sunt, verisimiliùs videntur extrinsecùs calefacientia commendata, quemadmodùm sunt fotus, unctiones, balneationes, &c. Neque solùm earum rerum, quæ virtute, ac potentia calorem in partibus valent excitare; sed etiam quæ actuali, ut vocant, calore, fovere, & in pristinum statum vim, facultatemque illarum restituere solent, quemadmodùm superiùs diximus de vino calente, de aqua calida, de balneis aquarum thermalium, aliisque similibus. Idipsum etiam assequi licebit beneficio aeris, vel natura sua calidioris, vel ope artis excalefacti, ut fieri solet in laconico, ubi etiam aromata diversi generis, suavem odorem spirent, ut exinde & calor, & robur partibus suggeratur.

Generale autem hoc præceptum de calefaciendis partibus refrigeratis in aphorismo traditum, excipit Hippocrates in his, quæ vel sanguinem fundunt, vel fusioni obnoxiæ sunt, unde in textu subdit: *exceptis iis, quibus sanguis fluit, vel fluxurus est*, vel, ut meliùs vertit Fuchsius, *unde sanguis profluit, aut profluxurus est*: etenim licet, quæ refrigerata sunt, ut reviviscant, calorifica expostulent, nihilominùs indicatione desumpta à sanguine fluente, vel fluxuro, veluti à prævalentiori, atque urgentiori, ejusmodi calefacientium administratio locum habere non poterit, quippè

cale-

calefacientia fluentem ſanguinem magis funderent, & vaſa aperta, aut relaxata latiùs reſerarent, quandoquidem calidi eſt aperire, attenuare, diſſolvere; frigidi verò conſtipare, & cohibere. Hinc in gratiam ſanguinis, ne plus juſto fluat; immò potiùs, ut decet, intra ſuos ductus detineatur, à calorificis cavendum, & corrugantia frigefacientia adminiſtranda erunt.

Cujus autem conditionis iſta eſſe debeant, non admodùm difficilè erit determinare. Equidem etſi frigefacientia generaliter ſanguini fluenti cohibendo proficua ſint, cùm ſubindè ſanguinem in ſuo motu remorentur, & vaſa adaperta corrugent, unde nix ſola ſæpiùs fluentem ſanguinem cohibuit; nihilominùs ſi præter vim frigefactoriam adnexam habeant facultatem ſtypticam, & adſtringentem, proculdubiò efficaciora erunt, cujuſmodi ſunt, quæ ponticam, auſteramque conditionem ſunt ſortita. Hinc hypociſtis, acacia, myrtilli, plantago, centinodium, gallæ immaturæ, cortices granatorum, & alia hujus generis, præſertim albumine ovi excepta, plurimùm in his conferre conſueverunt. Ex vitriolo etiam, & chalybe conficiuntur alia ſiſtendo ſanguini efficaciſſima, itemque ex alumine, bolo armenia, terra ſigillata, cæteriſque. Hinc celebris eſt in uſu externo aqua illa ex his compoſita, arterialis dicta, aqua aluminoſa, pulvis ſympathicus, vitriolum uſtum, cataplaſma ex pilis leporinis, albumine ovi, & ſcoriis ferri, &c. Verùm hæc, & alia plura ex praxi petenda ſunt.

APHORISMUS XX.

Ulceribus frigidum quidem mordax, cutem obdurat, dolorem inſuppurabilem facit, livorem inducit, rigores febriles, convulſiones, tetanos.

Cum præcedenti aphoriſmo Hippocrates frigorifica commendarit in his, quibus ſanguis fluit, aut fluxurus eſt, etſi à frigidis videantur lædi poſſe, nunc uſum illorum excipit in illis partibus, quæ ulceratæ ſunt; licèt in his de ſanguinis profluvio timeatur, quoniam, inquit, frigidum ulceribus nocuum eſt, & valdè pernicioſum.

At liceat aphoriſticam hanc ſententiam clariorem reddere ex *lib. de liquidorum uſu*, unde illa deſumpta videtur; nam ex verſione Leoniceni, nedum obſcura eſt, ſed multis difficultatibus obvoluta. Scribitur autem *cap. lib. de liquidorum uſu. Ulceribus frigida* (ideſt aqua) *mordax eſt, cutem obdurat, doloroſa non ſuppurari facit, livefacit, nigrefacit, rigores febriles facit, convulſiones, retro, & ante diſtentiones*. Vel, ut exponit Cardanus: *Frigidum ulceribus mordax, & obdurat cutim, ſeu ulceris labia, dolores facit, & quæcumque in ulcere ſunt, prohibet ſuppurari*.

Dicitur primò frigidum mordax, quod num intelligendum ſit, ut in cauſa, an verò potiùs, ut ex effectu, difficultas eſſe poteſt. Etenim ſi ut cauſa malorum hìc enumeratorum intelligatur, profectò non omne frigidum ulceribus nocuum dicendum erit, ſed dumtaxat, quod mordax, pungens, & acutum eſt; ſi verò intelligatur in effectu, quodlibet frigidum etiam leve,

leve, mordax, & nocuum fiet ulceribus.

Et quamvis ferè cunctis Expositoribus congruentius videatur, adjectum frigori verbum illud, *mordax*, referendum esse ad effectus ejusdem, ut inter alia illius mala præcipuum illud sit, partem ulceratam mordere, vellicare, ac pungere, quod sanè cuique ulceri valdè nocuum est, cùm ulcus quodlibet sua natura postulet, ut sanetur, à quacumque irritatione, & molestia liberum esse, eo quòd per irritationem facilè ad partem ulceratam humores confluant, & vasa proritata aperiantur; si nihilominùs consideretur mordacitas frigoris in causa, itaut sensus fiat, non omne frigus ulceribus nocere, sed quod mordax, & acutum est, cohærebit planè Hippocratis menti: etenim illud frigus propriè noxium partibus ulceratis percipitur, quod intensum, pungens, & mordax est, cujus causa cutis corrugatur, sanies detinetur, & pars ulcerata compungitur, & elanguet. Sic non raro à Chirurgis adhiberi consueverunt ulceribus medicamenta tum actu, tum potentia frigida, quæ tamen, quia moderatè talia sunt, nullum incommodum afferunt; at verò si in gradu excedant, molestissima fiunt. Et quidem frigidum immoderatum, quale glaciei, poros cutis discerpit, & extorquet, cutim ipsam obdurat, livores, & rigores efficit, quemadmodùm in Aphorismo dicitur. Illud porrò certum omninò erit, frigidum hoc loco memoratum, quod actuale dicitur, potiùs intelligendum esse, quàm quod potentia est frigefactorium: quamquam Fuchsius, Cardanus, aliique plures Interpretes, nomine frigidi hìc memorati, aquam frigidam dumtaxat intellectam velint, qualis est glacialis, quæ & actu, & potentia frigorifica est, & non minùs qualitate, quàm corpulentia, immò mistura salium, præsertim halinitri, partibus viventibus nocua observatur, adeòque longè magis ulceratis, & morbo affectis inimica. Quòd præterea frigus cutim obduret, patet manifestè, quoniam pori cutis ab illo constipantur, & adeò arctè vinciuntur, ut perspirationi impedimento sint; quamobrem jure optimo sub nomine amicitiæ à quibusdam fuit appellatum; cùm autem partes omnes strictim uniat, & coarctet, ea ratione simul obdurat, quemadmodùm experimur in luto; atqui humana cutis à frigore hyemali adeò constringitur, ut sæpissimè obrigescat, & præter duritiem, aliquandò emoriatur. In ulceribus autem frigus, circumposita labia densando, conglutinationem impedit, & sanguini vivificanti obicem facit.

Sed qua ratione scriptum sit *dolorem insuppurabilem* efficere, dubium esse potest. Verùm ex *cap. loco de liquidorum usu* solvitur difficultas: ibi enim scribitur *dolorosa non suppurari facit*: idest ea, quæ circa labia ulceris continentur, & per suppurationem digeri, atque expurgari deberent, admoto frigore detinentur, & suppurationi non subiiciuntur: suppuratio namque ope caloris peragitur, cujus causa partes heterogeneæ ab invicem disjunguntur, & sequestrantur; at verò per frigus unà simul vinciuntur, & commiscentur. Sed & fermentatio, quæ omninò necessaria est in suppuratione, per frigidi administrationem penitùs inhibetur; unde qui humor circum labia ulceris detentus, doloremque afferens, in suppurationem desineret, per frigus

in pus

in pus verti nequit, adeòque insuppurabilis fit; Hinc dici quodammodò potest, frigus suppurationem impiedendo, dolorem facere insuppurabilem.

Inducit quoque frigus livorem, & rigores febriles, pari modo, ac superiùs de effectibus frigoris generatim dictum est. Si enim frigus hebetat, obtundit, & mortificat, planè livorem nullo negotio pariet. Rigores autem febriles induci dicuntur à frigore per analogiam eorum, qui febribus rigorosicis contingunt, ut etiam anteà notatum est: quamquam possint etiam rigores revera febriles, & febres ipsæ exinde exoriri, quatenùs humores in ulceribus detenti, nec benè repurgati, circumeuntem sanguinem inficiunt, & indebitam cum ipso fermentationem excitant; unde postmodùm febres rigoribus sociatæ, immò cum aliis gravioribus symptomatibus conjunctæ: ulcera siquidem sordida, & malè affecta, prȩsertim cùm virulentam conditionem nacta fuerint, facili negotio febres acutas excitant, & cum rigoribus malignitatem attestantibus conjunctas. Quòd si fortasse suppurationem intraneam subeant, ut non raro fieri solet in partibus musculosis, & cavum admittentibus, certè rigor inde sequetur, & febris, juxtà dictum ejusdem Hippocratis 2. *aphoris.*... *dum pus conficitur, rigores, & febres expectare oportet magis, quàm jam confecto.*

Convulsiones denique, & tetanos frigus parit in ulceribus, quoniam ex superiùs traditis, frigidum nervis, & cerebro inimicum, absque ullo ulcere convulsiones, ac tetanos affert; quanto magis excitabit in ulceribus, ubi nedum saniei ex ulcere prodeuntis pravitate, sed & irritatione in partibus ulceratis inducta, quam maximè possunt nervi, & nervorum fibræ, saltem per consensum affici, & impensè proritari, cùm nulla pars extima sit, quæ sensu suo non sit prædita, adeòq; nervis plurimis referta; quandoquidem in ulceribus fieri nequit, quin cutis, panniculus carnosus, musculi, aliæque partes nerveæ collædantur, ac dissocientur. Sed & mala membris particularibus illata, potissimùm ab ulcerum sanie contingunt, quæ si fortasse per cerebri meditullium diffundatur, aut etiam in spinam decumbat, planè nedum convulsiones particulares accident, verùm etiam universales, quales tetani, in quibus, & ad anteriora, & ad posteriora, corpus redditur rigidum, & inflexibile; atque hinc, ubi in aphorismo scribitur, *tetanos*, in supracitato *lib. de liquidorum usu*, clariùs exponitur *retro, & ante distentiones*. Cæterùm frigus potissimùm mordax, & intensum duplici de causa ulceratis partibus obest, altera ex detenta sanie plerumque corrupta, altera ex hebetudine, aut mortificatione; unde partes distentæ, aut resolutæ postremò remanent.

APHORISMUS XXI.

Est autem, ubi in tetano sine ulceratione, juvene benè carnoso, æstate media, frigidæ aquæ multa perfusio calorem revocat. Calor autem hæc solvit.

Meliùs vertit hanc ex grȩco Codice sententiam Fuchsius, inquiens: *Nonnunquam in distentione sine ulcere, juvene mediocri corporis habitu predito, ȩstate media:* Hac quippe ratione cohȩrentiùs nectitur

ctitur hic aphorismus praecedenti: sed & clarius Heurnius: *Sed tamen fieri potest, ut in tetano ulceris experte*; ut propterea sensus sit, aliquando frigidae aquae usum utilem esse posse; sive, ut mavult Cardanus, existimans tacitae cuidam objectioni ex hoc aphorismo responderi, si fortasse quis opponeret, frigidam aquam in distentione nervorum aliquando profuisse, sed quidem nonnisi ex accidenti solùm id evenire, atque in juvene bono corporis habitu praedito, in media aestate, & absque ullo ulcere. Fallitur eapropter hinc Galenus, qui putat id perpetuò agendum in quacumque convulsione, dummodò praedictae adsint conditiones; nam quod aliquando in usum duci potuit, & ex accidenti tantùm proficere, perperam generaliter prolatum, aut in cunctis commendatum, quis audiet? aliter omninò temeraria dicenda foret ejusmodi convulsionis curatio, quae omni ex parte periculosa, vel admodùm dubia est; cùm tamen idem Hippocrates in suo Jurejurando se quodcumque dubium omninò vitaturum pollicetur. At singulas conditiones, quas in aphorismo Hippocrates vult esse considerandas, breviter perpendamus.

Inquit primò *in tetano sine ulceratione*: in tetano quidem, in quo tam partes anteriores, quàm posteriores sunt aequaliter distentae, ut propterea uniformiter frigidę aquae perfusio facienda sit, & aequalis. Si aliquae partes tantùm forent affectę, puta anteriores, certè non benè constaret, ubi aquae frigidae profusio facienda foret, & num potiùs pars sana exindè laesionem subiret, quàm laborans juvamentum esset receptura; *sine ulceratione* verò, hoc est, quòd nullum ulcus corpus affectum patiatur, nam ratione ulceris, aquae frigidae perfusio prohiberetur, quoniam frigidum ulceribus nocuum praecedenti aphorismo demonstratum est, unde nullum planè adjumentum in tetano sequeretur, & ex adverso maximum detrimentum ulceratae parti inferretur, ut patet.

Ampliùs dicitur: *juvene benè carnoso*; pro quo meliùs Fuchsius, *mediocri corporis habitu praedito*: etenim in graeco Codice legitur εὔσαρκος, quod non carnosum omninò, & obesum, neque gracilè intelligendum est, sed quod mediat inter utrumque. Obesa enim corpora propter pinguedinem, & venarum, atque arteriarum exilitatem, non multò potiuntur calore, atque adeò facilè succumberent tantae aquae gelidae profusioni; Graciles verò, utpotè excarnes, neque sufferre possent frigoris vim ex aqua gelida, sed nec impetum ejusdem repentinum, utpotè qui non benè resistunt frigidis alterantibus, immò ab his facillimè laeduntur. At verò, qui medii sunt inter obesos, & graciles, moderatè carnosi, graecè εὔσαρκοι, utrumque multo faciliùs sufferunt; sed & ob sanguinis floriditatem, indeque vitalem calorem, ac convenientem carnium habitudinem, & fortem viscerum texturam, minimè à frigidae profusione debilitantur, sed magis, magisque potiùs vigorantur, facta in poris partium constipatione; quamobrem praeter bonam corporis constitutionem carnosam, additur in textu, esse oportere *juvenem*, cùm in hac aetate quaecumque in sanguine, & visceribus necessaria sunt, exquisitissimè inveniantur: senes autem, & pueri, veluti impotentes, ab ejusmodi remedii administratione excludun-

tur;

tur; & meritò, quia pueri carnes molles admodùm habent, ac sanguinem glutinositate potiùs, quàm floriditate præpollentem; & senes in utrisque deficiunt. Jure ergo optimo conjunxit Hippocrates juventutem, & carnosam corporis constitutionem, ut ex utroque capite robur partium, & calor vitalis validus in sanguine preexistat, atque per frigidæ profusionem vehemens in sanguine fermentatio promoveatur.

Subditur præterea *æstate media*, vigente scilicet æstu summo in aere: cùm enim eò tempore pori cutis laxiores sint, & transpiratio patentior nimis, ut nedum halitus, & vapores è corpore perspirent, sed etiam sudor sponte sua ubertissimus habeatur, proindè fit, ut frigidæ aquæ profusione, constipatis poris, atque impedita perspiratione, universus calor repercutiatur ad intima, atque impetu quodam adoriatur causam morbificam tetani conservatricem. Neque verò aqua, quæ perfunditur simplex, & ordinaria esse debet, sed gelida, etiam nive frigefacta, atque ubertim affusa, ut nimirùm subita, ac violenta fiat in omnibus partibus corporis commotio; obrigescente simul, vehementerque densata cute, adeò ut nil perspirare permittat, sed calor universus per sanguinis commotionem vehementiorem, ad intimas partes recolligatur, impetatque in musculos, & nervos tetano affectos. Benè igitur Avicenna 2. *tertii cap.* 7. inquit, *hac perfusione obstructis meatibus cutis, & refugiente calore intus, atque collecto, materia illa consumitur, atque difflatur, nervique ad pristinum redeunt statum.* Quod & Hippocrates ipse in aphorismo adjecit inquiens: *frigidę aquę multa profusio calorem revocat: calor autem hęc solvit.*

Quomodò autem frigida ista perfusio adhibenda sit, idem Auctor explicat 3. *de morbis*, ubi istius morbi curationem proponit his verbis: *Aquam plurimam frigidam superinfundito, & posteà vestimenta tenuia, pura, ac calida superintegito; ignem autem tunc non adhibeto.* Hinc superinfundendam aquam frigidam jubet, illamque plurimam; deinde cooperiendum esse ægrotantem vestimentis tenuibus, puris, ac calidis, veluti lineis excalefactis, nullo intereà igne admoto, ne scilicet calor intrò collectus denuò ad cutim diffundatur, sed per aliquod tempus ita detineatur, quousque materia tetani fuerit subacta, & nervi in pristinum statum fuerint restituti; id quod spatio duodecim, vel viginti horarum ad summum peragi solet.

Verùm non est omittenda Pauli Æginetæ in hac re animadversio, qui *lib.* 3, *cap.* 20. admonet, istam frigidæ superinfusionem maximè temerariam esse, atque posteris vituperatam, adeòque à seipso damnatam, devitatamque: equidem nisi naturam adminiculantem habeat, quæ subitò causam morbificam vincat, & dissolvat, in maximo periculo æger versabitur, immò irreparabiliter succumbet. Fieri enim potest, ut calor, qui exinde speratur revocandus ad intima, atque adeò morbum debellaturus frigidæ aquæ perfusione potiùs extinguatur; quamobrem factum est, ut nemo ampliùs in praxi sit ausus ejuscemodi curationem tentare. Sed neque Hippocrates revera illam hìc commendat, sed solùm inquit, qua ratione, illa si tentetur, conferat, & quibus in corporibus, quibusque conditionibus,

bus, cautè administranda sit, ut etiam anteà est animadversum: Id quod semel tantùm in fœmina quadam 5. *epid.* vehementi dolore ex præfocatione uteri laborante, peractum à seipso memoratur.

APHORISMUS XXII.

Calidum suppuratorium non in omni ulcere, magnum ad securitatem est indicium, cutem mollit, extenuat, dolorem sedat, rigores, convulsiones, & tetanos mitigat, capitis solvit gravitatem: plurimùm autem confert ossium fracturis, sed nudis præcipuè, eorumque maximè, qui in capite ulcera habent, & quæcumque à frigore moriuntur, vel ulcerantur, & herpetibus exedentibus, sedi, pudendis, utero, vesicæ: his calidum amicum, & judicans, frigidum inimicum, & perimens.

PLura simul hìc Hippocrates de calido, & calidi usu recenset, & in quibus juvet, aut debeat adhiberi, quibus verò ex adverso noceat, debeatque vitari: itemque quas utilitates afferat, & quibus partibus corporis. Hinc præsens aphorismus videtur omninò directus ad praxim Chirurgicam, & ad rectam rerum calidarum in ulceribus administrationem.

Verùm non de quocumque calido corpore, an solùm de aqua calida verba faciat, grave dubium est apud Interpretes, quandoquidem usus aquæ, non minùs quàm vini, frequentissimus erat apud Veteres, nedum inter epulas, & interiùs, sed & exteriùs, atque in lotionibus, balneis, fomentis, cæterisque, ut proptereà pluries utriusque usus sparsim in suis operibus Hippocrates meminerit. Etquidem Fuchsius pluribus contendit solam aquam calidam hìc fuisse ab Hippocrate memoratam, reprehenditque Brasavolum, qui de omni calido illum loquutum arbitratur. At contrà Cardanus acriter in Fuchsium invehitur, & multis conviciatur. Putaverim ego, calidum hoc aphorismo indicari moderatum, quia tale ést suppuratorium, ut in textu exigitur: etenim si Hippocrates inquit, calidum suppuratorium, & quod suppurationem facit, moderatum est, proculdubio non excedens, sed naturæ consentaneum intelligendum est; ejusmodi autem non sola aqua, sed quodcumque intra mediocritatis limites versatur, accipi debet; neque simplex aqua, sed etiam medicata, qualis ex incoctis herbis mollientibus, & anodynis, puta malva, althæa, chamæmelo, parietaria, aliisque. Pari ratione pinguedines, & adipes animalium, atque omnia linimenta, & cataplasmata ex iisdem composita intelligenda, quibus planè passim utuntur Chirurgi in suppurationibus promovendis. In hanc eandem sententiam concessit Galenus 4. *method. cap.* 5. inquiens: *Fomentum multæ calidæ aquæ, & omnia, quæ calefaciunt, & humectant celerrimè pus movent.* Quamobrem si Brasavolus de omni calido etiam intenso, & vehementi velit hoc loco loquutum Hippocratem, certè falsum erit; si verò de quocumque alio corpore calido, præter aquam, sed tantùm moderato, non erit, quid illi opponere possimus. Quòd autem moderatum calidum suppurationem adjuvet, tam manifestè patet experimento, ac ratione, ut longiùs in his minimè doceat immorari: calidum namque exce-

dens

dens potiùs reſolvit, quàm ſuppurat.

Sed cùm dicit Hippocrates *non in omni ulcere*, oſtendit manifeſtè, non in omni ulcere calidum iſtud adhuc moderatum,& ſuppuratorium, eſſe adhibendum, puta, ut *in comm.* Galenus explicat, ubi ulcera ſordida, & putrida ſunt, vel etiam ubi timetur affluxus humoris, præſertim non facilè ſuppurabilis, ut in carcinomate, phagedæna, aliiſque ſimilibus; itemque in eryſipelate ſuppurato, vel cùm circa ulceris labia inflammatio eryſipelatodes obſervatur: in his enim calida ſive actu, ſive potentia, nocua eſſe ſolent, quippè ſaltem ex accidenti, exaſperant ulcus, febrim arceſſunt, dolorem inferunt, & in diuturnum tempus illius curationem diſtrahunt.

Emergit autem exinde magnum ad ſecuritatem ſalutis indicium, quippè ubi ſuppuratio fit, ibi quoque præter humorum facilè ſubigibilium benignitatem, naturæ concoquentis robur oſtenditur, etenim ſuppuratio opus naturæ eſt, cauſam morbificam ſubigentis. Hinc in praxi Chirurgi omnes ſalutare ſignum exiſtimant in ulceribus quibuſcumq; pus concoctum apperere; contra verò, cùm loco ejus ſanies tenuis, ichor, aliuſve ſimilis humor exudat, malignitatis nota eſt; & ubi per ſuppurationem certa promittitur ſalutis ſpes ægrotanti, ita ex adverſo exitus infauſtus timetur, vel ſaltem non facilis ad curationem, & conſolidationem ulceris reductio; ſed & in ejuſmodi pravis ulceribus, in quibus ſuppuratio nulla apparet, neque in poſterum ſperatur futurum pus conveniens, haudquaquam calido ſuppurante, ſed potiùs exſiccante medicamento utendum, quod etiam ſua ratione detergat, & emundet, vel etiam corrigat, temperet, & pravitati reſiſtat.

Dicitur præterea calidum cutim emollire; nam ſicuti ſuperiùs dictum eſt frigidum obdurare, & conſtipare poros cutis; ita nunc à calore eodem emolliri, & relaxari, apertiſſimè demonſtratur. Verùm calidum iſtud, nedum moderatum intelligendum eſt, ſed etiam humori alicui conjunctum; nam calida, quæ ſuppuratoria ſunt, humefacientia quoque pro rata ſua eſſe debent, ut exinde cutim mollificare valeant: quamquam non raro calidum cuti admotum, evocando ex internis partibus humores, & præſertim ex glandulis ſubcutaneis, humiditatem ſibi aſſociat, ſi non per ſe, ſaltem ex accidenti, attenuando, aperiendo, & diſſolvendo.

Pari ratione ſubditur etiam, extenuare: quoniam ſive puris egeſtione, ſive inſenſibili tranſpiratione, ſive etiam diſſolutione tenujum partium, ex humoribus, & lympha diſſolutarum, ſemper calidum quodcumque extenuat, & extenuando evaporat, ſaltem tractu temporis longiori. Atqui placuit Heurnio *in ſuo contextu*, huic dictioni addere *craſſam*, ſive materiam cuti hærentem, ſive ad eandem confluentem, ut propterea legat in ſua verſione: *craſſam extenuat*: equidem ſive craſſities iſta in cute ipſa conſideretur, ſive in humoribus ibidem hærentibus, planè vi caloris utraque diſſolvi, & extenuari benè poteſt; quamobrem tumidam cutem in ulceribus levi, blandoque calore ſucceſſivè digeri, & in priſtinum ſtatum reduci licet, ut tandem cæteris partibus complanetur, & humores ipſos circa labia ulceris reſtagnantes, ejuſdem caloris, & remediorum calefacientium benefi-

beneficio, paulatim quoque dilui, & per suppurationem expurgari, extenuarique.

Hinc pariter ostenditur qua ratione dicatur dolorem sedare, quemadmodùm ex supra traditis, manifestissimè deducitur, etenim digerendo ea, quæ circa labia ulceris, immò in ipsa ulceris cavitate continentur, & dolorem inferunt, vel in causa sunt, ut dolor percipiatur, dolorem ipsum rationabiliter sedare dicuntur. Quare sive vacuando, sive rarefaciendo, sive abstergendo, sive temperando, sive discutiendo, tum humores, tum flatus, dolorem lenire benè poterit. Sed & licèt humores desint, si solùm pars ulcerata ab infensa qualitate proritetur, aut à frigore malè afficiatur, solet non raró calidi alicujus medicamenti beneficio moderari, cùm ex anteà dictis frigus viventi cuicumque parti, potissimùm nerveæ, infensum ex omni parte sit; calidum verò proficuum, & salutare, quin & majora, gravioraque semper detrimenta viventibus accidunt à frigidis, quàm à calidis, præsertim moderatis.

Mitigat quoque calidum rigores, convulsiones, & tetanos, oppositis sanè de causis, quibus frigidum hęc eadem anteà afferre dicebatur; etenim extenuando, & dissolvendo vitiosos humores, hæc mala inferentes, sanè conferet calidum in prænarratis nervorum, & musculorum ægritudinibus; tum quia causam rigoris, & convulsionis adimit, tum etiam quia partes affectas roborat.

Capitis etiam solvit gravitatem, idque non solùm ex jam dictis rationibus, verùm etiam quia plerumque gravitates fiunt à lympha crassiori restagnante in meningibus, vel in glandulis cerebri corticalibus; illa autem calidis fomentis diluta fluit in partes inferiores, & vel per nares, aures, palatum eiicitur, vel in articulos decumbit, quemadmodùm experimur in catarrhis. Neque solùm calida capiti si admoveantur in his conferunt, verùm etiam si plantis pedum applicentur; experimur siquidem, ut qua ratione humefacti, refrigeratique pedes, cerebrum, & caput afficiunt, & humiditatibus opplent; eadem & opitulentur, si calidis fotibus, ac lotionibus vigorentur. Hinc consueverunt practici ad deducendos humores à capite aqua calida pedes abluere, & in gravedine, stupiditate, aliisque capitis affectibus cum sopore conjunctis plantas pedum aqua ardente sæpiùs fovere. Experimur quoque per solos halitus, atque odores cerebrum levari, & à confluentibus, aut restagnantibus humoribus, sive sensibiliter, sive insensibiliter exonerari, cùm suffitus aromatum, odorosa medicamenta, tabaci fumus, itemque gummi animæ, succini, aliarumque rerum similium olfactus, plurimùm in capitis affectibus soporosis conferant. Dixit autem signanter Hippocrates *capitis solvit gravitatem*: nam si fortasse alia ægritudinis specie caput, & cerebrum afficeretur, aliter planè res hæc tractanda foret: at verò gravitas in cerebro plerumque à sero, lympha, atque consimilibus humoribus humefacientibus, & gravantibus dependet.

Pręterea calidum conferre dicitur ossium fracturis; & quidem duplici de causa, & quòd ossa affecta frigidum habeant inimicum, ex anteà probatis, & quod fracta nonnisi calidorum ope glutinari, & couniri possint, cùm alioqui frigidum ulceribus omnibus infensissimum sit. Idipsum expresse etiam edocuit idem Hip-

Hippocrates *lib. de fracturis*, *& libro de articulis*. Addit infuper, *sed nudis præcipuè, eorumque maximè, qui in capite ulcera habent*; quod etiam teftatur *lib. de liquidorum ufu*. Nudata enim offa fi frigido ambienti exponantur, facillimè livefcunt, & fi fortafsè fracturam quoque paffa fint, gangrænam incurrunt. Quamobrem periti Chirurgi omnem induftriam folent adhibere, ut ejufcemodi vulnera, ulcera, & fracturæ offium, potiffimùm cranii, à frigore ambientis, & à quibufvis aliis frigidis alterantibus præcaveantur, per fafcias, ligaturas, aliaque fimilia integumenta: id quod etiam Recentiores agunt fotu aquæ ardentis, balfami Neapolitani, aquæ vitæ Reginæ Hungariæ, aliorumque medicamentorum roborantium, & calefacientium. Optimè ergo Cardanus hoc loco habet: *Trifariam calor in his neceffarius eft, & quatenus in ulcere omni calida conveniunt, & quatenùs omni offi denudato, & quatenùs cerebro, ne lædatur, confulendum eft.*

Nedum autem offibus fractis, & denudatis, potiffimùm in capite, confert calidum, fed etiam cunctis aliis partibus, quæ à frigore hebetantur, emoriuntur, aut ulcerantur. Et quidem iftæ præfertim cenfendæ funt partes nerviceæ, & membranofæ, de quibus anteà dictum eft ab Hippocrate, quòd frigidis admodùm lædantur. Artus quoque corporis à frigidis alterantibus offenduntur, ut quemadmodùm fuperiùs eft notatum, aliquandò fponte fua decidere contigerit, uti Galenus etiam meminit *lib. de differ. morbor. cap.* 4. fed quomodò ex frigore ulcerari poffint partes, ut in textu dicitur, rectè exponit Fuchfius in pernionibus, qui hyemali tempore accidunt, & fæpiffimè ulcerantur magno cum dolore, ac difficulter poftmodùm curantur, atque nonnifi in æftate.

Idem etiam Hippocrates *lib. 6. epidem.* edocet à frigore vehementi non raró venas dirumpi, indeque ulcera tum externa, tum interna excitari. A nimio quoque frigore paffim experimur fcindi, & ulcerari partes extimas corporis, quæ magis expofitæ funt aeri, illiufque vehementi alterationi, quam maximè fubiiciuntur; unde manuum, & labiorum fciffuræ. Porrò in his, aliifque fimilibus, ficuti frigidum in caufa eft, ut findantur, & ulcerentur, ita ex adverfo calidum conferens, & falutare evadit, præfertim fi intra mediocritatis limites adhibeatur: nam revera ab uno extremo ad aliud tranfire, atque adeò applicare vehementer, & repentè calefacientia, etiam periculofum, ut in expofitione aliorum aphorifmorum dictum eft.

Nocet quoque frigidum his maximè, quibus in capite ulcera nafcũtur, eadem profectò ratione, qua mox oftenfum eft frigidum ulceribus quibufcumq; & capiti univerfaliter officere: cùmque Hippocrates dicat indefinitè de ulceribus in capite enatis, non eft, ut id ad hæc, vel illa ulcera coarctemus, quippè cuicumq; ulceri nocuum illud exiftimandum eft; facilè enim etiam levia ulcera inde graviter afficerentur, & mortificationem, aut gangrænam fubirent, nó fine gravi vitæ periculo. Quamobrem jure optimo conferre his calidum hoc loco memoratur, tum ratione ipfius ulceris, tum etiam ratione partis ulceratæ, atque eo magis, fi ad mortificationem vergat, ut oftendunt verba illa, *& iis, quæ à frigore moriuntur, aut ulcerantur*.

Herpetibus quoque calidum prodeſt: cùmque Herpes, vel ſimplex ſit, & miliaris dictus, vel excedens, & ulceroſus; notatur hìc ſpeciatim, qui exedens eſt, quoniam ad claſſes ulcerum revocatur, de quibus Aphoriſmus hìc ſpecialiter eſt inſcriptus; Quod ſanè videtur hoc loco notandum, ſiquidem herpes vulgò creditur progigni ab humoribus bilioſis, & calidis, qui creduntur, ſed falsò, indicare refrigerantia, non calefacientia, ut hìc Hippocrates recenſet.

Denique inquit Hippocrates conferre calidum *ſedi*, *pudendis*, *utero*, *& veſicæ*; & ſana quidem ratione, quoniam hæ partes ſunt de genere exanguium vulgò ſpermaticarum: quemadmodùm enim ſuperiùs dictum eſt, frigidum eſſe inimicum oſſibus, dentibus, nervis, cerebro, ſpinæ, ita planè nocuum putandum quoque eſt memoratis in hoc aphoriſmo partibus, quales ſunt pudendæ, uterus, & veſica, ut conſtat ex Anatome.

Concludit eapropter aphoriſmum Hippocrates: *his calidum amicum eſt*, *& judicans*; *frigidum inimicum*, *& perimens*: ut ſcilicet peroratione aphoriſticam ſententiam decernat; quòd ſicuti prædictis partibus calidum convenire ſtatuitur, ſic ex adverſo frigidum ſit exiſtimandum undequaq; nocuum, & funeſtum, ut propterea nulla de cauſa poſſit in uſum duci frigorificorum medicamentorum adminiſtratio, quotieſcumque partes iſti iuſmodi laborant, & ulceri, vel prǽſenti, vel imminenti ſubjectæ ſunt.

APHORISMUS XXIII.

In his frigido eſt utendum, unde fluit ſanguis, aut fluxurus eſt, non ad ipſa admoto, ſed circa ea, unde influit, & ubicumque inflammationes, aut veluti incendia quædam ad rubrum, & floridum, ſanguine recenti, tendunt, iis ipſis admoto: nam veteribus nigredinem affert. Eryſipelas etiam non ulceratum iuvat: nam exulceratum lædit.

al. inflammina, vel flammei ardores.

QUoniam anteà meminerat, calidorum adhibitionem non conferre in his, quæ ſanguinem fundunt, ac propterea tacitè frigidum commendaverat; hoc proindè aphoriſmo nedum id expreſsè memorat, ſed etiam addit modum, & locum, ubi frigida admovere expediat. Primùm autem monet utendum eſſe frigido, unde fluit ſanguis, aut etiam unde fluxurus eſt, ad reprimendum ſcilicet illius fluorem; ejus namque beneficio ſanguis figitur, & detinetur, ac ductus ipſi coactantur. Mox verò adiicit, illud nequaquam adhibendum eſſe ſupra ipſas partes ſanguinem fundentes, ſed juxta, & circa ipſas; ſiquidem frigidum ulceribus nocuum eſt, & immediatè parti ſanguinem fundenti admotum, ſanguinem ipſum cogeret, & cogendo grumefaceret, graviori cum periculo, tum ipſius partis, tum totius. Jure ergo adnotat circa ipſas partes frigidum eſſe admovendum, ut nimirùm ſanguinem per ſua vaſa excurrentem, quodammodò remoretur, craſſiori nimirùm illo reddito. Verum tamen ſummoperè expediet, nedum frigefacientibus dumtaxat uti, verùm etiam pro rata ſua adſtrin-

gen-

gentibus, quemadmodùm anteà notatum est. Sed & nedum in ipsa parte proximè sanguinem fundente medicamenta frigorifica applicanda sunt, sed etiam proderunt in aliis partibus, unde fortasse majores arteriarum, & venarum trunci derivant, quod etiam significare voluit Hippocrates per particulam illam *unde*; ut propterea consueverint peritiores Chirurgi etiam frigefacientia, & adstringentia medicamenta adhibere supra jecoris, & lienis regionem, quoties sanguis per venas sedis, aut etiam per vias urinæ exitum habeat. Sic pariter exeunte sanguine per narium hæmorrhagiam, nedum naribus ipsis, verùm etiam fronti, cervici, & jugulo medicamenta cum fructu admoventur. Idipsum quoque operari licebit in partibus, per quas sanguis fluxurus est: etenim quæ fluentem sanguinem cohibent, fluxurum multo faciliùs antevertunt.

De inflammationibus quoque, potissimùm futuris, par ratio militat, ut partes ipsæ inflammationem subeuntes frigidis foveri debeant, ne inflammationem ipsam contrahant: cùm enim frigida poros, & meatus corporis coarctent, prohibent proindè, ne sanguis in illis excipiatur, & hæreat, undè vulgò frigida dicuntur habere vim repellendi. At verò, ut tuto ista administrentur, nonnisi statim ab incipiente inflammatione partibus sunt adhibenda, antequam inflammatio fiat, & sanguis restagnet. Cæterùm post factam inflammationem, locum habere non poterunt, quoniam tunc sanguinem magis, magisque ibidem figentia, vel irresolubilem redderent, vel gangrænam excitarent. Quod de inflammationibus dixit, protrahit quoque ad flammeos ardores, sive phlogosim, & effervescentiam in partibus inductam, ubi nimirùm dolor excitatur cum ardore, qui solet esse prænuncius inflammationis. Est tamen summoperè advertendum non cuicumque parti, quæ inflammationi, aut phlogosi obnoxia videtur, infrigidantia ista tutò admoveri posse; etenim si partes ignobiles sint, & exindè timeatur repulsum humorem in partes nobiliores vergere posse, proculdubio frigorum administratio periculosa erit. Hinc laborantibus articulis, atque corporis emunctoriis, nemo audet usu frigidorum, humores fluentes, aut fluxuros repellere; solùm autem in affectibus capitis, aliarumque partium principalium infrigidantia epithemata tutiùs admoventur; quamobrem in phrenitide, oculorum inflammatione, aliisque affectibus calorificis, & inflammatoriis partium superiorum, oxyrhodina, stillicidia, lotiones, & balneationes infrigidantes, in praxi adhiberi solent. Addit in textu Hippocrates *ad rubrum, & subcruentum, seu floridum tendentia*, ut scilicet exindè moneamur in tenuiori sanguine, vel etiam acriori, ista locum habere posse, & cùm de recenti fluxio facta est, secùs verò cum sanguis aliis humoribus est commixtus, & ex diuturniori tempore partibus hæsit; nam ut idem Hippocrates subdit, *veteribus*, seu potiùs inveteratis, *nigredinem, & livorem affert*, & subindè facilè gangrænam.

Postremò etiam in Erysipelate non ulcerato frigidum convenire inquit, eadem prorsus ratione, ut nimirùm fluentem illum humorem repellat, & per suos ductus in alias partes distrahat. Quod tamen intelligendum, si erysipelas leve sit, & ex tenui humore oriatur, qui facilè corrigi, &

inverti possit ab usu frigefacientium medicamentorum. Cæterùm in aliis periculosa erit ejusmodi infrigidantium administratio, cùm crassus, & multus humor, nec tam facilè corrigi, aut transferri possit, quin ex adverso facilè in partes internas repat, & longè majorem noxam afferat, nam *erysipelas ab extra intro verti malum*. Quod denique dixit de erysipelate non ulcerato, excipit omninò in ulcerato erysipelate, tum quia frigidum ulceribus omnibus mordax est, & inimicum, tum etiam quia ulceratum erysipelas plerumq; illegitimum, & spurium esse solet, adeòque non à simplici humore tenui, & volatili, sed à commisto, crasso, & acido progignitur, qui frigefacientium usu magis densatur, & acescit. De qua re legendus est Galenus *lib.2.ad Glauc.cap.* 1. *&* 14. *method.cap.*2.*&* 3. At experimentis nunc tandem constitit, spiritu vini erysipelata quæcumque aboleri, sicut etiam beneficio medicamentorum acidum absorbentium, temperantium, aut difflantium, ad quorum classem infrigidantia hìc ab Hippocrate memorata referri possunt.

APHORISMUS XXIV.

Frigida, qualis nix, & glacies, pectori inimica: Tusses movent, sanguinis profluvium, & destillationes.

DE his, quæ frigida dicuntur præsertim actu, loquitur hìc Hippocrates, & nedùm si aquea, & liquida illa sint, sed & cujuscumque generis, etiam solida, dummodò frigorificam vim referant, & refrigerare valeant: cùmque is utatur exemplo nivis, & glaciei, certè intelligenda quoque illa sunt, quæ extremè frigida dicuntur, quippè nix, & glacies summè infrigidantia observantur. Et quoniam anteà dixerat, frigida convenire partibus sanguinem fundentibus, aut quæ proximè dispositę forent illum fundere, si nimirùm circà illas essent admota, propterea nunc excipit eas, quæ ad pectus pertinent, siquidem summè frigida pectori inimica sunt, ubi tantum abest, ut sanguinem fluentem, aut fluxurum cohibeant, ut potiùs affluentiùs promoveant, & extimulent, ac prætereà tusses excitent, & destillationes, ex quibus major fit sanguinis commotio. Et quidem sunt frigida hęc pectori inimica, non solùm quia pectus osseum est, & frigidum ossibus hostile observatur, sed etiam ex eo, quòd comprimendo thoracem, & musculos respirationi addictos coarctando, eidem magno impedimento sit; quinimmò si fortasse exinde sanguis fundatur, per frigidorum administrationem, facilè posset congelascere, atque in pectoris cavo detentus gravem noxam pulmoni, & cordi, immò manifestum vitæ periculum minari.

Frigida tusses quoque movent, tum asperam arteriam vellicando, tum etiam coarctando illius cavitatem, unde natura sollicitaretur ad expulsionem per tussim, quæ specialis motus pectoris, & pulmonis est, conantis expellere ea, quæ prædictas cavitates occupant, & impediunt. Hac eadem ratione promota tussis sanguinis sputum excitat, & ipsum fortasse fluentem impetu suo magis propellit; præterquamquod frigidum, ut anteà ex eodem Hippocrate est notatum, venas dirumpit, & sanguinis exitum inducit.

Denique destillationes excitant, potis-

potissimùm constringendo, & corrugando glandulas capitis, & cervicis, immò cerebrum ipsum, quod magna glandula ab Hippocrate appellatur, potenter addensat, quemadmodùm etiam edocuit Galenus 3. *aphor. comm.* 12. Sic experimur in algenti hyeme catarrhos, & destillationes excitari, easque perniciosas admodùm, cum acritate, & salsilagine, ex prohibita è poris corporis transpiratione. Meritò ergo Hippocrates in aphorismo usum frigidorum in his, & consimilibus casibus tacitè vituperare videtur, etiam si aliundè illa, ratione fluentis sanguinis viderentur indicata. Porrò si frigida extrinsecùs admota nocua sunt pectori, multò magis eadem infensa putanda sunt, cùm intrinsecùs fuerint adhibita, quippè si dumtaxat laryngem pertingant, solent sæpissimè tusses molestissimas parere, & alia plura incommoda ceteris adhuc partibus inferre; unde aquæ gelidæ, glaciales, & nivosæ perniciosissimæ esse consueverunt, & qui populi illis utuntur, internis doloribus sæpesæpiùs primùm affecti, sputum mox sanguinis, hæmorrhoidum fluxum, obstructiones, & in glandulis coli potissimùm tumores irresolubiles, ac strumosos subeunt.

APHORISMUS XXV.

Tumores articulorum, atque dolores absque ulcere podagras, ac convulsiones, horum plurima frigida aqua largè effusa levat, & extenuat, solvitque dolorem, nam modicus torpor dolorem solvit.

COmmendat pariter in hoc aphorismo Hippocrates usum frigidorum, & præsertim aquæ in doloribus, & tumoribus articulorum, etiamsi podagricam referant conditionem, modò sine ulcere illi sint, verùm neque indiscriminatim, & in omnibus, sed aliquibus tantùm, quemadmodùm designant verba illa, *horum quidem plurima.*

Et quidem tumores articulorum, neque omnes, & quicumque articulis accidere solent, sed solùm, qui à calidis, tenuibus, & acribus humoribus fiunt; si enim fortassè ab humoribus crudis, phlegmaticis, aut lymphicis penderent, proculdubio frigidæ aquæ superaffusio utilis non foret; sed neque in abscessibus, cùm scilicet in articulos humores decumbunt. Non quidem in tumoribus à causa frigida, & crassa, quandoquidem per frigidorum appositionem, nec ad exsolutionem, nec ad suppurationem illa disponeretur, quinimmò crassior, & densior effecta, irresolubilis evaderet, vel noxam in articulis, & in ossibus inferret inemendabilem, quemadmodùm contingere solet in ea specie tumorum, quæ vulgò *spina ventosa* appellatur. Neque in abscessibus, quoniam humores in articulis depositi, frigidorum admonitione, possent in partes nobiliores recurrere, quemadmodùm ab usu repellentium medicamentorum evenire solet. Itaque in illis dumtaxat tumoribus exponendus videtur aphorismus, in quibus tenues, acies, & calidi humores peccant: sed & adjecit in textu Hippocrates *dolores*, quare junctim articulorum tumores, & dolores hìc intelligendos interpretabimur; undè frigidorum administratio, videtur potiùs in gratiam doloris sedandi hoc loco commendata: nemo enim in Arte medica, vel mediocriter versatus rationabiliter frigida in tumoribus articulorum adhibebit, nisi illi fue-

rint cùm dolore conjuncti, ad sedandam nimirùm molestam illam in articulis sensionem, quoniam dolor est de genere illorum symptomatum, quæ invertunt curationem, & speciaiùs sui remotionem expostulant. Ut autem id expressiùs adnotaret Hippocrates addidit in textu *podagricos*; quandoquidem in podagra articuli simul tumore, & dolore laborant: cùm autem dolor cum tumore jungitur, acritas in humoribus designatur, ad quam retundendam, plurimùm conferre solet usus infrigidantium.

Sed num frigida, quæ hìc memorantur, *actu*, vel *potentia*, juxta veterum medicorum loquendi morem, talia esse debeant, controverti potest. Verùm quia Hippocrates in textu meminit speciatim aquæ frigidæ, idcircò probabiliùs dicendum videtur frigida, actu talia, esse intelligenda. At verò licèt ista manifestiùs notata videantur, non tamen quis inficiabitur posse etiam potestate talia administrari. Sic passim experimur in doloribus articulorum, etiam podagricis convenienter applicari, & prodesse ad sedandum dolorem, olea infrigidantia, succos plantarum, decoctiones herbarum, itemque cataplasmata, & linimenta ex his composita. Sunt, qui in doloribus podagricis acerbioribus admovent dolenti parti aquam nymphææ, aut succum ejusdem, sperma ranarum, oleũ lumbricorum, acetum tum simplex, tum rosaceum, & alia hujus generis. Verùm quo pacto ista opus, & actionem exerant, altioris est inquisitionis, de quo aliàs.

Debent autem dolores isti esse sine ulcere, nam si ex ulcere dependeat, vel cum ulcere sint conjuncti, frigida admota proculdubio nocebunt, nam frigidum ulceribus est inimicum, atque in his admotum non solùm dolores nullatenus sedaret, sed contra potiùs augeret, & exasperaret. Neque si dolores gravantes sint, ista locum habebunt, sed solùm si acuti, pungentes, & vellicantes fuerint, quamobrem adjecit *horum plurima*, quibus manifestè designat, se tantùm intelligere velle tumores inflammatorios, erysipelatosos, vigiliam inferentes, adeoque omninò molestos; etenim si leves forent, & tolerabiles, ista tentare tutum non foret. Notissima est historia Maximiliani Imperatoris, qui ut se à doloribus podagricis liberaret, in fluvium gelu frigefactum pedes immergi mandavit, atque ita vita defunctus est.

Eodem modo intelligendæ sunt convulsiones in aphorismo memoratæ, cohærenter his, quæ anteà de tetano dicta sunt. Modò frigidę aquæ effusio, & humores acres spasmum, seu convulsionem inferentes retundit, & membra affecta, per calorem ab intima revocatum, roborat, ut superiùs de tetano laborantibus est dictum.

At verò in his omnibus multa, ac diuturna tantùm frigidæ aquæ affusio juvare poterit; siquidem in textu dicitur *frigida aqua largè effusa levat*: hac enim ratione fieri potest, ut dolor sedetur, & causa illum faciens aliqua ex parte discutiatur: id quod multò clariùs expressit Hippocrates rationem levaminis istiusmodi in tumoribus, & doloribus articulorum afferens, dum in calce aphorismi inquit: *nam modicus torpor dolorem solvit*; quandoquidem ex larga frigidæ aquæ affusione, quodammodò partis laborantis sensus ex ingenti frigore obtunditur, unde torpor fit, & dolor sedatur. Verùm advertere est, neutiquam torporem præ-

præsertim extremum induci debere, sed levem, aliter fieret transitus ex uno in aliud extremum, & quidem graviùs, maxima cum ægrotantis noxa, quoniam stupefacta omninò parte, gangræna facillimè succederet, & mortificatio cum livore. Quare ad sedandum dolorem satis erit, si frigidæ aquæ affusione levis torpor inferatur, quantus scilicet satis sit sensum partis aliquatenùs hebetare, & causam dolorem inferentem, acrem scilicet humorem, obtundere. Dicitur denique, modicum torporem dolorem solvere, non quòd revera dolorem, & causam doloris adimat, sed quòd remittat solùm, & sedet. Quamquam negari non possit, solutum penitùs aliquandò fuisse appositione frigidorum, licèt tumor, qui fortè cum dolore inerat, remansisset, quoniam potuit frigida aqua adeò tonum partis immutare, & acres humores invertere, ut vim eorumdem punctoriam, & dolorificam remiserit, relicta inerti illorum corpulentia.

APHORISMUS XXVI.

Aqua, quæ citò calet, & citò refrigeratur, levissima est.

HAnc eandem sententiam, iisdem omninò dictionibus, profert Hippocrates 2. *epidem. sect.* 2. quam & repetiisse, ni mavis dicere, desumpsisse videtur ex *lib. de Aere Aquis, & locis*, bonarum aquarum recensens qualitates, & quidem istas non aliunde certiores deducendas commonefacit, quàm ex cita, promptaque earumdem calefactione, refrigerationeque. Etenim bonitatis indicia à leviori pondere desumpta, nedum dubia plerisque sunt, sed vana penitùs illa existimat Plinius *lib.31.cap.3.* inquiens: *Quidam statera judicant de aquarum salubritate, frustrante diligentia, quandò perrarum est, ut levior sit aliqua.* Atque mox inhærens huic Hippocratis sententiæ subdit: *Certior subtilitas inter pares, meliorem esse, quæ calefiat, refrigereturque celeriùs.* Idipsum fassus est Celsus *lib.* 2. *c.*18. aphorismum hunc ita vertens: *Eo melior quæque aqua est, quo celeriùs & calefit, & frigescit.* Quod & pluries etiam sentit Galenus, præsertim verò *lib. de ptisana cap.* 1. & *lib.*1. *de simplicium medicam. fac. cap.* 17. & *in comment. istius aphorismi.* Sed & Erasistratus apud Athenæum tali fretos experimento falli ait, qui nimirùm de aquarum bonitate, ac levitate judicium rectum statera ferre putant; siquidem seipsum expertum subdit in Amphiarati, atque Eretriæ aquis, quarum altera pessima, altera optima est, nullum in pondere discrimen deprehendi. l. 2. c. 2.

Verùm etsi judicium à gravitate, & levitate aquarum desumptum beneficio stateræ fallax sit, & nullius ferè momenti, non tamen exindè quis deducet illud omninò vanum esse, ut in isto saltem Hippocratis haud aliquatenus includatur, quin potius clarè pateat ex hoc illud fuisse deductum. Quæ enim aqua citò calescit, citòque refrigeratur, nullius impedimenti est, ut utrumque promptè admodùm subire queat, quoniam alienæ misturæ expers omninò est, neq; intermistum quidpiam habet, quod calefactioni, refrigerationique obicem ponat, quemadmodùm sunt aquæ thermales, nitratæ, vitriolatæ, sulphureæ, aluminosæ, cœnosæ, aliæque: quæ enim citò calorem contrahunt, & tardè refrigescunt, aut è converso, à diversa fossi-

fossilium, & salium mistura id habent. Hinc ab eodem Hippocrate *lib. de aere, aq. & loc.* illa aqua, ut purissima laudatur, quæ cujusvis odoris, saporis, aut coloris expers est, adeòque proximè accedit ad naturam aeris: Cui inhærens Plinius *c. lib. 31. cap. 3.* dixit: Aquam salubrem aeri, quàm simillimam esse oportere. Quamobrem sana ratione Celsus, omnes bonæ aquæ dotes comprehendens, *lib. 2. cap. 18.* scriptum reliquit: *levis aqua pondere apparet, & ex his, quæ pondere pares sunt, eò melior quæque est, quò celeriùs & calefit, & frigescit, quoque celeriùs ex ea legumina percoquuntur.* Siquidem hujusmodi aquæ extraneorum corporum mistura carentes, levissimæ sunt, & non solùm levitate à cita, facilique digestione, ac permeabilitate desumpta, ut exponit *in hoc comm.* Galenus; verum etiam à levitate ponderi contraposita, quia nullum extraneum corpus in se continentes, proximè accedunt ad naturam, & conditionem aeris, cum quo illæ symboleitatem retinent, adeòque proximè parem levitatem participant: Aer etenim & levissimus est, & faciliter calore, aut frigore fit alterabilis. Maluit autem Hippocrates bonitatem, simplicitatemque aquarum sumere à facili, citaque calefactione, ac refrigeratione, veluti testimonio è physicis eruto certiori, peneque infallibili, omisso alio ex pondere in statera desumpto, veluti vulgari, cunctis obvio, multumque fallaci, si potissimùm sejunctim consideretur; quo nimirùm rei medicæ professores citrà Mechanicæ leges possent perfacillimè de aquarum bonitate dijudicare.

Hinc ubi Aquę bonæ, ibi Aer purus.

Debent tamen aquæ internoscendæ, tum gelidæ, tum calenti aquę, aliive liquori, igni, aut Soli æquabiliter exponi, ut nimirùm æquali agenti tum calefacienti, tum refrigeranti subiiciantur; aliter si una efficaciori, altera debiliori, tam in calefaciendo, quàm in refrigerando exponatur; rectum judicium exinde ferri non poterit de cita, aut tarda utriusque incalescentia, aut frigefactione, cùm ex inæquali agentium vi nonnisi inæqualis actio exoriatur. Ut ergo aquarum species inter se invicem distinguantur; & quænam ex illis purior, simplicior, leviorque sit, rectè dijudicemus, simul unà in eandem aquam calentem, aut gelidam, paribus phialis vitreis conclusæ immergantur, atque eodem temporis intervallo, æqualique positu detineantur; mox deindè beneficio duplicis, & consimilis Thermometræ examinentur in gradibus contracti caloris, aut frigoris, pluribus, vel paucioribus. Verumtamen adhuc in his aliquando falli possumus, cum præsertim aquæ non corpulenta materia, sed halitibus solùm, seu volatilibus partibus sunt refertæ, ut in plerisque acidulis, nitratis, vitriolatis, & sulphureis nostratibus observamus, quæ etsi levissimæ, ac promptè admodùm permeabiles per vias urinæ, mistum tamen quid habent volatile, ac halituosum, sive ex sulphure, sive ex vitriolo, halinitro, cæterisque similibus, ut propterea etiam saporibus diversis nonnullæ distinguantur; pari sanè ratione, qua fit, ut aquæ fontium, cæteroqui purissimæ, paucis guttulis spiritus vitrioli, sulphuris, salis ammoniaci, aliusve medicatæ, vi, atque effectu variant, cùm aliunde nil quidpiam ponderis extranei acquirant, aut amit-

amittant, nec excalefactioni, aut frigefactioni, pro rata sua, citiùs, vel tardiùs subiiciantur.

Sed & sine ullo cujusvis instrumenti mechanici apparatu, solent nonnulli per solam ovi gallinacei, aut columbini, in simplicem aquam immersionem, brevissimè dijudicare, quæ aqua gravior, vel levior sit; siquidem quò aqua purior fuerit eò Ovum profundiùs immergitur, & quò ponderosior, eò quoque altiùs assurgit: idque pro salium permistorum diversitate, & copia. At judicium inde sumendum Delio eget natatore.

Cæterùm facilè nunc est, aquarum bonitatem, atque malitiam artis Chymiæ beneficio detegere tum simplici evaporatione, tum per alembicum destillatione, tum etiam per varios stillatitios liquores commistione; undè quidquid in aquis heterogeneum delitescit, promptè revelatur, & patefit.

Quoniam verò Aquæ omnis odoris, saporis, & coloris expertes esse debent, ut quocumque extraneo corpore sint exutæ, hinc fit, ut aquæ ex montibus stillantes, ac veluti per filtrum trajectæ, cæteris meliores sint, ac levissimæ observentur; itemque aquæ per æstatem cum tonitru decidentes, utpotè è tenujoribus vaporibus altiùs in aera delatis, atque omni inquinamento terreo depuratæ, ut idem Hippocrates edocet *cit. lib. de aere, aquis, & locis*, si præsertim in bonis deindè locis, politisque cisternis diutiùs asserventur, ut omnem fæculentiam penitùs deponant. Quam Hippocratis sententiam sequutus Vitruvius *lib.* 8. *cap.* 2. pluvialem aquam cæteris anteponit, inquiens: *Itaque quæ ex imbribus colligitur aqua salubriores habet virtutes, quæque elicitur ex omnibus fontibus levissimis, subtilibusque tenuitatibus, deinde per aeris exercitationem percolata tempestatibus, liquescendo pervenit ad terram.* Verùm non omnem aquam pluviam æquè commendabilem censet Hippocrates, sed temporaneam solùm, quæ scilicet media æstate decidit, vigente canicula, ut seipsum explicat *6. epidem. sect.* 4. ibi enim aliam facit Temporaneam, aliam Nimbosam, & Procellosam: Temporanea calore Solis magis elaborata, & veluti per alembicum distillata tenujor, leviorque est, omnique impuritate exuta, si præsertim cum tonitru decidat. Procellosa verò, ac Nimbosa ex vaporum, & exhalationum inter se mistorum abundantia generatur, unde calori attenuanti, ac disgreganti neutiquam subest: quamvis in contrarium vernas, & hybernas potiùs commendet Rufus Ephesius apud Oribasium 5. *collect. cap.* 3. sed minùs rationabiliter. Quas omnes Aquarum dotes, & bonitatis differentias complexus Celsus ita distribuit *libr.* 2. *cap.* 18. *Aqua levissima pluvialis est, deinde fontana, tum ex flumine, tum ex puteo, post hæc ex nive, & glacie, gravior ex lacu, gravissima ex palude.* Verùm qui de his plura desiderat, legat Hippocratem, ejusque Commentatores super *cit. lib. de aere, aquis, & locis*: id quod & nos alias explicuimus in nostris prælectionibus *super tertium Artis Medicæ Galeni*, de usu sex rerum nonnaturalium agentes.

APHO-

APHORISMUS XXVII.

Qui noctu bibere appetunt, iis admodùm sitientibus, si superdormierint bonum.

EDocet in hoc aphorismo Hippocrates num ex siti nocturna bibendum sit. Bonum autem ait, si sitis illa superdormiendo sustineatur.

Quamvis autem hæc sententia, tum ad prognosim, tum ad therapejam pertinens, clarissima videatur; in ea tamen dubitare primò contingit, de qua siti intelligenda veniat, de naturali nimirùm, an de morbosa. Et quidem si de naturali interpretemur, quæ scilicet in statu sano accidere solet, ex cibis solùm plus justo ingestis, vel calorifica vi præditis, quales sunt multo sale, aut aromatibus conditi, aliique, nemo planè inficiabitur nullatenùs bibendum, sed superdormitione solùm sitim illam esse sedandam, cùm ea nonnisi largiori potu desinat, præsertim quia solius aquæ beneficio, salia illa, aut aromata dilui, ac infringi desiderant. Ita quoque si sitis fiat ab inopia lymphici, vel serosi humoris, ex immodicis fortassè evacuationibus absumpti, cùm notissimum cuique sit, ea ratione sitim animantibus datam, ut ipsa, veluti calcari, ad assumendum potum stimulentur, ut & fame, ad cibos capessendos, ne penitus deficiant. Itaque de morbosa potiùs videtur explicandus aphorismus; quamobrem appositè adjecit Hippocrates *noctu*, *& iis admodùm sitientibus*: Quæ sanè ægrotantibus, & morbosè sitientibus contingunt.

At verò quoniam Veteribus in usu erat lautiùs cœnare, quàm apud nos nunc fit, facilè quoque est, ut de his quoque sententiam hanc Hippocrates protulerit; cùm sæpesæpiùs accidat à larga, copiosiorique cęna sitim fieri molestissimam, & præsertim si vino meraciori, atque uberiùs assumpto, fuerit sociata, unde falsa sitis accidit, & potiùs à concrescente, viscosoque humore ab assumptis cibis progenito: quo casu sitim sustinere, ac superdormire bonum est, ut nimirùm crassities illa per somnum extenuetur, ac dissolvatur, quippè sitis licèt passio ventriculi sit, atque in stomacho fiat, ut fames, (licet Platoni placuerit illam potiùs ad pulmones referre) percipitur tamen in faucibus, & in lingua, vel cum saliva convenienti deficiunt, vel cum à lympha fluida, dilutaq; nullatenùs irrigantur, sed potiùs à viscosa instar glutinis devinciuntur, itaut poruli, glandulæque salivales roridum illum humorem effundere nequeant, quemadmodùm à pastu largiori, & ab assumptis stypticis cibariis frequentissimè accidit: Tunc enim silere, & superdormire, ad sitim sedandam, optimum remedium est. Dixit autem *bibere appetunt*, non sitiunt: Appetere enim, non est revera sitire, sed quandam aviditatem, & bibendi desiderium habere ex depravato sensu, præsertim in ore, & faucibus inducto, ad lymphæ salivariæ crassioris redditæ perhumectantia dissolutionem: quo etiam fit, ut falsam hanc sitim sæpenumero gargarismis ex aqua ardente, vel vino, sedare soleamus, aut detenta in ore, vel mansa re quapiam salivam, & sputionem promovente.

Quia præterea addidit, *admodùm sitientibus*, de siti planè immoderata, & excedenti videtur locutus, quæ etsi sanis à pastu contingens naturalis

turalis appellari possit, non tamen quis perperam assereret, si quodammodò præternaturalem illam nuncuparet, veluti inductam à causa vix à morbosa recedente, cùm lympham salivariam sua fluxilitate orbatam pariat, & molestiam non levem stomacho, ac toti corpori inferat, eo quòd istiusmodi sitientes irrequieti, & queruli fiant, immò loquela, motuque linguæ plurimùm hæsitantes, vix verbum proferre possint, quæ sanè ad symptomata morbosa proximè accedunt. At verò ex hoc non benè Galenus infert, potum his esse statim exhibendum, quasi verò Hippocrates moderatam sitim esse tolerandam, & immoderatam largo potu sedandam esse voluerit; nam ex supradictis contrarium clarissimè evincitur, si nimirùm sitis falsa sit, & non ex inopia, sed ex copia, & crassitie lymphæ suboriatur.

Subditur, *si superdormierint, bonum*: nam à superdormitione sitis proculdubio desinet, digestis nimirùm, dissolutisque cibis ventriculum gravantibus, unde postmodùm lympha salivaria dilutior fit. Quòd si causa sitim inferens omninò morbosa sit, ut in febrientibus, à superdormitione etiam mitescet, ac sedabitur; unde adhuc bonum signum erit, denotans illam non esse adeò contumacem, ac malignam, ut remitti, ac domari non possit; quamobrem si somnum admittit, ad meliorem statum, atq; ad coctionem reducibilis significatur. Somnus autem hìc neutiquam morbosus dici debet, sed naturalis, qui scilicet prodest, tum sedando sitim, tum coctionem causæ illam inferentis promovendo, quæ planè à superdormitione commodè sequitur. At verò non ex eo, quòd Hippocrates dixerit bonum, si superdormierint, poterit quis è converso inferre malum, si somnus nullatenùs insequatur, cùm aliundè sitis illa desinere possit, præsertim data mora, atque indicto silentio, admonente ad hoc idem Hippocrate, qui *6. epidem. sect. 3.* scripsit plurimùm conferre ad sitim diminuendam, vel extinguendam, *os claudere, & tacere*, unde salivæ dispendium non fiat. Atque hinc facile deducitur, cur hianti ore dormientibus os amaricet, & sitiat, crassescente nimirùm lympha in ductibus salivalibus, atque ab aere inspirato, exspiratoque non minimùm alterata, obstructis intereà oscillis lymphicis, corrugatisque glandulis palati, faucium, & linguæ, ubi remorata crassescit. Bonum autem exinde portenditur, tum quia causa inferens sitim jam supponitur dissoluta, unde non solùm illa sedetur, sed somnus pariter facile concilietur; tum etiam quia pleraque alia incommoda placidissimè evitantur. Porrò somnus hìc erit naturalis, non morbosus, utpote qui conferat, non lædat, digerendo scilicet, attenuandoq; crassiorem salivam, & quietem, ac robur toti corpori impartiendo: neque solùm bonum de tempore præsenti, sed etiam de futuro, cùm exinde corpus ipsum perquam benè, se in posterum sit habiturum.

APHORISMUS XXVIII.

Suffitus aromatum muliebria ducit: sæpiùs verò, & ad alia utilis esset, nisi capitis faceret gravitatem.

PEr plures aphorismos agit in posterùm Hippocrates de illis symptomatibus, quę fęminis tam nuptis, quàm innuptis accidunt, & tam tempore gestationis, quàm ante, & post,

& post, præsertim verò à partu. Nunc autem generali aphorismo docet, suffitum aromatum muliebria movere, ac deorsum ducere; itemque in aliis quoque ægritudinibus illum utilem esse, nisi tamen capitis gravitas, & dolor timeatur.

Inquit primò *suffitus aromatum*. Num autem naribus, an uterò is sit excipiendus, non memorat, nec explicat, & num aromata ista debeant esse benè, vel malè olentia. Sed ad primum dicendum, utero excipiendum illum esse: naribus quippè fœtida, odora verò utero semper adhibentur. Ad secundùm, quamvis Heurnius putet benè olentia, ut est cyperus, calamus aromaticus, cassia *idest lignea*, bezoinum, &c. & Galenus *in comm.* præcipuè intelligi scribat, casiam, costum, cinnamomum, & amomum; Ipse tamen Hippocrates *lib. de natura muliebri*, Aromata hæc esse inquit thymbram, ericen, hypericon, papaver album, malvæ radicem, urticæ semen, mercurialem, salviam, dictamnum, amomum, cardamomum, helenium, aristolochiam, carlinam, adiantum, peucedanum, apii, ac fœniculi semina, rutæ folia, ac semen, &c. itemque alibi recenset cyperum, juncum rotundum, & odoratum, calamum aromaticum, myrrham, sisymbrium, anisum, nigellam, quibus & Cardanus addit etiam moschum, & zibethum. Ipse nihilominùs crediderim distinguendum esse; & quidem, quæ suaptè natura odora sunt, & in ignem injecta odorem quoque emittunt, nullatenùs in usum ducenda esse; quæ verò odora sunt, sed per ignem halitus inodoros, vel saltem non vehementer olentes exhibent, qualia potissimùm sunt, plantæ, semina, folia, posse tutiùs adhiberi: expertum enim ejusmodi suffitus odorosos perperam fœminas exagitasse, præsertim à partu, quoniam uterus ex illis gravissimè affectus, adeò corrugatur, & constringitur, ut nil penitus deponat; quo propterea factum, ut ejusmodi suffitus exoleverint, quippè pleræque à partu ex his odoramentis periere; suffectus autem est in locum suffituum usus pessariorum ex rebus benè olentibus, puta oleo jasmini, florum aranciorum, suaveolenti butyro, zibetho, aliisque, cum frondibus mercurialis, rutæ, salviæ, & similium, quibus scilicet uterus allicitur, & quodammodò in suis vasculis aperitur, neutiquam verò nares halitibus odorosis feriuntur: sed & herba fœtida malè olet, at verò injecta prunis nullum exhibet fœtorem. Describitur ab Hartmanno in sua praxi suffitus ex scoriis reguli antimonii injectis in lixivio calenti; & quidem semper tutiùs in his existimarem prodesse vapores ex rebus humefacientibus, quàm halitus ex rebus exiccantibus: nam quæ humefaciunt, non solùm emolliunt, & laxant vias uteri, verùm etiam sanguinem grumosum diluunt, & concretos, hærentesque succos lymphicos extenuant, ac dissolvunt. Tria enim generaliter exquiruntur in ducendis muliebribus excrementis, ut quod concretum est, dissolvatur, viæ laxentur, & aperiantur, atque uterus in suis glandulis, & membranis mollescat, ac in orificio interno patulus maneat: quæ sanè à vaporosis, non autem ab halituosis faciliùs consequuntur.

Dubitare insuper contingit, quid nomine muliebrium hìc intelligatur. Et licèt propriè muliebria sint expurgationes illæ per uterum, quæ accidunt post partum, & lochia, ac puer-

puerperia appellantur; nihilominùs à Commentatoribus hoc loco, ſub nomine muliebrium comprehendi dicuntur, quæcumque evacuationes ex utero fieri ſolitæ, etiam extra partum, ut ſunt menſtruationes, & cum his aliæ evacuationes tum ex utero immediatè, tum etiam ex toto corpore provenientes, cùm non rarò accidat corpus univerſum ſuis impuritatibus exonerari, facta per uterum depoſitione, expulſioneque. Hinc Fuchſius pro muliebribus ſcribit *menſes* in ſua verſione. Secundinæ etiam retentæ, fœtus mortuus, molæ, & alia præter naturam in utero genita, muliebria quoque dici poſſunt, quippè ſunt de genere eorum, quæ omninò debent evacuari, & extra uterum expelli. Hæc autem licèt etiam medicamentis per os aſſumptis educi ſoleant, promptiùs tamen, atque ocyùs ab his, quæ utero ſuffiuntur, haberi poſſunt.

Nedum autem ad muliebria ducenda ejuſmodi ſuffitus prodeſſe ait Hippocrates, ſed etiam ad alia plura, quæ planè intelligenda ſunt in cęteris affectionibus ex utero dependentibus, ut ſunt ſuffocationes hyſtericæ, uteri inflationes, dolores, &c. ſed & ad facilitandam conceptionem non rarò uſu venire ſolent, itemque in fluxu muliebri, ulceribus uteri, dolore coxendico, doloribus lumborum, præſertim ex ligamentis uteri. Vult quoque Cardanus etiam in viris locum habere poſſe, puta in hæmorrhoidum affectionibus, ſomno gravi, catarrhis, nervorum ægritudinibus, aliiſque. Verùm quia in his ſæpenumerò affert ſuffitus capitis gravitatem, ſeu dolorem, idcircò adjecit Hippocrates, *niſi capitis faceret gravitatem*, quia licèt ſuffitus juvamento foret ejuſmodi ægritudinibus, tamen cauſa doloris, gravedinis capitis, & læſionis cerebri in uſum duci non debet: quippè magis prævalet nocumentum cerebro illatum, quàm quodcumque aliud ſymptoma, cui per ſuffitum ſit occurrendum, cùm & non liceat morbum morbo tollere. Verumtamen in affectibus capitis ſolemus ſæpeſæpiùs ſuffitus elicere ex gummi animæ, balſamo peruviano, roremarino, ſuccino, aliiſque, abſque ullo metu cephalalgię; quamquam plerique ſint, qui ejuſmodi odoramenta ſufferre nequeant, ut propterea neceſſe ſit pro corporum varietate, ac diverſa eorundem diſpoſitione, atque habitudine, modò in aliquibus uti, modò in aliis cavere, pro ratione.

APHORISMUS XXIX.

Gravidas purgare, turgente materia, à quarto menſe uſque ad ſeptimum, minùs verò has. Recentiores autem, & ſeniores fœtus cavere oportet.

QUamvis hic aphoriſmus ſcriptus quoque inveniatur initio libri quarti, non propterea fruſtrà hìc repetitur, ſiquidem ibi reponitur deſumpta indicatione à purgantium medicamentorum natura, hìc verò potiùs à tolerantia gravidarum, & à tempore geſtationis earundem. Dicitur autem purgari poſſe gravidas, turgente tamen materia, à quarto ſolùm menſe ad ſeptimum, at has minùs; in reliquis temporibus tum primis, tum ultimis à geſtatione, cavere omninò oportere.

Gravidas oportet purgare, at non ratione graviditatis, ſed morbi; nam niſi gravidæ aliquo morbo affi-

afficiantur, purgatio nulla instituenda est, cum purgans medicamentum, ut indicatum, necessariò exigat indicans, quod illud exquirat, juxta leges in methodo medendi traditas. Neque verò morbus debet esse quilibet, sed materialis, & ab humore dependens, adeòque cum cacochymia, quæ alio leviori præsidio sit inemendabilis, immò cum turgentia, ut præcipit in hoc aphorismo Hippocrates, cum inquit: *turgente materia*; turgens autem materia humoralis est, & cum impetu delata huc, & illuc, ne scilicet in aliquam partem principem decumbat, ut benè Galenus *in comm. aphor.*10. *lib.* 4. & præsertim in uterum, quò irruens abortum simul afferret, & mortem tum fętui, tum matri.

Sed quo genere medicamenti? Communiter in praxi existimant levioribus; sed Averroes vult cavendum rhabarbarum, & aloem, utpote quæ movent per urinam, & uterum, aperiuntque facilè oscula venarum, & arteriarum. Hinc in praxi seligunt mannam, & quæ ex manna componuntur medicamenta. Sed nec ista omninò tuta sunt, nisi exactè castigata, ne flatus, & tormina excitent. Num etiam vomitoria? Affirmativè dixi *in comm. prædicti aphorismi primi quarti libri*, quia pleræque gravidæ solo vomitu, & spontaneo, præcaventur ab abortu.

Non solùm autem vult Hippocrates purgandas solùm turgente materia, sed etiam tempus limitat peragendæ istiusmodi purgationis, nempe à quarto mense ad septimum; tunc enim fœtus tenaciùs hęrent utero, nec tam facile vi medicamenti purgantis dissecantur à placenta vasa illorum umbilicalia. Adiicit autem *has minùs*, idest eas, quæ septimum mensem attigerint, quoniam eo tempore solent fœtus motionem in utero subire, & quacumque de causa abortiri; quin & tunc grandiores redditi alimoniam exquirunt abundantiorem, quæ usu medicamenti vel imminuitur, vel depravatur; atqui ex hoc etiam clarè deducitur voluisse Hippocratem inclusas gravidas ad septimum perductas, aliter non dixisset, *has verò minus*.

Denique recens concepti, seu juniores fœtus, & seniores, idest adultiores, & maturi, vel clariùs in primis, & ultimis mensibus, cavere oportere concludit, quia tunc facillimè abortus succederet ex purgante medicamento. Fœtus enim à Galeno, quàm appositè comparantur fructibus in arbore pendentibus: sicut enim hi, cùm tenelli sunt, & molli pediculo ramulis hærescunt, facillimè quacumque de causa, etiam ventosa aeris commotione, decidunt, itemque cùm maturitati sunt jam proximi; ita fœtus pari de causa facillimè evelluntur, & defluunt.

APHORISMUS XXX.

Mulierem utero gerentem capi ab aliquo acuto morbo, lethale est.

An acutus morbus utero gerenti superveniens causa graviditatis accidat, & in utero solùm, an verò sejunctim à causis gestationis, & vitio totius, non meminit in hoc aphorismo Hippocrates: & quamvis utrumque si accidat, semper contingat utero gerentem periclitari; nihilominùs quia *aphor.*43. hujus dicitur: *si mulieri gravidæ in utero fiat erysipelas, lethale est*, ubi uteri affectionem specialiùs memorat; verifi-

verisimiliùs videtur dicendum, voluisse hoc loco quamcumque ægritudinem acutam commemorare, quæ utero gerenti accidat, sive illa vitio alicujus partis, & uteri, sive vitio totius fiat, ut propterea non ratione partis affectæ, sed causa acutiei ægritudinis, vitæ periculum contingat.

Et quidem, ut benè Galenus *in comm.* vel acutus morbus utero gerenti superveniens est cum febre conjunctus, vel absque febre; si cum febre jungatur, duplex periculum imminebit, alterum ab ipsa febre, quæ sua vi, atque acutie, facillimè fœtum perimit; alterum ex victu illi indicto, qui si parcus, ratione acuti morbi fętum destruet, cùm is tantam diætam ferre non possit; si verò largior, febrem continuam augebit, & gravidam conculcabit. Si autem acutus morbus absque febre sit, veluti morbus comitialis, & attonitus, convulsio, tetanus, aliusve, propter magnitudinem morbi, ejusque vehementiam, impossibile est utero gerentem inde incolumem evadere.

Sed nedum ex his, quæ scitè quidem proponit Galenus, perituræ videntur gravidæ, gravi, atque acuto morbo correptæ, sed etiam, quia multa medicamenta, quę cæteroqui acutis morbis adversarentur, admittere non possunt ratione graviditatis: sic diaphoretica, & somnifera, itemque diuretica, ac dejectoria, immò omnis generis evacuantia medicamenta, in gravidis periculosa sunt, unde vix, ac ne vix quidem à medicis illis præscribuntur. Sunt præterea illæ obnoxiæ abortui, qui omni, & levi de causa non raró accidit, potissimùm autem ex acuta, ac gravi ęgritudine, per quam sanguis indebitè fermentescit, coctiones interturbantur, excrementa detinentur, & cumulantur, quocirca fœtus nutricatio, & vita graviter afficitur. Insuper uteri gestatio comparatur ægritudini, qua multoties utero gerentes nausea laborant, dolent, vigilant, & in cunctis suis operationibus malè afficiuntur, unde postmodùm vires debilitantur: si igitur his malis acutus morbus adjungatur, vix fieri poterit, ut illæ evadant. Demùm acutus morbus gravidæ superaccidens magnam, vehementemque causam consequitur, ob quam illæ acutè ægrotant, & symptomata, quæ eundem comitantur, plerumque sunt vehementissima.

Quamvis autem simpliciter dixerit Hippocrates lethale esse utero gerentes acutis morbis corripi, poterit tamen spei aliquid vitæ subesse, si primis mensibus graviditatis illæ acutam ægritudinem incurrant, cùm cæteroqui graviùs longè sit ultimis mensibus ægrotare: primo enim, aut secundo, & tertio mense graviditatis, semper vires solent esse validiores, multum alimentum fœtus haud exigunt, & si fortassis abortus accidat, minùs periclitantur, quemadmodùm idem Hippocrates fatetur 1. *epidem.* in historia trimestris ægræ xiii. at verò in ultimis mensibus ista omnia graviora fiunt, ut patet. Quid verò in alterutrius periculo agere liceat, planè dixerim expedire, servare matrem, licèt fœtus sit ex accidenti periclitaturus. De qua re tamen alibi.

APHORISMUS XXXI.

Mulier utero gerens, sanguine misso ex vena, abortit, & præcipuè si fœtus sit grandior.

VErisimile admodùm est, de utero gerentibus morbo aliquo affectis sententiam hanc fuisse ab Hippocrate prolatam; nam rationabile haudquaquam videtur utero gerentes benè se habentes debere sanguinis detractione evacuari. Hinc planè dicendum, quòd cùm anteà scripserit acuto morbo correptas periclitari, si fortasse quis putaret sanguinem illis esse detrahendum, nunc monet, nulla ratione licere, ob periculum manifestissimum abortus. Sed & nullatenùs audiendi sunt, qui distinguunt, de sanguine misso ex venis superioribus, & ex venis inferioribus, ut proptereà putent abortum futurum ex venæ sectione facta in partibus inferis, non superis; nam præterquamquod Hippocrates indefinitè scribit, *sanguine misso ex vena*, unde quamcumque intelligit; neque tamen verum est, quòd ex venis supernis missus sanguis abortum non sit allaturus, cùm contrarium ex anatome deducatur, qua pluries constitit, sectis venis superioribus, uterum redditum fuisse patentiorem, & nedum fœtum, sed & catamenia deposuisse, cùm venæ superiores sectæ circulantis sanguinis motum magis excitent per arterias in uterum sanguinem ferentes: cæterùm venarum delectus in sanguine mittendo, vanus quoque existimatur, cùm universus brevi temporis spatio per omnes partes circumagatur; sive igitur sanguis mittatur ex supernis, sive ex infernis venis, semper idem periculum abortus imminebit; ni tamen adeò plethorica sit utero gerens, ut ex sanguinis missione convenienti, & moderata, nullum sit sensibile incommodum subitura, etenim pleræque sunt, quę ad plures uncias detractum sanguinem benè sufferunt.

Duo itaque mala timenda erunt ex ejusmodi sanguinis evacuatione, alterum quidem universalis commotionis, quæ specialiùs uterum perturbat; alterum verò detractionis alimenta tum matri, tum fœtui; utrumque autem abortus periculum minatur: qua sanè ratione adjectum est, *& præcipue, si fœtus sit grandior*, quippe tunc abundantius alimentum exquiritur; quamobrem quæ fortasse detractio foret tolerabilior in primis mensibus graviditatis, omninò nocua est in ultimis.

Sed cur dixit, *sanguine misso ex vena*? fortè quia si ex aliis partibus educeretur, non esset periculosa, utpote quæ commotionem in sanguine, totoque corpore, non excitaret, quemadmodùm si cucurbitulis scarificatis ex cute sanguis educeretur, vel etiam ex naribus levi perfrictione, titillationeque. At verò detractio per hirudinum appositionem, etiam ex venis fit, adeòque omninò vituperanda. Verumtamen etiamsi sanguis ex cucurbitulis scarificatis educeretur ea quantitate, ob quam utero gerens posset debilitari, vel etiam ex inducto dolore, plurimùm commoveri, & exagitari, periculosa quoque existimanda foret, præsertim si ex partibus infernis, aut in cruribus, ut fieri solet, adhiberentur, quippè per eas posset facillimè gravida abortiri.

Addit postremò Hippocrates, *& præcipuè si fœtus fuerit grandior*, idest

ideſt in ultimis menſibus, & partui proximus: etenim tunc duplici ex capite periculum abortus immineret; uno quidem, quia ſubtraheretur illi alimentum, quod per idem tempus abundantius exquiritur, tum ad nutricationem, tum ad vires, quibus eget pro partu validiſſimis, ad quem promovendum conatus ſuos iteratò fœtus adhibet; unde Galenus *in comm.* ſubdit: non modo miſſo ſanguine ex vena, ſed etiam ex longiori inedia, fœtus deſtruitur; Altero verò, quia, ut anteà dictum, in ultimis menſibus quævis etiam leviſſima commotio abortum affert, propter facilem vaſorum umbilicalium, & placentæ, ab utero diſſociationem, ac promptam orificii ejuſdem interni dilatationem. Si ergo tunc uterus promptè hiat, & fœtus pariturus ad exitum ſponte ſua ſe accommodat, planè à ſanguinis detractione commotio in toto corpore inducta facillimè poterit abortum excitare; is autem quàm ſit eo tempore periculoſus, cunctis notum.

APHORISMUS XXXII.

Mulieri ſanguinem evomenti, menſtruis erumpentibus, ſolutio advenit.

CUm non rarò accidat, fœminas diverſis ęgritudinum generibus laborare, quarum cauſa malè affectus ſanguis ſurſum impetat, & præſertim in ventriculum, unde vomitus cruentus; conſiderans in hoc aphoriſmo Hippocrates, quo pacto ejuſmodi incommodum deſinere poſſit, citrà cujuſvis medicamenti exhibitionem, nullaque artis opera ſuffragante, docet ſponte ſua vomitum ſanguineum deſiturum, ſi menſtruæ purgationes, quæ forſan anteà ſuppreſſæ fuerant, erumpant, quippè ſanguis ille, qui, interciſo per vaſa uteri curſu, aliò diverterat, & in ventriculum irruerat, denuò in conſueta, & naturalia emiſſaria delatus, laxatis, reſeratiſque ductibus, ut decet, per uterum expurgatur.

Quamvis autem effatum hoc ſic generaliter videatur ab Hippocrate pronunciatum, ut quemcumque ſanguineum vomitum meſtruorum eruptio ſolvere valeat, crediderim tamen, ea ſolummodò ſanguinis vomitionem menſtruorum eruptionem eſſe ſoluturam, quæ à ſola eorumdem retentione proveniat; etenim ſi fortaſsè alia de cauſa illa habeatur, ęgrè admodùm fieri poterit, ut deſinat per menſtruorum eruptionem. Hinc ſi vomitus ſanguinis contingat dirupta vena, aut arteria, per jecoris, aut ſplenis parenchyma repentè, aut etiam è ramulis gaſtricis, aut meſentericis, nequaquam ſuffragabitur ſubſequens menſtruorum eruptio, ſed potiùs morbum morbo addet, fortaſsè ex vitio tali in ſanguine contracto, ut ex pari cauſa tam uteri vaſa, quàm alterius viſceris venę, aut arteriæ aperiantur, vel erodentur. Sæpè tamen accidit, ut ex menſtruorum retentione, ſanguis utiliter per vomitum, aut ſputum egeratur, ob conſenſum, quem inter ſe ineunt uteri vaſa cum mammariis, & jugularibus ſubclaviis. Modò ſecluſis quibuſcumque modis, quibus ſanguis à vitio vel ſui, vel viſcerum egrediatur, menſtrualis intelligenda hìc illius eruptio, ut propterea à ſola uteri obſtructione detentus evomatur. Verùm cùm dixit *ſanguinem evomenti*, non ſolùm de vomitu propriè dicto, qui peculiaris ventriculi actio dicitur, ſed etiam de ſputo, aut ſimplici ſcreatu, aut etiam cum tuſſi, non tamen

admodùm molesta, voluit Hippocrates adnotare, cùm per utramque viam plerumque sanguis ex retentis menstruis egeri soleat. Appositè etiam exponunt plerique per verbum *erumpere*, comprehendi non quamcumque menstruorum eruptionem, sed eam solùm, quæ affluenter, & confertim provenit; quoniam per hanc solam evacuationem divertitur motus sanguinis ad consueta uteri emissaria. Porrò si menstruæ purgationes erumpant, neque inde vomitus, aut alia sanguinis excreatio desinat, indicio erit venam aliquam, aut etiam arteriam, ruptam esse, vel exesam.

Perperam autem solent hinc plerique deducere, licere Medico venam tundere ex venis pedis, quoties sanguis sursùm eiicitur, ac expurgatur, quasi verò Hippocrates ex hoc aphorismo edocere voluerit posse arte idipsum peragi, quod spontè naturæ plerisque accidit. Sed longè isti, latèque falluntur: alius enim omninò diversus est naturæ motus ab eo, qui arte per venæ sectionem peragitur: quippe qui spontè sanguis per menstruorum eruptionem egeritur, non solùm per loca propria, & consueta fit, per quæ, indicta venæ sectione, neutiquam perficitur, sed ejus etiam humoris fit, qui revera excernendus est; atqui nequit ars, tam dexterè, opportunè, ac salubriter naturæ motum imitari, quin plurimùm sæpesæpiùs non fallat. Est etiam præterea, quod specialiùs in menstruorum eruptionibus advertamus, ipsius scilicet uteri, ac totius corporis repurgationem; siquidem passim experimur, omnia propemodùm corporis excrementa, ipsiusque sanguinis impuritates, unà simul per uterum deponi, & gravissimas cæteroqui ægritudines exinde finiri, quemadmodùm idem Hippocrates pluribus edocet, & in historiis epidemiorum sæpiùs enarrat. In his itaque casibus, solertis naturæ operam dumtaxat exquiremus, illamque, quoad fieri poterit, per loca præsertim conferentia, puta per eumdem uterum, adjuvabimus, ut tutò, & sine ulla dubietate, illam exoneremus, ac tandem ab ægritudinibus vindicemus.

APHORISMUS XXXIII.

Menstruis deficientibus, sanguis ex naribus fluens, bonum.

QUo pacto defectus menstruorum aliquando innoxius evadat, atque illius suppressa evacuatio per aliam suppleri possit, docet hoc aphorismo Hippocrates, ubi narium hæmorrhagiam commendat, si fortasse menses in fœminis defecerint. Quamvis autem alibi dixerit, *sanguinem supra ferri, qualiscumque sit, malum*, hanc tamen regulam ipse excipit in fœminis, quæ suppressionem menstruorum patiuntur: neque enim alia melior superabundantis sanguinis evacuatio unquam visa est ea, quæ per narium hæmorrhagiam accidit, quippè per eam solet sæpissimè natura, nedum ab his, quæ uteri sunt, ægritudinibus, sed à plerisque aliis liberari; sic in febribus synochis, & ardentibus, inflammationibus internis, cæterisque, fluens è naribus sanguis juvamento est: id quod licèt videatur factum per loca distantissima, statuta tamen sanguinis circulatione, facillimè innotescit, qua ratione conferat, cùm per arterias partium infernarum promptissimè in venas recurrentes ad partes superas, sanguis influat. Sic anatome compertũ, sectis, cõtrecta-

tis, aut propter vulnus fortasse ibidem inflictum, sectis venis per uberum substantiam perreptantibus, statim ex utero retentas menstruas purgationes prodiisse, ut propterea nedum ob consensum mammarum cum utero, sed etiam ob motum sanguinis concitatum, uterinas arterias promptiùs relaxari, atque aperiri contingat. Modò inter ceteras alias sanguinis è venis supernis evacuationes, specialiùs proficit ea, quæ è naribus fit, tum quia nullum inde à sanguine extra propria receptacula exeunte damnum imminere potest, ut facilè evenit, cùm ex ore, aut pectore prodit; tum etiam quia venæ in nares desinentes exiles sunt, & nonnisi guttatim sanguinem extillant, nulloque cum impetu, aut irruptione, quinimmò facile admotis localibus sisti potest, quod secus accidit, cùm ex aliis venis erumpit; tum denique quia nullius interni visceris læsionem significat, cui specialiùs occurrendum sit, uti cùm ex ore potissimùm excernitur, quoniam vel pectoris, vel pulmonis, vel œsophagi, aut ventriculi, vel cerebri meningum gravem noxam arguit. Sed & dixit Hippocrates *bonum*, desumpta nimirùm ratione ab ipsa menstruorum suppressione, non autem à loco: etenim bonum est, gravatum corpus exonerari, ne scilicet alicubi restagnans excrementosus sanguis, vel aliò fortasse transvectus, graviorem morbum inferat; sed tamen haud omninò bonum est per nares egredi, quia consentaneum, & naturale non est, menstruum sanguinem in fœminis per nares excerni, sed solummodò per uterum, veluti per totius corporis emunctorium; In cunctis siquidem evacuationibus, ut alibi à nobis est notatum, non id solum, quod excernitur, sed quantitas, qualitas, tempus, modus, & locus rei excretæ considerandus quoque est, ut omni ex parte salutaris excretio illa censeatur: fieri enim potest, ut etiam per nares sanguis convenienter excretus ex una prosit, sed non penitùs ex altera conferat, quia non per loca convenientia expurgatur, inducta nimirùm intereà obstructione in vasis uterinis, mox etiam tumore, inflatione, scirrho, aliave pejori ægritudine, nedum uterum, sed & totum corpus in posterum graviter afficiente: Advertit postremò Galenus *in comm.* quòd licèt, *quæ per nares fit evacuatio innoxia præ cæteris sit, non tamen si aliqua etiam alia evacuatio sine noxa est, propterea aphorismus est falsus; neque enim quòd sola per nares evacuatio, deficientibus menstruis, bona sit, dixit, sed hanc simpliciter laudavit, non adjuncto, quòd sola. Si quispiam igitur alteram, quæ fit per sedem, dixerit ita affectis mulieribus utilem esse, hoc non adversatur aphorismo; videtur enim aliquandò Hippocrates per unum, velut exemplum, de omnibus aliis similibus pronunciare.* Hæc Galenus.

APHORISMUS XXXIV.

Mulieri in utero gerenti si alvus plurimùm profluat, periculum est, ne abortiat.

Sicuti ex sanguinis detractione per venæ sectionem anteà dixerat, utero gerentem abortire, sanguine misto ex vena; ita nunc de alvi profluvio memorat, periclitari fœminas utero gerentes, si illo corripiantur.

Quoniam verò indefinitè dicitur *mulieri in utero gerenti*, non erit planè coarctandum tempus uteri gestationis, unde & primis, & ultimis, ac mediis mensibus, idem periculum imminebit, si alvus immodicè profluet; quamvis periculosiora semper sint tempora posteriora prioribus, & mediis: Est tamen quam maximè advertendum, differre plurimùm damna imminentia ex alvi profluvio, ab iis, quæ ex sanguinis missione proveniunt; siquidem id quod alvo profluit sæpenumerò solet esse prorsus inutile, excrementosum, ac præternaturale, ut propterea, saltem ratione causæ, ejuscemodi evacuatio bona censeatur; at verò quæ ex sanguinis detractione fit, omninò mala censenda est, cùm exinde vitæ thesaurus inaniatur, & vires manifestissimè deficiant. Verumtamen nocua existimanda solùm erit evacuatio per alvum, si immodica fit, ac modum non servet, subindeque ventriculi jacturam faciat; itemque si ab iterato transitu humorum per intestina, uterum illis attiguum coafficiat. Quamobrem jure optimo addidit Hippocrates *si alvus plurimùm profluat*: quibus verbis, & laxatam plus justo alvum, & præternaturam fluentem denotat; nam si fortasse moderatè exoneretur, nec exinde ventriculus tum in appetendo, tum in digerendo fatiscat, proculdubio malum non erit, quin potiùs omni ex parte bonum; cùm sæpissimè experiamur, utero gerentes ab hujusmodi moderatis egestionibus levari, & ab impuritatibus tum alvi, tum totius corporis anteà cumulatis, salubriter vindicari.

Sed de quo fluxu intelligat Hippocrates, dubitari potest; nam alvi profluvia solent esse vel chylosa, vel humoralia; chylosa in lienteria, & cœliaca passione; humoralia verò in diarrhœa, dysenteria, tenesmo. Et quamvis quodlibet ex his malum semper sit utero gerentibus; nihilominùs videtur dicendum, specialiùs hìc fuisse notatam diarrhœam; nam in diarrhœa potissimùm alvus solet affluentiùs profluere, quod in hoc aphorismo dicitur; in cæteris autem non item: quippè in dysenteria frequens, & dolorosa dejectio fit, sed non copiosa, sicut neque in tenesmo; in lienteria verò, & cœliaca affectione cibi indigesti egeruntur, vel semimutati, sed nonnisi semel tantùm, aut bis in die: at verò in hoc aphorismo dicitur, *si alvus plurimùm profluat*: quibus verbis, & quantitas excretionis, & modus ejusdem præternaturalis significatur. Verùm nocent adhuc ex alio capite utero gerenti, atque abortus periculum minantur, cœliaca passio, & lienteria, quia per chyli dejectiones corpus tum matris, tum infantis alimento privantur, & viribus deficiunt. In dysenteria quoque, & tenesmo, frequens illa, & dolorosa dejectio molestissima est, ut propterea ab iterato insessu uterus, quàm maximè comprimatur, & doleat, propter consensum, viciniamque ejusdem cum intestinis affectis. Sed & cum his intestinorum ægritudinibus ferè semper conjunguntur febres, ciborum fastidium, sitis, inquietudo, vigiliæ, symptomata planè molestissima, & gravidis potissimùm perniciosa. Quamobrem semper malum erit utero gerentem quocumq; alvi fluxu molestari, cùm exinde abortus facilè subsequatur.

Debent autem istiusmodi alvi fluxus per multum tempus perdurare, ut abortum inferant; nam si fortassè intra biduum, vel triduum desinant, citrà abortus periculum salubriter

briter non rarò contingent, quemadmodùm pluries in praxi experti sumus. Qua forsan ratione factum, cur Hippocrates dixerit, solùm periculum esse, ne abortiat; equidem non omninò utero gerentes ex hac dumtaxat alvi turbatione aborientur, si tempore modico duret, & cum sola excrementorum, aut malorum humorum exoneratione, constantibus viribus, & stomacho benè valente, ac postremò sponte sua desinat, quod sanè, quàm in omnibus ægritudinibus prodesse possit, clarè liquet.

APHORISMUS XXXV.

Mulieri, quæ uterinis molestatur, aut difficulter parit, superveniens sternutatio, bonum.

STernutationis juvamenta in fœminis recenset hoc aphorismo Hippocrates, & quidem in iis, quæ uterinis molestantur, quæque difficulter pariunt. Quid autem *pro uterinis* intelligat, pluribus examinat Galenus *in comm.* Quoniam verò in græco Codice scriptum est ὑστερικῶν, videtur congruentiùs exponendum, de uterinis, & hystericis affectionibus, potissimùm verò, quæ præfocationes appellantur, in quibus feminæ nodum quendam in gutture percipiunt, & videntur quodammodò suffocari ob defectum anhelitus: in his quippè sternutatio summè proficit, ob concussionem totius corporis à sternutamento inductam, sed præsertim in utero. Verùm quia multoties vehementi, atque iterata sternutatione, adhuc quæ in uteri cavo continentur, facillimè ejiciuntur, verisimile quoque est, in his pariter sternutamentum esse profuturum; unde suppressa lochia, retentæ secundinæ, & sanguinis grumi, aliaque similia, promptissimè expelluntur, vi, atque impetu à sternuendo; quatenùs per ejusmodi concussionem non solùm excutitur uterus, deponitque id, quod intra se continet, verum etiam vasa ejusdem facilè dilatantur, ac aperiuntur: cùmque sternutamentum fiat ab irritatione mamillarium cerebri processuum, & meningum, quæ conantur expellere, quod ipsis infensum est, planè ob uteri cum cerebro consensum per nervos, facilè etiam is proritatur, expellitque quod ibidem congestum est. Quamvis autem quæcumque detinentur intrà uteri cavum, possint sternutamento superveniente promoveri, & expelli, nihilominùs magis propriè hoc loco conferens sternutatio præfocationi uterinæ dicenda est: cùm enim ex ea fœminæ patientes mente quodammodò abalienentur, & cerebro hebescant, si his sternutatio accidat, fieri necesse est, ut cerebrum ipsum concutiatur, & quodammodò resipiscat, atque adeò excutiat quidquid ex utero malè affecto illi infensum evaporarat, sive per nervos, sive per arterias. Videtur idipsum rectè colligi posse ex contextu verborum ipsius aphorismi, quippè in eo dicitur, *quæ uterinis molestatur*, modò mulier tunc potissimùm toto corpore afficitur, cùm hystericis affectionibus extorquetur.

Nedum autem proficere dicitur sternutatio in affectionibus hystericis, & uteri præfocatione, sed etiam in partu difficili, modò is ex imbecillitate fœtus proveniat: etenim, ut benè advertit Heurnius, si partus difficultas fortasse habeatur ex mala conformatione corporis ejusdemmet parientis, aut ex prava fœtus pariendi dispositione, cùm vel in

pedes, vel in latus prodit; certè tunc nihilum prodesset sternutatio, immò potiùs obesset. At verò si fœtus debito modo se aptet ad exitum, sed præ sui infirmitate conatus non adhibeat, tunc summè proderit sternutatio, per quam motus expulsivus uteri plurimùm sollicitatur, quoniam diaphragma ex impetu sternutationis validè propellit, ac comprimit epigastrium, & cum epigastrio uterum.

Denique licèt dicatur in textu, supervenientem sternutationem, id est sponte naturæ contingentem, proficere, nil tamen vetat, quin etiam arte si promoveatur, idem quoque beneficium non sit fœminis laboriosè parientibus affuturum. Hinc licebit in partu difficili, vel in fœtu mortuo, sternutamentum excitare, ad adjuvandum uteri conatum, ut utrumque ad exitum facilitet. Prosunt eapropter in hanc rem piper, galanga, euphorbium, elleborus albus, nigella, nicótiana, & quodcumque nares impensè proritare valet. Verùm enimverò semper modus aliquis in his adhibendus, pro parientis habitudine, ut nimirùm citrà cerebri læsionem id peragatur.

Conferet quoque multùm per idem tempus, quo sternutatoria adhibentur, vel paulò ante, potionem aliquam exhibere, qua uteri conatus promoveatur, ductusque laxentur, ut ex utroque motu facilior habeatur partus propulsio. Mirè autem in id conferunt trochisci de myrrha, rubia tinctorum, castoreum, borax mineralis, cinnamomum, cassia lignea, crocus, dictamnum, valeriana, schœnanthum, matricaria, artemisia, atque ex his eliciti sales, spiritus, syrupi, elixires, vel se soli, vel cum aliis commisti, ut in praxi. Hæc eadem valent ad expellendas secundinas, ac placentam, si fortassis ab edito fętu retineantur, nec promptè post partum exeat.

APHORISMUS XXXVI.

Mulieri menses decolores, nec per idem semper tempus venientes, purgationem indicant esse necessariam.

MEnstruas purgationes corrigendas hìc proponit Hippocrates, præcipuè cùm decolores sunt, inordinatæ, ac irregulares. Et quamvis Galenus dicat, in aliquibus exemplaribus, loco mensium decolorum, haberi *menses tardos*; nihilominùs communior lectio videtur magis consentanea, tum quia tardi menses non omninò exigunt purgationem, utpote qui etiam attenuante diæta possint promoveri, tum etiam, quia tardi menses, quam maximè conveniunt cum inordinatis, quippe qui plerumque etiam tardi sint: Sed etsi tardi menses hìc legantur, neque tamen repugnabit, quod in aphorismo dicitur, necessariam fore purgationem, cùm non rarò tarditas evacuationis istius ab humoribus crassis, & obstruentibus habeatur, vel etiam ab ipsomet sanguine glutinosiori, qui non tam facilè per uteri ductus meare queat. Attamen communior versio retinenda, qua decolores menses leguntur.

Et quidem cùm decolores sunt menstruæ purgationes, indicant sanguinem sero plus justo scatentem, qui propterea debeat hydragogis medicamentis repurgari, quæ nedum serum superabundans educant, sed etiam humores, fortasse crassiores, detentos in glandulis uteri, vel mesenterii incidant, attenuent, & solvant.

vant

vant. Verùm quia Hippocrates in hoc textu conjunxit menses decolores cum irregulari eorundem apparitione, ac reditu, proinde crediderim utrumque exigi pro recta purgantis medicamenti exhibitione, etenim cùm ejusmodi purgationes menstruę decolores sunt, & debitam, consuetamque periodum non servant, non solùm seri copiam, facile inedia, & potus abstinentia emendabilem, verùm etiam crassitiem humorum uteri ductus obstruentium arguunt, ut proinde serosiores dumtaxat humores permeent, tenaces verò, & hærentes retineantur, qui nisi convenienti purgante medicamento dissolvantur, proculdubio in longius tempus retenti, alia graviora mala inferent, tumores scilicet, abscessus, cachexiam, hydropem; dicuntur autem non per idem perpetuò tempus accidere, cùm modò pręcurrunt, modò cunctantur, & modò in medio cursu intercepti, protrahuntur in aliud tempus penitùs incongruum, ut propterea inconstantes sint, certam, statutamque periodum non servantes. Sed & pro *tempore* legit Heurnius *modum*, qui proinde in sua versione habeat, qui *nec eodem modo benè respondeant*: juxtà quam Heurnii lectionem comprehenderetur sub hoc menstruorum vitio, non solùm periodicatio varia, sed etiam modus excretionis assiduò differens, ut si purgatio menstrua uno tempore fuerit quinque, vel sex dierum, in alio sit unius, vel duorum, & ubi aliquando modus expurgationis guttatim fuit, aliàs sit affluentior, & tardiùs, & celeriùs, & continuatim, & interruptim, & magis, & minùs, sine ullo ordine, aut respondenti quantitate, & qualitate evacuationis.

Cùm igitur hæc ita se habent, docet Hippocrates purgandum omninò esse corpus ab humoribus vitiosis ejusmodi irregularitatem efficientibus, attenta tamen ætate, habitudine, & temperatura patientis, num scilicet efficaciori, an debiliori cathartico uti debeamus, incidente simul, & evacuante, potiùs serosos, quàm crassos succos educente, permistis medicamentis etiam uterinis, & antihystericis dictis, aut aliis, aliisque pro ratione. Conferunt autem plurimùm in hunc usum pilulæ fœtidæ, ut & aleoticæ, aleophanginæ, & de rhabarbaro, cum tartaro vitriolato, myrrha, dictamno, gentiana, croco, rubia tinctorum, aristolochia, & similibus ad dr. j. circiter pro virium, & humorum evacuandorum ratione. Cæterùm his conveniens diæta sociari debet, quæ simul unà attenuet, & incidat crassos, tenacesque humores, ac per uterùm, vel per urinarias vias illos deducat. Valet etiam ad idem hiera cum diacalamentho, absynthium, senna, tartarus, atque ex his composita medicamenta, quæ plurima in Pharmacopœis descripta inveniuntur.

APHORISMUS XXXVII.

Mulieri utero gerenti si mammæ graciles repentè fiant, abortit.

QUanta sit inter uterum, & mammas connexio docemur ex hoc aphorismo, quo monitos nos facit Hippocrates, fœtum in utero contentum, adhuc benè valentem, facilè abortiri, si mammæ in utero gerente repentè gracilescant. Inquit autem, *repentè*, idest nullo præcedente morbo, aut symptomate, & sine ulla aliqua causa manifesta, ob quam graciles illæ evaserint;

ſerint; ſiquidem cùm ſenſim graciles fiunt, & poſt longum temporis intervallum, fortaſsè ex morbo, aut extrema diæta, aliaque cauſa conſimili, nil mirùm erit, ſi graciles evadant, tabeſcente paulatim prægnantis corpore, ad cujus extenuationem illas macreſcere contingat: at verò cùm repentè detumeſcunt, & ubi turgidæ, duræq; erant, extenuantur, ac flacceſcunt, omninò ex languore, & à laxitate vaſorum umbilicalium, uterique ægritudine, illæ contabeſcunt, unde poſtmodùm abortus preſtò erit. Attamen hæc potiſſimùm accidere ſolent poſt quartum menſem, nam anteà vix, ac ne vix quidem turgidæ mamillæ fiunt. Provida namque Natura per id tempus incipit alimentum in mammis diſponere, ac præparare, ut de futuro extrà uterum alimento provideat; quamobrem ſi fortaſsè ex aliqua, vel ejuſdem uteri, vel fœtus ibidem geniti, ægritudine contingat eundem deperire, quia ceſſat finis nutricationis illius, deſinit quoq; futuri alimenti ad mamillas tranſmiſſio, interrupto ſimul una mutuo vaſorum inter ſeſe reſpondentium commercio.

Sed notare eſt, quod Galenus memorat *in comm. hujus aphoriſmi*, *trahere* ſcilicet *fœtum ad ſe id, quod in ſanguine dulciſſimum eſt*; *ſimul autem, & lactis parte aliqua frui*: equidem anatome compertum eſt, ultimis menſibus inveniri in ventriculo infantis ſubſtantiam quandam albicantem lacti non diſſimilem, quam ore ſugi conſtat, atque ſuppeditari à membrana illa, quæ immediatè fœtum ipſum cingit, & Amnios græcè appellatur; ſicut autem iſta ſenſim imminuitur in ultimis menſibus; ſic alia conſimilis in mammis adaugetur, ut propterea ſoleant non rarò iſtæ, levi compreſſione, vel etiam ſponte ſua, lacteum humorem exſtillare. Atque hinc fit quamobrem fœtus in lucem editi, mox fæces, quas meconium vocant, egerant, ac, ut notavit Hippocrates *lib. de natura pueri*, ſtatim à partu lac è mammis ſugant, quia videlicet intra uterum multò anteà ſugere à provida Natura edocti fuerant: de qua re alibi à nobis eſt actum.

Pro coronide tandem deducendum, admoneri hoc aphoriſmo Medicos, ne in ejuſmodi mammarum extenuationibus remedia adhibeant; inde enim, futurum ut ſuccedens abortus illis culpa cedat apud ignarum vulgus, quod ſine ulla difficultate exiſtimabit ab ejuſmodi importuna medicamenti adminiſtratione, promotum fuiſſe negligenter abortum, qui tamen ſponte naturæ ſuperventurus erat.

APHORISMUS XXXVIII.

Mulieri utero gerenti, & geminos habenti, ſi altera mamma gracilis fiat, alterum abortit; Et ſi quidem mamma dextra gracilis fiat, marem: ſi verò ſiniſtra, fœminam.

QUod dixerat Hippocrates de abortu unius infantis, ex extenuatione ambarum mammarum, in præſenti aphoriſmo aſſerit de alterutro, ſi gemini ſint, cum alterutra pariter mamma gracileſcit; ſed tanto inſuper cum conſenſu, ut ſi fortaſsè dextra mamma gracilis fiat, qui fœtus in dextra uteri parte eſt, abortiatur, quique ex ſententia ejuſdem Hippocratis mas erit; ſi verò ſiniſtra extenuetur, fœmella, quæ in ſiniſtra

ſtra quoque uteri parte concepta erit, ſit abortitura.

Sed quamvis id tam clarè, certòque ſit ab Hippocrate ex Veterum ſententia ſancitum, qui, ut inferiùs dicetur, exiſtimarunt mares in dextra, fœminas verò in ſiniſtra uteri parte generari: apud Recentiores tamen parem aſſenſum non meruit; quoniam ex anatome jam conſtitit, indifferenter & in dextra, & in ſiniſtra uteri parte tum mares, tum fœminas concipi, & generari poſſe.

Sed & neque tam facilè eſt, ut alter fœtus, altero ſuperſtite, aboriatur, quippe ad conatum uteri pro unius fœtus excluſione, alterius expulſio facillimè haberi poteſt, cùm non in diverſis cellulis, ut aliquibus eſt creditum, fœtus in utero contineantur, ſed in una eademque cavitate, qua hiante, quidquid ibidem continetur, facilè deponitur. Verumtamen quia Hippocrati non ſemel innotuit poſſibilem eſſe ſuperfœtationem, adeòque unum fœtum jam extinctum excludi poſſe, alterum viventem detineri, planè poterit eadem lege alter abortiri, alter conſervari; at verò quòd eadem conditione accidat, ut gracileſcente dextra mamma, mas, gracileſcente ſiniſtra, fœmella excludatur, nullus unquam vidit; unde demiror, qua ratione ductus Hippocrates ſcripſerit, ita inter ſeſe mammas cum fœtibus reſpondere, ut non ſolùm, qui in dextra uteri parte continetur, ſed etiam qui maſculus eſt, occidat, altero in ſiniſtra ſuperſtite. Sed & nec ex alio capite verum eſt, quod mares ſemper in dextra, fœminæ verò ſemper in ſiniſtra generentur, cùm indifferenter experiamur tum in dextra, tum in ſiniſtra geſtari fœtus, alterutrius ſi fuerint ſexus, ejuſdemque maturitatis, & roboris.

Hinc decepti plerique fuere, qui cùm viderent fœminas, dextera uteri parte plus juſto tumefactas, judicarunt de maris geſtatione; idipſum quoque accidit illis, qui ex documento Avicennæ, conjectarunt de maſculo, quòd in prima, & ſpontanea utero gerentis motione pedem, & crus dextrum priùs loco moverunt. Atqui Anatome compertum eſt, gemellos unica, & communi exteriori membrana, Chorion dicta, comprehendi, licèt interiorem, Agninam vocatam, diſtinctam habuerint; unde cadit eorumdem opinio, quòd in partu gemino, mares in dextra, in ſiniſtra fœminę ſint progeniti, cùm gemini fœtus unico Chorio contineantur. Non tamen penitùs negaverim, accidere aliquandò potuiſſe, ut ex extenuatione dextræ mamillæ, mas perierit, & ex extenuatione ſiniſtræ, fœmella; verùm id non certa lege ſtabiliendum, ut perpetuò verum ſit, & infallibile. Quò fortaſsè exemplo motus Hippocrates, quòd aliquandò ipſe vidit, in aphoriſmum redegit, veluti rem notatu dignam, & ratam, ſuoque tempore communiter receptam. Cæterùm quæ rarò eveniunt, licèt ſint admiratione digna, non tamen in exemplum ducenda ſunt, ut regulam valeant generalem, & infallibilem conſtituere. Ita quidem ab eodem Hippocrate dicitur, fœminas podagra non laborare, ut & eunuchos, & pueros: id quod licèt plerumque verum ſit, falſum nihilominùs aliquandò eſt animadverſum.

APHO-

APHORISMUS XXXIX.

Si mulier, quæ neque gravida est, neque peperit, lac habet, huic menstrua defecerunt.

QUòd lac gignatur in mammis ex uteri gestatione, saltem in ultimis mensibus, quando infans partui proximus est, cunctis notum, veluti quotidianis experimentis cōprobatum, ut propterea inter indicia gestationis, præcipuum hoc à Medicis afferatur, lac è mammis erumpere; & contra, nullum lac apparere, etiam si uterus, totusque venter tumeat, ut in falsa graviditate sæpissimè contingit, manifestum indicium sit, nullum fœtum in utero contineri, atque morbosis aliis de causis illum inflari. Quòd insuper lac habeatur in his, quæ mox peperere, immò quòd aliquandò ex lactis copia, ad plures, & plures menses, lactare illæ possint, certò certius est, ut nulla proinde egeat probatione: quamquam & aliquandò visum, fœminas tum utero gerentes, tum enixas, nullum omninò lac protulisse, idque sine ullo vitæ incommodo. Frequenter autem in cæteris omnibus lac post tertium, aut quartum diem à partu prodire, illudque ad plures hebdomadas perdurare communiùs accidit, cum manifesta mammarum tumefactione. Hinc in præsenti aphorismo considerans Hippocrates, quod frequentiùs utero gerentibus, & enixis accidit, inquit, plerumque fieri, ut menstrua defecerint, si neque gravida, neque enixa mulier lac habeat; adeòque solere lac in mammis comparere ob solam menstruorum deficientiam, exinde verò potissimùm confirmatum iri connexionem maximam mammarum cum utero, ut ex istius purgationibus suppressis, facile fiat, ut ubera lactificent. Quamvis & aliquandò visi sunt viri etiam lactificasse.

Verùm ut hæc accidant, necesse primùm est, ut menstrua defecerint, neque solùm per unicum, sed per plures, pluresque menses: si enim semel tantùm menstrua deficiant, haud necessariò fiet, ut lac in mammis compareat, cùm de facili possit sanguis, vel sensibiliter per alios ductus corporis amandari, vel etiam insensibiliter dissolvi, & repurgari; quo fit, ut in exercitatis mulieribus, etiamsi menstrua deficiant, lac nullum habeatur, quoniam per exercitia, præsertim laboriosa, adhuc insensibiliter per poros cutis sanguinis impuritates discuti, & repurgari possint; quin & ab exercitiis semper major fit sanguinis, & partium solidarum resolutio.

Sed & secundò necesse est, ut nulla alia manifesta evacuatio per id tempus habeatur; unde si fortasse suppressis menstruationibus, hęmorrhagia è naribus accidat, vel sanguinis per os excreatio, aut per hæmorrhoidas, vel etiam sudoris, & urinæ copia, aliudve simile, proculdubio lactis apparitio nulla sequetur, excretis nimirùm per alios ductus corporis superfluitatibus humorum.

Insuper necesse est tertio, ut menstruorum defectus accidat, benè se aliunde habente fœmina; nam si fortassè ægrotaret, præsertim acuta febre, aliove morbo simili, valente corpus, & humores extenuare, ac absumere, certè nulla ratione lac è mammis prodire posset. Experimur etiam in dies obstructis, hystericis, scirrho, aliove tumore affectis, in quibus menstrua

ſtrua nulla ſunt, lac nullatenùs comparere.

Denique debent menſtrua omninò deficere: ſi enim diminuerentur ſolùm, vel per intervalla parcè prodirent, non eſſet, cur lac in mammis progigni deberet. Equidem lactis generatio non aliunde in his provenit, quàm ex impedito exitu ſanguinis per vaſa uteri; unde ſecundùm ſui partem albicantem poteſt, cùm per vaſa mammaria remeat, in earundem glandulis deponi, & lactis conditionem induere. Quo pacto poterimus Veteres cum Recentioribus conciliare ſuper illa tandiù agitata diſceptatione de materia lactis, quam illi ſanguinem, iſti chylum voluere: cùm enim chylus non ſtatim, ſed repetitis circuitibus in ſanguinem vertatur, ac ſenſim, ſenſimque repurgetur, & perficiatur, planè poterit, cùm per vaſa mammaria circuit, & per glandulas prędictas percolatur, ſecundùm eandem portionem detineri, & in lac verti: niſi etiam dicere velimus, recta è canali thoracico partem illam chyloſam vergere in mammas, ut pleriſque anatomicis eſt creditum, de qua re præter alios legi merentur Thomas Bartholinus, & Isbrandus de Diemerbroeck.

Eſt tamen advertendum, id faciliùs contingere poſſe nuptis, aut viduis, quàm virginibus, etſi defectum menſtruorum patiantur; etenim in nuptis, ac viduis, quæ tamen anteà pepererint, ductus illi longè patentiores ſunt, & ex præcedenti lactificatione jam conſueverit Natura materiam lacti generando accommodam illuc transferre; at verò in virginibus viæ illæ ſunt admodùm anguſtiores, neque tàm promptè excipiendo lacti diſpoſitæ; quin etiam ante juventutem majori planè alimento illæ egent pro ſuimet corporis nutricatu; unde ſi fortaſsè ſanguis exuperet, faciliùs in carnium incrementum tendit, quàm in lactis generationem. Legendus in hanc rem Galenus 6. *de locis affectis cap.* 5. ubi aphoriſmum hunc recitat, & examinat.

APHORISMUS XL.

Quibuſcumque mulieribus ad mammas ſanguis colligitur, furorem ſignificat.

De veritate iſtius aphoriſmi valdè dubitat Galenus *in comm.* Inquit propterea: *Et quidem nondum hoc accidiſſe vidi, & ſi quando eveniat, ex iis eſt, quæ raròeveniunt*; ſubdit tamen, id fuiſſe ab Hippocrate ſcriptum, quia obſervatum: Siquidem Hippocrates quod vidit, ſcripſit. Verùm quomodocumque res ſe habeat, videamus quo pacto ſententiam hanc rationibus congruentem adaptemus.

Et quidem in illis fęminis id accidiſſe credendum, quę menſtruorum diuturnam paſſę ſunt ſuppreſſionem; unde poſtmodũ ſanguis in mammis feratur, atque in propriis earumdem glandulis colligatur: cùm enim, ut ſuperiùs dictũ, magna ſit inter mammas, & uterum connexio, proculdubio cùm diuturno tempore uterus ſupprimitur, ut ſanguinem, quem egerere deberet, non fundat, is per totum ferè corpus fertur, ſed dien reſtagnat, colligiturque potiſſimùm in illis, propter copiam glandularnm molem mamillarum conſtituentium: diutiùs autem ibidem detentus, fieri nequit, quin ex mora, malaque ejuſdem habitudine non concreſcat, aceſcat, & tumorem ſcirrhoſum excitet, de genere carcinomatum,

Quamo-

Quamobrem usus est Hippocrates voce *colligitur*, quæ significat ex longo tempore congestionem sensim, sensimque factam. Ex hac autem acidi, & concreti sanguinis congestione duplici ex causa cerebrum afficitur; altera quidem ex circumeunte sanguine illud inficiente per arterias, altera verò ex communione nervorum, qui plurimi per mammas diffunduntur à pari vago costali: quo circa facillimè cerebrum in suis operationibus inficitur.

Sed & ex utero quoque malè affecto idipsum magis, magisque adaugetur, quippè experimur ex affectibus hystericis, retentis, vitiatisq; menstruis, furorem exoriri, uterinum dictum, quo miserrimę mulieres mente abalienantur, ac furunt, veluti maniacæ, manibus, pedibusque impetentes huc, illucque; ut nuperrimè in quadam nobili muliere sumus experti.

Dixit autem Hippocrates ejuscemodi sanguinis in uberibus collectionem, furorem significare, non efficere, non enim per id, quòd sanguis sit collectus in mammis, furor orietur, quasi verò is sit causa effectiva furoris; sed solùm significat, sanguinem, qui non potuit per uterum evacuari, adeòque in mammis collectus, & in tumorem versus, denotet succedentem in nervis, & cerebro læsionem, unde postmodùm furor, ac delirium.

Sed num verus furor inde oriatur, an solùm mentis motio, absque violento, atque impetente motu patientis, licet hìc etiam dubitare. Et quamvis in græco codice scriptum sit *Mania*, quæ à quibusdam putatur coincidere cum furore, qui delirium dicitur cum impetu, & audacia; nihilominùs crediderim, larga tantùm significatione, delirium hoc loco sumendum esse, & quidem potissimùm mentale, quo patientes licèt absurda non loquantur, aut agant, mente saltem, ac cogitationibus vana meditantur, quemadmodùm nostris temporibus vidimus in alia fœmina per Urbem vagante.

Sed prætereà exponendus videtur aphorismus per verbum *significat*, quod potest accidere, licèt non semper necessum sit, ut eveniat: nam signum istud est de genere eorum, quæ non sunt inseparabilia, & propria, sed solùm ut plurimùm ostendentia, scilicet cum sanguis vitiosus cerebrum infecerit; Nam si fortasè fœmina ejus sit constitutionis, ut non tam facilè mente moveatur, aliud quid patietur, quàm delirium. Novi porrò nobilem quandam scirrho in mammis ex diuturno tempore laborantem, qui tandem cancerosus factus mortem intulit, cùm tamen nunquam mente illa mota esset.

APHORISMUS XLI.

Si velis noscere an conceperit mulier: cum dormitura est, ei aquam mulsam potandam da; & si alvi tormina patietur, concepit, si minùs, non concepit.

PRæsens aphorismus pertinet ad partem medicinę diagnosticam, ad dignoscendam nempe graviditatem. Cùm enim aliquando fęminæ, vel ex tumefactione, ac lactificatione mammarum, de qua antea, vel ex suppressis menstruis, vel etiam ex aliqua alia ægritudine malè se habeant, & medicamentis egeant vel per unam, vel per aliam corporis viam ducentibus; immò, quod sæpiùs fieri solet, per uterum, & timor aliunde est, ne utero gerant, & in abor-

abortus periculum incidant; docet in hoc aphorismo Hippocrates, quo pacto Medici dignoscere possint uteri gestationem, & fœminam, jam anteà revera concepisse, adeòque medicamentis evacuationem promoventibus tractandam non esse, ne utero gerenti damnum, sibi verò infamiam pariant. Proponit autem leve quoddam medicamentum, & omni periculo vacuum, quo fœminæ certæ fiant, an non utero gerant, ac propterea possint, nec ne medicamentis subjacere. Illud verò est aqua mulsa, ideft aqua melle adjecto medicata, quam vult exhibendam antequam somno se disponat: si enim exinde alvi tormina patiatur, jam concepisse indicio est; si secùs, non concepit.

Vult primò aquam mulsam esse exhibendam, quæ scilicet ex mistura mellis flatus valeat excitare. Fit autem aqua mulsa, græcè μελίκρατον, ex una parte mellis crudi cum decem, vel duodecim aquæ: & deinde ad convenientem dosim exhiberi debet post cœnam; nam cùm Hippocrates nullam faciat mentionem de modo ejusce exhibitionis, certè debet intelligi juxtà morem consuetum hominum; & quoniam dicitur in textu, cùm dormitura est, proculdubio supponitur cœna ante acta. Si verò absque ulla cœna exhiberetur, profectò etiam absque graviditate tormina afferret, quia mel crudum cum aqua exhibitum flatus excitat.

Sed quo tempore graviditatis velit Hippocrates melicratum hoc exhibendum, dubitari potest. Et quidem verisimile admodùm est inter initia graviditatis, atque adeò primo, vel secundo mense: his enim temporibus dubia videtur posse esse graviditas, cùm tunc fœtus nulla de se prodat indicia; nam tertio, quarto, & sequentibus mensibus, tum motu, tum vomitu, tum uteri agglomeratione manifestatur; in principio verò graviditatis ista vel nulla sunt, vel ambigua. Itaque primis mensibus cùm de graviditate ambigitur, tentanda hæc sunt; sed neque tam certi erimus ex his, quippe fieri potest, ut aliis ex causis tormina contingant in intestinis, cùm tamen conceptio nulla facta sit; vel contra, etsi graviditas habeatur, nulla tamen tormina fiant ex peculiari quadam utero gerentis constitutione, vel etiam quia ejusmodi generis medicamento, aut rebus ex melle compositis uti consueverint, sine ullo ventris incommodo; nam quamvis plerumque his, quæ melle, & mellitis utuntur, tormina ista accidant, fieri tamen potest, ut in aliquibus nulla fiant. Atqui ex altero capite periculosum in aliis esse potest, ob metum colici doloris, aut fluxus, aliusve mali gravioris, cùm plerosque noverim pessimè se ab ejuscemodi rebus mellitis habuisse. Quare prænoscenda primùm est cujusque natura, & constitutio, ne in hac melicrati exhibitione Medicus decipiatur; proindèque sciat, num tormina alvi sequantur revera uteri gestationem, ut ex hoc aphorismo dijudicandum Hippocrates proponit.

Qua autem de causa tormina ista accidant ex uteri gestatione? Putaverim, quia uterus, postquam genituram comprehenderit, undique clauditur, & in molem attollitur, quo fit, ut intestina præsertim Ileon, & Colon comprimantur, atque adeò nequeant flatus, ex aqua mulsa excitatos, per alvum discutere, qui retenti tormina excitant. Si autem nil intrà se uterus contineat, cavita-

vitates intestinorum liberiores benè poterunt excitatos flatus protrudere, & eventare, undè nullum incommodum exinde suborietur. Efficaciùs autem mulsa flatus excitabit, si anisum addatur, ut dicitur *lib. de sterilibus*; unde aphorismus hìc est desumptus: ibi enim ita scribitur: *mel, & anisum tenuissimè tritum in aqua diluito, & exhibeto, post dormire finito: & si tormen circa umbilicum fiat, prægnans est, si non, non.*

Verùm quamvis hæc ab Hippocrate, veluti à seipso observata, notentur, ut infallibilia, non tamen inconsideratè à Medicis in usum ducenda sunt, ob periculum, quod imminet acerbioris doloris in intestinis, indeque etiam in utero ob consensum, & viciniam, quam cum illis habet, & eo magis, si cęna aliquanto lautior fuerit, & mel non sit coctum, ac despumatum, facillimè noxa gravior ex doloribus, & torminibus orietur. Quo sanè factum, ut in praxi nemo audeat de his periculum facere, cùm aliundè nec certum, aut infallibile indicium ex eo sumi possit. Potiùs itaque contenti sunt Medici dictis, factisque obstetricum fidem præstare, quam ejuscemodi medicamentis fidere: quamquam sæpesæpiùs & istæ fallant, & fallantur.

APHORISMUS XLII.

Mulier gravida si marem concepit, benè colorata est; si verò fœminam, malè colorata.

NEdum Hippocrates signa conceptionis tradidit, ut ex pręcedenti aphorismo, sed etiam num marem, aut fœmellam mulier conceperit hoc alio aphorismo subjungit, quo ex bono, vel malo gravidę mulieris colore, facilè id posse dijudicari proponit, nam si benè colorata sit, marem, si verò sit malè colorata, fœminam concepisse decernit. Attamen ut exponit *in comm.* Galenus, *quod hìc scribitur, ex eorum numero est, quæ sæpiùs eveniunt*, etenim aliquando fit, ut etiam quæ marem conceperit, sit malè colorata, & è converso.

Verùm ad intelligentiam hujus aphorismi plura notanda sunt. Primò quidem, quòd bonus, vel malus color mulieris utero gerentis referendus est ad eum, qui consuetus eidem est in statu naturali, & sano, citrà graviditatem; quamobrem si fœmina in suo statu sano non boni coloris fuerit, neutiquam fieri poterit benè colorata in statu graviditatis, & cum utero gerit. Prætereaquamquod quævis utero gerens ex causa gestationis fit perpetuò seipsa decoloratior, cùm uteri gestatio sit species quædam ægritudinis ex Galeno, ut aliàs monuimus, per quam semper fœminæ à suo meliori statu declinant, & nedum colore, verùm etiam carnibus, & operationibus cunctis quodammodò deficiunt, cùm utero gerunt.

Comparatio insuper facienda est inter colorem consuetum haberi à fœmina in gestatione maris, & eum, qui eidem accidit in gestatione fœminæ, ut propterea quamvis ex ratione graviditatis semper utero gerentes decolorentur, nihilominùs in gestatione fœmellarum longè decoloratiores appareant.

Prætereà in cæteris omnibus, quæ cum uteri gestatione contingunt, par ratio esse debebit: nimirùm, ut iisdem alimentis utero gerens alatur, eundem aerem, & regionem incolat, iisdem utatur

tur exercitiis, & reliqua omnia æqualiter se habeant, tam in gestatione maris, quàm in gestatione fœmellæ: nam si fortasse, cùm utero gerit fœminam, aerem, & regionem inhabitet calidiorem, vescatur cibis aromaticis, & floridiorem sanguinem gignentibus, seque plus solito exerceat, & alia peragat, ex quibus coloratior fieri possit; contrà verò cùm gestat marem, contrariis omninò rebus nonnaturalibus utatur, proculdubio indicium hìc allatum fallax erit: quippè in priori casu coloratior apparebit, etsi fœminam conceperit; in posteriori verò, penitùs decolorata videbitur, licèt marem gestet. Ita quoque dicendum in reliquis, quæ fœminis utero gerentibus, pro varietate graviditatis, accidere possunt: aliquando enim marem gestantes inappetentia tenentur, evomunt, bibulæ sunt, acida, & acerba appetunt, comedunt cruda, & excrementosa; unde nil mirùm, si compareant decoloratæ; contra verò gerentes fœminam, si in his omnibus cautiores sint, & eduliis vescantur melioribus, sanè coloratiores observabuntur. Quare remoto quocumque dispari accidenti, ac seclusa quacumque ægritudine, aliave causa externa, varietas ista colorum in gravidis, nonnisi ex ipsamet conceptione, & causis ad conceptionem concurrentibus petenda solùm erit.

Ratio autem istius varietatis desumitur ex varietate principiorum ad maris, ac fœminæ generationem concurrentium: Mares enim fieri perpetuò dicuntur ex fœcundiori, ac robustiori semine, fœmellæ verò ex debiliori, laxiorique: sanguis etiam, qui ad vitam illorum promovendam à matre influitur, in masculis vividior, floridiorque est; dilutior verò, & inefficacior in fœminis, quæ eadem ex causa excrementosiores esse consueverunt. Uterus pariter in conceptione masculorum calidior, & vegetior esse solet; frigidior verò, & imbecilior in formatione fœminarum. Quamobrem ex his omnibus meritò coloratiores videntur utero gerentes in maribus, quàm in fœminis præconceptis. Porrò semper ac ista omnia simul in graviditate concurrunt, fieri nequit, quin etiam totum corpus utero gerentis floridius, vegetiusque appareat, juxta commune Medicorum effatum ex Galeno, & Hippocrate depromptum: *qualis color apparet in facie, talis humor abundat in corpore*: atqui color floridus, vividus, roseus in cute, nonnisi ex sanguine puriori, floridiorique in venis, & arteriis contento, procedit, ut patet; unde communiter fatentur Medici sanguineos ad purpureum, cholericos ad flavum, pituitosos ad album, & melancholicos ad nigrum, fuscumque colorem inclinare; sicut ex adverso cute nigricantes, melancholiam, albicantes, pituitam, flavescentes, bilem, rubentes, sanguinem in venis prædominantem significare.

Quod hic Hippocrates generaliter dixit de gravidarum colore meliori, vel deteriori, ad dijudicandam maris, vel fœminæ gestationem, alii ad lentigenes, & maculas in facie apparentes revocant; inquiunt enim, fœminas utero gerentes masculos, faciem habere nedum coloratiorem, sed etiam nitidam; gestantes verò fœmellas, lentiginibus, & maculis cutaneis esse refertas. Alii ex coloribus papillarum in mammis idipsum præsagiunt, credentes, albicantes, vel flaventes papillas, fœminam, rubentes verò, vel etiam fuscas,

fuſcas, maſculum ſignificare. Plerique his non fidentes, potiùs ex tumore mamillarum, dextræ vel ſiniſtræ, & motu agiliori, vel tardiori utero gerentium, in inceſſu primo inopinanter habito, ac motione dextri cruris, vel ſiniſtri; itemque ex urinis tenujoribus, vel craſſioribus, magis, minuſve coloratis, crudis, vel coctis, necnon ex pulſibus majoribus in dextro, quàm in ſiniſtro brachio, aliiſque ſimilibus, idipſum præſagire ſatagunt.

Sed quàm vana iſta ſint, & futilia, quiſque veſtrum benè noverit, quippè, quæ ſolidis rationibus non fulciuntur, experimentis non reſpondent, & falsò à vulgaribus Medicis ſunt conficta. Atqui, ſi verum fateri licet, neque quod hìc ab Hippocrate traditur, veritati perpetuò conſonat, & quod ab Expoſitoribus adiicitur, longè magis erroneum eſt. Etenim nuperrimis obſervationibus Anatomicorum detectum, aliter prorſus generationem in viventibus haberi, ac ab antiquioribus Medicis eſt putatum: ubi enim ab his credebatur, maſculeum, & fœmineum ſemen ſimul unà commiſceri, & cum ſanguine menſtruo in unam maſſam intrà uteri cavum coadunari, & pro illorum varietate, atque efficacia majori, vel minori, unius, quàm alterius, maſculum, aut fœminam exoriri, magis ſimilem uni, quàm alteri; jam nunc ſatis, ſuperque innotuit, nullum ſemen revera à fœminis ſuggeri, ſed ſolùm materiam quandam albugineam, albumini ovi, per quàm ſimilem, molli, ſed duplici pellicula obvolutam, quæ ex earumdem fœminarum ovario per tubas Falloppianas, cùm fœcundata eſt, in uteri cavum delabitur.

Sed adhuc etiam à nobis aliàs eſt oſtenſum, præexiſtere in ovis mulierum rudimenta fœtuum; quare hæc referenda potiùs erunt ad materiam in ovariis præjacentem, atque ad rudem illam membrorum diſpoſitionem, quæ multò anteà ibidem congenita eſt ex varia corporum habitudine, & partium generationi deſtinatarum conſtitutione, ut propterea, quæ diſpoſitio ſexus, & organorum, huic vel illi ſexui addictorum præjacta eſt, ita in marem, vel fœminam procreatio definet: Id enim in multiparis animantibus tam patens eſt, ut longa probatione non egeat. In fœminis etiam humanis, quæ geminos, vel trigeminos pariunt, unico Chorio contentos, non aliunde fit, ut aliqui mares, aliæ fœmellæ oriantur, quàm ex præexiſtente in organis diverſi ſexus diſpoſitione. Sed & Gallinæ unico Galli concubitu plurima quoque edunt ova pariformiter fœcundata, ex quibus & mares, & fœminæ progignuntur, nonniſi ex vario præjacentium organorum apparatu: quod & in cæteris oviparis evenit.

Neque verò, quòd fœtus dicatur genitus ex ſemine, ac ſanguine calidiori, ſequi exindè neceſſariò debet, fœminam utero gerentem coloratiorem apparere; quin potiùs contra, non rarò viſum eſt, utero gerentes maſculum, longè admodùm ſeipſis decoloratas, ac defœdatas evaſiſſe; immò & nonnullas cœpiſſe ſtatim à primis menſibus cibos faſtidire, vomere, dolere, & alia plura, ac diverſa incommoda pati, unde poſtmodùm valetudinarii, imbecilleſque mares orti ſunt: quæ ſanè in geſtatione fœmellarum ſecùs evenere. Id ergo ſolùm in maribus fieri poteſt, quòd ſanguis, per vaſa umbilicalia nutricatui eorumdem

dem accedens, floridior, vegetiorque sit, designetque utero gerentem bona valetudine frui, adeòque roseus, ac venustus color vultus exurgat: Hinc autem robustiores solùm, vel contra debiliores partus, prægnosci poterunt. Verumtamen, ne fidem Hippocrati derogemus, dicere fas erit, id nonnunquam evenire, & quod ipse aliquando vidit, posteris tradidisse; cùm revera partus fœminei excrementosiores esse soleant, ob recollectam in utero, atque in toto ferè corpore, crudorum, & lymphicorum humorum saburram, unde sanguis serosior, minusque rutilans in causa esse potest, ut in fœmellarum gestatione, cutis universa, saltem in ultimis mensibus, defœdata pallescat.

APHORISMUS XLIII.

Si mulieri gravidæ in utero fiat erysipelas, lethale.

CUm Hippocrates hìc junxerit cum erysipelate uteri graviditatem, ut de eventu lethali judicium ferri posset, ansam præbet dubitandi, an erysipelas in utero perpetuò lethale sit: etenim si perpetuò lethale esset, profectò non fuisset necessarium adiicere mulieris graviditatem, cùm & citrà graviditatem quoque erysipelas utero contingens lethum afferre possit, tum ratione sui, quia morbus acutus est, tum etiam ratione partis affectæ, nempe uteri, qui ob consensum, quem retinet cum omnibus partibus principalibus corporis, quamcumque de causa afficiatur, periculosissimas ægritudines affert. Et quidem Cardanus non inutiliter adjectam putat graviditatem, quin tria illa simul conjungenda existimat, erysipelas utero contingens, & quo tempore fœtus geritur, nam subindè futurum inquit abortum, cujus causa mors postmodùm succedet.

Crediderim tamen ego, etiam sine graviditate, si revera erysipelas internum fiat, & substantiam uteri occupet, lethale esse, nam affecto erysipelate utero, secundùm propriam substantiam, nedum febris acutissima exoritur, verùm etiam gravissimis symptomatibus sociata; qualia præsertim sunt in illius ægritudinibus, delirium, vel lethargus, difficultas respirandi, & vomitus, consentientibus nimirùm cerebro, pulmone, & ventriculo. At verò quamvis morbus hic utero contingens lethalis sit, non tamen necessariò, & inevitabiliter mortem affert, cùm fieri possit, ut in salutem adhuc desinat, etiamsi uterus pessimè afficiatur; etenim à malè affecto utero vivere quoque possunt animalia. Cùm autem erysipelas infestat uterum in gravidis, non solùm damna imminent gravissima ex ipsomet erysipelate, sed etiam ex abortu, qui proculdubiò exinde accidet; utrumque autem difficillimè, immò haudquaquam superabit utero gerens, ut patet. Quod si erysipelas non internam partem, sed cutaneam, & externam uteri regionem occupet, facilioris semper erit resolutionis, dummodò in suppurationem non desinat, aut in gangrænam.

Sed quod dictum de erysipelate, an non idem accidat quoque ex inflammatione, si fortasè hæc in utero fiat? Et quidem dubitat Galenus, *inquisitione enim dignum* hoc in comm. ait, sed in neutram partem inclinat. Dubium autem augeri potest

ex maxima differentia, quæ intercedere ponitur erysipelas inter, & phlegmonem, seu inflammationem: illud enim fieri dicitur à bile, seu ut probabilius est, à sero sanguinis acriori; inflammatio verò à sanguine blandiori, temperatiorique.

Verùm inflammationem (si utero forsitan contingat) adhuc periculosam fore, nemo equidem dubitabit, attentis nimirùm nedum iis, quæ inflammationem ipsam comitantur, nempe ardore, dolore, tumore, febri, cæterisque symptomatibus, sed etiam, & potissimùm suppuratione, quæ exinde suboriri solet, unde postmodùm ulcus. At verò, quia inflammatio in utero rarior esse solet, cùm non tam facilè sanguis in ejus substantia hæreat, sed promptè per internam cavitatem egeratur, vel sursum in alios ductus recurrat, propterea factum, cur Hippocrates erysipelatis solùm hìc meminerit, illam verò tacuerit. Cæterùm scirrhi, aliique tumores, in longum tempus protrahi solent, & nonnisi cum ulcerantur, lethales fiunt.

APHORISMUS XLIV.

Quæcumque præter naturam tenues existentes utero gerunt, abortiunt, priùs quàm crassescãt.

NOn convenit inter Auctores, qui nam sit genuinus sensus hujus aphorismi, cùm & Galenus ipse multiplicem ejus referat expositionem, sed anceps deinde in quem flectat, non explicat. Et quidem num tenues, seu graciles natura, an potiùs ægritudine, ut adjectum illud *prçter naturam* indicare videtur, & num ex causis externis, puta inedia, exercitiis, vigilia, an verò ab internis, nempè à vitiato sanguine, graciles evaserint, non satis apertè edocet Hippocrates. At quamvis sub multiplici interpretatione, veritati adhuc consentaneus possit explicari; menti tamen Hippocratis consentiet magis, si dicamus illum hìc loquutum de extenuatis, & gracilescentibus, non quidem ex morbo, sed ex causis externis, potissimùm extrema diæta, aut ex aliquo accidente, quod mox à conceptu supervenerit: etenim cùm agat de gravidis, quibus, nisi benè valeant, concipere non contingit, profectò sanas, non autem morbo affectas, ipse comprehensas voluit. Et licet Galenus *de dieb. decretoriis* asserat, adhuc uteri gestationem quandam esse speciem ægritudinis; id tamen procedente graviditatis tempore solummodò intelligendum, haud tamen ipso primo, cùm concepturæ sunt, momento. Extenuatas itaque hìc sumere satius est, quæ à causis externis, potissimùm ex longa inedia, marcorem hunc contraxerunt, minimè verò ab internis causis ægrotare facientibus, quemadmodùm recensentur humores acres, acidi, aliique, quamvis & ab his quoque non rarò illas extenuari contingat, & abortiri. Cùm ergo accidit fçminas, cæteroquì benè valentes, utero concipere, mox verò inedia, aliave causa externa, à naturali, convenientiq; corporis habitudine deficere, & macerari, ut sensim extenuentur, & contabescant, planè fit, ut in longius tempus conceptum fçtum ferre non possint, sed ante tertium gestationis mensem abortiantur, illumque deponant. Causa autem ejuscemodi depositionis multiplex sanè esse potest, potior autẽ erit nimia uteri coarctatio, & contabescentia; siquidem etsi is primo gestationis mense

nullam

nullam sui expansionem subeat, ut conceptui, atque embryoni locum faciat, vix tamen fieri potest, ut succedentibus mensibus, non undequaque amplificetur, ac tumeat, quin etiam habitudine propria pinguefiat, & crassescat, esto reliquum totius corporis non pari molè adaugeatur, quemadmodùm experimur in his, quæ nausea, aut ciborum fastidio, vel etiam iteratis vomitionibus, ad plures hebdomadas, postquam conceperint, gracilescunt, utero intereà sensim intumescente, atq; citrà noxam fœtum conservante. At verò cùm extenuatio talis est, ut etiam illum in marcorem deducat, planè fit, ut convenienti expansioni minimè cedat, & fœturam ipsam comprimat, ac suffocet. Compertum autem est Anatome, uterum in gravidis sensim, sensimque nedum amplificari, sed evidenti magnitudine crassescere in suis membranis, glandulis, ductibus, cæterisque. Insuper post unum, aut alterum mensem à conceptu, ubi vasa umbilicalia nexum per placentam cum utero subierint, necesse omninò est, ut per arterias ubertim sanguis maternus, isque purus, & alibilis, in illius incrementum deferatur, qui si deficiat in matre jam extenuata, planè nequibit accedens fœtui vitæ favere, unde propterea exarescet, & decidet. Hinc non tam paucus sanguis, quàm malus, & ineptus causa marcoris existimandus, quippe tunc potissimùm animalia macrescunt, & extenuantur, cùm sanguis in illis dulci glutine privatus partibus nutricandis minimè appingitur, quin potiùs veluti dissolutus, & acris redditus respuitur ab iisdem, ut aliàs à nobis est animadversum; quamobrem tenello fœtui omninò incongruus cùm sit, abortum parit.

Sed quomodò fit, quæret aliquis, ut sanguis gignendo fœtui sit aptus, nutriendo verò ineptus, ac nocuus omninò? Verùm fallitur, quicumque suspicatur sanguinem generando fœtui inservire, cùm is ex præjacente ovo, à maris semine fœcundato, progignatur, & ut observarunt cum Harveo reliqui omnes Anatomici, nonnisi post vasorum umbilicalium productionem, per placentam in fœtum diffunditur, quod nonnisi secundo mense accidit, ut proinde falsum sit, quod Antiquioribus creditum, sanguinem concurrere ad generationem embryonis, cùm ad incrementum illius tantummodò, atque ad motum cordis, & vitam conservandam, conducere, sit jam satis, superque perspectum.

Abortiunt igitur non immeritò, quæ in ipso primo conceptu extenuatæ inveniuntur, cùm conservando, atque alendo fœtui pro dignitate sufficere non possint: Sed cur secundo mense, quod incautè fuit à Leoniceno prætermissum? Ratio in promptu redditur, quia per vasa umbilicalia, ut dictum, tunc in eum à matre sanguis influitur, qui cùm quantitate modicus, & qualitate nocuus esse soleat, tantùm abest, ut foveat, ac proficiat, quin potiùs officiat, & vasa prædicta, si fortassè per placentam utero sint alligata, dirumpat, ac dissociet; unde postmodùm abortus. Neque tamen omninò necesse est, ut secundo solùm mense abortus insequatur, cùm & ante, & post hoc tempus is accidere possit, prout major, vel minor, gravior, vel levior fuerit mala utero gerentis habitudo: plerumque autem evenit, ut circa hoc tempus istiusmodi fœtus abortiatur, cùm primò à matribus sanguinem per vasa umbili-

calia suscipiunt, ni tamen recta victus ratione usæ, & meliori salubritate potitæ, illæ præcaveantur. Verumtamen Hippocrates non temerè adnotavit *priusquam crassescant*; siquidem arduum planè videtur posse tam citò extenuatas gravidas puriori, abundantiorique sanguine refici, & carnibus impleri.

Quamvis autem anteà dictum sit, graciles potissimùm à causis externis redditas, hoc aphorismo comprehensas videri, si tamen à morbo, & causis internis extenuatas fœcundari, & concipere contigerit, eidem incommodo obnoxias fieri procul dubio credendum, cùm utræque causam abortus ab una emaciatione sortiantur; neque enim illæ abortiunt aliunde, quàm quòd plurimùm macruerunt; quare si causa in utrisque communis est, idem periculum timendum, quamvis verisimiliùs videatur, quæ nondum ægrotaverint, quàm quæ nuper à morbo convaluerint, concepire posse.

APHORISMUS XLV.

Quæcumque mediocriter corpora habentes abortiunt secundo, aut tertio mense, sine occasione manifesta, iis acetabula uteri plena mucoris sunt, & non possunt propter pondus fœtum continere, sed dirumpuntur.

QUod de gravidis emaciatis, & gracilescentibus, citrà morbum, superior aphorismus scriptus sit, sequentes hi duo clarissimè demonstrant; in hoc enim de prægnantibus mediocriter carnosis; & in alio de obesis verba facit; siquidem triplex in universum est corporis habitus, gracilis, obesus, & carnosus. Et quamvis in hoc textu dicat, *mediocriter carnosas*, has tamen ita vocat, uti differentes ab obesis, quæ nimirùm crassæ appellantur, ut in *sequenti aphorismo*. Itaque si carnosas mulieres contingat concipere, & postmodùm, sine manifesta occasione, secundo, aut tertio mense abortire, illas ait id speciatim pati; quia acetabula uteri plena mucoris sunt, & non possunt ex pondere, fœtum grandiorem redditum, diutiùs continere, sed dirumpi omninò necesse sit. Verumtamen debent carnosæ istæ mulieres esse aliunde aptæ, tum ad concipiendum, tum ad pariendum, quæ propterea aliàs conceperint, & salubriter pepererint; unde ea est differentia inter admodùm graciles, & obesas, ut illæ non pariant, quia fœtum ad maturitatem non perducunt, istæ verò non concipiant; & quidem vitio totius, & partium generationi dicatarum: mediocriter autem carnosæ abortiunt solùm ex accidenti, cùm cæteroqui benè conceperint, & conceptum fœtum, cum membrorum exacta dispositione compleverint.

Has igitur ait, si contingat secundo, aut tertio mense abortire, & quidem citrà quamcumque causam manifestam, aut ægritudinis, aut violentæ alicujus commotionis, id sanè ad acetabula uteri mucore plena referendum est. At quid pro uteri acetabulis intelligere voluerit Hippocrates, non benè constat apud Interpretes, cùm in græco textu scribantur *Cotyledones*. Galenus *in comm.* auctoritate Praxagoræ pro his explicat, *ora venarum, & arteriarum, quæ feruntur ad uterum*: Cardanus placentulam carneam, per quam vasa umbilicalia fœtus utero adnectuntur: Alii vasa ipsa umbilicalia: & alii universum

uteri cavum innumeris glandulis interſperſum. At appoſitè magis ex Anatome, Cotyledones, ſeu Acetabula uteri intelligenda ſunt oſcula illa ex glandulis ejuſdem hiantia, aut quo tempore menſtrua repurgari debent, aut tempore conceptionis, cùm placenta utero adnaſcitur, ut umbilicalibus vaſis adnectatur pro ſanguinis circuitu in fętu. Cùm enim Hippocrates, nedum in gravidis mulieribus, ſed extra graviditatis tempora de uteri cotyledonibus meminerit, planè conſtat, neque placentam, neque vaſa umbilicalia, aliave, tempore conceptionis prodeuntia, intelligere pro ipſis voluiſſe, quemadmodùm deducere eſt ex primo *de morbis mulierum*, unde deſumptus quoque videtur hic aphoriſmus: ibi enim dicitur, *ſi acetabula pituita plena fuerint, menſes fiunt pauciores; & ſi utero gerat fœmina, fœtus non corroboratur, ſed corrumpitur, ac defluit, &c.* Quin & *lib. de locis in homine*, & *lib. de articul.* in oſſium commiſſuris Cotyledones quoque conſiderat. Verumtamen etiam placenta, vaſa umbilicalia, uterus ipſe, & quæcumque ad conceptum, & nutricationem fœtus faciunt, ſi quoquomodò infarciantur, & tumeant, abortus pari de cauſa ſubſequi poterit. Hinc nedum mucus, ideſt craſſus, lentus, & viſcoſus humor partes has ſi oppleat, & infarciat, in cauſa erit, ut abortus inſequatur, ſed etiam ſanguis, ſi craſſior plus juſto ſit, & glutinoſior, aliudve vitium contraxerit, quo potiùs hæreſcat, quàm diffluat; licèt in moderatè carnoſis, veluti Euſarchis, non tam facilè iſta contingant.

At unde eſt, ut à cotyledonibus mucore oppletis, abortus accidat, inquiſitione ulteriori dignum videtur, cùm pauci ſint, qui ejus cauſā afferant: & Galenus *in hoc comm.* ne verbum quidem facit ejuſcemodi abortionis, & nonnulli ad relaxationem ligamentorum, aut vaſorum umbilicalium: quidam ad gravamen, quod uterus, ac fętus ipſe à lentis, craſſiſque ſuccis patitur; alii verò ad defectum alimenti, cùm ſanguis propter ejuſmodi ſuccorum lentorem, non benè poſſit permeare, & in fœtus nutricationem ſubire, cauſam referunt. Verùm crediderim ipſe non unam ſemper, eandemque in his eſſe abortus cauſam; nam moderatè carnoſæ fœminę cùm conceperint, non eodem perpetuò, ſtatutoque tempore abortiuntur, ſed quandoque ſecundo, aliquando tertio, aut etiam quarto menſe, ut adnotat Galenus *6. de loc. affect. cap. 5. & lib. de uteri diſſectione*; unde fit, ut ab ejuſcemodi craſſis, glutinoſiſque humoribus, diverſimodè uterum, & fœtum incommodantibus, abortiendi occaſio oriatur. Primo etenim, & ſecundo menſe, impedimento ſunt Placentæ (membranæ ſiquidem Amnios, & Chorion, circumveſtientes fœtum, ſunt in ovo, unde fœtus prodit) ne utero veluti fungus adnaſcatur, & adnata firmiter hæreat cum ſuis vaſis umbilicalibus. Tertio menſe, ne ſanguis convenienter depuratus deferatur per arterias umbilicales in fœtus corpuſculum, aut etiam detineatur, & reſtagnet in Placenta ipſa ad ejuſdem perniciem, impedita quoque plurimùm ſanguinis per venam umbilicalem remeantis circulatione: Quarto tandem menſe præter hæc, etiam alimenti defectus accedet, ob ſuperincumbentis placentæ ab inutilibus humoribus obſtructæ, ac tumefactæ gravamen, nec non uteri ad ſui expanſionem, cæteroqui pro gran-

grandiori fœtu summoperè necessariam, non exiguam resistentiam, immò evidentem repugnantiam, ut scitè etiam advertit idem Hippocrates *lib. de sterilibus*, *& lib. de natura muliebri*.

Neque verò quis hinc existimet, perpetuò in his futurum abortum uno, vel altero ex memoratis mensibus, ab ejuscemodi crassis, viscosisque succis; nam Hippocrates nonnisi ex conditione loquitur, si mediocriter carnosæ abortierint, & nulla alia causa pateat, ob quam abortus acciderit, sive externa, sive interna, asserit esse acetabulorum à mucosis humoribus oppletionem, ut propterea hoc aphorismo occultam causam talis abortus aperiat, cui prudens medicus cautè opituletur, & opportunè succurrat, vel saltem in posterùm succedentibus conceptibus illam præcaveat, ne simili infortunio immaturè delabantur; hinc aphorismus, quòd ad causam est dignotivus, & quòd ad abortum est prognosticus. Mucosi autem isti humores plerumque in gravidis gignuntur à mala victus ratione, qua ipsæ utuntur, cùm & cibariis non rarò vescantur acerbis, & crudis, & potionibus largioribus, ac gelidis indulgeant. Quomodò tandem acetabulorum uteri laxitas, ac mucositas dignosci, & curari possit, docuit idem Hippocrates *cit. lib.* 1. *de morbis mulierum*, *& lib. de natura muliebri*.

Ab acetabulis mucore oppletis aliam deducit in hoc aphorismo Hippocrates abortus causam, quia inquit, *illa non possunt ex pondere fœtum continere, sed dirumpuntur*. Siquidem cùm acetabula viscosis, lentisque humoribus opplentur, nedum mollescunt plus justo, & delaxantur, sed tumescunt, & gravitant, unde facilè simul cum placenta dissociantur ab utero, adeòque fętum eidem adnexum sustinere nequeunt, quinimmò nimio pondere superincumbentia illum jam primis mensibus tenellum, suisque secundinis inclusum comprimunt, & suffocant, adultum verò in cæteris præ mollitie, & nimia laxitate, firmiter utero alligatum continere non possunt, ut exemplo fructuum suis pediculis arboribus adhærescentium perbellè quidem edocuit Galenus 4. *aphor. comm. primo*.

APHORISMUS XLVI.

Quæcumque præter naturam crassæ non concipiunt utero, iis omentum os uteri comprimit: & prius quàm extenuentur, non concipiunt.

De obesis nunc differit, atque in illis causam exquirit quamobrem concipere non soleant, nam haudquaquam simpliciter inquit illas non concipere, cùm & aliquando concipiant, ac salubriter pariant. Sed solùm edocet, unde sterilitatem in illis coniicere possimus, si cæteroqui benè valentes, citrà quamcumq; causam manifestam, steriles observentur. Hinc non abs re addit, *non concipiunt utero*, ut nimirùm ab utero solùm hìc causam deducat. Et quamvis sterilitatis causæ plures aliæ esse possint, de quibus idem Hippocrates *lib. de sterilibus*, hìc tamen illam duntaxat memorat, quæ ex habitu corporis dependet, pari ratione, ac de cæteris habitibus anteà meminerat.

Quoniam verò corporis habitus crassus, seu obesus, duplex esse potest, ut docet idem Hippocrates *c. lib. de sterilibus*, *& de superfetatione*, atque advertit etiam Galenus *in comm.* alter ex propria natu-

ra, alter ex vitæ ratione, distinguere sanè oportebit, de quo speciatim sit hoc loco intelligendus. Et quidem propria natura crassæ, seu obesæ, non semel concepisse, ac vitaliter peperisse visæ sunt, satagente nimirùm natura, ut partes corporis universæ convenienti mole ita construantur, & increscant, ut altera alteram in suis operationibus non impediat. At verò, quæ supra modum, & citra naturalem constitutionem pinguiores evaserunt, puta à ciborum ingluvie, potibus immoderatis, somno, otio, cæterisque, difficulter concipere consueverunt. Quam eandem sententiam clariùs idem Hippocrates expressit *cit. libr. de superfetatione*, his verbis: ***Mulier, quæ præter naturam crassa est, ac pinguis, & pituita repleta, non concipit hoc tempore; quæ verò ex natura talis est, horum gratia concipit, si non aliud quidpiam ipsam impediat.***

Quamvis autem totius corporis obesitas conceptioni promovendæ impedimento esse possit ob nimiam vasorum exilitatem, & sanguinis crassitiem; speciatim autem illi officit partium in abdomine contentarum, & præcipuè omenti immoderata pinguedo: id enim sua natura in cunctis animantibus multa pinguedine refertum, longè admodùm corpulentius, & pinguius in obesis fœminis evadit; unde fit, ut ingenti mole nedum tumeat, & elongetur, sed plurimùm quoque subjecta viscera aggravet, & comprimat; cumque inter hæc uterus sit, planè præ cæteris, si potissimùm emineat, ejusmodi patitur incommodum, adeòque seminis receptioni, retentioni, & conceptioni ineptus evadit, neque solùm, ut hic Hippocrates recenset, ab illius internæ valvæ compressione, quasi verò hac de causa fœcundantis seminis vim, atque efficaciam is excipere non possit, cùm & undique comprimatur, & coarctetur; sed etiam ex eo, quod ovarium in ipsis multa pinguedine obsitum, neque grandescere, neque per tubas in uteri cavum elaboratiora ova deponere possit, quemadmodùm experimur in gallinis, quæ pinguiores plus justo redditæ, ova nec gignunt, nec pariunt. Constat insuper in obesis sanguinem majori ex parte in pinguedinem verti, nec tam vividum esse, ut in gracilibus.

Subdit tandem Hippocrates id illis accidere, priusquam extenuatæ fuerint, & quidem sive medicamentorum usu, sive alimentorum inopia: Quod latè edocuit *lib. de natura muliebri*, inquiens: ***si præter naturam crassa facta fuerit mulier, non concipit in ventre, nam omentum multum, & crassum incumbens uteros deprimit, & genituram non suscipit. Hanc igitur attenuare oportet, & medicamentum per inferna purgans bibendum dare: uteris verò apponere, quod illos purget, & flatus inducat.*** Hinc edocemur fœminas ejuscemodi obeso corporis habitu præditas, ut ad conceptionem, & generationem disponantur, oportere priùs extenuari, atque in meliorem, moderatioremque statum reduci, non solùm victu frugaliori, & vim extenuandi habente ipsis indicto, itemque exercitiis, consuetis evacuationibus, & aeris tenuioris incolatu, sed etiam medicamentis crassos, glutinososque succos incidentibus, atque per alvum, & urinam potissimùm evacuantibus, iisque pariter, quæ uterum repurgent,

gent,

gent, & capaciorem reddant: quamvis ista aliquandò etiam opportunè præstita, neque satis esse soleant. Porrò haud inutile erit advertere, quod in hanc rem Lucretius admonet 4. *de Natur. Rer. propè finem*, dum inquit:

Nam steriles nimiùm crasso sunt semine partim:
Et liquido præter iustum, tenuique vicissim
Tenue, locis quia non potis est adfigere adhæsum
Liquitur extemplo, & revocatum cedit ab ortu;
Crassius hoc porrò, quoniam concretius æquo
Mittitur: aut non tam prolixo provolat ictu:
Aut penetrare locos æque nequit: aut penetratum
Ægre admiscetur muliebri semine semen.
Nam multum harmoniæ Veneris differre videntur,
Atque alias alii complent magis: ex aliisque
Suscipiunt aliæ pondus magis, inque gravescunt:
Et multæ steriles Hymenæis ante fuerunt
Pluribus: & nactæ post sunt tamen, unde puellos
Suscipere, & partu possent ditescere dulci:
Et quibus ante domi fecundæ sæpe nequissent
Uxores parere, inventa est illis quoque compar
Natura, ut possent natis munire senectam:
Usque adeò magni refert, ut semina possint
Seminibus commisceri genitaliter apta,
Crassaque conveniant liquidis, & liquida crassis,
Quæ cui juncta viro sit fœmina per Veneris res.
Atque adeò refert, quo victu vita colatur:
Namque aliis rebus concrescunt semina membris;
Atque aliis extenuantur, tabentque vicissim, &c.

Verùm Hippocrates *lib. de superfetatione*, ut obesæ mulieres fertiles reddantur, hæc etiam à viris exigit, ut non sint ebrii, neque vinum album bibant, sed quod fortissimum est, ac meracissimum, itemque edulia fortissima, & calida non lavent: robusti autem sint, & sani, & à cibis abstineant ad rem non conferentibus, & ubi marem generare voluerint, mensibus desinentibus, aut defectis, misceantur, & quàm penitissimè intrudant, donec desæviant. In idem facit, quod idem Auctor edocet. *lib. de aere, aquis, & locis*, ubi crassas mulieres (quales Scythas esse ait) non concipere subdit, quia os uteri propria pinguedine ita coarctatur, ut nequeat suscipere, aut admittere semen. Quæ denique sint in universum ad concipiendum aptiores, vel ineptiores, idem Auctor edocuit 2. *libr. prædictionum* inquiens: *Parvæ ad conceptionem præstantiores sunt majoribus, tenues crassis, albæ rubicundis, nigræ lividis. Quæ item venas conspicuas habent, meliores sunt, quàm quibus non apparent. Carnem autem uberiorem habere, aniculæ malum est: Mammas autem tumidas, ac magnas, bonum.* Conferenda his quoque erunt, quæ idem Auctor latè congerit pluribus aliis in locis, præsertim verò *primo de morbis mulierum, de natura muliebri*, & *lib. de sterilibus*, unde plurima, quæ conceptionem retardare,

dare, vel promovere possunt, quis utiliter deducet.

APHORISMUS XLVII.

Si uterus in coxam vergens suppuratur, necesse est, linamentum fieri.

NOn unius, sed multiplicis dissensionis causam præbuit Expositoribus hic aphorismus. Sunt, qui volunt, non fuisse hoc loco reponendum: Alii nullatenùs uterum in coxam vergere posse contendunt: Quidam, rem nimis vulgarem, & lippis, ac tonsoribus notam continere autumant, veluti ad curationem suppurationis ejusdem pertinentem. Reliqui demùm omnes sensum illius in varias, diversasq; sententias ita distrahunt, ut nedum mentem Hippocratis nullatenùs assequantur, sed nec quid voluerit per ipsum edocere percipiant, quin potiùs alter in alterum conviciis, & exprobrationibus invehatur, præsertim, ut exponant dictionem illam *linamentum*, quod græcè *ἔμμοτον* scriptum est. Verùm nulla erit in aphorismo difficultas si anatomen, & experientiam attendamus.

Et quidem licèt ipse in illorum sententiam non iverim, qui putant uterum loco moveri posse, cùm satis notum sit, eum quatuor ligamentis, iisque validissimis utrinque alligari, quia tamen ex his anteriora ligamenta in inguina, adeòque in utramque coxam protenduntur, facile fit, ut alterutrius oppletione, tumefactione, relaxatione, aliave simili ægritudine, procumbat in alterutram partem, & tumorem, inflammationemque ibidem pariat, transpositis una simul exinde diversi generis recrementis, præsertim ex impuro sanguine, fortasse nec convenienter per menses repurgato, procedentibus. Quamobrem fieri subinde potest, ut postmodùm ibidem restagnans sanguis in fermentationem indebitam deducatur, computrescat, & suppuretur, & simul etiam uteri substantiam putrefaciat. Rectè igitur inquit Hippocrates, *si uterus in alterutram coxam vergat* à delapsu scilicet vitiosorum humorum, necesse est *Emmoton* fieri, à suppuratione ibidem contracta.

Sed quid pro *Emmoton* intelligere voluerit, in hoc graviora litigia: siquidem Interpretes inter sese nullimodè conveniunt. At ipse nullo negotio Hippocratem cum Hippocrate interpretabor; Is enim *libr. de Articulis*, qui ulcus cavum, & exesum ex suppuratione contraxerunt, quod scilicet curationem per linamenta expostularet, Emmotos appellat; ut propterea hinc deducere fas sit, Emmoton fieri uterum, cùm in coxam vergens suppurationem subierit, quoniam inde necesse est, ulcus cavum, & sinuosum exoriri, quod nonnisi penicillis, seu pessariis ex concerptis, & contortis linteis, tractari, & curari potest. Itaque voluit potiùs Hippocrates hoc aphorismo Medicos docere, cujusmodi sit ex uteri suppuratione futurum ulcus, non autem curationis methodum, aut medicamenti genus, quod pro curatione ipsa sit adhibendum: nam præterquamquod ista non videntur hic opportunè, aut convenienter memorata, sunt planè omninò indigna, ut inter aphorismos recenseantur, ut proinde aphorismus dici debeat prognosticus potiùs, quàm curativus. Cæterùm istiusmodi

V. Gal. Comm. 3. 55. ejusdé lib.

modi ulceris curationem proponit idem Hippocrates *lib. de superfetatione*.

APHORISMUS XLVIII.

Fœtus, mares quidem in dextris, fœminæ verò in sinistris magis.

SEntentiam hanc veluti à Vetustioribus communiter receptam placuit Hippocrati inter aphoristicas referre, utque illam non perpetuò veram designaret, non irrationabiliter addidit adverbium *magis*, cùm non semper mares in dextra, & fœminæ in sinistra uteri parte gignantur, licèt id ratum omninò fuerit Anaxagoræ, & Empedocli, quos tamen redarguit Aristoteles 4. *de gener. animalium cap.* 1. *&* 7. *de hist. eorumdem cap.* 3. At verò huic sententiæ conatus est Hippocrates adjicere rationem 2. *epidem. sect.* 6. *&* 6. *epidem. sect.* 4. illamque referre in vigorem, caloremque partis dextræ, sinistræ præpotentiorem; unde etiam semen in dextro teste contentum vividius, & efficacius quoque existimavit: quamobrem *lib. de superfetatione* consulit ad gignendos mares conferre plurimùm, si sinister testis obligetur, ut totum semen in concubitu è dextro, non è sinistro, in uterum effluat; quin & cuncta viscera in dextra corporis parte posita, cæteris robustiora existimavit *cit.* 2. *epidem.* inquiens: *secundùm naturam plurimam vim habet mamma dextra, oculus dexter, & quæ intra sunt hac parte.* At ista non tanti sunt, ut contrarium sæpenumero minimè successurum evincant, cùm sæpissimè sit expertum, & fœminas, & mares indifferenter genitos, & gestatos fuisse in alterutra uteri parte; quo factum, ut plerique Medicorum in præsagiendis ejusmodi partibus, non sine eorumdem derisu, falsi fuerint, hoc aphorismo confisi. Neque præterea verum est, fœminas in generatione semen effundere, quod cum semine maris commistum, pro varia utriusque vi, atque efficacia, modò masculum, modò fœmellam efformet. Nam ex Anatome satis superque jam constitit, illas nonnisi ovum suis pelliculis obvolutum, in quo rudimenta fœtus præjacta manent, in uteri cavum deponere; mares verò suo solùm semine illud fœcundare, atque in motum, expansionemque membrorum adigere, ut aliàs est quoque à nobis explicatum. Si itaque contingat ex ovario abruptum, semotumque ovum in uterum deponi per dextram, sinistramque ejusdem tubam, quod jam masculini sexus dispositionem fuerit præsortitum, atque à robusto semine maris fœcundatum, masculus orietur; contra verò fœmella; nihilum ad id conferente loci conditione dextra, vel sinistra, cùm utraque, & pari calore, & non dissimili venarum, ac arteriarum propagatione, foveatur. Fortè autem accidit, ut ova vividiora, meatus latiores, & dextra uteri pars robustior evaserint, quia universa pars dextra corporis, brachium, latus, crus, pes, horumque musculi, veluti magis exercitata, grandiora, agiliora, & in omnibus operibus efficaciora præ cæteris fuerunt. Hinc levis omninò est conjectura illa, quam plerique deducunt à pondere, motu, calore alterutrius lateris, ut fœtum masculinum, aut fœmininum in utero gestari præsagiant, sicut & aliæ plures ad hoc idem à pluribus aliis adhibitæ, utpotè quæ falso innixæ fundamento sæpissimè fallant. Porrò non

V. etiam Hipp. de Nat. puer & Gal. 14. de usu part. c. 7.

non irrationabiliter credere est, plurima istorum, quæ in aphorismis continentur, licèt in operibus Hippocratis scripta inveniantur, non fuisse tamen ab eodem inter aphoristicas sententias redacta, sed ab aliis successoribus recollecta, huc illucque sparsim fuisse interposita.

APHORISMUS XLIX.

Ut secundæ procidant, sternutatorio apposito, nares comprime, & os.

SIcut anteà dixerat *Aphor.* 35. Mulieri difficulter parienti sternutatio superveniens bonum; ita nunc ad deturbandas secundinas illam arte excitandam admonet, & quidem auxilio cunctis obvio, ne scilicet illæ diutius intra uterum ab edito fœtu detentæ, repurgandis inde recrementis impedimento sint, ac mox putrefactæ, nedum gravia inferant symptomata, sed & mortem inevitabiliter, nisi penitus depellantur: comparatum namque Natura est, ut ad maturitatem perductus fœtus jam jam se partui accommodet, ac deorsum in uteri valvam procumbens, diruptis jam spoliis, proprio nisu, & ipsius parturientis valido conatu efferatur in caput, mox verò secundinæ procidant cum sanguineis super. fluitatibus; quamquam, & non rarò accidat, simul unà fœtum suis obvolutum involucris in lucem prodire. Sunt autem ista in hominibus *Amnios*, & *Chorion*, cui adnexa est Placenta uterina; Vasa verò umbilicalia sunt duæ arteriæ, una vena, sed major, & Urachos. Quoniam verò in umbilici, seu umbilicalium vasorum resectione, non levis error quandoque ab obstetricibus committitur, puta si intempestivè, si inæqualiter, si non debito modo, aut loco resecentur; proinde fit, ut illa retracta, atque contorta in uteri cavum revolvantur, aut etiam fortasse dirupta, secundùm partes utero alligata remaneant, unde postmodùm incommoda plurima, immò manifestum vitæ periculum. At verò neque salubriter egeruntur, si primo loco, & ante partum prodeant, exarefacto nimium utero ab intempestiva illarum ejectione.

Cùm ergo contingit illa à partu detineri, omnis industria adhibenda est, ut quo citiùs fieri possit, expellantur; in quam rem plura solent à Medicis commendari, nedum ad exturbandas secundinas, sed etiam ad expellendum fœtum mortuum; verùm hoc loco ab Hippocrate proponitur facilè, ac promptum auxilium ab incusso sternutamento desumptum, etenim per sternutationem totum corpus vehementer concutitur ad expulsionem ejus, quod nares, & processus mamillares molestat, atque proritat, ex cujus vehementi concussione uterus non leviter commotus, facillimè deponit, quod interius reconditum, eique alligatum est.

Sed quid est, quod Hippocrates in hoc aphorismo vult observandum, ut imposito sternutatorio nares deinde apprehendantur, & os claudatur? Neutiquam planè, ut à plerisque putatur, quia detentus spiritus per œsophagum inferius protruditur, & uterum comprimens, ad sui exonerationem, fœtusque depositionem, eundem compellat. Id namque nullatenùs crediderim, cùm neque aer per eas partes ferri, neque eò delatus vim, aut impulsum utero tribuere possit. Existimaverim proinde potiùs impetum ea industria afferri majorem pe-

ctori,

ctori, ac diaphragmati, quod propterea expansione majori comprimat, impellatque subjecta viscera, præ primis autem uterum mole sua, & à retentis secundinis tum turgidum; Quin & obturatis naribus, & ore, vis medicamenti sternutationem moventis penitiùs se inserit, atque nedum nervos per nares diffusos, sed etiam, qui è vaga conjugatione promanant, vehementiùs lacessit, atque motum quendam, ferè spasmodicum, per subjecta viscera, & uterum ipsum excitat, quo tandem detentæ secundinæ extrudantur. Neque enim sternutatio levis motus concussivus est, aut naturalis, sed violentus, ac præternaturalis, saltem à causa irritante, & vellicante meninges, ut quod noxium est, & cerebro infensum, expellatur; quamobrem Galeno 2. *de symptom. causis cap.* 3. dicitur quidem sternutamentum promotum à natura, sed non sine vi, atque irritamento causæ morbosæ, excitatum, ut propterea aliquando acciderit, ex quadam pestilentia, ęgrotantes iteratis sternutationibus infeliciter periisse, quippe quæ designabant causam illarum adeò malignam, & deleteriam, ut non solùm naturę expellenti minimè cederet, sed cerebrum ipsum prava contagione depravaret, ac tandem in exitium deduceret.

Quibus denique medicamentis id peragi debeat, quamvis hoc loco Hippocrates non explicet, alibi tamen illa describit, ex pulveribus nasturtii, hellebori albi, piperis, sinapis, pyrethri, nigellæ, & similium acrium medicamentorum, tenellas narium membranulas, ac meninges ipsas cerebri proritare valentium; quod nunc, nostra ætate, usu tabaci passim fieri solet, adjecto præsertim, si libuerit, modico pulveris cyclaminis leni calore siccati, atque ad clibanum leniter etiam torrefacti. Sunt etiam succi herbarum, qui idipsum potenter efficiunt. Sed & Hippocrates ipse potiones quasdam exhibet ex succo artemisiæ expresso cum vino albo: quod efficacissimum remedium est ad expellendas secundinas, fœtumque mortuum; Dictamnum quoque creticum, & album, fæcula bryoniæ, borax mineralis, extractum granorum chamæactes, & alia hujus generis plurima, in idem conferunt, ut apud Medicinæ practicæ Professores passim est legere.

APHORISMUS L.

Mulieri, si velis menstrua cohibere, cucurbitulam quàm maximam ad mammas appone.

Maximum, quod fautrix Natura mulieribus ad salutem largita est, auxilium, Catameniorum est lunari revolutione repurgatio, quæ, non aliter, ac in reliquis consuetis evacuationibus, debitam quantitatem, convenientemq; modum servare debet, ut juvet, ac nullatenùs officiat; siquidem omne nimium Naturæ inimicum est: iisque plus justo fluentibus morbi eveniunt, ut dicitur ab eodem Hippocrate *hoc eodem* 5. *aphor.* 57. Et quidem aliquando ita immodicè fluunt, ut exanimes non rarò deferant mulieres, vel saltem illas in pessimas ægritudines deducant, potissimùm cachexias, hydropes, apoplexias, &c. Dicuntur autem immodicè fluere, vel cùm singulis mensibus, servata temporis opportunitate, ad certos dies affluenter erumpunt; vel cùm continuatis diebus, nulla, vel modica

dica intermissione data, profluunt, ut in profluvio muliebri, quin & aliquando, non sine molestiis, torminibus, & præcordiorum anxietatibus. Verumtamen in utrisque purus, syncerusque sanguis egeritur; nam si fortasse serosus, aut lymphicus, aut etiam mucosus, & albicans appareret, vel si loco sanguinis, perpetim expurgetur ichor, sanies, aut pallidus humor, ut in fluore muliebri, sicuti evacuationes istæ per uterum nullum sanguinis vestigium referrent, ita nec ad immoderatas ejusdem evacuationes, neque ad sententiam hanc aphoristicam pertinerent, in qua solùm immodica mensium quantitas, non qualitas consideratur.

Præterea, quia multum, & paucum ad aliquid referuntur, attendenda quoque erit cujuslibet menstruantis mulieris constitutio, & habitudo corporis, itemque consuetudo, & mos excretionis, vita anteacta, idque genus alia: nam succiplenis, otiosis, opiparis, vinosis, largior semper esse solet ejuscemodi expurgatio; contra verò parcior exercitatis, debilibus, frugalemque vitam ducentibus. Hinc pleræque solent ad integras hebdomadas menstruare citrà ullum vitæ incommodum, immò salubriter; aliæ verò vix uno, aut altero die.

Contingit autem istiusmodi mensium immoderata evacuatio, aut vitio sanguinis, aut vitio vasorum uteri, unde is effluit. Et quidem vitio sanguinis, si ex propria sui constitutione, ac natura, plus justo per id temporis, quo in motum, & exitum adigitur, in suis particulis vividioribus, ac volatilibus turgeat, & ampliorem locum exquirens, facta in eum impetuosa irruptione, diffundatur; vel si adepta, à non benè repurgatis sui recrementis, acritate, latiorem vasorum anastomosim sibi faciat, ac factam occludi non permittat. Quam verò Veteres inculpabant plethoriam, & immodicam in vasis sanguinis superabundantiam quis unquam admiserit? Si præsertim consideraverit sagacem Naturæ solertiam, quæ sicut in necessariis non deficit, ita nec in superfluis abundat, nisi ex accidenti, aut quia vasa reddita sunt incapacia, aut quia non mole, seu quantitate, sed euphoria, ac orgasmo, ab intruso chylo fortassis energetico, & particulis plus justo mobilibus saturo, tumultuaria commotio in eodem excitatur, cum turgentia, seu potiùs vehementiori fermentatione, ut proinde vasa ampliora fieri necesse sit, & tantùm non dirumpi: quòd & aliquando contingit, non solùm in apicibus, ac osculis arteriarum, aut venarum, verùm etiam in ipsis meatibus, & glandulis, si præsertim aliqua de causa flaccescant, aut laxiorem natura sortitæ sint structuram. Atque hinc alterum in eruptionibus immoderatis vitium exurgit ex defectu vasorum uteri, vel ut plus justo laxa, distenta, aut aliter malè affecta, facilè aperiantur, vel etiam, ut erodantur, & difficulter nimis deinde coarctentur. Seclusa ergo cujusvis alterius humoris, quàm sanguinis, evacuatione, undecumque illa proveniat, consulit hìc Hippocrates, in omnibus immodicè fluentis sanguinis vitiis, cohibentia, & sistentia medicamenta esse adhibenda, è quorum numero nunc speciatim meminit cucurbitularum, veluti, quæ externè adhibitæ, citrà magnum corporis incommodum, & absque, eo quòd humores, & sanguis ipse, interiùs perturbentur, aut alterentur, promptè, ac faciliter fluentem san-

sanguinem sistere possunt. Neque verò vereri est, quòd vitiosus, acris, aut acidus fortasse sanguis intra venas, aut arterias detentus, viscera ipsa inficere, & alias ægritudines excitare possit; siquidem in his longè magis prævalet desumpta indicatio ab immoderata sanguinis evacuatione, unde vires repentè concidunt, ac syncope, & mors certò certiùs imminet: Ab immodica namque sanguinis effusione, cujuscumque conditionis ille sit, aut undecumque effluat, effractis viribus, partes cunctæ corporis collabascunt, atque interrupto cordis, & arriarum motu, vita ipsa deficit. Ut autem hanc evacuationem ab aliis excrementorum expurgationibus sejungeret Hippocrates, illamque non alteriùs ægritudinis ratione, vi, aut violentia inductam, sed consueto tempore, & cum debitis circumstantiis prodeuntem per catamenia speciatim designavit, quæ nonnisi comprehendunt mensuram per uterum purgationem, eamque opportunam, convenientem, & salubriter à Natura institutam, ut corpora fœminarum à suis impuritatibus repurgentur, & uterus veluti per ipsam irroratus, & ablutus, ad fœcunditatem, conceptionem, generationemque sit dispositus; unde si contingat excedenter fieri, & ultra id quod usus postulet, cum vitę pernicie, consulit esse cohibendam. Quamobrem non immeritò inquit, *si velis cohibere*: idest si plus justò fluant, atque ex immoderato profluvio expediat cohibere; nam id velle debet prudens Medicus, quod rationabiliter agendum expedit, ne ab evacuatione, quæ cæteroqui salutaris esse solet, in morbum, aut vitæ periculum, patiens adigatur, quemadmodùm in catameniis immoderatis, non rarò mulieribus accidit.

Admonet eapropter cucurbitulam magnam ad ubera esse apponendam, tum quia hoc medicamenti genus promptè potest adhiberi, ne fluenti sanguini induciæ præbeantur in vitæ perniciem, tum quia apud Veteres frequens erat illarum usus, ut deducitur ex eodem *libr. de prisca Medicina*, & *de Medico*; tum etiam quia medicamentum est de genere eorum, quæ extrinsecùs adhibentur, & momento ferè temporis opitulantur; unde Avicenna 21. 3. *tract. 3. cap. 4. ventosam magnam*, inquit, *sanguinem in una hora retinere*; & licet unius, sed magnæ cucurbitulæ hìc meminerit Hippocrates, ut exinde maxima sequatur ad mammas retractio, & vasorum inde perreptantium compressio, & constrictio; nil tamen vetat, quin etiam plures, & minores admoveri non possint, si fortassis major, & amplior timeatur: Atqui cùm ad mammas hìc dicat, & 2. *epidem. sect. 6.* (unde aphorismus hic fortasse desumptus est) scriptum sit, muliebribus menstruis cohibendis cucurbitulam maximam juxtà mammam adhibendam; ansa plerisque data est, num supra, vel infra mammas admovendæ illæ sint. Et quidem Galenus *in hoc comm.* & Avicenna *cit. loco* infra, & sub mammas interpretantur, ubi venæ mammariæ cum uterinis conveniunt, & majorem videntur inter sese inire consensum. Verùm ex hoc non rectè evincitur, quamobrem non etiam supra mammas illæ possint admoveri, præsertim cùm consensus hic non per venas, sed per arterias potiùs habeatur, ut ex Anatome jam satis constitit; quinimmò sanguis, post detectam ejusdem circulationem, per arterias

ad

ad uterum defertur, non per venas, quæ deinde in jecur omnes contendunt. Attamen notabilis est observatio Jo: Ferdinandi Hertodii memorata *in Ephemeridibus Germanicis Anno* 1.*obs*.6. qua uteri cum mammis consensus apertissimè detectus est. Sed & cunctis notum, à mammarum iterata, assiduaq; contrectatione uterum ad sui repurgationem sollicitari, unde etiam experimur enixas à suctu lactis, atque à fomentis uberibus applicitis, plurimùm juvari ad puerperiorum evacuationem, indeque etiam exoriri majorem in natos affectum, ac nutricum in lactentes suos, etsi non à seipsis genitos, parem matribus amorem, ac benevolentiam, à frequenti, & diuturna per illos mamillarum contrectatione, suctioneq; ob quam voluptuosam illæ in utero percipiunt sensionem. Hinc quoque fit, cur ad unius defectum, altera evacuatio promoveatur, & supervenientibus menstruis lactis profusio diminuatur, aut etiam desinat. Cæterùm, cùm occasio tulerit, ut ad mammas cucurbitulæ sint apponendæ, convenientius longè erit, atque securius, infra, non supra mammas illas admovere, ne subinde mammæ ipsæ tumefiant, aut inflammentur, non sine graviori periculo; neque insuper scarificentur, ne ulcera exindè oriantur, quæ pectori, & costis plurimùm officerent. Per id temporis verò, quo cucurbitulæ mammis admoventur, sunt qui velint, etiam obligandos esse poplites, cum brachiis, subjecta eisdem lana; fortè quia per has ligaturas sanguinis motus aliquantulum impeditur, ne vehementiùs per corpus excurrat. Unde idem Hippocrates *6.epidem.sect* 7. edocuit, *sanguinis venarum suppressiones faciunt animi deliquium, figura alterata, interceptio, linamentum intortum, appositio, ligatura.* At utilius erit iis intereà medicamentis uti, quæ sanguinem fluentem sistere valent, quemadmodùm ex Galeno est succus plantaginis, & in praxi sunt in usu pulveres ex C.C. usto, coraliis rubris, bolo Armenia, lapide hæmatite, colchotare vitrioli, croco martis adstringente, atque ex opiatis innumera.

APHORISMUS LI.

Quæ utero gerunt, iis uteri os comprimitur.

PLura referuntur à Medicis signa, quibus conceptio, atque uteri gestatio dignosci possit, sed fallacia admodùm. Hoc autem, quod ab Hippocrate hìc proponitur, quaqua ratione fidelius videtur, eoque ductæ peritæ obstetrices de graviditate certiùs solent vaticinari, si nimirùm os internum uteri occlusum tetigerint, atque universam illius regionem molliter tumefactam percipiant. Ea namque est Naturæ in omnibus suis operibus solertia, ut, quoad fieri possit, quod ipsa molitur, perficiat, & ab externis injuriis alterantibus tueatur, atque in suo robore custodiat, foveatque, potissimùm autem in hominis generatione, unde non solùm fœtum suis involucris obtectum, & utero circumvallatum à quocumque externo alterante tutatur, sed interno quoque uteri ore occluso, ab ambientis aeris ærumnis defendere satagit. Et quamvis in superfœtantibus aliquandò hiare à plerisque sit creditum, id tamen ipse nulla ratione crediderim, sed potiùs, quando hoc acciderit, præ nimia delectatione ex iteratò con-

concubitu leviter aperiri, ut vim prolificam fœcundantis seminis interiùs admittat, pro nova alterius fœtus conceptione, si fortè alia,quę à fœminis suggeri debent, parata sint, beneque disposita, ut etiam advertit Hippocrates *l. de superfœt.* Quod autem à Leoniceno scriptum est *uteri os comprimitur*, meliùs ab aliis vertitur, *connivet*, *constringitur*, aut *corrugatur*; quippe reipsa compressio nulla fit, sed sola interioris oris corrugatio, & coarctatio, sed adeò stricta, & occlusa, ut neque specillum admittat, ut alibi Galenus adnotavit ex Herophilo *3. de naturalibus facult. cap. 3.* Quamquam hęc pro varietate muliebrium constitutionum, soleant, ac possint, non leviter etiam permutari.

Sed quomodo fit, ut nonnullæ adhuc post conceptum, ad plures menses soleant menstruare, si uteri os internum occluditur? Planè per alios ductus menstrua per id temporis prodire manifestè deducitur ex Anatome, qua constat, alias venas, aliasque arterias ad uteri cervicem protendi, unde sanguis tempore gestationis prorumpit, veluti sunt venæ illæ, quæ hæmorrhoidas uteri non raro excitant, si à glutinosiori, crassiorique sanguine tumefiant, & in suis valvulis distendantur, quemadmodùm in varicibus: quod tamen rarum.

Postremò tumefactio ista uteri, ejusque oris occlusio in gestatione, longè admodùm differt à tumoribus præter naturam, qui utero contingere solent, ut est scirrhus, phlegmon, &c. nam in his tumet uterus cum duritie, & non rarò etiam cum dolore, ac ingenti calore; in iis verò cum mollitie, & citrà cujusvis sensionis molestiam.

APHORISMUS LII.

Mulieri utero gerenti si lac multum è mammis effluat, fœtum imbecillum significat. Si verò mammę solidæ fuerint, fœtum significant saniorem.

Adnotat, & rectè Galenus *in comm.* non quocumque mense, ex prodeunte plurimùm è mammis lacte, indicium imbecillitatis fœtus esse desumendum, sed eo tempore, quo solet effluere. Lac autem in mammis comparere solet circa postremos menses, cùm jam fœtus adoleverit; & licèt in nonnullis illud observetur circa quartum mensem, fortè quia robustiores sunt, & copiosiori alimento fruuntur, plerumque tamen nonnisi post quintum, vel sextum mensem lac è mammis prodire solet, cùm jam fœtus per os sugere incipit contentum illum in Amnio liquorem. Hoc igitur tempore si flaccescentes mammæ lac effundant, fluidum nimis, ac multum, fœtum indicant fore imbecillum. Debet autem lac multum, & fluidum, seu serosum effundi, nam si modicum, & consistens exprimatur, valentioris fœtus indicium erit; Hinc *effluere* dixit Hippocrates, quod est sponte sua prodire, nulla adigente vi mammas ad illius exitum comprimente; hac siquidem ratione indicatur lac serosum nimium esse, adeòque malum, ut signum, & ut causa: ut signum quidem, quia inde arguitur simili alimento nutriri in utero fœtum, quod cùm inutile sit, & fluidum nimis, ad maturitatem illum perducere non poterit; ut causa verò, quia lac non ex sanguine, ut Antiquioribus creditum,

V, Gal. 14. de usu part. c. 8.

ditum, fed à chylo provenit; hic verò effœtus, vapidus, ac ferofus plus jufto, veluti ex languidis coctionibus, malifque fecretionibus dependens, non tam matri utero gerenti officit, quàm fœtui, cui in alimentum cedere debet; is autem feroſo hoc, inutilique alimento nutritus, neceſſe eft, ut fenfim elangueat, immò etiam fuperfluitatibus aquofis opprimatur. Perperam autem putarunt Veteres lac malum è mammis effluens, indicium effe fœtus imbecilli, quia cùm nonnifi paucum fanguinem in fui alimoniam præ imbecillitate attrahat, majorem ejus partem inconcoctam deferit, quæ ad mammas confluens in lac commutetur, & effluat; alioquin fi multum traheret, atque in fui nutrimentum converteret, modicus remaneret ad mammas transferendus, adeòque multum lac gignere non poffet. Hæc fanè commenta funt, & falfis hypothefibus innixa, immò Anatomicis obfervationibus omninò contraria.

Cùm dixerit prætereà Hippocrates in fecunda parte aphorifmi, folidas mammas fortiorem fœtum fignificare, proculdubio tacitè quoque fubintelligere voluit, non folùm lac ferofum nimis, fponteque fuà effluxurum, fed etiam mammas ipfas flaccidas, ac nimiùm laxas effe oportere, fieri enim vix poteft, ut lac multum ferofum effluat, quin etiam glandulæ, quæ majorem in mammis ftructuram faciunt, laxæ quoque non fint, ut prohpterea lac ipfum continere nequeant, quemadmodùm etiam in lactantibus iftiufmodi experimur: fed neque *duras*, dixit, fed *folidas*; nam durities morbofam plerumque tumefactionem, ut in phlegmone, & fcirrho, arguit: quamquam Celfus *lib.* 2. *cap.* 7. duras mammas cum folidis confundere non fit veritus, cùm hunc aphorifmum referens dixit: *Mulieri gravidæ fi lac è mammis profluit, imbecillum eft, quod intus gerit; duræ mammæ fanum illud teftantur*. Atque hinc fit quamobrem Hippocrates in hac fecunda parte, nihilum meminerit lactis multum fluentis, fed folùm dixerit, *fi mammæ folidæ fuerint*: fiquidem in priori aphorifmi parte, cùm lacte fluente tacitè comprehenfam quoque voluit mammarum laxitatem, ac flaccefcentiam; in fecunda verò parte expreffit mammarum foliditatem, nulla facta lactis fluentis mentione, quia illam implicitè fubintellectam exiftimavit; nam fubdit: *fœtum fignificant faniorem*, per comparationem fcilicet ad imbecillum anteà memoratum; fiquidem mammæ flaccefcentes, & laxæ, lac ferofum effundentes, imbecillum fimpliciter fœtum arguunt; folidæ verò licèt lac pariter effundant, faniorem defignant: At fanum profectò oftenderent, fi folidæ fimul forent, & lac nonnifi expreffum emitterent, illudque craffiufculum; unde robur mammarum lactificantium, & alimenti perfectio, ac elaboratio fignificatur. Porrò lac, quod primùm comparet propè partum, purum omninò non eft, fed Coloftrum, dictum, quemadmodùm appellavit Plinius, & Phavorinus apud Gellium. Hinc deducere fas eft, confenfum uteri cum mammis, non per venas, fed per aterias, & nervos habeti, qui per glandulas vim, facultatemque fibi invicem communicant, ut proptereà non folùm liquorum irrorantium energia, fed etiam partium componentium valida, firmaque conftitutione ful-

ciantur, & mutua, ac reciproca affectione consentiant.

APHORISMUS LIII.

Quæ corruptura sunt fetus, iis mammę extenuantur. Quòd si rursus duræ fiant, dolor aut mammas, aut coxas, aut oculos, aut genua infestabit, & non corrumpent.

NEdum à lactis fluentis copia, & mammarum laxitate, fœtum imbecillum fore præsagiendum, sed accedente earundem mammarum extenuatione ipsum aborturum significari, hoc aphorismo subdit Hippocrates, quemadmodùm *Aphor.* 38. *hujus* quoque dixerat, alterutra mammarum gracilescente, alterutrum pariter geminorum fœtuum abortiri. Sed expressiùs *libr.* 1. *de morbis mulier.* edocuit: *Quibus in utero habentibus circa septimum, & octavum mensem repentè tumor mammarum, & ventris concidit, nec non mammæ gracilescunt, & lac non apparet, asserendum est, puerum, vel mortuum esse, vel vivere, sed debilem.* Ex quibus deducere nunc licebit mammas non solùm flaccescere, sed extenuari, cùm abortus imminet, & quidem cùm anteà intumuerint, & lac in seipsis colligere cœperint, quod non nisi ultimis mensibus graviditatis accidit. Id quod manifestiùs videtur comprobatum ex adjecta secunda aphorismi parte, ubi dicitur: *si verò rursùs duræ fiant*; quò patet, illas anteà solidas, durasque fuisse, aliter qua ratione gracilescere, & extenuari dici possent, nisi prius intumuissent? Unde autem tumor illarum, & soliditas, indeque ex mala fœtus, & uteri habitudine, laxitas, & extenuatio insequatur, jam supra est expositum. Verumtamen gracilitas hæc, & laxitudo mammarum comparanda erit ad statum graviditati præcedentem, cùm pleræque mulieres natura parvas, gracilesque sortitæ mammas, non multum tumidas illas habeant, etiamsi præsignantes sint, benèque valentes; at verò ex imminenti abortu multo graciliores illæ fient. Parum autem refert, an multo anteà ejusmodi mammarum incommodum patiantur; an etiam ipso abortu, aut propè; quamvis Galenus *in comm.* semper illarum extenuationem pręcessisse se compertum fateatur.

Quod ad secundam aphorismi partem, putat Galenus verisimiliùs dictionem græcam πάλιν exponendam esse pro, *secus*, aut *contra*, ut sensus sit: *si verò contra mammę duræ fiant*, ac propterea, ut ipsemet subdit, *quod in toto dicitur aphorismo sit tale: mammę quidem tenues omninò pręcedunt fetuum corruptionem, & non possunt isti corrumpi sine earum extenuatione pręcedente; durę verò corruptionem quidem non significant, sed dolor quidem dictarum partium ad ipsas consequitur.* At oporteret non solùm dictionem hanc variari, sed totius orationis sensum, nam si supra scribitur *mammas extenuari*, proculdubio anteà tumidæ esse debebant; & si solidæ, ac duræ fiunt, anteà flaccidæ erant. Si præterea duræ persisterent in utroque casu, quomodo simul etiam extenuatæ, & graciliores fierent, attenta potissimùm earundem mammarum glandulosa constitutione, ac textura?

Quòd si revera duræ fiant mammæ, duritie penitùs morbosa, qualis in tumoribus præter natu-

naturam, tunc alia de causa, & fortassis etiam in mammis particulatim hærente, dolores accident, adeòque utero benè se habente, neque abortus consequetur. Cæterùm comparata in universum mammarum soliditate, cum earundem laxitate, ac extenuatione, gravior semper hæc ad partum, levior illa censenda est.

A recurrente autem mammarum duritie, dolores accident, vel easdem infestantes, vel coxas, vel oculos, aut genua, sicque abortus non sequetur; quoniam pravi humores ab utero in has partes, veluti per metastasim delati, immunem illum deserunt, & alias partes sua corpulentia deturpant, & quidem in eas potissimùm, quæ specialiùs cum eodem consensum ineunt, vel aliqua ratione cohærent, aut propter languorem excipiendis humoribus consentientia fiunt, ut experimentis constat, atque ex Anatome palàm fit: quamobrem idem Hippocrates pluribus in locis recensuit pravorum istiusmodi humorum decubitum modò in coxas, ut 1. *&* 2. *de morbis mulierum*, & *libr. de Natura muliebri*; modò in genua, poplites, & crura, ut *eodem* 2. *de morbis mulierum*, & *libr. de superfœtatione*; quandoque etiam in oculos; ut dicitur *eodem libro de superfœtatione*, & *de Natura muliebri*, & alibi. Ejusmodi autem reciprocum affluxum è visceribus naturalibus ad articulos, musculos, & nervos, ac viceversa, jam satis ostendunt colicæ, hypochondriacæ, atque hystericæ passiones, mutuò cum articulariis doloribus respondentes. Porrò uterus speciatim per carnosas fibras, peritonæo alligatur, per ligamenta lumbis, coxis, & inguinibus, per nervos tum è vago pari, tum è vertebris ossis sacri, & per arterias, ac venas, & vasa lymphica, cum reliquis omnibus partibus corporis, consensum init, ut liquet ex Anatome.

APHORISMUS LIV.

Quibus os uteri durum est, iis uteri os comprimi est necessarium.

CUm anteà dixerit Hippocrates in utero gerentibus os uteri internum comprimi, ac corrugari, ne quis inde putaret ex illius compressione, occlusionemque, perpetuum, atque infallibile conceptionis indicium esse deducendum, subdit nunc ex illius duritie solam compressionem necessariò esse colligendam, quæ si præextiterit, conceptioni impedimento erit; quamobrem, ut anteà etiam est animadversum, nisi uteri occlusio fiat cum ejusdem mollitie, & citrà quemcumque dolorem, conceptum fœtum nullatenùs indicabit; itaque si durum, ac renitens admodùm illud percipiatur, alia de causa occlusio illa procedet, adeòque morbosa esse poterit. Fit autem durum os uteri internum, non raro ex tumore præter naturam ibidem inducto, potissimùm autem ab inflammatione, & scirrho, aut etiam à callo, vel ulcere calloso, ut dicitur in *lib. de sterilibus*. Unde deducere est, occlusum uteri os conceptum designare, si cum naturali ejusdem partis mollitie conjungatur, citrà dolorem, ardorem, aliudque simile symptoma; contra verò cum duritie, memoratisque symptomatibus conjunctum tumorem præter naturam, aut etiam callum significare; quamobrem licèt compressionem, occlu-

occlusionemque ejusdem necessariò arguat, non tamen perpetuò ab uteri gestatione orietur. Sed & in obesis plus justo, quibus omentum pinguius redditum elongatur, procidit in anticam uteri regionem, illius os præcluditur, ut anteà dictum est; itemque in hydrope uterino affectis, aliisque similibus; verùm in his, aut uteri os non omninò occlusum est, aut molle nimis, & aquoso fluctuantique humore repletum, ideòque tactui prementi cedens, præter alia plura indicia, morbosam constitutionem attestantia, de quibus hìc sermo non est.

APHORISMUS LV.

Quæcumque utero gerentes à febribus corripiuntur, & fortiter calesiunt sine occasione manifesta, difficulter pariunt, & cum periculo, aut abortum facientes, periclitantur.

ALiàs dixerat *utero gerentes acuto morbo corripi, lethale*; nunc de febribus, si illis accidant, verba faciens inquit, difficulter parere, aut abortientes periclitari, fortè ibi specialiùs in utero, hìc ex reliquo corpore ægritudines gravidarum perpendens ab utero remotas. Quoniam verò ibi lethale, in hoc autem aphorismo periculosum, inquit, crediderim, propterea non de febribus ardentibus, quæ acutissimæ sunt, sed de aliis levioribus loquutum, in quibus licèt difficultas pariendi, aut abortus timendus sit, non tamen mors certò immineat; quemadmodùm de acutis ægritudinibus meminerat, & ab ardentibus febribus proculdubio sequeretur. Hinc sententiam hanc congruentiùs exponerem cum iis, qui loco *fortiter calesiunt*, potiùs legendum suadent *fortiter extenuantur*: Hac enim ratione meliùs explicabitur, quamobrem non penitùs sint perituræ, & quomodò absque manifesta occasione incalescant, & qua de causa distinctis dictionibus excalefactionem immoderatam à febribus sejunxerit. Miror autem, unde sibi persuaserit Cardanus, robustas mulieres facilè epialas febres sufferre posse, quas inter graviores, periculosioresque recensuit Galenus *6. epidem. comm.* 1. *tex.* 29. illas cùm hemitritæis, & continuis enumerans. Itaque longè rationabilius erit si dicatur, utero gerentes febribus correptas difficulter parere, & periclitari, si simul unà magnopere extenuentur, & absque ulla manifesta occasione, puta, inedia, vigiliis, evacuationibus, aliisque extenuare valentibus: Hac quippe ratione planè constabit tum à febri ad plures dies producta, tum à causa interna extenuante, nedum utero gerentem, sed & fœtum ipsum vehementer debilitari, unde partus deinde difficilis consequatur, ac propter virium languorem, non sine vitæ periculo: Quòd si fœtus ferendo non sit, ut in tempus partus producatur, proculdubio abortietur, & simul cum illius interitu pariens ipsa periclitabitur.

Ex his modò deducere licebit, febres hoc loco memoratas, de genere earum existimandas esse, quæ à materia humorali dependent, exceptis solùm ephemeris simpliciter dictis, quæ cùm nonnisi ad diem unum, aut alterum perdurent, profectò ingentem noxam utero gerentibus afferre nequeunt, aut cum extenuatione citrà causam manifestam copulari, quare à pravis humoribus progenitæ, utero gerenti, & fœtui detrimento sunt; unde idem

Hippo-

Hippocrates 2. *aphor.* 28. animadvertit febricitantium corpora, plusquam ratio postulat, contabescere, malum esse; quippe quia imbecillitatem, vel, ut aliis placet, pravitatem significat.

APHORISMUS LVI.

In fluxu muliebri si convulsio, & animi defectus advenerit, malum.

NUm revera de fluxu muliebri propriè dicto, an verò de copioso menstruorum fluxu scriptus sit hìc aphorismus dubitare contingit apud Expositores; & quidem in utramque partem propendere, suis non caret argumentis. At verò quoniam *Aphor.* 3. *huius* dixerat: *ubi sanguis multus fluxerit, singultus, aut convulsio superveniens, malum*: probabiliùs videtur, non hìc quamcumque ex utero sanguinis evacuationem illum intellexisse, sed eam speciatim, quæ non sinceri sanguinis, sed corrupti, ac saniosi humoris est, qualem descripsit Aetius *Tetrabibl.* 4. *ser.* 4. *cap.* 65. atque ex Archigenis sententia uteri destillationem appellavit, eaque Galenus Boethi uxorem affectam retulit *lib. de præcognitione ad Posthumum*. Utcumque autem se res habeat, planè fit, ut quamcumque immodicam evacuationem undecumque procedentem, consequens convulsio, animi defectus, malum sit; & longè deteriùs censeatur; si ab utero plurimis nervis referto, atque cum principalioribus corporis partibus consentiente, proveniat; nam morbi isti suaptè natura perniciosi sunt, ut qui vitæ custodes malè affectos arguunt, quinimmò vires infringunt, ipsumque vitæ fomitem perdunt. Rectè autem monitum est à Galeno *in comm.* non statim hæc in recenti fluore advenire, *sed cùm vel vehementior fuerit, vel diù perduraverit*.

APHORISMUS LVII.

Si menstrua plura fiant, accidunt morbi; & si non fiant, ex utero morbi contingunt.

MEdiocritatem cunctis in rebus laudabilem, nemo est, qui non fateatur, ac magnis laudibus non deprædicet, unde effatum illud notissimum Terentii: *Ne quid nimis*, atque illud Horatii:

Est modus in rebus: sunt certi denique fines,
Quos ultra, citraque nequit consistere rectum.

Eamdem autem pluribus in locis ad Naturæ tuitionem, & salubritatis incolumitatem, servandam, passim quoque commendavit Hippocrates, ut propterea scripserit *6. epid. sect. 6. labor, cibus, potus, somnus, Venus, omnia mediocria*: Quod & pluries repetit in libris aphorismorum. Hìc verò speciatim in fœminis menstruas purgationes considerans, illas modum non servantes omninò vituperat, & cùm affluenter prodeunt, & cùm penitùs supprimuntur, ea tamen differentia, ut si largè profluant, morbos indefinitè succedere, si detineantur, ex utero particulariter provenire decernat.

Eveniunt planè morbi, fluentibus largè menstruis, plerumque vitio totius, quoniam malam sanguinis diathesim sæpissimè consequuntur: non enim alia de causa sanguis affluenter funditur, nisi quia vitiosus est, puta acer, acidus, salsus, serosus, qui propterea, impetu in

vasa uteri facto, viam sibi aperit, & quandoque, nedum oscula vasorum laxat, dilatatque, verùm etiam erodit, & tantùm non dilacerat; cùmque vitiosus iste sanguis per universum corpus excurrens, impetum deinde speciatim faciat in uterum, proinde est, cur Hippocrates indefinitè dixerit, morbos exindè suboriri, nulla de particularis visceris dyscrasia mentione facta. Verùm non hinc uterum quis ab istiusmodi labe immunem opinetur, cùm adhuc solius ipsius vitio idipsum haberi possit; si potissimùm peculiari aliqua ægritudine sit affectum, aut occulta sui fermenti depravatione contaminatum, quamobrem sæpiùs uteri scirrho laborantes, aut ex glandulis ejusdem tumefactis, obstructis, laxatis, erosisve, malè se habentes, profluvio sanguinis ad annos integros vexatas vidi, immò doloribus vehementissimis, & spasmodicis affectionibus cruciatas. At verò in menstruorum suppressione, defectus hic videtur omninò adscribendus utero, aut quia illabentem sanguinem non admittit, aut illapsum excipit, detinetque: non admittit autem, quia in suis vasis obstructus, aut debito fermento privatus repurgationi, secretionique ineptus evasit, cùm alioqui velut sentina totius corporis exitum sanguineis recrementis debeat promptissimè exhibere; quapropter si illa recirculent, & aliorsum remeent, ejus defectui jure optimo consequentes ægritudines tribuuntur. Quòd si illa excipiat quidem, sed præ crassitie, ac lentore deponere postmodùm non possit, proculdubio ibidem hærentia graves ægritudines excitant, quæ sedem in eodem habentes, ab illo malè affecto procedere dicentur, ut in obstructionibus, tumoribus, aliisque uterinis affectibus experimur. Et quamvis menstruorum repurgatio impedita, magna ex parte, fæculento sanguini tribui possit, debet tamen utero adscribi, qui cùm sua natura sit repurgandis mensibus destinatus, quoties hoc munere defungitur, ejus culpæ istiusmodi defectus attribui debet, quia deficit in eo, quod debet: deficit autem, ut dictum, vel fermenti sui inertia, vel vasorum exilitate, aut compressione, vel denique mala constitutione, ac textura, aliave indispositione nobis adhuc inconspicua.

Quinam verò sint morbi tum ex fluentibus plus justo, tum ex non fluentibus menstruis oriundi, non facilè est omninò determinare, cùm & Hippocrates ipse, licèt plurimos recensuerit in *lib. de morbis muliebrib.* & 2. *epidem. sect.* 3. & alibi; non tamen omnes penitùs est complexus, nam nulli non sunt, qui ex ipsis immodicè fluentibus, vel diminutis, aut omninò suppressis oriri non possint, ut experientia demonstrat; unde jure optimo scripsit ad eundem Hippocratem Democritus *Epistola de Natura humana*, innumerabilium ęrumnarum authorem esse uterum, cùm & revera dolores capitis acerbissimi, epilepsiæ, apoplexiæ, lethargi, convulsiones, catalepses, phrenitides, cæcitates, surditates, anginæ, asthmata, hæmoptyses, peripneumoniæ, palpitationes, vomitus, & alia plurima mala ex illo proficisci consueverint, ut historiis, & anatomicis observationibus est compertum. At verò quamvis innumera sint mala ex utero progigni solita, specialiora tamen Hippocrates

tes *cit. lib. de morbis mulieb.* recenfuit, five copiofiùs quàm par fit, effluant, five diutiùs remorentur, & fuppreffi menfes fiftant. Ut autem quis de eorumdem immoderato exitu judicium ferre poffit, ftatuit ibidem in omni muliere fana duarum heminarum Atticarum menfuram excedere non debere, idque ad duos, vel tres dies, longius autem, aut brevius tempus morbofum effe; Verumtamen hæc plerumque variant etiam falubriter, pro varia fœminarum habitudine, ætate, victus ratione, exercitatione, & fimilibus; nam plerafque videre contingit, quæ ad plures dies abundantiùs menftruare folent, & maxima cum corporis euphoria, ut etiam Hippocrates ibidem innuere videtur. Facta autem comparatione inter eas, quibus menfes affluentiùs prodeunt, ac profluvio fanguinis affici contingit, aut ex adverfo fuppreffi funt; longè periculofiùs ægrotant primæ, quippè quæ immodicam evacuationem fanguinis ferre nequeuntes, tandem decolores redditæ, cachecticæ, aut hydropicæ, vel, quod gravius, fyncope affectæ, brevi fuccumbunt, & vita deficiunt. Contrà verò, quibus fanguinis menftrua purgatio fupprimitur, licèt in eadem, & confimilia mala procedente tempore incidant, in longius tamen protrahuntur, adeòut idem Hippocrates fcribat famulam quandam 4. *epidem.* feptem annis menfibus caruiffe. Porrò mirari fubit quamobrem Hippocrates *cit. lib. de morbis muliebrib.* fcriptum reliquerit: *detenta per fex menfes menftrua incurabilia fieri*; Cùm cæteroqui ex praxi pluries innotuerit, nonnullas ex adverfo convaluiffe, aliàs etiam concepiffe, & vitales partus edidiffe, nifi aliunde uterus in fua conftitutione laxatus, ineptus evaferit conceptioni, & graviditati. Memini me aliquando obfervaffe mulierem quadragenariam Afcite laborantem, quę tamen fuo fœta marito, non folùm fœtum maturavit, fed non fine admiratione puellum exactè formatum peperit, licèt tandem non repurgatis fufficienter lochiis, & aqua in abdomine retenta, poft plures hebdomadas perierit.

Pro coronide tandem animadvertendum, morbos à non fluentibus menfibus tunc folùm evenire, cùm aliàs illi fluere deberent. Incipiunt autem naturaliter fluere, cùm Mulieres conceptioni, generationiq; aptæ fiunt, id, quod plerumque accidit circa decimum quartum annum; & licèt aliquibus ante, & poft hæc tempora eruperint, nam aliquando ftatim ab incunabulis, quandoque verò poft vigefimumprimum annum apparuerunt; hoc tamen illis prçter morem, atque ex ægritudine aliqua accidiffe dicendum. Ita quoque definere confueverunt feptimo, aut (quod fummum) octavo annorum feptenario, quamvis pleræque ad fexagefimum annum, & ultra menftruas purgationes fubiiffe perhibeantur. Quare pro diverfa fœminarum conftitutione prudens medicus de ejufcemodi menfium eruptione, aut defitione, promota nimium, vel impedita, coniiciet, num morbofæ fint, aut proximè in ægritudines fint lapfuræ; atqui certiora indicia defumet ab his, quæ idem Hippocrates memorat *cit. libr. de morbis muliebr.* puta doloribus, tumoribus, obftructionibus, febribus; contrà verò fponte Naturæ defiiffe pronunciabit, fi citrà quamcumque uteri ægritudinem, & nulla fubfequente febri, aliave cordis, cerebri, aut ftomachi moleftia, certa

præfer-

præsertim ætate, sensim, sensimque defecerint. Quæ denique purgationes à partu fiunt, & propriè lochia, aut puerperia dicuntur, longè admodùm à menstruis differunt, adeòque ad præsentem hunc aphorismum nullatenùs pertinent.

APHORISMUS LVIII.

Recto intestino, aut utero inflammationem patiente, urinæ stillicidium accidit, & renibus purulentis urinæ advenit stillicidium: Hepati autem inflammationem patienti singultus advenit.

A Suppressis menstruis, si fortè sanguis ita in utero restagnet, ut excitet inflammationem, non solùm inde febres, dolores, anxietates, aliaque id genus communia symptomata inflammatorias febres comitantia orientur, sed compatientibus vicinis, adjunctisque partibus, alia specialiora suscitabuntur, quæ eorundem nexum arguunt, & partem specialiter affectam designant. Quamobrem hoc aphorismo Hippocrates ab inflammato recto intestino, aut utero, urinæ stillicidium evenire animadvertit, sicut pariter à purulentis renibus: ab hepate verò inflammato, singultum. Et quidem urinæ stillicidium advenire, recto intestino, aut utero inflammationem patiente, affecta inde vesica, quæ utrique proxima, & conjuncta est, palàm fit ex Anatome, qua constat vesicam uteri cervici superincumbere, atque intestino recto alligari, ut propterea ad utriusque partis læsionem promptè quoque ipsa compatiatur: quamobrem experimur in gravidis à tumefacto utero, vesicam comprimi, atque urinam in illa collectam diutiùs asservari non posse, sed statim egeri, quocircà utero gerentes micturire coguntur. In fæcum autem, præsertim duriuscularum, egestione, ex nimio, frequentique conatu, etiam vesica crebriùs sollicitatur, ut modicam adhuc urinam quantociùs expellat. Si ergo hęc citrà morbosas causas, & vesicæ morbos, accidunt, ut urinæ stillicidium oriatur, quàm graviùs, & molestiùs affici continget, cùm partes illæ inflammatione laboraverint, non sine pravorum succorum acritate, atque irritatione?

Idipsùm evenire observamus à renibus purulentis, cùm nimirùm urina inde transcolata, & pure suaptè natura mordicante, acribusque particulis muriatico-acidis referta, in vesicæ cavum deponitur, & stillicidium excitat. Animadversione dignum est, quod Hippocrates non inflammatos, sed purulentos renes hìc notaverit, seu ex contracto ibidem ulcere, suppuratos, quoniam ab inflammatione renum potiùs Dysuria, vel Ischuria fit, quàm Stranguria, quippe ab inflammatis renibus, coarctatis scilicet, occlusisque ductibus, præterfluenti sero transitus omninò denegari solet, unde Ischuria; Et si fortaſsè adhuc illud effluat, collectum deinde in vesicæ cavo, per urethram commodè, atque affluenter reddetur, non autem stillabit, ut in Stranguria fit, de qua hìc sigillatim Hippocrates meminit. Quin & rarissimè accidit, utrumque renem inflammari, ut exinde urina tale vitium contrahat, & stillicidium pariat; At verò ab alterutro rene suppurato, ac purulento, urina manabit multo, crassoque pure saturа, unde haud liberè per angustum urethræ orificium ferri poterit;

adeò-

adeòque guttatim educetur; simulque sua acritate sphincterem musculum vellicabit, & ad micturiendum lacesset.

Verùm quamvis Hippocrates hìc dicat, ab inflammato recto intestino, aut utero, necnon à purulentis renibus urinæ stillicidium exoriri, non tamen deducere licebit è converso urinæ stillicidium, ac stranguriam ab uteri, & recti intestini inflammatione, aut à suppuratis renibus perpetuò proficisci, cùm illa plures alias causas consequi possit, quamobrem ex uno in aliud vicissim inferre non licet. Hinc stranguria veluti symptoma superveniens ob affectæ partis viciniam, non propriè indicabit annexarum partium inflammationem, sed solius vesicæ læsionem, quæ cæteroqui aliis de causis haberi potest, ut patet ex praxi.

Sicut à recto intestino, aut utero inflammato stranguria, ita ab Hepatide, seu Hepatis inflammatione singultus, qui licèt inter symptomata ejusdem minimè referatur, præsertim cùm fit, aut recens est, supervenit tamen cùm diù increbruerit, & malum signum ab eodem Hippocrate reputatur 7. *aphor.* 17. Creditur autem ferè communiter id fieri propter consensum jecoris cum stomacho, cui dicitur singultus convenire, cùm is veluti convulsivus stomachi motus appelletur. At ipse crediderim potiùs ad diaphragmatis vitium pertinere, quod propter ingentem jecinoris inflammationem contrahatur, & in suis expansionibus impediatur, quin & irritetur, molesteturque non leviter à contractu tumefacti, inflammatique jecoris, quod eidem alligatum, plus justo præponderans, gravi incommodo est. Coafficitur simul una pariter stomachus, & quia sub septo transverso proximè jacet, & quia per pylorum ab inflammato jecore phlogosim subire solet. Cæterùm quamvis non audeam inficiari singultum speciem quandam esse convulsionis, haud tamen admiserim ab inanitione, atque adeò ab immodica siccitate stomachi tunicas contrahente, illum revera provenire posse, cùm tanta siccitas, vivente animali, partibus accidere nequeat, ut aliàs ostendimus; quamobrem Galenus ipse *in hoc comm.* Hepati inflammationem patienti propter nervorum communicationem singultum supervenire, subdit; *non quidem semper, sed quando ad maximam attollitur inflammationem.*

APHORISMUS LIX.

Si mulier non concipit, scire autem velis, si conceptura sit, pannis circumtectam desubter suffias, & si odor videatur per corpus ire ad nares, & os, scitò, quòd ipsa non ex seipsa sterilis est.

DEmiror valdè quomodò factum, ut levem hanc explorandæ fœcunditatis in mulieribus conjecturam inter aphorismos retulerit Hippocrates, cùm & suo nomine penitùs indigna videatur, quippe quæ nulla ratione, nulloque videtur experimento suffulta. Sed & quis unquam tam arctè poterit pannis fœminam explorandam circumtegere, ut desubter suffitam, nares bonus, vel malus odor non feriat, isque sit totus per corporis meatus interiùs excipiendus, vel saltem nullatenùs infractus, retusus, aut inversus in tot viarum, & viscerum anfractibus. Sterilitatis præterea causæ in fœmi-

fœminis multæ sunt, quas idem Hippocrates recensuit *lib. de sterilibus*, *& de morbis mulier*. unde facilè est, ut ex una, aut altera ipsarum, sterilitas proveniat, quamquam impedimento non sint, quominùs per uterum odor nares, aut os pertingant, adhuc in benè valentibus, ut Interpretes hìc adnotarunt. Neque densitas, aut raritas uteri, ut commentatur Galenus, quidquam facit in conceptione, & speciei propagatione, cùm satis superq; constet ex Anatome, non per inconspicuos uteri poros, sed per patentes meatus, tubasque Falloppianas, ex ejusdem ovariis albugineam substantiam molli putamine obvolutam, in ipsius cavum pro conceptibus deponi; quin & experimentis liquet, duriori, densiorique textura præditas, quemadmodùm sunt exercitatæ, & frigidas, siccasque regiones incolentes, longè fęcundiores esse otiosis, obesis, & laxiorem nactis constitutionem. Quamvis insuper viæ exquirantur patentes, ac liberæ, ut semen è maribus ejaculatum ab utero excipiatur, & fœcundatum ovum ab ovario sepositum in ejusdem cavum delabatur; non tamen necesse est, ut reliquum corporis ita permeabile sit, & reseratum, ut odores inde exceptos admittat, atque ad nares, & os evehat, ut exinde judicium certæ fœcunditatis deduci possit, quasi verò fœminæ fœcundæ solùm illæ sint, quibus corpus universum patulum, perviumq; est. Rectiùs propterea idem Hippocrates *aphor. 62. hujus* sterilitatem à particulari uteri vitio deduxit: inquiens: *Quæcumque frigidos, & spissos uteros habent, non concipiunt, &c.* ubi nimirùm universum fœtationis opus peragitur, ideòque opus est, ut is sit optima constitutione præditus, in suis ductibus patulus, & in graviditate amplificationi facilè cedens, atque tuitioni infantis accommodus, ac peropportunus.

Quamvis autem ex his plurimùm de veritate istius aphorismi suspicari fas sit, quia tamen Hippocrati fuit in animo, eam hìc potissimùm conjecturam de judicanda in fœminis fœcunditate proponere, quę unicuique obviàm foret, & promptè reducibilis in usum, quemadmodùm mos Antiquis erat; propterea hoc loco illorum ejuscemodi internotionis recensuit, ac methodum, praximque exhibuit; ut saltem quid ex parte deduci posset, citrà grave fęminarum incommodum, & solùm ab extrinsecis coniiciendum edoceret: quod & aliàs *lib. de sterilibus*, alii suis exuviis exuti, integri, ac purgati in uteri vaginam inditi beneficio, cùm fœmina it dormitum, experiendum admonuit, idque à plerisque obstetricibus non semel ipse gestum audivi, nec irrito successu; quippe inutilem mucorum, seu crassæ pituitę saburram sensim, sensimque uterus hac ratione deponere consuevit.

Ut igitur, quæ hìc proponit Hippocrates in usum commodè duci possint, ad internoscendam fœminarum pro conceptione aptitudinem, conducibilius erit, ut non solùm illæ pannis circumtectæ suffiantur, ne dispersus odor nares potiùs exteriùs pertingat, quàm per uterum; verùm etiam ope convenientis infundibuli exceptus illac solùm tendere cogatur; aliàs frustranea esset operatio. Sed & horum nescia necessum est, ut sit suffienda mulier, eorumque simul, quæ suffumigari debent, ne scilicet sua malitia propriam sterilitatem tegat; quin

quin etiam oportet, ut odor aromatum ad fœminæ os delatus, poft aliquod tempus ab oftetrice perita, admoto ejus ori nafo, percipiatur: quod fanè Platoni animadverfum, maximum illarum opus dicitur. Quibus verò fœminæ fint fuffiendæ, licèt Hippocrates hìc non meminerit, refert tamen *in comment.* Galenus, oportere effe, quæ ejus naturæ funt, ut fuffitui apta fint, quemadmodùm thus, myrrha, ftyrax, & quęcumque funt valdè odorata. Infuper idem Hippocrates *libr. de Sterilibus* metopum unguentum lana exceptum, uti peffum, utero imponendum jubet, & fi fubditi odorem per os manè olfecerit, mulierem fęcundám fore, & concipere poffe fubdit. Admirabiliùs verò eft, quod idem Author ad hoc idipfum internofcendum proponit, illinendos nimirùm effe oculos mulieris humore aliquo, quem fi iidem combibant, fœcundam illam effe teftatur; id quod etiam confirmat Plinius *libr.* 7. *cap.* 16. dum ait: *fęcunditatis in fęminis prerogativam accepimus, inunctis medicamine oculis, falivam infici*: quod & anteà Ariftoteles adnotaret 2. *de generat. animal. cap.* 5. *&* 4 *fect. problemat.* 2. juxtà expofitionem Theodori, ut benè etiam advertit Langius *lib* 1. *epift.* 49. ubi aliud ex galbano orificio uteri inclufo experimentum affert, adhuc ex Hippocratis auctoritate defumptum, ut apud eundem eft legere. Plura alia ad hoc idem conferentia Authores hic memorant, quæ unicuique experiri pro arbitrio licebit. Neque verò penitùs rationi diffentaneum exiftimare eft, quomodò fieri poffit, ut halitus, ac vapores odori ex utero nares, & os pertingere poffint, fi nimirùm confideremus maximum, quem ille per nervos, cæterofque ductus confenfum habet cum cerebro, & partibus caput componentibus; quamobrem benè poterunt halitus ifti, immò tenues, volatilefque aromatum particulæ, per patentes uteri meatus nervos fubire, & fenfim per fibras, ipforumque fubftantiam, penitiùs intromitti, & adufque cerebrum pervadere, fine ulla earundem volatilium partium refractione, quippe experimur mofchum, ambarum, zibethum, idque genus alia, ita rebus cunctis commifceri, ac pertinaciter hærere, ut non folùm diutiffimè perdurent, atque irrefracta perfeverent, fed, quod majus, adhibita quavis induftria, difficillimè poftmodùm deleantur. Qui præterea alimenta, aut medicamenta affumpferunt, ejufcemodi rebus odoriferis confecta, ad longum tempus illa eadem olere folent. Quin & plurima five benè, five malè olentia, clyfteribus injecta, caput, & cerebrum afficiunt. Aliquando etiam obfervavi ex indito clyftere, in quo opium fuerat diffolutum, cerebrum ad longiffimum tempus fuiffe foporatum. Unde qua ratione opium per vapores ab inteftinis cerebrum gravat, & ad foporem adducit, non diffimiliter odorifera ab utero per nervos, nares, & os impetere poffunt.

At verò præter ea, quæ hìc commemorat Hippocrates de conjectura à fuffitu fubtus admovendo, oportebit peculiarem fœminarum conftitutionem, ac totius corporis ftructuram, ventris, & hypogaftricæ regionis habitudinem intimiùs perfcrutari, quo nimirùm modò ifta fe habeat in fuis operationibus, excrementorum repurgationibus, aliifque, & fi graciles, an obefæ fœminæ fint, fi hypogaftrion amplum, fpa-

al. μετώπιον, aut μέτωπον. V. Mercurial. variar. lect. l. 2. c. 19. Lãg. 1. ep. 49. Foefium œconom. Hipp.

spatiosum, an verò angustum, & arctum, aut exsuccum habeant: quamobrem sagax Medicus ex his omnibus simul junctis de bona, vel mala uteri dispositione, non irrationabiliter deinde coniiciet.

Quibus verò medicamentorum generibus, quæ steriles creduntur, fœcundæ fieri possint (si tamen defectus generationis ab ipsis sit) pluribus tentare ausi sunt periti Professores, industriæque obstetrices. Sunt, qui ope pomorum mandragoræ, de quibus latè inter cæteros meminere De los Reies, Vallesius, Sennertus, Savanarola, Mercurialis: alii moscho, zibetho, ambra grysea, cæterisque aromatibus sæpiùs iteratis: nonnulli nuce-moschata; plerique testiculis animalium, aliisque similibus. Verùm hos fallere, & falli contingit, nisi prius re benè perspecta, ac maturiùs pensitata constiterit, qua de causa infœcunditas procedat, & num vitio formationis, & structuræ uteri, ejusque vasorum, an potiùs defectu sanguinis, & glutinosæ illius substantiæ in ovariis adnatę, & ad formam ovi adultæ, cujus potissimùm ratione nuperrimè patuit infœcundas evadere mulieres, quibus nimirùm datum non est ejuscemodi ovis abundare, aut ad justam magnitudinem illa perducere, vel etiam perducta perficere, sed potiùs corrumpere, fortè quia ab ovariis seponi, atque in uterum delabi nequeunt, nimio adipe stipata, & circumducta, ut plerisque anatomicis dissectionibus est observatum. Quamobrem pro varia harum causarum conditione, oportebit diversis auxiliorum generibus fœcunditatem in illis promovere, fotis nimirùm partibus generationi destinatis, aut etiam remotis impedimentis, ex quibus fœcundatio, & conceptio retardetur, quæ propterea sagax Medicus, ubi sedulò perquisierit, atque in deficientis naturæ auxilium promoverit, proculdubio sui voti compos fiet. Cæterùm de his consulendi sunt practici, apud quos magna sylva horum medicamentorum, pro diversitate causarum proponitur.

Illud tandem ex his omnibus colligere nunc licebit, perperam à quibusdam in praxi omnem odorum usum in affectibus mulierum indiscriminatim vituperari, cùm tamen is à primis Medicinæ proceribus, summoperè multis in casibus commendetur, neque solùm externè, sed etiam internè.

Et quidem licere quandoque in affectibus muliebribus, medicamentis uti, nedum aromatum mixtura conditis, sed & fragrantibus, ac odoris, nempè moscho, ambaro, zibetho, nuce myristica, calamo aromatico, cæterisque, dosi tamen convenienti, ac moderata, pluries & ab Hippocrate, & à Galeno, cæterisque, non temerè edocemur. Iis enim, non solùm cerebrum, & cor momento ferè reficiuntur, & in suis operibus vigorantur, si fortassè sopore, vertigine, apoplexia, syncope, ac leipothymia fœminæ laboraverint, sed speciatim uterus exinde suaviter allectus, seipsum impuritatibus statim exonerat, ut etiam fœcundari subindè facilè possit. In quam rem legi merentur præ cæteris, Sennertus *lib.4. suæ prax.* & Laurentius 7. *Anatom.* itemque Langius *epistola 23. libr. 1.* Gaspar à Rejes *in suo Campo Elysio iucundarum quæstionum, quæst. 84. & 93.* Vivit adhuc Neapoli nobilissima quædam Matrona, quæ diù sterilis cùm foret, & prolis avida, tandem impatiens (temerario planè ausu), plura, & plura moschi grana iteratò sumpsit,

psit, atque voti compos, gravida paulò post effecta est, & masculum peperit, qui nedum feliciter, salubriterque degit, sed validos, robustos, & eusarcos filios, ac successores habet. Notum insuper est de Hispanis fœminis non solùm nobilibus, sed plebeis, quibus frequens in usu est acutus, ac vehemens moschi, & ambari odor, ut etiam præter vestimenta, ac chirothecas, inter tabaci delicias, quotidiè illum indiscriminatim habeant. Qua de causa crediderim, iis solummodò frequentes odores speciatim obesse, quę insuetæ sunt benè olere, ut de Septentrionalibus ferunt. Moschi quoq; usum internum non solùm approbant, sed admiranda ex ipso prædicant Horatius Augenius *lib.*12.*epist.6.* Solenander *consf.*15.*sect.*4. Riverius *cent.* 1. *obs.*65.*& lib.*15.*Prax.* Rodericus à Castro, Mercatus, Zacutus, Montagnana, Platerus, Varandæus, Chesneau, aliique plures, quos in unum recollegit clarissimus Vir Lucas Schrockius *in sua Historia moschi.*

Hinc ergo deducere erit, ex mente Hippocratis, non omninò explodendos esse odores ab usu medico in fœminis, cùm hoc loco expresse præcipiantur; quin contra objurgandi sunt ii, qui indifferenter præfocatas mulieres, & penè exanimes vehementiùs extorquere, ac affligere adnituntur fœtidis, ac malè olentibus rebus, quæ planè benevalentibus, ac robustis adhuc infensæ forent. Et quamvis aliquando experiamur mox à partu enixas odoramentis graviter affici; id tamen iis evenit ex subita illa commotione, quam uterus ab ipsis tunc temporis patitur, nimiùm allectus, atque in seipso corrugatus, unde excrementorum repurgationi sibi obicem facit; siquidem tunc illius papillæ, & hiantes cotyledones coacti, atque in suis porulis adstricti, nequeunt lochia, & impuritates à partu deponere, quæ detenta, & cum remeante sanguine commista, reliquum corporis inficiunt, unde postmodùm animi defectiones, nervorum contractiones, sopores, deliria, febres, aliaque symptomata perniciosissima insequuntur.

Acuta igitur, & suaveolentia cerebro solùm infensa sunt per nares olfacta, cùm immoderata fuerint, quatenùs nimirùm nervos, & nervorum fibrillas plus justo exagitant, & lacessunt, & quandoque etiam stupefaciunt, & offundunt: qua sanè ratione plures quoque mares iisdem plurimùm offenduntur, & cephalalgiis, vertiginibus, motibus epilepticis, aliisque, haud raro, velut ebrii, vexari solent, ut non semel experti sumus. At contra uterus, cùm præsertim vacuus fœtura est, ipsorum halitu vigoratur potiùs, benèque afficitur, ut propterea facta subindè quadam expansione, suique amplificatione, facilè hiet, adaperiatur, exultet, & quod in sui cavo superfluitatum hæsit, promptè admodùm expellat: quamobrem pleræque mulieres in hunc finem, moschum, zibethum, aliaque odorata, sacculis inclusa, & coxis interiùs alligata, gestare consueverunt. Hinc proindè demirari subit, unde factum, ut ex Medicis in vulgus jam abierit, uterum odores percipere, quasi is olfactus capax foret, adeòq; enorme piaculum nunc sit, in morbis muliebribus odorata quæcumque præscribere, cùm tamen halitibus blandè admodùm olentibus, seu particulis tenujoribus, & volatilibus in seipso exceptis, hærentes in glandulis noxios, crassosque succos, fibrarum,

rum, & glandularum coarctatione, aut laxitate uterus exprimat, ac deponat. Verùm in his cautio aliqua adhibenda, ut odorosi halitus nares, & cerebrum minimè pertingant, ne scilicet ingenti copia, & sulphurea, qua pollent, ac inebriativa conditione, illud aggravent, & obtundant, aut etiam vellicent, & discerpant, orgasmo in humoribus inducto. Cæterùm benè olentia, etiam ex moscho, & ambaro, cum aliis commista, & in bolos, vel pilulas redacta, ac interiùs assumpta multum proficient, ad viscerum, potissimùm cerebri, cordis, ac uteri robur, viresque adaugendas, quemadmodùm plurimorum authorum testimonio latè nimis comprobat præ cæteris *in sua Historia Moschi* præcitatus D. Lucas Schrockius Medicus Augustanus, nunc Præses meritissimus Academiæ Curiosorum.

V. etiam Gal. 1. ad Glauc. c. 14.

APHORISMUS LX.

Si mulieri utero gerenti purgationes procedant, impossibile est fœtum esse sanum.

CONsuetas sanguinis purgationes, quæ singulo quoque mense fœminis benè se habentibus salubriter accidunt, tempore graviditatis desinere in fœtus alendi, & fovendi gratiam, cunctis est notum, ut propterea inter cętera conceptionis, & gestationis uteri signa specialiora, illud potissimùm recenseatur, ut etiam docetur ab Hippocrate *hoc eodem lib. aphor. sequenti.* Quamobrem si utero gerenti purgationes procedant, jure optimo pręsagire licet, impossibile esse genitum fœtum esse sanum. Ut autem id omni ex parte verum sit, necesse est, ut non semel, neque modicè, purgationes istæ prodeant, sed iteratò, & affluenter; cùm aliàs fieri possit, ut ex modica, nec iterata menstruorum expurgatione, utero gerens potiùs relevetur, & meliùs se habeat, deposita nimirùm aliqua sanguinis portione in suo cursu præpedita, uterum gravante, & infestante. Hinc non abs re adjectum *in aph.* sub plurali numero *purgationes*, quæ planè designant consuetam in menses singulos evacuationem, quemadmodùm idem Auctor expressiùs edocet *lib. 1. de morbis muliebr.* cùm cæteroqui *lib. de natura pueri*, scriptum reliquerit, nil penitùs graviditatem incommodare, si uno, vel altero tantùm mense modicum sanguinis profundatur. In hoc autem speciatim consideranda erunt, utero gerentis habitudo, ætas, regio, consuetudo, victus ratio, quæ præcessit, atque alia universa, quæ graviditati obesse, vel prodesse possunt: siquidem plethoricæ, robustæ, juvenes, otiosæ, benè altæ, & abundantem menstruorum evacuationem sortitę, nullum planè patientur ab ejusmodi per primos graviditatis menses purgatione superabundantis sanguinis incommodum; contra verò exiles, imbecillæ, exercitatæ, & pravis eduliis nutritæ, & nonnisi tenuem sanguinem expurgare solitæ. Sunt etiam, quæ nihilum in consuetis menstruorum expurgationibus perturbantur, sed potiùs seipsis leviores, hilarioresque fiunt; contra aliæ nedum utero dolent, & cruciantur, sed & viribus, & stomacho deficiunt, ut penè langueant, & molestiis innumeris affectæ vix non ægrotent. His ergo potissimùm si accidat à graviditate catamenia pati, fieri nequit, ut fętum gestent sanum, quippè qui non benè valens, viribus, & nutricatio-

catione deficit, vel in posterum ægrotabit, & abortietur.

Sed prætereà perpendere oportebit, unde sanguis immodicè, inconvenienterque profusus prodeat, an non ex uteri cavo, an potiùs ex vasis uterum circumperreptantibus, aut etiam ab his, quæ hæmorrhoidas uteri concitare solent: etenim Anatome compertum est, tria hæc vasorum genera uterum pertingere, & sanguinem profundere solere. Et quidem in utero gerentibus sæpesæpiùs ex iis, quæ cervicem ambiunt, sanguis sponte sua, ac salubriter prodire consuevit, neque solùm primis mensibus, sed etiam ultimis, immò per periodos toto ferè gestationis tempore, ut historiis proditum, & à nobis non semel observatum. Igitur ex vasis solùm, quę uteri cavum pertingunt, sanguis si effundatur, valetudinarium fœtum, imbecillum, ægrotantem, & facillimè abortiturum indicabit: de qua planè purgatione intelligendus hìc Hippocrates, si tamen, ut dictum, ubertim, & iteratò profluat; cùm cæteroqui levis, & modica quæcumque evacuatio non tanti sit, ut uteri gestationem incommodare, & fœtum labefactare valeat, præsertim in plethoricis, in quibus etiam si ex internis uteri partibus sanguis prodeat, à conceptu, ejusque placenta sejunctis, nihilum planè officere consuevit, modò non repetat; cùm aliunde effluat, quàm ex vasis fœtus nutricatui, & vitæ dicatis: Siquidem non tam ejus exitu, atque alimenti defectu, infans à fluentibus purgationibus periclitatur, quàm orgasmo, & commotione sanguinis, uterum in ejus eruptione concitantis, & relaxantis, unde postmodùm illius imbecillitas, dissolutio, & abortus.

Hinc modò tacitè admonentur Medici, quomodò in ejuscemodi expurgationibus, sive sinendis, sive cohibendis gerere se debeant, attenta nimirùm sanguinis excreti quantitate, qualitate, tempore, & loco, ac potissimùm utero gerentis habitudine, & constitutione.

APHORISMUS LXI.

Si mulieri cessent purgationes, neque febri, neque rigore superveniente, & fastidia cibi incidant, judica ipsam in utero habere.

Sicuti à fluentibus menstruis tempore gestationis procreatum fętum imbecillum dixit, sic nunc ex adverso ab iisdem retentis, citrà manifestam ægritudinem, conceptionem jam factam, atque uteri gestationem præsentem pronunciat. Et sicut menstruæ purgationes, si utero gerentibus superveniunt, sæpenumero minantur abortum, utpotè, quæ fœtum debilem, nec benè valentem præsagierint, ita vacuis, minimèque gravidis, si cessent, postquam per lunares periodicationes ritè, convenienterque anteà fluxerint, conceptionem jam sequutam portendunt; quamobrem inter signa specialiora graviditatis id præcipuum communiter recenseatur. At verò ne Medici in hoc judicio fallantur, advertit hìc Hippocrates ejuscemodi defitionibus menstruorum, neque febrim, neque rigorem supervenire debere, sed potiùs ciborum fastidia, ut certior conjectura uteri gestationis depromatur.

Et quidem humanis fœminis inditum à Natura est, ut in singulos menses à secundo annorum vitæ septenario per uterum sanguinis purgationes subeant, quibus is con-

is convenienter irroratus (non secùs ac fœcunda tellus ab ingruentibus imbribus) ſtatuto quodam tempore fœcundus, & fertilis evadat, indeque fœtum concipiat, ac edat. Et quamvis nonnullæ referantur etiam ſine ullo menſtruorum indicio concepiſſe, & ſalubriter quoque ſuo tempore peperiſſe, id tamen perrarum planè eſt, & inſuetum, atque humanæ conditioni valdè diſſentaneum, quod nonniſi quibuſdam brutorum generibus ſolummodò permiſſum eſt. Itaque ut humanæ fœminæ concipere, & utero gerere poſſint, menſtruas purgationes ſubire debent, quæ cùm ſponte ſua deſierint, nulla præexiſtente morboſa cauſa, nullaque ægritudine divexante, graviditatis inſtantis, vel præſentis indicia ſunt. Et quamvis pleræque omnes ferè ægritudines, eæque potiſſimùm, quę ſanguinis vitium, & partium imi ventris, ciborum confectioni, & chyli diſtributioni dicatarum læſiones conſequuntur, conceptioni, & generationi impedimento eſſe poſſint; ſpeciatim tamen quæ uterum in ſua ſtructura, & ductibus afficiunt, illas perturbare conſueverunt, ut cunctis notum. Fluentibus autem menſibus per ſuas ſtatas, determinataſque periodos, fieri nequit, quin cætera quoque ad conceptionem, generationemque deſtinata, benè, ſalubriterque ſe habeant, ut uteri geſtatio naturaliter contingat; quamobrem non immeritò ſolius febris, & rigoris hìc dumtaxat meminit, quamvis alia quoque accidentia retentorum menſtruorum retulerit 1. *de morbis*. Accidit autem febris à retentis, ſuppreſſiſque menſtruis (citrà graviditatis ſuſpicionem) quia irruens per arterias ſanguis in uteri glandulas, ſive

Experimento Harv. exer. 64. conſtat arterias uterinas multo

cotyledones, cùm non æquè à venis planè minoribus, & anguſtioribus ſubinde excipiatur, fit, ut data mora fermenteſcat, nec per fermentum uterinum, qua decet energia, ſubigatur, ut adapertis oſculis foras amandetur, unde remeans per venas uterum externè ambientes, univerſum ſanguinem, totumque corpus inficiat, & febrim excitet, quæ eouſque perdurabit, quouſq; ſanguis univerſus indebita partium alienigenarum mixtura exutus, & à prædicta commotione liber redditus evaſerit. Quòd ſi præterea lymphicis, crudiſque impuritatibus onuſtus, atque ab obſtruente glutine, viſcoſoque ſucco, plerumque acido-pontico depravatus itidem prodierit, & per reliquum corporis recurrerit, planè cunctæ aliæ ejuſdem glandulæ, itemque glanduloſa viſcera contaminabuntur, unde poſtmodùm malę nutricationes, cachexiæ, atrophię, chloroſis & febris, veluti è genere hecticarum, exorientur, ſi potiſſimùm his conſentiant vitia, quæ ab ovariis turgentibus, & malè affectis prodire ſolent, de quibus non eſt, ut hìc ediſſeramus. Rigor verò, vel ut aliis placet, horror, accidit à concuſſione, irritationeque ſenſilium uteri partium ab indebita illa fermentatione laceſſitarum, ut etiam ab excurſu irregulari ſanguinis, & lymphæ ſurſum in reliquas corporis partes perreptantis; quin etiam lumbi, quibus ligamenta uteri lata, & poſteriora, alligantur, non diſſimiliter percelluntur, & non raro etiam dolent, ut & ſcapulę, dorſum, pectus, mammæ, ſicuti experimentis notum. Sed & ab uno utero malè affecto cætera viſcera naturalia pariformiter coafficiuntur, & in ſuis operationibus non leviter ſæpeſæpiùs gravi cum vitæ incommodo collæduntur.

numeroſiores eſſe, quàm venas, cùm advehendi quàm revehendi major ſit uſus; unde ſanguis mēſtruus fluit ex oſculis arteriolarum, à turgeſcentia ſanguinis dehiſcentibus.

Itaque cùm mulieri cessant menstruæ purgationes, nec subinde febris, aut horror supervenit, ut ex his occulta saltem causa morbosa, vel ægritudo aliqua, ob quam illæ desierint, conjectari possit, atque ex alio capite ciborum fastidia superaccidant, proculdubio de uteri fœtatione, atque adeò de conceptu præsente, vel instante, judicandum erit. Cessare autem, seu penitùs desinere illas oportet, veluti in alium usum destinatas; nam si per aliquod tempus detineantur, mox verò redeant, haudquaquam desiisse, & cessasse dicendæ erunt, idque sive eodem, sive subsequenti mense: Fieri enim potest, ut ex aliqua externa causa, potissimùm verò ab animi pathematibus, timore, atque mœstitia, repentè affecta mulier istiusmodi suppressionem patiatur, ut de Phaetusa, & Namysia meminit Hippocrates *6. epidem. sect. ult.* Superveniunt præterea gravidis ciborum fastidia, ob consensum uteri cum ventriculo, qui propterea vel cibos consuetos nauseat, vel penitùs insuetos appetit, unde morbus ille Malacia, & Pica, dictus.

At verò quo pacto utero gerentes à vacuis internoscendæ sint, commemorare hìc haud inutile erit, ne scilicet hac in re, quæ plerumque magni negotii esse solet, Medici fallantur. Et quamvis pleraque fallacia sint, ac peritos in Arte non rarò etiam decipiant, probabiliora tamen esse consueverunt, quæ mox referuntur. Primùm autem ex his, quæ sensim utero gerentibus accidunt, atque citrà quamcumq; causam manifestam superveniunt, esse solet, ut cibos quosdam consuetos fastidiant, & nauseent, vel etiam evomant, alios verò insuetos, & malos avide appetant, & comedant; id quod sub nomine Malaciæ, seu Cittæ, morbosæ nimirùm famis, appellatur, & aliquando toto tempore gestationis, aliquando verò ad primos tres, vel quatuor menses durare solet. Mammę etiam plerumque ipsis obdurescunt, extuberant, atque impensè dolent, etiam si leviter contrectentur, illarumque papillarum color è purpureo in fuscum mutatur: pectoris venæ ampliores redditæ nigricant: cervix calidior observatur, necnon colli venæ, arteriæque attolluntur, ac turgent; sed & aliquibus maculæ rufæ, veluti lentigenes, in facie apparent, quinimmò vultus ipse paululum à sua speciositate demittitur, conniventibus nonnihil oculorum palpebris, cum albugine eorundem permutata, præter capitis graviditatem, aut hebetudinem, totiusque corporis gravamen, pulsuum celeritatem, atque frequentiam, cùm ex doctrina Galeni graviditas, temporanea quædam ægritudo appelletur. Quòd si postremò menstruæ purgationes penitùs detineantur citrà manifestam, sensibilemque ęgrimoniam, atque subinde illa tumeant, venter sensim, sensimque attollatur, ac rotundetur cum naturali mollitie, haudquaquam de graviditate vereri ampliùs licebit.

Quibus igitur à retentis consuetis menstruationibus in fœminis salubriter degentibus, hæc signa accidunt; planè de uteri gestatione verisimiliter judicare fas erit; at verò si posteà menses prodeant, suumque cursum ad multum tempus servent, impossibile ait Hippocrates fœtum in utero genitum sanum esse. Et quidem fieri nequit, ut fœtus sanus sit, cui uteri os internum hiat, & vasa sanguifera,

cum placenta ipsa laxantur, & sanguinem fundunt: constat enim ex Anatome, Placentam uterinam, ita tenaciter utero hærere, ut universum sanguinem per vasa umbilicalia in vitam, & nutricationem fœtus transferat: cùm ergo sanguis ex his funditur, proculdubio ipsum laxari, aut etiam discindi necesse est, quod sine ejusdem interitu fieri nequit. Necesse est autem, ut sanguis affluenter, atque ad multum tempus prodeat; quamobrem si modicè tantùm, & non diutiùs effluat, citrà periculum detineri fœtus poterit. Sed & ab internis uteri venis cavum ipsius pertingentibus profluere sanguis debet, nam si fortasè (ut non raro in praxi expertum) è collo uteri, atque ex venis, vel arteriis ejusdem externis emittatur, citrà ullum incommodum gestationis, immò & utiliter prodibit, quemadmodùm etiam à Galeno, cæterisque vetustioribus Medicis est animadversum, utpotè ex venis, quas crurales appellant, quæ non raro in quibusdam succiplenis mulieribus, ac sedentariam vitam ducentibus, varicosæ etiam fieri solent.

Cæterùm intelligendus aphorismus de his, quæ menstruas purgationes, juxtà consuetam Naturę legem, in singulos menses subeunt; nam sicut in plerisque brutis animantibus illæ nullæ sunt, ita in nonnullis humanis fęminis accidisse memoratur, quòd nunquam menstruas evacuationes passæ, nihilominùs conceperint, & sanos, vegetosque pepererint filios; quamvis id perrarum.

APHORISMUS LXII.

Quæcumque frigidos, & spissos uteros habent, non concipiunt. Et quæcumque præhumidos uteros habent, non concipiunt: extinguitur enim in his genitura. Et quæcumque siccos multùm, & præcalidos: nam ex defectu alimenti corrumpitur semen. Quæcumque verò ex utrisque mediocrem habent temperaturam, eæ fœcundæ sunt.

QUoniam uterus, locus continendo fœtui destinatus, plurimùm confert ad illius conceptionem, & si benè, vel malè conformatus est, illam vel promovet, & adjuvat, vel contra impedit, & extinguit; propterea hic Hippocrates considerans ejusdem aptitudinem, & ineptitudinem, inquit, frigidos, & spissos uteros habentes non concipere, ut & neque præhumidos, & laxos, aut siccos, & adurentes; benè verò sortitas moderatos, & medios inter utrosque.

Et quidem frigidos ineptos esse generationi palam est, cùm vita in animantibus potiùs calore, seu vi, & spiritu quodam calorifico fermentante, inferatur, & conservetur cordis motus; à frigore verò, & frigorificis, vel nullus fit, vel factus torpet, & emoritur; unde dicebat Aristoteles 2. *de gener. animal. c. 3. inest in semine omnium, quod facit, ut fœcunda sint semina, videlicet, quod calor vocatur, idq; non ignis, non talis facultas aliqua est, sed spiritus*. Spissos verò, ac densos intelligere oportet, non tantùm quos plerique in suis ductibus impervios, ac impermeabiles interpretantur, quique scilicet genitu-

ram

ram tum masculeam, tum fœmineam admittere nequeant, sed præterea, qui in suis porositatibus, glandulis, ac textura, patentes, molles, atque expansioni, amplificationique faciles non sunt; siquidem non solùm per arterias, ac venas, sed multo magis per tubas, Falloppianas dictas, per cotyledones, glandulasque, & per hiantes porulos, convenientemque texturam fœminarum uteri ad conceptionem conferunt. Nuperis namque observationibus Anatomicorum, ad peragendam conceptionem, debent primùm ova ex ovariis abrupta, atque fœcundo maris semine fœtata per alterutram tubarum in cavum uteri deponi, ibique per molles, sed turgentes ejusdem glandulas alligari, ut ope Placentæ uterinæ fœtus intra propria involucra, seu secundinas, efformatus, alimentum, & incrementum suscipere possit. Quare nisi hæc omnia in utero convenienter adaptata, ac disposita pateant, conceptio, & efformatio proculdubio nulla fiet. Itaque cùm uterus spissus, ac densus est, ut mollem, & patulam in suis vasculis texturam, facilemque adhærescentiam non habeat, nullatenùs conceptioni promovendæ aptus erit. Sic pariter siccos, exsuccos, & multò magis adurentes uteros habentes, idem infortunium sortiuntur, cùm ab ariditate, ingentique calore, longè majora, & graviora incommoda suboriantur, præter ea, quæ de defectu alimenti, & seminis corruptione hìc ab Hippocrate memorantur, ut liquet.

Oppositis verò de causis, quibus uteri præhumidi sunt, & mucositatibus oppleti, infœcundæ fiunt; etenim non solùm in his (ut notat Hippocrates) genitura extinguitur, verùm etiam ova, aut utero non coalescunt, aut mollia, & flaccida dissolvuntur, aut etiam multo humore obruta suffocantur, aut interno uteri cavo non adhærescentia, exoluta diffluunt, & evacuantur; unde frequens in istiusmodi fœminis à primo conceptu defluxus. Accedit, quod semen ipsum virile ab ejuscemodi præhumidis impuritatibus oppressum, adeò retunditur, & hebetatur, ut inefficax deinde redditum, non solùm ovum fœcundare non valet, sed simul cum eo dilutum effluit, & foras educitur. Hinc in universum conceptum vel adimunt, vel recusant, uteri imbecilles, frigidi, extenuati, adiposi, præhumidi, distorti, occlusi, angusti, laxi, torpidi, insensiles, plorantes, nimiumque aridi, præfervidi, ex succi, semperque patuli, aut facilè dehiscentes.

Mediæ igitur, & moderatæ constitutionis uteri esse debent, ut conceptui promovendo, itemque sustinendo, fovendo, & alendo, ad maturitatem usque habiles sint, benèque valentes. Quare quæ ejuscemodi beneficium sortitæ sunt, & mediocrem in omnibus constitutionem, temperaturamque adeptæ, hæ fœcundæ sunt, idest fœcundari aptæ, concurrentibus simul unà cæteris aliis ad conceptionem requisitis, jam anteà memoratis. Cæterùm notas uteri benè, vel malè affecti, exactè præ cæteris investigat peculiari quodam opusculo Marcus Antonius Ulmus; Et quidem frigidi, inquit, esse pubem raram, menstrua tarda, ingratam Venerem, difficilem conceptionem, uterum parvum, pudendum molle, frigidum, & exile, lac modicum, & facilè coagulabile: calidi verò ex adverso.

APHORISMUS LXIII.

Similiter autem & in maribus. Aut enim propter corporis raritatem spiritus extra fertur, ita ut semen non transmittat ad os, vel propter spissitudinem humor non exit foras, vel propter frigiditatem non concalescit, itaque in eo loco concrescit, vel propter caliditatem hoc idem accidit.

SIve hic Aphorismus inter genuinos Hippocratis referri debeat, sive inter spurios, non multum hic intererit disceptare; nam licèt in eo memorata Hippocraticam doctrinam sapere non videantur, utile tamen quid continent, & saltem Medicos admonent, solere nonnunquam sterilitates non à fœminis, sed à maribus provenire: & quidem non satis est ad conceptionem, formationemque fœtus peragendam, uterum in fœminis aptè dispositum, benèque esse conformatum, juxta ea, quæ præcedenti aphorismo explanata sunt, sed prætereà necesse esse, ut semen, quod à maribus suggeritur, prolificum, fœcundumque sit, valeatque fœmineum ovum, & rudimenta fœtus in eo prædisposita in motum deducere, atque ad nutricatum, debitumque incrementum suscipiendum habilitare, ut inde vitalis fœtus exoriens, cunctas operationes exercere, ac tandem in lucem prodire queat. Quamobrem sana ratione, quicumque is fuerit, qui sententiam hanc aphorismis interserendam existimavit, Marium vim, facultatemque considerans, similiter in generatione deficientem esse posse adiicere voluit, illamque in sterilitate considerandam pari ratione, ac de fœminis dictum est, & præsertim vitio seminis, quod, vel ob defectum spirituum, fęcundum, & prolificum non est, vel ob crassitiem, & spissitudinem ejaculari nequit in uterum, vel quia ob frigiditatem inconcoctum, dilutumq; est, vel denique quia ob caliditatem facilè extenuatur, & evanescit: quippè semen, ut fœcundare, ac generare valeat, debet esse spumosum, ac spiritibus redundans; tenax, & consistens, ut hæreat; non verò crassum, spissum, ac durum, ut torpeat, & lapidescat; neque frigidum, ut crudum, dilutumque sit; neque adeò calidum, & acre, ut exolvatur in auras, & uterum vellicet potiùs, quàm alliciat. Attulit autem hìc Auctor has speciatim seminis conditiones, veluti magis proprias, magisque ad generationem promovendam requisitas, omittens alias has consequentes, vel ad istas facilè reducibiles, eo potissimùm ductus argumento, quo cunctis notum, semen virile, ut generationem promoveat, debere omninò in uterum primò ejaculari, deinde retineri, mox diffundi, ac tandem fęcundare: quæ planè conditiones in adjecto aphorismo comprehenduntur, ut consideranti patet. Cætera, quæ ad pudenda pertinent, sive ejaculantia, sive præparantia, & perficientia, sive conservantia semen, veluti instrumenta eidem gignendo, vel immittendo prærequisita, tacitè sub illis comprehenduntur, ut proptereà ad conficiendum semen prædictis conditionibus præditum, facilè quis præsupposita credat.

Quamvis autem Lucretius *lib.* 4. *de Natura rerum* dicat dissentanea cæteroqui semina, posse tamen consentanea fieri, atque adeò generationi idonea, & peropportuna, si nimirùm, quod in semine fęmineo frigidum, torpidumque est, à masculeo inca-

incalescat, & vigoretur, cùm sæpe-sæpiùs visum sit, steriles creditas, fecundas ex aliorum concubitu evasisse, atque vitaliter peperisse; si ovum nihilominùs, quod ab ipsis suggeritur, aptè temperatum, & in rudimentis fœtus ritè, rectèque prædispositum non sit, proculdubio à virili semine, cujuscumque conditionis illud sit, fœcundari non poterit, ac proptereà frigus illius nulla ratione ab alterius calore foveri, & vigorari; vel contra acritas, & fervor opposita virtute temperari; siquidem facilitas, vel difficultas utriusque in conceptione neutiquam dependet à seminum tenuitate, vel crassitie, aliave qualitate, sed ab aptitudine, vel ineptitudine partium in eisdem conformatarum, atque ab invicem agentium, & subigentium promptitudine, habilitateque. Qua propemodùm ratione fit, quamobrem aliquorum animalium semina mutuo intersese commista concipiant, & generent, aliorum verò minimè: quod & in plantarum insitione, atque in vegetabilium omnium seminum satione similiter experimur; ubi scilicet plantæ ipsæ intersese, vel earundem semina, cum tellure consentiant, vel dissentiant, uti apud Phytologicos est legere.

APHORISMUS LXIV.

Lac dare caput dolentibus, malum: malum verò & febricitantibus, & quibus hypochondria suspensa murmurant, & siticulosis: malum autem, & quibus in febribus acutis biliosæ sunt dejectiones, & quibus sanguinis multi dejectio facta est. Convenit autem tabidis dare, qui non valdè multum febricitant, & in febribus longis, & parvis, si nullum ex supradictis signis affuerit, & præter rationem consumptis.

LActis usum considerans in hoc aphorismo Hippocrates ea potissimùm commemorat, quæ ab illo abstinendum suadent, ne scilicet pro beneficio, quod subindè ab eodem speratur, grave damnum corpori accidat, & majora mala assumentibus inducat: quippe ejus est lac conditionis, ut quemadmodùm salubre admodùm est, & conducibile satis iis, qui benè stomacho valent, nullisque pravis humoribus sunt referti; ita ex adverso maleficentissimum evadit, quibus malus inest corporis apparatus, & stomachus in alibilem succum commutando non est idoneus. Sic planè experimur in lactentibus puellis, salubritati, nutricationi, ac augmento ipsorum facilè conferre, si ventriculus omninò repurgatus inveniatur; at contrà penitùs officere, immò corrumpi, aut acescere, & mille alia propemodùm mala deinde afferre, si is alienis, aut degeneribus succis infarctus sit, cùm cibis potissimùm heterogeneis vesci cœperint; unde postmodùm, tormina ventris, dolores, febres, alvi fluxus, vomitus, lumbrici, motus epileptici, idque genus alia iisdem superaccidunt.

Quoniam verò frequentissimus apud Veteres erat lactis usus, consuetusq; innumeris propemodùm ægritudinibus adhiberi, ut ex eodem Hippocrate deducitur, ne proinde damna ex temeraria, atque importuna ejusdem exhibitione imminentia provenirent, admonet hìc, quibus in corporibus evitari debeat, & specialiùs recenset capite dolentes, febricitantes, hypochondriis affe-

ctos, crudos, flatuosos, siticulosos, & larga hæmorrhagia divexatos. Commendat verò tabidis, neque multùm febricitantibus, sed potissimùm in febribus diuturnis, & parvis, minimè verò acutis, & vehementibus, & denique iis omnibus, qui præter rationem consumpti, & extenuati facti sunt.

At statim quis hìc addubitabit, quomodò fieri possit, ut lac innocuæ propemodùm, temperatæque naturæ, blandæ, & suavis conditionis, atque in alimentum primum cunctis animantibus concessum, facilis digestionis, & prompti, consentaneique alimenti, tam malum, & omninò nocuum his omnibus evadat, qui cæteroqui istiusmodi cibis indigent, ut citò reficiantur, humectentur, temperentur, citrà ullam ventriculi validam actionem, passionemque; præsertim quia ipsemet Hippocrates 1. *aphor.* 16. edocuit febricitantibus omnibus cibum humidum convenire, qualis profectò lac est. Insuper quamvis lactis natura, materia, & generationis modus nondum satis perspecta sint, cùm Veteribus sit creditum à sanguine; aliis cum Prospero Martiano ex chylo; Vvarthono, aliisque ex commistione chyli cum liquore nervorum illuc corrivantium; & Hieronymo Barbato ex sanguinis sero proficisci; undecumque tamen illud oriatur, nil videtur mali quidpiam in se continere, quod istis in aphorismo memoratis nocere possit, cum conducibilius semper sit alimentum præparatum, concoctum, benèque dispositum, quale lac est, quàm impræparatum, & indigestum. Analysi prætereà lactis instituta, cunctis patet, in tres partes dissolutum illud abire, nimirùm in serosam, butyrosam, & caseosam, quarum quælibet summo cunctis commodo esse solet; sed & febrientibus ipsis serosa humectando, ac temperando, butyrosa impinguando, & caseosa nutriendo, plurimùm conferre potest, quibus planè tria hæc necessaria videntur; quin & diarrhœas, dysenterias, aliasque similes morbosas dejectiones in epidemiis curare pluries satagit idem Hippocrates lactis beneficio, & quod majus 2. *epidem. sect.* 5. ad aurium dolores, lacte utendum inquit; & *lib. de internis affectionibus* ad plures alias ægritudines adhibet, ut cætera hìc omittam, quę à plerisque aliis experimenta referuntur, lactis ope utiliter, & salubriter diversis in ægritudinibus observata, ut propterea nil mirum, si illud Veteribus tantoperè fuerit in usu, quemadmodùm ex eodem Hippocrate pluribus in locis colligere est. Quinimmò solo lacte plurimos totam vitam sustinuisse scribunt Athenæus, & Plutarchus, ac de Massæsyliis Africæ populis meminit Strabo; unde Ovidius 4. *Fastor.* Lib. 2. 4. Sympos. Lib. 17.

Lacte mero Veteres usi narrantur, & herbis.

Galenus etiam Rusticum quendam memorat, qui plusquam centum annos vixerat, lacte usus. Fuere & alii, Getæ, Scythæ, Nomades, ob id Galactophagi dicti, ut & nunc Belgæ, Helvetii, Septentrionalesque populi, qui in deliciis illud habent, & cum omnibus ferè cibariis commiscent.

Verùm per hoc idem, quod lac temperatæ naturæ est, atque primum Animantium alimentum, facilè subigibile, & alterabile, magna est cum præmeditatione exhibendum, & nonnisi iis, quibus metus omnis abest, ne acescat, corrumpatur, atque in deleteriam naturam habeat, juxta vulgatum illud philoso-

ſophorum, *corruptio optimi peſſima evadit*; quocirca ſcitè admodùm ſcripſit Hippocrates *lib.de alimento*, ſanis corporibus alimentum fieri, at verò morboſis ex adverſo venenum evadere. Atque hinc animantibus omnibus in prima ætate pro alimento à Naturâ conceſſum, quoniam per id temporis mandendo inhabilibus, ventriculi fermentum lenè admodùm eſt, & temperatum, durioriſque texturæ cibos diſſolvere potens non eſt, & ubi primùm, editis dentibus, illos conterere valent, lacte deſtituuntur: quæ verò animalia ſtatim, ac in lucem edita, hos capere, & conficere poſſunt, lactificatione privantur. Neque alia de cauſa infantes, & nuper editi, cruditatibus, ac vermibus obnoxii fiunt, adeòque ventris torminibus, dejectionibus, ac motibus epilepticis afficiuntur, cùm nondum ab uberibus depulſi alterius conditionis alimenta aſſumere incipiunt, niſi quia ex mala eorundem cum lacte miſcela, utrumque corrumpitur, & aceſcit, ut ex praxi ipſa ſatis clarè patet. Hippocrates autem cibum humidum, ſeu liquidum febricitantibus commendavit, ſed neutiquam tam facilè corruptibilem, atque in pravos humores tranſmutabilem, qualis lac eſt, ſed potiùs, qui febrili cauſæ, atque indebitæ ejuſdem fermentationi convenienter adverſetur. Auribus verò dolentibus lac extrinſecùs admotum, aut inditum, non verò aſſumptum is commendavit, quemadmodùm Galenus ipſe utendum admonet 3. *de compoſ. medicam. ſecund. loca*. Atqui coctum lac pluries exhibitum invenitur, non crudum, apud Veteres, niſi ſolùm ad alvum ſubducendam, & in iis, qui febre caruiſſent: lac etenim decoctum, utpotè ſuo ſero orbatum, vim quamdam adſtrictoriam adipiſcitur, unde fluenti alvo plurimum opitulatur. Qui verò lacte à prima ętate paſti ſunt, ac pro cibo uſi, ex conſuetudine contracta nullum planè incommodum perceperunt: & ò utinam lac ſolummodò in cibum ſumere cuncti homines contenti forent, profectò non tam facilè tot, tantiſque ęgritudinibus, à multitudine, & varietate ciborum, laborarent; quamquam Galenus *cap.* 5. *de ſan. tuend. c.* 7. quoſdam alios memoret, agricolam illum ſub ſpe longævitatis prorogandæ imitatos, ab uſu ejuſdem graviter affectos. Cæterùm etſi lac ex chylo, aut ſanguine oriatur, longè tamen ab illis differentem ſortitur conditionem, ut ex inita eorundem analyſi ſatis notum; prẹterquam quòd ab his, quæ intra corpus fiunt, ad ea, quæ foris accidunt, aut peragi poſſunt, non valet illatio, mutatis, variatiſque ſubinde componentibus, aut concomitantibus corporis cujuſcumque compagem: id quod perſpicuum in lacte eſt, nam è mammis elicitum, atque aeri expoſitum, ſtatim alkalinum ſpiritum amittit, cæterarum lactis partium moderatorum, ut in ſanguine educto quoque accidit.

Hinc modò facilè deducitur, quare capite dolentibus nocuum lac eſſe dicatur, quoniam cùm dolor plerumque fiat ab acri, acido, pungenti, vellicanteque humore, qui ſæpeſæpiùs è ventriculo, cæteriſque naturalibus viſceribus malè affectis dependet, is proculdubio uſu lactis augeretur potiùs, quam retunderetur. Lac inſuper ſua natura fumoſum, vaporibus caput, & cerebrum plus juſto replet, immò & ſopore aggravat, ac inebriat, unde rectè Lucretius illud vino comparans 1. *de Natura rerum*, ait:

.:.:.:.:.:.:. *Hinc nova proles*
Ludit, lacte mero mentes percus-
sa novellas.

Latitat etiam in lacte, quidpiā acidi.

Quamobrem ex mora, contractio ibidem acore, graviora proculdubio damna inferet. Neque distinguere hìc licebit, num caput idiopathicè, vel sympathicè doleat; nam cùm indifferenter ab Hippocrate scriptum sit, *caput dolentibus*, planè de utrisque intelligendum erit, cùm in utrisque causa dolorem excitans æquè foveatur, & increbrescat, ab acore scilicet in humoribus excitato; unde Galenus 3. *de aliment. facult. cap. de lacte*, sumpturos lac, dixit, indiscriminatim oportere capite præstare, ac præpotentes esse, nulla facta eorundem distinctione. Haud tamen inficias iverim, longè magis lædi eos, qui idiopathicè capite dolent, quàm qui sympathicè, quoniam illis, præter dolorem, caput imbecille esse solet, & malarum impressionum promptiùs susceptivum. Etsi præterea de capite dolentibus specialiter meminerit, non tamen aliis ægritudinibus capitis affectos exclusit; unde delirantes, lethargicos, epilepticos, vertiginosos, adhuc vigiles, eandem ob causam hoc loco comprehensos, sub capite dolentibus, intelligere oportebit; siquidem his quoque contingit nimiis vaporibus caput gravari, & offendi, atque humorum acritudine compungi, & vellicari. Porrò licèt lac universum, & secundùm omnes sui partes acorem contrahat, & ejusmodi mala inferat, magis tamen per butyrosam, & caseosam nocet, quoniam ex his concrescit, atque partibus hæret, aut in deleterios humores corruptum abit. Quamobrem, quod serosum magis est, quale Asininum, ab Auctoribus, ubi in ægris convenit, commendatur, ad eluendum, scilicet, detergendum, & laxandum, nitrosa, qua pollet, conditione.

Obesse quoque lac dicitur febricitantibus, & quidem iis, qui humoralibus, & putridis, ut vocant, febribus corripiuntur, cùm infra dicat, illud convenire tabidis, & non multum febrientibus, quales hectici, & marasmo affecti, ex longis, diuturnisque pusillis febribus. In illis etenim tum ob febrilem indebitam, excedentemque fermentationem, tum ob sanguinis vitiosam diathesim, qua digestivum stomachi fermentum pari vitio affectum est, tum ob excrementorum, pravorumque humorum apparatum, coctiones, secretionesque nullæ, vel malæ fiunt, idcircò promptè admodùm lac in nidorem, aut acorem vertitur, adeòque corruptum, ac in alienam naturam degeneratum, præter febris, & febrilis causæ augmentum, mille alia symptomata parere potest, vomitus, cardialgias, singultus, diarrhœas, dysenterias, intestinorum tormina, aliaque febrientibus perniciosissima.

Malum præterea dicitur lac iis, *quibus hypochondria suspensa murmurant*: Nomine autem hypochondriorum intelligenda sunt viscera omnia in imo ventre utrimque posita, jecur, cystis, lien, pancreas, pylorus, ventriculus, uterus, intestina; ab his enim malè affectis, tumidis, elatis, tensis, duris, obstructis, aut inflammatis, planè constat lac assumptum facilè vitiari, & vel acescere, & coagulari, vel corrumpi, & putrefieri, unde postmodùm mala innumerabilia: Signanter autem hìc meminit eorundem *suspensorum*, & *murmurantium*, quoniam hæc duo solent esse specialiora malè affectorum hypochondrio-

driorum symptomata, de quibus latè ex Diocle Galenus 3. *de locis affect. cap.* 7. & ante ipsos Hippocrates *lib.* 2. *de morbis*; & alibi.

Siticulosis pariter lac obesse solet, sed non quibus sitis ex humidi absumptione orta creditur, nam his, ut infrà constabit, suapte natura convenit, & confert; sed quibus vel à febre, vel à corruptis cibis, pravisque succis in ventriculo congestis, saliva crassiori, aut salsa reddita, cæterisque similibus, frequens, ac diuturna sitis infensa est; hi etenim revera vocantur siticulosi, siti equidem morbosa, & molesta, quæ nec largis potationibus, nec frigefacientibus, & humectantibus remediis infringitur, aut sedatur, nisi causa illam efficiens, ac fovens, penitùs fuerit prius abolita.

Neque quis putet supervacaneè adjectum, etiam siticulosis, lac esse nocuum, quod fortasse poterat implicitè sub febrientibus contineri: nam adhuc sine febre, molestissima sitis non raro urget, ut in Hydropicis, & Scorbuticis. Picrocholis item, & biliosis, sicuti Hippocrates ipse *lib. de ratione victus in acutis* dulcia omnia inimica esse dixit, & sitim movere, ita quoque lac interdictum credere est, quod facilè in his amarescat, & acrem, felleamque induat conditionem; quare his sitim potiùs auget, quàm minuit.

Eadem de causa obesse dicitur his, qui febrientes biliosas patiuntur dejectiones: Adjunxit autem febribus acutis biliosas dejectiones; non quòd febrientibus acutè conveniat, quibus malum jam anteà dixerat; sed quòd magis noceat, si biliosæ dejectiones cum illis conjungantur. Verùm biliosas hìc dejectiones intelligere erit, non quæ solo croceo colore tales videntur, quales in lactentibus, sed quæ reipsa acres, & acidomuriaticæ sunt, ventriculi, & intestinorum labem attestantes; quibus verò ob peculiarem ciborum, aut medicamentorum qualitatem flaventes dejectiones accidunt, ut ex malis persicis, peponibus, croco, rhabarbaro, cæterisque passim experimur, vel etiam ex speciali quadam ventrium constitutione, à Natura inditum, fæces croceas, aut aliter coloratas egerere, lactis usus obesse non poterit, si cætera non dissentiant, & stomachus benè se habeat. At verò vomitus qualiscumque ille sit, lactis usum prohibet, & languente præsertim ventriculo.

Nedum autem, cùm biliosę infestant dejectiones, lac dare malum; sed etiam ubi multi sanguinis dejectio facta est: siquidem à sanguinis immodica evacuatione, non solùm languent vires, & digestivum stomachi fermentum hebescit, unde facilè lac acescere potest; sed multo magis illud acidum, depravatumq; indicatur, veluti à sanguine vitiato, malèque affecto proveniens, qui planè talis erit, si hæmorrhagiam intestinalem excitat, de qua proculdubio intelligendus hìc Hippocrates, multi sanguinis dejectionem memorans, ab aperto nimirùm sanguifero vase, ut in fluxu hæmorrhoidali dicto: cui inhærens Celsu *lib.* 3. *cap.* 22. lac his pro veneno esse ait.

Hactenùs quibus lac noceat; nunc quibus conveniat, exponit. Et quidem iis primùm, qui tabidi sunt, sed non tamen multum febricitant. At qui pro tabidis hìc intelligendi sint, prænosse primùm oportebit, nam tabidos multifariam intelligi solere, apud Medicos palàm est: quin & plerique atrophia, marasmo, similique emaciatione confecti, non raro tabidi

bidi quoque appellari consueverunt; quamobrem non immeritò Mercurialis *variarum lection. lib. 6. cap.* 22. etiam ex Hippocratis doctrina, indiscriminatim pro tabe insignem quamlibet corporis emaciationem, ac consumptionem apud Græcos, & Latinos scriptores acceptam interpretatur; sed & multò anteà Celsus *c. lib. 3. cap.* 22. ad tabem retulit quòq; Atrophiam, & Cachexiam. Verùm ex Græco Codice Phthisi laborantes ii intelligendi sunt, quibus ex pulmonis ulcere tabescere contigit: nam Phthisis strictè sumpta communiter à Medicis describitur totius corporis extenuatio cum febre lenta, ex ulcere pulmonis proveniens, quam & specialiùs Athenienses Phthoen appellare testatur Galenus *7. aphoris. comm.* 16. Quamquam non me lateat etiam generaliùs acceptam significare consuevisse quamlibet corporis extenuationem, à quacumque causa, & cujusvis partis affectione procedentem; unde multoties confusa ponitur cum marasmo, marcore, atrophia, & tum ab aliarum partium ulcerationibus, tum ab immoderatis evacuationibus quorumcumque humorum, aut inutilium excrementorum retentionibus, obstructionibus, tumoribus, ossium luxationibus, cæterisque; quemadmodùm præ cæteris neperrimè collegit Mortonus *libello de phthisi*; quin & Galenus ipse non solùm totius corporis, sed & solius pupillæ oculi corrugationem, & angustiam cum exsiccatione, phthisim appellare non est veritus 10. *de usu partium cap.* 5. & 3. *aphor. comm.* 16.

At mirùm, quomodò Hippocrates phthisicis, ex pulmonum ulcere, lactis usum commendet, cùm ceteroqui ulcus quodlibet, non humectatione, sed exsiccatione egeat, ut scilicet pus inde emergens detergatur, & pars ulcerata consolidetur, ut pluribus ostendit Galenus *in methodo medendi*. Quamobrem & plurimos novi à lactis usu copiosius pus expuisse, & ulcus pulmonis sorduisse magis, citiori cum ægrotantium internecione. Verùm commendatum Veteribus lac in phthisicis crediderim, non quòd omninò profuerit, sed quòd creditum iis sit, desumptis ex phthisi indicationibus convenienter satisfacere posse, cùm alia per id temporis medicamenta simul unà iis conferentia minimè innotuerint: cùm enim phthisim ab ulcere pulmonis tria comitentur, pus, ulcus, & marcor; inde fit, ut tria quoque ad illius curationem expostulentur: nimirùm pus detergentia, ulcus conglutinantia, & marcorem restaurantia; quæ planè ope lactis specialiùs consequi posse videntur; quippè serosa sui parte, pus in pulmonibus collectum abstergitur; parte caseosa ulcus conglutinatur, atque ad cicatricem perducitur; & parte butyrosa marcore confectum corpus reficitur, & impinguatur; quamobrem lactis usum ad phthisim curandam, non immeritò summis laudibus extollebant, atque unicum ejusdem remedium existimabant, ut & adusque nostra tempora actum, putatumque est. At nunc cùm vulnerariis, balsamicis, resumptivis propemodùm innumeris scateamus, ex vegetalibus, animalibus, & fossilibus petitis, sub forma elixirium, electuariorum, extractorum, pulverum, pilularum, & similium, quibus citrà quamcumque noxam empyicis, & phthisicis opitulamur, lactis usus non benè apud Recentiores audit, eo quòd majora semper incommoda ferat,

nec

nec reipfa in falutem ægrotantium cedere obfervetur. Hinc ergo norint, qui nequidem latum unguem à vetuftioribus rei Medicæ cultoribus recedere audent, quàm fuerit illis curta fupellex, cùm jam noftris temporibus, fagaci Recentiorum induftria, tot, tantorumque medicamentorum fimplicium, & compofitorum numerofa acceffione, nimiùm locuples Medicina evaferit. Quòd fi unquam lac phthificis videatur exhibendum, fit illis ftomachus benè valens, omni impuritate vacuus, ætas patientis puerilis, alvus adftricta potiùs, quàm laxa, fputum purulentum, vel nullum, vel modicum, itemque febris nulla, vel leviffima, citrà vifcerum obftructionem, duritiem, vel tenfionem, prę ter ea, quæ in his confideranda notavit idem Hippocrates *lib.* 2. *prædictionum*.

In præferendis lactis fpeciebus varii funt interfefe Diofcorides, Aetius, Varro, Plinius Avicenna, &c.

Cæterùm inter lactis fpecies præcellit humanum, utpotè magis naturæ noftræ confentaneum, quod cùm etiam proximè à mammis exfugatur, proculdubio conducibilius eft, nihilum fcilicet evolante parte illa volatili, & alkalina, quæ cæteras moderatur, & temperat, immò ab acore, & putrefactione tutatur, & ventriculo concoquenti mirum quantum opituletur: neceffe autem eft, ut lactans mulier, nedum optimis, & conferentibus eduliis vefcatur, verùm etiam omni animi pathemate vacua fit, juvenis, catameniis libera, fanę conftitutionis, & quæ à tribus, vel quatuor ad fummum menfibus pepererit: Quamquam Helmontius non irrationabiliter contendat, illud præ cæteris, nedum adultis, fed & recens natis, valdè nocuum exiftimandum effe, eo quòd magna incommoda fubeat, & inferat, ob varias nutricum animi perturbationes. Humano lacti fuccedit Afininum, quoniam ferofius; poft ea Caprillum, aliquantò confiftentius, conferente in id quoque plurimùm loci conditione, tum ob aeris, tum ob pafcui falubritatem, quemadmodùm de noftris Stabiis fpeciatim meminit Galenus 5. *meth. cap.* 12. Ovillum denique, Vaccinum, Bubulum, Equinum inferioris notæ funt, licèt ob cafeofæ partis abundantiam magis nutriant, & impinguent; unde prifcis temporibus Athletas cafeo ex calathis victitatos refert Paufanias ad robur, & corporis nitorem augendum; & Scythas equorum lacte coagulato, & in cafeum redacto (Hippacen vocant) ali, tradit Hippocrates *lib. de aere, aquis, & locis*: Camelorum verò lac omnium dulciffimum, fuaviffimumque effe fcribit Plinius *lib.* 28. *cap.* 9. & *lib.* 11. *cap.* 41.

Addit infuper Hippocrates convenire lac tabidis dare, dummodò non valdè multum febricitent: equidem fi ii vehementi febre corriperentur, lac prodeffe non poffet, quoniam ex gravi illa febre proculdubio lac ejufcemodi beneficio detergendi, & conglutinandi ulcera orbaretur, cùm vix in ventriculo receptum vi febris, & fermenti febrilis, in nidorem, vel acorem penitus abiret: non raro enim fit, ut phthifici, nedum febre lenta, & pufilla, quam habitualem vocant, fed etiam acuta, & gravi, quam dicunt humoralem, & putridam, afficiantur, ob cumulata potiffimùm excrementa ex malis coctionibus, & fecretionibus fuborta, vel etiam ex intrufo pure in pulmone coacervato per arterias in fanguinis maffam, unde is plus jufto fermentefcit, & exolvitur: Quamobrem fana ratione anteà dictum eft, purulentum fputum,

vel

vel nullum, vel modicum illis inesse oportere, ut lac prodesse possit. Ita pariter conjectabimus ulcus neque magnum, & profundum, neque sordidum esse, adeòque facilè in conglutinationem redire, & sanguinem in suam naturalem crasim lactis beneficio revocari posse.

Similiter in febribus longis, & parvis adjecit, lac conducibile esse, in quibus scilicet ob diuturnitatem corpus extenuari, atque ob humorum tenuitatem, & virium languorem, pusillas febres evadere contingit: in his enim, desumpta indicatione à corporis marcore, de quo aliàs scripserat, *quæ longo tempore extenuata sunt corpora, lentè reficere oportet*, lac videtur omni ratione convenire, nihilum ex adverso repugnante febris conditione, quæ pusilla, & parva ponitur. At quoniam non rarò cum his diuturnis febribus jungi solent obstructiones, & viscerum tumores, propterea non temerè addidit, *si nullum ex supradictis signis adfuerit*: nam si fortasse hypochondria tumerent, obstructa, aut inflata forent, lac nulla ratione conveniret: itemque si ingens sitis, biliosa dejectio, aut sanguinis evacuatio conjungeretur, ut anteà dictum. Sed & idipsum non inutiliter repetendum existimavit, ut nimirùm ostenderet, quàm cautè lac exhibendum sit, ut si fortasse unum, vel alterum illorum contraindicantium adsit, ab illius usu penitùs abstineamus; unde non satis esse putavit, illa antecedenter recensuisse, nisi etiam idipsum nunc denuò rememorasset. Hinc monitos nos voluit, & cautos esse in lactis exhibitione, quoniam indebitè, & inconvenienter epotum plurimùm nocet, & officit; quamobrem rectè Galenus advertit, *non semper Hippocratem servare brevitatem, sed in quibus magnum aliquod periculum imminet, si negligentiùs, quod ab ipso docetur, audiatur, bis, terve repetere eadem non vereri*.

Postremò cæteris quibuscumque præter rationem consumptis, lac utile esse docet; quemadmodùm sunt atrophia, marasmo frigido, tabe dorsali, aliave simili ægritudine affecti, citrà febrim, aut aliam evidentem consumptionis, & extenuationis causam. Quo fortasse motus argumento Galenus usum lactis approbat senibus marasmo frigido laborantibus *libr. de Marasmo, & 7. methodi cap.* 5. Quin & plures legimus solo lacte vitam incolumem conservasse, ut de Agricola superiùs memorato scribit Galenus *c* 5. *de sanitate tuenda cap.* 7. & de aliis narrant Athenæus, Plutarchus, Plinius, Leo Aphricanus, aliique.

Coronidis tandem loco subjungere non erit incongruum, ad prohibendam lactis coagulationem conferre plurimùm, si eidem admisceatur saccharum, aut mel; sed & Galenus *in huius aphor. comm.* serum lactis sale, & melle conditum se etiam flatuosis exhibuisse testantur: attamen, ut lac minus noceat, immò ut meliùs nutrire valeat, sit recens mulctum, album, medium inter tenue, & crassum, sapore dulcissimum, omni alio sapore vacuum, ab animante elicitum florentis ætatis, & plantis, in opportunum usum conferentibus, enutrita. Verùm de hac re consulantur præ cæteris Claudinus *Append. de ingressu ad infirmos sect.* 8. Primerosius *lib. 3. de vulgi erroribus cap.* 11. 12. *&* 29. & noster Santorellus 12. *de san. nat. c.* 10. ubi latè admodùm commoda, & incommoda lactis refert, & examinat.

APHO-

APHORISMUS LXV.

Quibus tumores in ulceribus apparent, non admodùm convelluntur, neque insaniunt; verùm his evanescentibus derepente, illis quidem quibus à tergo, convulsiones, & tetani fiunt; quibus autem à fronte, insania, vel dolor lateris acutus, vel suppuratio, vel difficultas intestinorum, si tumores sunt rubicundi.

APhorismus hìc ad partem Medicinæ chirurgicam pertinens, prognosticus totus est, eoque Hippocrates futura, & imminentia, ex ulceribus mala prædicenda docet, & Medicos quoque præcautos esse oportere admonet, ut internoscere simul, & illa præcavere valeant. Desumptus autem ille est ex 2. *epid. sect.* 3. licèt parumper immutatus, sed tamen ita, ut facilè unus alterum exponat.

Solent equidem ulceribus, ab inflictis potissimùm vulneribus, tumores supervenire, & præsertim phlegmonodes dicti, ab impedito nimirùm remeantium humorum circuitu, eo quòd interruptis, atque intercisis semitis discurrentis sanguinis, & lymphæ, hi spontè sua ad labia vulneris hæreant, & restagnent, unde postmodùm tumores: Et licèt Hippocrates in textu dicat *œdemata*, ista tamen, ut interpretatur Galenus, omnem tumoris speciem apud Veteres comprehendebant; quamobrem sive sanguis, sive lympha, aliusve humor præter naturam ibidem congestus, ex mora facilè fermentescens, acore, atque irritatione; nedum partem ipsam ulceratam tumefacit, & extorquet, verùm etiam membranas, & nervos circumjacentes, tum corpulentia, tum acritudine coarctat, comprimit, vel etiam inflat, & dilaniat, indeque convulsiones, & mentis abalienationes exoriuntur. Hæc autem esto indiscriminatim quibuscumque partibus vulneratis, ulceratisque accidere possint, specialiùs tamen plurima, variaque nervorum ramificatione refertas, afficiunt; & ubi extrema musculorum sunt sauciata: talia enim vulnera, & ulcera prava sunt, ut dicetur *aph. sequenti*: si igitur ejuscemodi vulneribus, aut ulceribus tumores superveniant, inquit Hippocrates, neque convelli, neque insanire. Tunc enim verendum de convulsione, aut insania, cùm humores commoti, & per corpus debacchantes, ad cerebrum afferuntur, atque nervorum principium occupant, & divexant; at verò in partem vulneratam delati, illud indicant immune ab ejusmodi læsione manere, adeòque neque convulsioni, neque dementiæ obnoxium fieri, quas proculdubio intulissent, si in cerebri meditullium decubuissent. Atqui dixit Hippocrates *non convelluntur maximè*: quoniam fieri potest, ut etiam cùm ejuscemodi humorum depositione, & tumorum in ulceribus apparitione, convulsiones, & insaniæ habeantur, vel ob consensum earundem partium sauciatarum cum cerebro, aut cum spinali medulla; vel quia non integrè mali humores in ulceratam partem deponuntur, sed alii in hanc, alii in cerebrum sunt translati; vel quia aliunde contingit, cerebrum, & nervos unà simul affici; sed profectò magis, magisque læderentur convulsione, & insania correpti, si à depositis pravis humoribus in partem ulceratam, tumores non apparerent: Etsi igitur alia de causa delirium, aut convulsio accidat, non maximè, nec vehementer,

ter, & continuè molestabunt, si ulcerata pars tumida apparebit, & ea mole, ac magnitudine, quæ proportionem servare visa fuerit ad humorum copiam, & ulceris amplitudinem, ac profunditatem.

Quoniam verò humores isti in ulceratam partem depositi facilè loco moveri possunt, & aliò transferri; promptiùs planè in cerebrum veluti in partem sua natura debiliorem, & magis cum sauciata consentientem, efferentur: id quod cùm acciderit, convulsiones, & distentiones nervorum evenire palam est; quamobrem rectè idem Hippocrates subdit, tumoribus hisce repentè evanescentibus quibusdam à tergo convulsiones, & distentiones fieri; aliis verò insanias, laterum dolores, aut intestinorum difficultates, prout humores ipsi commoti in hanc, vel aliam partem decubitum fecerint: quod expressiùs idem Hippocrates declaravit *cit.* 2. *epid. sect.* 3. ubi: *His autem*, inquit, *evanescentibus repentè, quibus quidem in posteriores partes, convulsiones cum doloribus; quibus autem in anteriores, aut insaniæ, aut dolores lateris acuti, & dysenteria rubra*: Siquidem ad posteriorem cerebri partem spinalis medulla, ejusdemque nervi potiùs afficiuntur; ad anteriorem verò mens, ejusque phantasmata; & si inferiùs adhuc deferantur, ac decumbant, & thoracem, aut imum ventrem petant, lateris dolores, aut dysenteriæ exorientur. Quin Galenus, reprehensus tamen à Cardano, *in comm. hujus aphor.* ab ulceratis partibus posterioribus, vel anterioribus, deducit convulsiones, vel manias, cæterasque affectiones fore sequuturas. *Si verò*, ait, *tumores de repentè evanescant, convulsiones, ac tetani, quando in partibus posterioribus, hoc est in dorso, ulcera fuerint: quæ verò deinceps dicuntur, si in partibus anterioribus fuerint, consequi dicit*. Et rationem addit; *Posteriora siquidem nervosa sunt, anteriora venosa, atque arteriosa*. At historiæ duæ relatæ *hoc loco* ab Heurnio de vulneratis in humero, & scapula, nullo intereà apparente tumore, in insaniam potiùs ductis, quàm in convulsionem, contrarium evincere videntur. Quamobrem hæc indiscriminatim quoque exoriri posse fatendum est.

Sed ut hæc mala eveniant, non satis est, ut tumores disпareant, & evanescant, sed necesse etiam est, ut repentè, & citrà manifestam, evidentemq; causam. Ita enim fit, ut certò judicare liceat, humores aliò fuisse delatos, non autem revera evanuisse, aut fuisse resolutos, ac dissipatos: siquidem quæ resolvuntur, aut certa ratione dissipantur, sensim, sensimq: fiunt, præcedentibus signis attenuationis, coctionis, & evacuationis. Hinc jure optimo idem Hippocrates *eodem* 2. *epid. sect.* 3. docuit: *Quæcumque sine signo judicationis judicatorio disparent, malè judicata sunt, velut erysipelas ancillæ Polemarchi*; & quemadmodùm contigit Calvo Larissæo 3. *epid.* Sed nec quis ambigat, quo pacto humores à partibus ulceratis subitò, ac repentè disпareant, alióque ferantur, quoniam corpulenti sunt, & plerumque crassi. Siquidem id ope circulantis sanguinis, & lymphæ, facilè accidere potest, resumptis nimirùm iis per venas, aut lymphicos ductus, qui non raró plus justo, vel repellentium medicamentorum molimine, vel laxantium linimentorum amplificatione, hærentes cæteroqui humores excipiunt, & diducunt, circumpellentibus undique partibus adnexis: quod si fortassis tenues, & serosi illi fuerint, adhuc prom-

promptiùs per poros partium, atque per fubftratas, adjacentefque glandulas abforbentur, & in ordinarios, propriofque canales, adjacentium partium, & præfertim mufculofarum nifu, coadjuvante plurimùm calore, & fermentatione ibidem excitata, aliò adiguntur, & profluunt. Verumtamen neque folùm in cerebrum poffunt loco moti à tumefactis partibus humores transferri, & convulfionem, aut maniam excitare, fed alias quoque confimiles ægritudines juxtà partium affectarum conditionem. Quare nedum morborum cerebri, & nervorum meminit hìc Hippocrates, verùm etiam pleuritidis, peripneumoniæ, empyematis, fi ad pectus; atque etiam dyfenteriæ, fi ad imum ventrem, & inteftina humores illi transferantur, & decumbant. Adjecit autem in textu, *fi tumores fint rubicundi*; quoniam pleuritis, & peripneumonia de genere inflammationum funt, & non nifi à fanguine, vel cum fanguine reftagnante, contingunt, atq; ab iftius putrefactione empyema. Dyfenteria verò hìc intelligitur cruenta, quam rubicundam *cit. 2. epid.* appellavit, cujus etiam meminit *libr. de nat. humana, 3. epid.* & *lib. de Articulis*, & Galenus *3. de fympt. caufis cap.* 8. & 5. *de locis affect. cap. ult.* immò lienofis fupervenientem falutarem cenfet *6. aphor.* 48. veluti fine inteftinorum ulcere, & nullo alio gravi fymptomate fociatam, immò criticè, Natura malum à bono fanguine feparante, promotam. Quod fanè, fi pari modo contingat ex tumoribus fubitò evanefcentibus, translatis intereà pravis humoribus in patentiores ductus, unde faciliùs poffint evacuari, vel faltem in ignobiliores corporis partes deponi, cum virium levamine, & fymptomatum remiffione, proculdubio neque penitùs ejufmodi translatio vituperanda erit, ut non rarò podagricis accidit. Contigit etiam mihi Romæ aliquandò experiri in quadam nobili muliere, cui tumor ingens ad clunes acciderat, ex ulceribus ibidem anteà contractis, illo repentè evanefcente, atque exarefactis omninò ulceribus, fubortum ad femora latum, oberranfque Eryfipelas, non folùm permififfe ulcera breviffimè fanari, fed etiam febrim cum adjunctis fymptomatibus defiiffe. Hinc pariter deducere eft (ut etiam advertit Mercurialis) non modò hæc, quæ retulit in aphorifmo Hippocrates mala, ab evanefcentibus repentè tumoribus exoriri, fed & furditates, lippitudines, afthmata, cardialgias, dyfurias, ifchiades, idque genus alia, quę fortafsè reticuit, contentus generaliora folummodò attuliffe, quæ fortafsè frequentiùs obfervaverat. Denique fi tumores ifti à lympha, aliifque humoribus, præterquam à fanguine orti, fubitò evanefcant, ab illorum in aliis partibus depofitione, congeneres morbi excitari poterunt, qui fcilicet analogiam cum iifdem retinebunt, ut ex praxi.

APHORISMUS LXVI.

Si in vulneribus fortibus, & pravis, tumores non appareant, ingens malum.

UT oftenderet Hippocrates folere ferè femper vulneribus, atque ulceribus tumores fupervenire, adeòque non inutiliter præcedenti aphorifmo dictum, malum effe, fi illi repentè diffolvantur, & evanefcant, in ejus argumenti confirmationem nunc adiicit, oportere iifdem tumores fuperaccidere, fi prǽfertim fortia illa

illa sint, & prava. Atqui parum refert, num vulnera recentia sint, aut anteà contracta, & in ulcus degenerata, cùm ista Hippocrati non raro confundantur, dummodò ab externa causa processerint, ut deducitur ex *lib.de ulceribus*: Et licèt hoc loco scriptum sit per Τραῦμα, quod propriè continui solutionem à re incidente factam significat, nil tamen repugnat, quin etiam ad ulcera inde progenita idipsum extendamus, & sive punctim, sive cæsim, & sive à re contundente, sive frangente, & secante, sint inducta. Igitur ubi in vulneribus, aut ulceribus vehementibus, & magnis, tumor nullus apparet, qui cæteroqui ad vulneris magnitudinem consequi deberet, ingens malum significatur, saltem imminens, & futurum.

Vocantur autem vulnera fortia, quæ magna, & hiantia, ac profunda sunt, vel in partibus principalibus inflicta, ut docet Galenus 4. *meth.c.* 6. & 6. *ejusdem operis cap.* 4. quamobrem vel ob partis præstantiam, vel ob rescissæ carnis nimiam molem fieri nequit, quin multa, & ingentia vasa sanguifera sint pariter vulnerata, & resecta, unde sanguis inde præterfluens, cùm nequeat suum circuitum recta peragere, necesse est, ut in adjacentes partes effundatur, ibique stagnet, & hęreat, proindeq; tumorem ingentem, & magnum pariat; quare si fortasse nullus appareat, indicio erit, vel introrsum, in partes scilicet corporis intimiores excurrisse, ibiq; corruptionem subiturum; vel sanguinem ipsum adeò effętum, & ineptum evasisse, ut lentè admodùm moveatur, sibique remotam faciat, neque partes, ut decet irriget; vel denique tantam fuisse factam ex vulnere illius effusionem, ut vix reliquus supersit, qui cordis motum, & vitam tueatur.

Quòd si præterea nedum magna, & fortia sint vulnera, verùm etiam prava observentur, hoc est maligna, & cacoethica, longè magis deteriora erunt, & vitium in sanguine ex partibus vulneratis deleterium denotantia, quemadmodùm in gangręna, & sphacelo. Istius autem conditionis esse solent vulnera capitibus, & finibus musculorum, maximè nervosorum inflicta, ut observat Galenus *in comm.* quippe illa non sine ingenti dolore, inflammatione, convulsione, virium dispendio, cęterisque pessimis symptomatibus contingunt; quæ cerebrum, cor, aliasque principes partes collæsas, malèque affectas arguunt; unde si fortasse in his tumor nullus appareat, quoniam ex vulneratarum partium, earumque fibrarum coarctatione, corrugationeque affluens sanguis excipi nequit, sed ad alias partes principes, & mutuò consentientes, impetu quodam effertur, & irruit, vel ex virium languore, in suo motu præpeditur, & hæret, proculdubio ingens malum sequitur, & sæpissimè etiam interitus. Atqui idipsum non raro quoque imperitia Chirurgorum accidit, quemadmodùm scitè hìc etiam adnotat Galenus, cùm scilicet influxus sanguinis in partem vulneratam valdè infrigidantibus, aut adstringentibus medicamentis reprimitur, repugnante intereà ex adverso nervearum partium natura, & conditione, quæ, ut idem Galenus ibidem subdit, *medicinas calefacientes, atque exsiccantes desiderant*. Ex his ergo planè nunc sequitur, ingens malum subinde portendi, ut, etiam edocuit allegato 2. *epid. sect.* 3. quod suo more complexus Celsus *lib.*5.*cap.*26. eleganter scripsit: *Nimis intumescere vulnus, periculosum: nihil intumescere, periculosis-*

fissimum est: illud indicium est magnę inflammationis, hoc emortui corporis.

Quamvis autem hæc in universum vera comperiamus, accidit tamen aliquandò, ut in corporibus salubri constitutione potitis, rectaq; victus ratione usis, ob quam pravos, aut excrementosos humores nullatenùs cumulari contigerit, inflicta vulnera, alioqui magna, nullum, vel levem admodùm tumorem adjunctum habuerint, sine ullo tamen vitæ periculo. Quamobrem confert plurimùm bona corporis habitudo, & humorum puritas, ad evitandum ejusmodi in vulneribus incommodum: contra verò novi plerosque cacochymos, cachecticos, aut lue venerea infectos, qui etiam ex levibus vulneribus, & ulceribus, à suppuratis tumoribus subortis, vitæ periculum subiere, vel difficulter, & nonnisi post diutissimum tempus, convaluere. Juvat pariter in his attenta Medicorum assidentium cautio, atque animadversio, qua scilicet præcaveatur per convenientia, & opportuna medicamenta, pravorum humorum ad partem vulneratam affluxus, ut propterea nullus, vel saltem levis, aut insensibilis tumor sit compariturus. Cùm igitur hæc ritè, rectèque peracta sunt, nihilum de tumoribus non apparentibus pertimescendum.

APHORISMUS LXVII.

Molles boni, crudi verò mali.

QUandoquidem ad ingentia, & magna vulnera Tumores consequi bonum, ex præcedenti aphorismo tacitè subinfertur; docet in hoc alio Hippocrates, quales ipsi esse debeant, aitq; molles illos esse oportere, nam crudi, & duri alia de causa mali censendi sunt. Molles autem, sive, ut scribitur eodem 2. *epidem. sect. 3. laxi tumores*, intelliguntur, qui prementibus digitis promptè cedũt, veluti oppositi crudis, duris, ac renitentibus dictis, ut colligitur *ex primo in primum epidemiorum*: & quidem tripliciter tales esse possunt, vel ex conditione humoris tumorem facientis; unde qui ex phlegmatę, aut lympha, mollis est; qui ex terreo, concretoque humore, durus: vel ex ejusdem humoris cruditate, vel coctione; quamobrem tumores inter initia, ob humorum cruditatem, duri observantur; cùm verò coctionem subierint, molles fiunt: vel denique ex partibus affectis; quæ enim partes natura sua molles sunt, laxæ, & spongiosæ, ut adenes, sæpesæpiùs cùm tumefiunt, molliorem quoque, laxioremque retinent conditionem: Modò molles hìc tumores in vulneribus apparentes, cujuscumque generis sint, relati ad crudos, & duros, semper meliores existimandi sunt; quoniam molles ex ratione materię lymphicæ, aut pituitosæ, utpote nullum, vel levem dolorem, aut irritamentum inferentes, minoris sunt malitiæ, quàm si à materia consistentiori, acidiorique sint progeniti: molles verò ex prompta, facilique coctione, proculdubio meliores sunt, quàm si illa contumax, & rebellis foret: & denique molles ex natura partis affectæ glandulosæ, utpotè sensus expertes, molestia quoq; carent dolorifica, & vellicante, cujus rationem specialem habendam voluit Hippocrates in vulneribus, & ulceribus quibuscumq; ex quibus anteà convulsionem, maniam, cæterasq; ægritudines acutiem præseferentes, metuendas dixit. Porrò perperàm egisse videntur illi, qui Aphorismum hunc de tumoribus universis indiscriminatim sunt inter-

pretati, in quibus etsi nonnunquam mollities longè admodùm melior sit, duritie, & cruditate, cùm scilicet illa ab imminenti, facilique coctione humorum procedit; multoties tamen Medicos curantes fallit, & multò gravior, ac periculosior observatur, quemadmodùm palàm fit in œdemate, atheromate, steatomate, meliceride, vomica, cæterisque tumoribus flatulentis, & aquosis, potissimùm in corporibus cachecticis, atque ad hydropem dispositis, cùm cæteroqui phlegmon, durus, ac renitens tumor, faciliùs subigatur, & curetur. Atque hinc etiam facilè exponitur, quod 2. *epid. sect.* 3. de iisdem tumoribus, sub alia phrasi, scripsit Hippocrates, ubi sursum repentes contraposuit mollibus, & laxis: Sursum autem repentes intelliguntur, non solùm, qui circà vulnera comparent, & partem ulceratam tumefaciunt, sed aliorsum, ac præcipuè sursũ attolluntur; atq; vel ob multitudinem humorũ, eorundemq; pravitatem, aut propter partis affectæ contractionem, compulsionemque, nobiliores partes petunt, & introrsum repunt. Cæterùm crudi tumores, idest coctionem minimè admittentes, nec à natura subigibiles, semper mali sunt, & periculum vitæ minantur, quales scirrhi, strumæ, carcinomata, exostoses, ut ex praxi Chirurgica cunctis notum; sicut contra molles ad suppurationem vergentes, minùs mali, immò plerumque salutares existimantur.

APHORISMUS LXVIII.

Dolente parte capitis posteriore, in fronte recta vena incisa prodest.

V. Gal. comm. 2 in 6. epidem. 27.

Quod experimento juvisse compererat 6. *epid. sect.* 2. Hippocrates in eo, cui *dolente capitis parte posteriore, recta vena in fronte secta profuit*, in aphorismum redegit, & hìc apposuit, ut vel hinc certò nobis constaret, ab experimentis, iteratisque observationibus sententiarum istarum seriem compilasse, ac sicuti in memoriam caderent, stato quodam ordine, disposuisse, non tamen ea lege, ut præcepta posteris traderet irrefragabilia, sed ut potiùs moneret, qua methodo sibi medicam facultatem comparasset, eademque posteri possent suis observationibus illam magis, magisque confirmare, ac locupletare, juxta illud Manilii:

Per varios usus Artem Experientia fecit;
Exemplo monstrante viam:

quippè non ex uno, aut ex altero experimento, sed ex pluribus, iteratisque, atque eodem modo contingentibus exurgit Experientia, quæ propterea scitè admodùm describitur à Galeno *lib. de optima secta ad Thrasybulum*, *memoria ejus*, *quod sæpiùs*, *& eodem modo visum est*. At verò experimentum propriè dicitur, *ejus, quod nondum constat opere, attentatum*; *seu alicujus medicamenti dubia attentatio*: unde experiri idem est, ac rei alicujus periculum facere, ac tentare, quod sanè eventus ambiguitate, & periculo non caret. Cap. 1.

Id itaque proponere videtur in hoc aphorismo Hippocrates, se nimirùm aliquandò expertum, juvisse venæ frontis sectionem in vehementi occipitis dolore; ut hinc cæteri, si prudenter visum fuerit, idipsum experiri valeant in consimilibus doloribus, num fortassè ex iteratis observationibus generale, quoad fieri potest, documentum elici, & experientia solidior deduci queat. Inutiliter ergo allaborant, qui hoc Hippocratis effatum ad rectam, perpetuamq;

meden-

medendi rationem reducere conantur per ambages illas evacuationem, quæ Revulsoriæ, & Derivatoriæ appellari consueverunt: siquidem istæ jamdiù à recta medendi Methodo, post detectam sanguinis circulationem exularunt; nisi solùm vocabula ista, in gratiam venerandæ vetustatis, retinere velimus, ut cùm ejusmodi missiones fiunt inter initia ægritudinum, Revulsiones; constantibus verò, aut invalescentibus iisdem peractæ, derivationes appellentur: ea planè ratione, qua fortè creditum, fluentes inter initia inflammationum humores intercipi, & in suis motibus præpediri; in augmento verò, & statu earundem, cùm jam factæ illæ sunt, diminui, atque in motum denuò adigi hærentes partibus humores: quod tamen non facilè plerumq; est, immò sæpesæpiùs nocuum, ac periculosum, ut aliàs dictum. At verò, citrà ejusmodi inutiles animadversiones, potest dolori occipitis venæ frontis sectio prodesse, cùm is ex immoderato, impetenteque sanguine in illius foramina, angustiora reddita, non tàm promptè subeunte, provenit, quocircà vel hærens aliquantisper, vel irruens, & impetuosiùs excurrens pericranium, duramque meningem gravat, aut vellicat, unde postmodùm dolor, qui deinde sedatur, promota, per frontalis venę amplioris sectionem, illius circulatione; quippe jam satis constat, non aliud beneficium ex venarum sectionibus corpori exoriri, quàm sanguinis motum, juxtà Mechanicæ leges, nonnihil aliquandò accelerare, ob diminutam ejusdem quantitatem. De reliquo, id indiscriminatim in cunctis capitis doloribus experiri velle, valde periculosum; cùm ex Galeno *in comment. aphorismi primi*, *experiri ea, quæ non sunt longa experientia comprobata, non est citra periculum, cùm mala experientia ad totius animalis interitum terminetur*. Atqui, præter alia graviora pericula, quæ ex intempestivis, importunisque detractionibus sanguinis incurritur, illa specialiùs in venæ frontis sectione contingunt, quòd collum undequaq; circumligari debeat, & caput ad supercilia, fascia obduci, ut vena illa turgeat, & intumescat, ne pro vena arteria incidatur, & citrà periculum punctionis, aut vulneris pericranii. A devinctis autem jugularibus vasis facilè hydrocephalon, & à puncto, vulneratoque pericranio, convulsio non raro accidit. Hinc propterea factum, ut jamdiù ejusmodi venarum sectiones ab aula medica exulaverint; nec sit amplius, qui eas tentare, aut in praxim deducere audeat.

APHORISMUS LXIX.

Rigores incipiunt, mulieribus quidem ex lumbis magis, & per dorsum percurrunt ad caput; sed & viris parte corporis posteriore magis, quàm anteriore, veluti ex femore, & cubito. Sed & cutis rara: indicio autem est pilus.

QUamvis plerique Expositores memoratos hoc loco rigores nolint de veris rigoribus, febres prę-cedentibus, interpretari, sed solùm de refrigerationibus, aut horripilationibus, ab externa causa inductis, veluti à gelu, & à Borea; ipse tamen non video, cur illis nequeat hæc sententia adhuc rationabiliter adaptari, immò multò magis, quàm aliis; cùm experimentis compertum habeamus, rigentes à febribus secundùm posteriora potiùs conqueri, ac molestari, immò quosdam etiam febre tertiana affectos noverim, qui in-

tegumenta multa, ac lanea, adhuc etiam ponderosiora, & excalefacta, ad eas partes exquisierint, ut levamen aliquod, atque adjumentum à concutiente, & molestante frigore persentirent: Advertit pariter Galenus nullibi Hippocratem rigoris meminisse à febre sejuncti, ut propterea illum sine febre novum, & peregrinum symptoma, suo tempore fuisse scribat *lib.de rigore, tremore, & palpitatione cap.*7. Verùm utcumque se res hæc habeat, & sive rigores propriè dictos, sive simplices refrigerationes à rigido ambiente illatas, intelligat Hippocrates, docet hìc à lumbis magis in fœminis per dorsum in caput excurrere; in viris verò, etiam partes posteriores potiùs quàm anteriores, atque ex his magis extremas: Quod & repetitum bis adhuc invenitur, 2.scilicet *epidem. sect.* 3. & *6.epid.sect.etiam* 3.

Et quidem, quod in febrientibus rigores incipiant à partibus posterioribus, atque in fœminis magis à lumbis, clarè deducitur ex nupera Recentiorum Anatomicorum doctrina, qui multis rationibus, atque experimentis evincunt, rigorificam illam concussionem ab indebita succi pancreatici cum felleo fermentatione proficisci, adeòque circa lumbos, & glandulas lumbares persentiri, unde postmodùm spinalis medulla, ductus thoracicus, pulmo, cor, totumque corpus, inæquali frigore contremiscat. In fœminis insuper, ligamenta uteri rotunda ad easdem quoque partes protenduntur, ac proinde major afflictio ex tot nervorum, & partium nervearum compassione; siquidem inter cæteras istæ magis à frigorificis, sive internis, sive externis, afficiuntur, ex eodem Hippocrate *aphor.*17.& 18.*hujus*. Dixit autem *magis*, non quòd omninò ex lumbis, sed quòd præcipuè ab his ostenderet rigores incipere solere, cùm tamen reliquæ etiam partes extremæ corporis, manus, pedes, ingenti frigore molestentur; rigore verò, idest inæquali illa concussione cum sensu intensi frigoris, solùm internæ partes nerveæ ad lumbos, & præcordia sitæ divexentur. In maribus quoque posteriora magis, quàm anteriora frigere incipiunt, cùm rigor illos invadit, non quòd impari ratione hic illis accidat, cùm idem sit in utrisque febris fomes, & focus, unde *6.epidem. sect.*5. dicitur, *rigorem omnem à superiore ventre inchoare*; sed solùm, quia in fœminis frigus ex lumbis per dorsum ad caput fertur; in maribus verò extimas potiùs partes pervadit: halitus enim ex fermentantibus præter naturam succis in regione lumborum, per nervos potissimùm in maribus divexant, qui ex lumbis, & osse sacro, atque adjacentibus imi ventris partibus, ad inferiora protenduntur, & per femora excurrunt, cùm in fœminis, ob eorundem cum utero, & cerebro consensum, per dorsum caput potiùs feriant, quod planè in ipsis mollius est, & imbecillius. Verumtamen etsi hoc plerumque fęminis accidat, non est, ut omninò immunes exinde mares ab ejusmodi molestiis existimemus; quamobrem appositè adjecit Hippocrates adverbium *magis*. Nonnullos equidem novi è classe illorum, qui hypochondriaca affectione laborant, idipsum omninò ex rigorificis febribus passos, quod de fęminis hìc memorat Hippocrates, ut propterea etiam mente titubarent, & secum ipsis obloquerentur; & alios qui aliquantulum convellerentur, ac contremiscerent. Adjecit tandem, *veluti femorum, & cubiti*, loco exempli, ut cum posterioribus postremas quoque, & exteriores

res partes intelligamus, quod clarius expressit *cit.6.epidem. sect.3.* inquiens: *Horremus enim magis exterioribus, quàm interioribus corporis partibus, velut cubitis, femoribus.* Porrò si hæc manifesta sunt in rigoribus, & horroribus, multò sanè patentiora fiunt in refrigerationibus extrinsecùs inductis, aut in defluxionibus humorum præsertim lymphicorum, per spinam, & artus; quippe partes posteriores corporis frigidiores sunt anterioribus, quoniam illæ magis osseæ, & nervosæ, istæ verò majoribus, & numerosioribus venis, ac arteriis sunt refertæ; sicut etiam interiores, exterioribus, ut patet. Quòd denique anteriores partes calidiores sint posterioribus, indicare subdit cutem illarum partium raram, atque facilem pilorum generationem: rarior enim cutis, & facilis pilorum generatio, caloris, seu rei calidæ, unde pilus oritur, abundantiam indicat. At verò raritas cutis debet esse moderata, quæ scilicet satis sit ad halituosa excrementa excipienda, atque in pilum prolonganda, non autem tanta, quæ laxior nimis, & multùm patula, illa retinere, & concrescere non sinat, sed potiùs evolare, ac dissipari permittat; siquidem quemadmodùm adstricta nimiùm, & densa cutis pilorum generationi impedimento est, ita ex adverso rarior, & patentior plus justo glabra remanet; igitur moderatè raram esse oportet.

APHORISMUS LXX.

A quartanis capti, non admodùm à convulsionibus capiuntur; si verò priùs capiantur, & quartana supervenerit, liberantur.

SI unquam licuit à contextu aphorismorum mentem Hippocratis explicare, & clariorem reddere, certè ex hoc luculenter patet; rigores anteà memoratos, febriles potiùs intelligere voluisse, quàm alios; quoniam nunc de quartanis febribus verba facit, quæ rigoribus, aut potiùs horroribus molestissimis ægrotantes cruciant, iisdemque veluti signis pathognomonicis sociantur. Sed ista utcumque sint, docet Hippocrates, Quartanis febribus correptos non admodùm convulsionibus affici; immò his fortassis anteà correptos, superveniente quartana liberari. Multùm autem allaborant Interpretes, num propriè de convulsione, græcè σπασμῷ, an de convulsione epileptica, ac de ipsamet epilepsia, exponendus sit; siquidem Galenus *in comm.* excipit convulsionem factam ab inanitione, & illam solùm, quæ à repletione fit, atque ab humoribus lentis, & pituitosis progenitam intelligit, qualis in morbo comitiali: cui sententiæ inhærentes plerique alii in comprobationem adiiciunt eundem Hippocratem *6. epid. sect. 6.* dicentem: *A quartana correpti magno morbo non corripiuntur; si verò corripiantur priùs, & succedat quartana, liberantur.* Pro magno autem morbo epilepsiam intelligi nemo est, qui ambigat. Et quamvis nonnulli, inter quos Cardanus, de omni magno morbo illum interpretentur, id tamen veritati, atque experimento non cohæret; siquidem nulla ratio suppetit, quamobrem quartana correpti, à cunctis aliis magnis malis præserventur, aut liberentur; quinimmò experimentis pluries constitit apoplexia, asthmate, cordis palpitatione, hydrope, cæterisque magnis ægritudinibus eos laborasse, ut sileam scirrhos, obstructiones lienis, renum calculos, ischurias, stranguirias, aliasque, quibus obnoxii

fiunt. Sed & Hippocrates ipse *3. epid. 3.* complures quartanarios memorat in constitutione illa pestilenti simul cum aliis periisse. Hinc falsum quoque dicere est Celsum, hac ductum Hippocratis auctoritate, qui quartanam febrim docuit ab aliis magnis morbis liberare. Verùm tot ambagibus, & tricis exolvemur, si juxta Recentiorum dogmata, & observationes, considerentur omnes istiusmodi nervorum ægritudines à vaporibus, aut humoribus acidis provenientes, qui cùm sedem suam in imo ventre habeant, à vitio viscerum naturalium malè affectorum, præsertim verò pancreatis, lienis, ventriculi, & glandularum circumjacentium, propterea fit, quòd illis per indebitam cum cæteris succis, potissimùm felleo, in gracilibus intestinis fermentationem febrilem subactis, ut speciatim in quartana febri fit, desinat in nervorum, & musculorum fibris proritatio, & convulsio, ut aliàs quoque dictum est; vicissim enim acidum quodcumque, felleo, & amaro liquore retunditur, ac domatur: cùmque quartanæ febres cæteris longiores esse soleant; inde etiam sequitur, ut iteratis invasionibus, tum per vehementes illarum horrificas concussiones, tum etiam à diuturna perduratione, omnis acor ex humoribus absumatur, vel infringatur, removeaturque causa irritationis, & convulsionis nervorum. Huc etiam facit, quod idem Hippocrates *6. epidem. sect. 7. circa finem*, scribit: *melancholicos fieri epilepticos, & è converso*; quoniam humor melancholicus acidus, utriusque morbi causa, si in cerebrum, & mentem feratur, melancholiam, in principium verò nervorum, & nervos ipsos, epilepsiam excitat; atqui febre superveniente, idest per febrilem fermentationem subacto istiusmodi humore, uterque vel desinit, vel remittit. Denique advertendum superest, Hippocratem non penitùs dixisse quartanis captos convulsionibus nullatenùs corripi; sed *non admodùm* solùm; siquidem fieri potest, ut alia de causa illis afficiantur, vel etiam eadem non penitùs per febrim discussa, potissimùm cùm convulsiones, & epilepsiæ fuerint inveteratæ, adeòque diutiùs protractæ, languorem in nervis consequantur: quo casu etsi omninò non desinant, satis tamen est si admodùm, aut violentiùs non affligant, sed rariùs solùm, & mitiùs quàm consueverant.

APHORISMUS LXXI.

Quibus cutes circumtenduntur aridæ, & siccæ, sine sudore moriuntur: quibus verò laxæ, & raræ, cum sudore moriuntur.

TRanscriptus est hic aphorismus ex *6. epidem. sect. 6.* ubi per eadem verba scribitur, nisi quòd clariùs ibi, cutes aridæ, ac duræ, pro aridis, & siccis memorantur. Notat autem cutes aridas, & duras, quæ scilicet simul unà exsuccæ sint, ac densæ, quemadmodùm in coriis animalium ad Solem exsiccatis, ut nimirùm pororum constipationem, coarctationemq; designet, & cujusvis humoris absumptionem, unde tactu duræ, distentæ, & aridæ, adeòq; etiam scabræ, & asperæ, percipiantur: Neque solùm unius, aut alterius partis meminit, sed universalis integumenti totum circumambientis, & circumvestientis corpus: id enim sonat verbum illud, *circumtenduntur*, qua scilicet cute universum corpus circumtegitur, & convestitur. Quibus

igitur

igitur cutes tales sunt, vel natura, vel temporis progressu, forsan ex ægritudine, veluti ex marasmo, sudor nullus fieri potest, etiamsi febribus afficiantur, quoniam vel humor deest propter ariditatem, vel extramitti, atque exudare nequit propter cutis densitatem, exarefactis præsertim glandulis subtercutaneis dictis, unde lympha, sudoris materia, proximè solet extillare; quemadmodùm evenisse scribit idem Hippocrates Dealcis uxori, & Adolescenti in Melibęa, ægrotis *xv. & xvi. 3. epid. sect. 3.*

At verò qui cutem sortiuntur laxam, & raram, nimio sudore perfusi in febribus, aliisque similibus ægritudinibus, decedere solent; quoniam scilicet, qui humores pravi per coctionem subigi non potuerunt, & criticè protrudi, sponte sua inter mortis confinia, inutiliter, immò etiam maximo cum virium dispendio, erumpere consuescunt, & sudores pariunt, diaphoreticos dictos, præsertim si cacoethiam conjunctam habeant, ut in malignis, & pestilentibus febribus.

APHORISMUS LXXII.

Qui Regio morbo laborant, non multum ventosi sunt.

Icterum aliàs diximus, vel à veneno sanguinem, & lympham corrumpente, vel à crassis, lentisque succis fellei humoris in tenuia intestina transpositionem ex ductu cystico, & cholidocho impedientibus, exoriri. Primum, plerumq; malum, itemque exitiosum experimenta plurima contestantur, de quo etiam Hippocrates pluries in hisce aphorismis, præsertim si ante septimum apparuerit, aut tumido, ac duro existente jecinore: Alterum diuturnum quidem, sed minimè periculosum passim experimur, & sæpissimè etiam sine febre. Cujus autem hìc meminerit, ut eo affectos non admodùm ventosos esse dicat, vereri subit. At de primo effatum hoc veritati non consonat, repugnante quoque eodem Hippocrate, qui Apollonium ægrotum XIII. *sect. 3. 3. epidemiorum*, auriginosum simul, & flatulentum fuisse memorat. A tumefacto præterea jecore facilè subsequi solet Tympanitis, in qua flatus prævalent adeò, ut universum ventrem distendant, & inflent. Ictericos itaque, ab impedita fellei humoris in gracilia intestina depositione, hic intelligere oportebit, quibus nimirùm alvus styptica esse solet, & fœces, si quæ egeruntur, albicantes, ac cineritiæ observantur. Quoniam enim in his bilis consistentior, ac inertior reddita, minimè in tenue intestinum deducta, nequit suo sale volatili viscosam pituitam, hærentesque in intestinis succos, etiam ab acido pancreatis fortasse austeriori, itemque ex ventriculo delabentem chylum convenienter diluere, ac moderari; propterea fit, ut flatus, vel nulli, vel tenues admodùm progignantur; sed & fœces inde provenientes mucosæ plus justo, & felleo istiusmodi liquore privatæ, diu retinentur, atque postmodùm nonnisi ingenti conatu egestæ, cineritiæ observantur: constat autem felleum hunc humorem pancreatici vim retundere, chylum ab inutilibus partibus repurgare, tenaces, hærentesque succos ab intestinis incidendo, detergere, necnon clysteris vicem gerendo, flatus discutere, & alvi excrementa ad exitum provocare. At verò adjecit Hippocrates *non admodùm*, cùm fieri possit, ut aliquando, leviter saltem, flatus, aut ructus ab Ictericis

ricis emittantur, cùm scilicet aliqua ex parte felleus humor ad intestina deiicitur, fortè quia non omninò cholidochus ductus obstruitur, ut omnem ejus partem remoretur, vel etiam quia ab oleosa, tenacique bile cystis ipsa sola infarcitur, indeque Icterus exurgit, libero intereà cholidocho ductu remanente. Sed & contingit pariter nonnullos flatibus vexari, ventris murmura excitantibus, & inflantibus intestina, illos autem nequaquam depellere posse: his equidem facilè accidit, ut Ictero corripiantur, & Tympanitici prætereà fiant. Novi quemdam, optima cæteroqui sanitate fruentem virum, qui cùm ingentes flatus magno sanè impetu per tempus, cùm luberet, edere consuevisset, mox factus Ictericus flatus ipsos per ventrem obmurmurantes discutere nequivit, & post aliquod tempus Tympanitico-asciticus periit.

Romæ cùm degerem, contigit pariter experiri Ictericum quendam, inconvenienti tamen methodo tractatum, flatuosum, ructuosumque per totum ferè morbi decursum extitisse; sed tandem stomacho, & viribus exolutum, cùm nil ampliùs retinere, nec digerere potuisset, ultimum suum clausisse diem; tumefacto intereà Jecore, & Ictero in hepatidem scirrhosam commutato.



LUCÆ

LUCÆ TOZZI

In Sextum librum Aphorismorum

HIPPOCRATIS

COMMENTARIA.

APHORISMUS PRIMUS.

In longis lævitatibus Intestinorum si ructus acidus superveniat, qui priùs non erat, signum bonum.



Extus hic Liber Aphorismorum varius est, proindèque utilis simul, & maximè commendabilis: cōtinet enim sententias ad Praxim Medicam summoperè conferentes, præsertim in his, quæ accidentium morborum proprietates comprehendunt: sumptoq; initio ab infima corporis regione naturali, primum considerat Hippocrates acidum ructum ex Ventriculo provenientem in diuturnis lævitatibus Intestinorum, aitque si is, velùti ex inspirato superveniat, qui priùs nunquam extiterit, bonum signum esse.

Est autem lævitas Intestinorum, græcè Lienteria, ægritudo illa, in qua assumpti cibi celeriter, & præproperè nimis, omnisque concoctionis expertes, ac nullatenùs immutati, egeruntur. Et quamvis inter Lienteriam, & Cœliacam passionem, ea ab Authoribus differentia statuatur, ut in Lienteria statim, ac nullimodè permutati; in Cœliaca verò parumper detenti, & solùm aliquantulùm dissoluti deiiciantur, non tamen illa tanti est, ut sub nomine lævitatis Intestinorum hoc loco prior solùm, & non etiam posterior affectio comprehendi possit, cùm unam, eamdemque causam utrisque communem sortiri soleant. Quæ enim à Veteribus de ejusœmodi ciborum dejectionibus sunt excogitata, de debili concoctrice, aut imbecilla Retentrice, vel plus justo lacessita Expultrice, quarum culpa ingesti cibi debito tempore non retinerentur, vel ante necessarium tempus expellerentur, ideòque coctionem non subirent, nupera Anatome faciliùs explicantur per comprehensionem, coarctationemque tunicarum Ventriculi suis fibris intertextarum, dissolutionemque ciborum à succis, è glandulis lenticularibus earumdem, in Ventriculi cavum exudantibus; quamobrem cùm ejusdem tunicæ delaxantur, & succi ipsi digestivi hebetes fiunt, aut in alienam naturam degenerant, coctio nulla fit, vel admodùm imperfecta; unde postmodùm facilis eorumdem delapsus ad intestina, subitaque depositio: cùmque iisdem tunicis Ventriculus, & intestina convestiantur, atque humores secretionibus addicti, Felleus scilicet, & Pancreaticus, parem sortiantur in hoc affectu conditionem à naturali statu degenerem;

nerem; proinde fieri, ut quod in Ventriculo dissolvi, & concoqui non potuit, multò minùs dilui, & secerni queat in Intestinis, potissimùm gracilibus. Quin & hæc, tum vitio, & inefficacia eorumdem humorum, tum defectu, ac laxitate glandularum miliarium, quibus interiùs referciuntur, tum denique lactearum venarum excipere nequeuntium obstructione, plerumque etiam male affecta, in causa sunt, ut quantocyùs pariter ad alvum inconcocti cibi deturbentur, & expellantur. Hinc Lienteria, nedum lævitas Intestinorum, sed & cibarius fluxus, seu diarrhœa stomachica plerisque appellatur, quoniam stomachus, seu Ventriculus, & Intestina cum suis tunicis, fibris, glandulisque, necnon cum liquoribus in eorum cavum extillantibus, simul unà in hoc affectu læsa conspiciuntur.

At verò non solùm hìc considerat Hippocrates Lienteriam, seu lævitatem Intestinorum quamcumque, vel ex modico tempore inductam, sed speciatim adjecit, ex diuturno tempore molestantem; siquidem *in diuturnis* dixit *lienteriis*. Si namque Lienteria recens foret, profectò, quod de acido ructu superveniente recenset, foret infidum, quia fortasse semper adfuit, & sicut is à principio Lienteriam concomitans non magni æstimandus, ita nec Lienteria ipsa plurimùm esset magnifacienda, utpote quæ non altas fixerit radices. Jure ergo hæc ambo animadvertenda scribit, *in longis*, seu diuturnis *lienteriis*, in quibus graviùs de vita verendum, & *ructus acidus superveniens*, qui longè magis utilis existimandus est. In his etenim ructus acidus superveniens recuperatum iri ægrotantem portendit, ob restauratæ coctionis indicia, quippe succi illi digestivi, ciborum dissolutionem promoventes, amissum acorem referunt naturali statui debitum, quo anteà orbati, inidonei evaserant, & ventriculus ipse ad pristinam fibrarum texturam, suique coarctationem quadantenus revocari prædemonstratur. Atque hinc palam fit, quàm longè aberraverint veteres Interpretes, ex ructu acido coctionem renovari existimantes ex eo, quòd ructus acidus indicium foret inchoatæ coctionis, vi caloris perfici consuetæ; cùm ructus acidus ex *Galeno* frigidam intemperiem consequi dicatur, & coctio ex eodem, à calore moderato fieri putetur. Equidem ructus acidus inchoatæ coctionis indicium est, sed ex restauratione, ac reditu succorum Chylificationi inservientium, quoniam succi isti sua natura acido-acres esse debent, & ubi anteà per Lienteriam hebetes, ac inertes, omnique acore, dissolvendi vim habente, orbati fuerant, cùm in pristinum restaurari, & exacui cœperint, futuram in posterum meliorem ciborum coctionem pollicentur.

Addidit præterea, tunc ructum acidum signum esse bonum, cùm anteà non extiterit, fortè quia succi illi digestivi hebetes, & effœti, vel propter commistionem aliorum succorum præsertim phlegmaticorum, vel ob mucorem in tunicis, & glandulis Ventriculi hærentem, vel propter eorumdem inertiam, ac inefficaciam, veluti à sanguine vapido dependentem, vim, actionemque nullam in cibos assumptos exerere potuerint, qui mox repurgato per iteratas egestiones corpore, acutiores, efficacioresque redditi, deinceps valeant eorundem dissolutionem,

nem, Chylificationemque peragere. Quamobrem, qui succi ciborum dissolutioni dicati, nulli, vel inefficaces erant, comparente ructu acido, illoque perseverante, restituti designantur, unde signum bonum. Necesse est autem, ut perseveret, nam si momentaneus fortasse foret infidele signum esset.

Sed quid, si ructus acidus adhuc anteà per initia lævitatis Intestinorum extiterit? Certè ex mente Hippocratis nil boni exinde præsagiri posset: tunc enim acidus ructus potiùs à cibis ipsis malè digestis proveniret, quàm à succis digestivis in meliorem statum redeuntibus; quamobrem non immeritò Lienteriam ipsam comitaretur, non superveniret. Atqui fieri etiam potest, ut succi ipsi talem, ac tantum acorem nanciscantur, ut longè admodùm à naturali conditione declinent, adeòque referant vim, acutiemque Aquæ Stygiæ, proximè ad veneni naturam accedentes, quocircà nedum cibos diluant, ac plus justo extenuent, sed & tunicas ipsas Ventriculi, ac Intestinorum proritent, & compungant, undè postmodùm citissima, ac præpropera nimis in alvum depositio, quemadmodùm ex vehementioribus catharticis, & venenatis quibusdam liquoribus experimur. Sed & insuper à nimia, atque immoderata tunicarum, & fibrarum Ventriculi laxitate idipsum evenire poterit, qua scilicet fiat, ut assumpti cibi nec comprehendi, nec debito tempore retineri queant, sed sponte sua per pylorum se corrugare nequeuntem in Intestina delabantur, quæ pariformiter affecta, aut premente, ineptaq; istiusmodi mole gravata, foras protrudant. Hinc autem facilè deduci potest evenire quandoque posse Lienteriam vitio solius Ventriculi malè concoquentis, aliquando verò ex defectu gracilium Intestinorum, succorumq; illuc corrivantium, nō secernentium partes Chyli alibiles ab excrementosis, sed unà simul permistas, ac confusas, ex irritamento statim ad alvum protrudentium, itemque si à tumida, villosaque glandularum substantia quodammodò lævigata, atq; à fibrarum, nervorumq; laxitate, ad debitum tempus continere nequeuntiū, indeque fieri, cur aliquandò gravior, quādoq; verò mitior lienteria exoriatur, ut exemplis plerisq; compertum est.

Quoniam verò similem sententiam scriptam reliquit Hipppcrates 2. *epidem. sect.* 2. his verbis: *diuturnis lævitatibus Intestinorum acidum ructum fieri, anteà nunquam factum, signum utile, ut Demæneti accidit: fortasse autem est, & arte facere; etenim turbationes hujusmodi alterant: fortasse autem, & acidi ructus lævitatem Intestinorum solvunt*; ansam nobis præbet dubitandi, an non æquè expediat Medico ructus acidos excitare, quin etiam & vomitum, cùm alioqui nihil de hoc memoratum sit in præsenti aphorismo. Verùm Hippocrates *cit.* 2. *epidem.* hæsitanter solùm sub particula *fortasse* illum commendat, desumpta ratione ab illa turbatione, seu commotione Ventriculi, qua in eructatione se subvertit, & efflat, ut inde fortassis calor (cujus defectu Lienteria fieri creditur) suscitetur, ac vigeat, & frigidi, tenacesque humores Ventriculi fundo hærentes, submoveantur, & expurgentur; quamobrem cùm certum omninò non sit, ex ructu arte promoto Lienteriam fore desituram, proinde factum, cur in aphorismo nil tale retulerit, veluti nondū experimentis com-

comprobatum. Sed & in diuturna Lienteria affectis, adeòque toto corpore languentibus, nec videtur tam facilè ructum acidum, & vomitum tutò excitari posse, nisi dumtaxat ex accidenti, quatenùs per medicamenta aromatica, & roborantia Ventriculum, vigor in fibris, & tunicis ejusdem, se quodammodò corrugantibus, promoveatur. Et licèt vomitus in alvi fluxibus ex eodem Hippocrate à plerisque Auctoribus commendetur, is tamen nonnisi inter initia convenit, valente nimirùm Natura ejus impetum sustinere, quæ cùm ex adverso valdè imbecillis esse soleat in diuturnis lienteriis, propterea haudquaquam tutum erit ad ejusmodi commotionem illam lacessere. Quod autem ex angusto alicujus vasis orificio potando, creditur promotum ructum prodesse posse, vanum omninò existimaverim, cum nonnisi ab interna causa excitatus ructus, isque similiter acidus, in Lienteria commendabilis sit, & signum bonum esse possit.

V. de hoc Gal. comm.2. in 6. epidem. tex. 32. referentem Sabinum, ita consuluisse.

APHORISMUS II.

Quibus Nares natura humidiores, & Genitura humidior, minus integra sanitate fruuntur: quibus verò contraria, salubriùs degunt.

COlligit in hoc Aphorismo Hippocrates ab humidiori, vel sicciori Narium, & Geniture conditione, meliorem, salubrioremque, vel contra deteriorem, insalubrioremque totius corporis constitutionem; simili ferè modo, ac de totius Anni tempestate scripserat 3. *Aphorismorum libro*, inquiens: *Ex constitutionibus Anni siccitates sunt imbribus salubriores, & minus mortiferæ*. Et quidem ab humidiori corporum constitutione major excrementorum præsertim crassorum, & phlegmaticorum proventus designatur, quæ partes omnes aggravent, ac hebetent, & sanguinem vitæ thesaurum, sustinendo, fovendoque corpori ineptum, effœtumq; reddant; quamobrem majora, & pejora nobis semper accidunt mala ab his, quæ plus justo humefaciunt, ac delaxant: Humidum enim in Viventibus moderatum, balsamicum, & oleosum dictum, minimè verò aqueum, & excrementosum esse debet, quale per mucum, & fluentem lympham narium designatur. Scriptum est autem *Natura*, idest à nativitate, atque ex naturali, insitaque corporis habitudine, ad excludendas humidas illas superfluitates, quæ ex causis externis, vel ab ægritudine aliqua inducuntur, quemadmodùm ab aere austrino, cibis excrementosis, potibusque gelidis, ac immoderatis, itemque ex catarrhis, aliisque. In his præterea arguitur mala, & laxa nimis Cerebri (quod pituitæ metropolis Hippocrati dicitur) constitutio, quæ & lymphicas, ac serosas sanguinis superfluitates facilè suscipiat, & susceptas moderari nequeat, sed per nares, cæterasque adjacentes partes sponte sua defluere sinat. Id ipsum quoque indicat Genitura humidior; illa quippe tenax, spumosa, & consistens esse debet; unde cùm humida, & fluida nimis est, à consimili sanguinis conditione progenita designatur; Modò ex utriusque partis humida, laxaque constitutione, cæteras quoque omnes pari vitio affectas conjicere licebit, adeòque coctiones omnes, cunctasque operationes inertes, languidasque fieri, ex quibus

nec

nec integra, nec perfecta sanitas exoritur, sed valdè debilis, & contrahendis ægritudinibus multùm obnoxia; quandoquidem Cerebrum, & Testes videntur esse præ reliquis, præcipuæ, ac prævalentiores partes, ad vim, vigoremque toti corpori impertiendum, quippe quia ex Cerebro spiritus animales, atque ex Testibus masculeum robur cunctis aliis communicatur. Hinc experimur, Spadones, illosque omnes, qui ejuscemodi aqueis humiditatibus, atque serosis humoribus abundant, esse perpetuò valetudinarios, ingenio hebetes, sensibus obtusos, languidos, excrementosos, & ad quæcumque opera, aut exercitia, tum mentis, tum corporis minùs idoneos. Cæterùm comparatè solùm illos his minùs salubres esse dixit, cùm & non minùs ficciori constitutione præditi, suis quoque subiiciantur ægritudinibus. At verò animadvertendum hìc est, quòd junctim Hippocrates memoravit *Nares, & Genituram humidiores*, ut ex utrinsq; complexu de totius Corporis salubritate rectum judicium ferri possit; nam si una, vel altera solùm pars humidior foret, non de toto, sed solùm de illa parte malè affecta, ac debili judicabitur; unde si Nares solùm humescant, cerebrum malè affectum, & imbecillum designabitur; si verò Genitura dumtaxat fluxilior, ac serosior observetur, Testes solummodò, aliæque partes circumjacentes languidæ, & laxæ significabuntur. Debent igitur hæc duo simul jungi, ut de totius corporis constitutione coniicere possimus. Idipsum quoque per eadem ferè verba scriptum est *6.epidem.sect. 6.* unde excerptus videtur præsens Aphorismus, nisi quòd Genitura nedum humidior, sed copiosior quoque adiiciatur, nòn minimum scilicet ad causariam valetudinem conducente copia. Hac etiam de causa idem Hippocrates 2. *Aphor.* 44. adnotavit crassa, atque obesa admodùm corpora citiùs interire, quàm gracilia; quoniam faciliùs in gravissimos, & lethales affectus incidunt, quales sunt Apoplexia, Lethargus, Carus, Paralysis, Oculorum suffusio, Asthma, Hydrops, Lienteria, Diarrhœa, Dysenteria, aliique similes. Contrà verò ficciori, solidiorique Corporis constitutione potiti, salubriorem vitam degunt, utpotè qui puriori, floridiorique sanguine sunt præditi, & partes ad robur, & operationes Vitæ destinatas, solidiores, firmioresque nacti sunt: quod pariter confirmat Celsus *lib.2.cap.1.*

APHORISMUS III.

In longis difficultatibus Intestinorum cibi fastidium malum, & cum febre pejus.

ALibi Hippocrates 2. *Aphoris. In omni morbo* dixit, *benè se corpus habere ad ea, quæ offeruntur, bonum esse; contra verò malum.* At hìc specialiùs in Dysenteriis, ciborum fastidium adnotat, veluti signum prostratæ virtutis appetitivæ, atque adeò malum, & cum febre pejus.

Verùm animadvertere oportebit, non dixisse Hippocratem in Dysenteriis, seu difficultatibus Intestinorum simpliciter, sed notanter adjecit, *in longis, seu diuturnis*: etenim initiantibus Dysenteriis, ex malo fortasse corporis apparatu, atque ex humoribus acribus, aut oleosis, quales plerumque sunt, qui biliosi vulgò appellantur, non rarò fit, ut statim

ſtatim appetitus langueat, & ciborum faſtidium, ac nauſea inferatur: illud tamen non tanti exiſtimandum, ut ſpes omnis abſit recuperandæ in poſterum appetentiæ, poſtquam ſcilicet humores illi acres, & oleoſi edomiti, vel evacuati fuerint. At verò cùm inter initia Dyſenteriæ, appetitus non eſt omninò proſtratus, ſi deinde temporis proceſſu, ægritudine nimirùm increbreſcente, ille penitùs deficiat, & ciborum omnium faſtidium inſequatur, proculdubiò peſſimum indicium erit, veluti non à ſolis humoribus ventriculi tunicas laxantibus progenitum, ſed à labefactata ejuſdem actione, atque ab emortuis, exſolutiſq; ſuccis eidem addictis, dependens. Neque enim tam facilè deinceps eſt, exſolutos ejuſcemodi ſuccos reſtaurare, & labefactatas vires reficere, poſtquam diù cum torminibus alvus egeſſerit, & Inteſtina tam malè affecta fuerint; unde & ſanguis, & vita ipſa, proximè eſt, ut tandem deficiat. Accedit, quòd ad reficiendam conſumptam ex immodica egeſtione ſubſtantiam, neceſſaria omninò eſt ciborum ingeſtio, pariterq; conveniens eorumdem digeſtio, & chylificatio, quæ, niſi ventriculus benè ſe habeat ad appetendum, & concoquendum, nullatenus haberi poterit; quamobrem de omnimoda virium deficientia ſubindè adhuc verendum erit.

Sed quomodo fieri poteſt, ut in Dyſenteria, etiam ab initio appetitus ciborum habeatur, procedente verò tempore deficiat? Ratio petenda videtur ab ipſiſmet Inteſtinis malè affectis ſive ſuperioribus, & gracilibus, ſive inferioribus, & craſſis: læſis namque Inteſtinis ſolùm craſſis, & potiſſimùm Recto, benèque ſe habentibus ſuperioribus, & gracilibus, facilè eſt, ut appetitus ciborum habeatur, qui tamen nullus, vel valdè imminutus erit, cùm ſuperiora, & gracilia Inteſtina, quibus ventriculus proximiùs alligatur, afficiuntur; Et quoniam procedente, productaque Dyſenteria, eroſiones, aut ulcuſcula adhuc in Inteſtinis craſſis contracta, ſenſim, ſenſimque repere poſſunt in partes ſuperas, & nedum Inteſtina gracilia, verùm etiam ventriculum ipſum contaminare; propterea fieri poteſt, ut Dyſenteria inter initia appetentiam non lædat, progreſſu verò temporis nauſeam inferat. Adde quòd morbi omnes initiantes debiliores ſemper ſunt, ſenſim verò invaleſcentes graviores fiunt attritis viribus, & langueſcente natura.

Quod diuturnis Dyſenteriis ciborum faſtidium ſuperveniens malum hactenus dictum eſt, longè pejus erit, ſi cum febre conjungatur; & quidem, ſive febris à principio Dyſenteriam comitetur, ſive in ejuſdem decurſu ſuperveniat: etenim ratione febris vitium quoque in ſanguine inductum deſignatur; atqui longè graviùs erit, ſi febris, quæ à principio deerat, vel levis admodùm videbatur, mox cum ipſo ciborum faſtidio ſupergrediatur, aut increbreſcat; quippè tunc vel inflammationem, vel mortificationem ibidem factam deſignat. Id quod etiam notavit idem Hippocrates *6. epid. ſect. 7.* his verbis: *In longis Dyſenteriis cibi faſtidia mala, tum aliàs, tum ſi inſuper febrierint*: ubi duo notabiliora commemorat: primum, quòd ciborum faſtidium non ſemel, ſed pluries, & diù perſtiterit, nam uſus eſt plurali numero, *cibi faſtidia*: alterum, quòd tum aliàs, tum ſi inſuper febrierint, ubi per particulam *inſuper* ſupervenientem febrem deſignat.

Neque

Neque hoc novum in praxi, qua pluries constitit Dysenteriam citra febrem accidisse, sed & nedum absq; febre, verùm etiam absque cruentis egestionibus visam gravissimi Doctores attestantur, illamque epidemicam, & populariter grassantem, de qua præ cæteris meminere Vvillisius, & Sydhenam, itemque Bonetus *in suo Sepuchreto*, aliique, ut propterea mirum non sit, quamobrem Hippocrates dixerit *diuturnis Dysenteriis*, cùm tamen Dysenteria inter morbos acutos reponatur: etenim fieri potest, ut illa, potissimùm incruenta, in longius tempus protrahatur, utpote in Recto intestino crassiori excitata, quemadmodùm etiam in Tenesmis experimur.

APHORISMUS IV.

Ulcera circumglabra prava sunt.

ULcera circumglabra dicuntur, ex quorum ambitu, & circa illorum labia pili decidunt, ac decisi nullatenùs renascuntur. Sive autem ulcera ista à causis internis fuerint inducta, sive ex præcedenti vulnere relicta, perinde erit, modò ab affluxu pravorum humorum, circumjacentes pili è suis radicibus abradantur, & sponte decidant. Hinc ubi Leonicenus, aliique Interpretes scribunt *ulcera*, Fuchsius mavult legendum *vulnera*, quæ tamen in ulcus desierint, ut proinde non ex vi vulneris, sed ex pravo, malignoque humore in vulneris labiis restagnante, radices pilorum erodantur. Addit etiam Cardanus præter pilorum casum, cutis desquamationem, ut ab iisdem humoribus malignis, & erodentibus, ne dum radices pilorum, sed etiam cutis, & caro subjecta depravetur, & inficiatur.

Ab ejusmodi igitur pilorum defluxu, & cutis desquamatione, clarissimè deducitur, ulcera ipsa evasisse maligna, & cacoethica, vel à vitio ejusdemmet partis ulceratæ corrumpentis alimentum, vel à toto malos humores in eamdem partem deponente, quemadmodùm observare solemus in corporibus gallica lue infectis. Hinc autem edocemur, pro talium ulcerum curatione, corpus omninò esse repurgandum à pravis, deleteriisque succis ulcera ipsa inficientibus, ac præterea alexipharmacis, ac specificis oppugnandum; nisi enim pravi illi humores eliminentur, & alimentum, quod parti affectæ suggeritur, purum, temperatumq; fiat, proculdubio ulcus nunquam ad cicatricem perducetur. Hanc eandem sententiam scriptam etiam invenies *6. epidem. sect.* 7. sub his verbis: *Ulcera circumglabra maligna sunt*; quare hic Aphorismus desumptus exinde videtur.

APHORISMUS V.

Dolores laterum, pectoris, & aliarum partium, si multùm differant, sunt considerandi, perdiscendum.

QUo pacto vertit hunc Aphorismum Leonicenus, obscuritatem parit; quare meliùs legendum cum Fuchsio, & Cardano, quorũ alter è greco Codice transfert: *Dolores qui fiunt in latere, & pectore aliisq; partibus, num multùm prævaleant, differantve, considerandum.* Alter verò, ità scribit: *Dolores, qui sunt in lateribus, & pectore, atq; aliis partibus, an multùm varient, perdiscendum*; cui consentit etiam Mercurialis. Et quidem utraque hæc versio clarior est, per quam Hippocrates Medicos consulere videtur, ut par- Confer. Hipp. 6. epidem. sect. 7.

partem affectam in doloribus internoſcere curent: niſi enim partes affectæ ſuis indiciis diſtinguantur, curatio haudquaquam proſperè inſtitui poterit; etenim in doloribus, non ſolùm diſtinguenda erit doloris ſpecies, num ille acutus, & pungens, an verò obtuſus, & gravans ſit, num tendens, aut inflans, num pulſans, aut convellens; verùm etiam à quibus cauſis potuerit induci, in qua ſpeciatim parte, cum quo morbo conjunctus, quo anni tempore, quave tempeſtatis conſtitutione contingat; ſiquidem ab horum accidentium, & circumſtantiarum varietate, partes affectæ, illarumque ſpeciales ægritudines cum ſuis cauſis faciliùs diſcerni poterunt. Et quidem pungentes dolores ab humoribus acribus, gravantes à craſſis, & pituitoſis, inflantes à flatibus oriri ſolent; ſicut pariter pulſans fit in arteriis, convellens in nervis, & membranis, acutus in partibus ſenſitivis, obtuſus in glandulis, & viſcerum parenchymatibus: qui contingunt æſtate, plerumq; ab humoribus tenujoribus, qui in hyeme, à craſſioribus; atque ita de ceteris: Modò pro iſtorum varietate, varianda quoque curatio erit, ut patet ex methodo medendi. Dat autem exemplum Hippocrates in hoc textu, de doloribus laterum, & pectoris; & pro lateribus intelligit coſtas cum adjunctis muſculis meſopleuris, & intercoſtalibus dictis, prout utrumque latus dextrum, & ſiniſtrum occupant; pro pectore verò intelligenda eſt pars anterior ejuſdem, ubi coſtæ ſterno adnectuntur, & non ſolùm ſecundùm partem anteriorem, & externam, ſed etiam ſecundùm partem internam ejuſdem pectoris; nam non eodem modo dolor in utriſque contingens pectus ipſum afficit; cùm pars interior, & membrana illa, quam pleuram vocant, ſenſu exquiſitiori communita, acutiùs dolet; pars verò extima muſculis contecta, non adeò acuto ſenſu torqueri ſolet. Ita quoq; dolor aliter afficit pulmonem, ac pleuram, aut muſculos intercoſtales: quamobrem benè conſtat pro diverſitate partium affectarum curationem diverſimodè eſſe inſtituendam.

Neque ſolùm qualitas doloris, ſed ejuſdem magnitudo conſideranda eſt, num ſcilicet exiguus, & levis ſit, an verò magnus, & excedens; inde enim deſignabitur cauſa dolorem faciens, vel levior, vel gravior; vel abundantior, vel parcior; vel tenujor, vel craſſior; vel tenaciùs infixa, & recondita, an verò ſuperficie-tenus dumtaxat adhærens.

Conſiderandum inſuper eſt, num in longius tempus dolores ſint proceſſuri, ideòque diuturniores, an verò ſint citiùs deſituri; & num per ipſam eamdem, qua incœperint, anni tempeſtatem, puta qui hyeme, intra hyemale quoque tempus finiri poſſint, an potiùs ad aliam ſequentem, nempe vernalem, vel æſtivam protrahendi ſint, ut ex eodem Hippocrate colligi poteſt *6. epid.* ubi de conſtitutione quadam in Perintho vagata, ſermonem habet. Quare non irrationabiliter quis conjectabitur ex dolorum varietate, diverſam morbi cauſam, morbique magnitudinem, motum, & morem, cum parte ſpecialiter affecta, ut fuſius declarat Galenus 2. *de locis affectis cap.*2. Hinc, quod Hippocrates hic exempli cauſa de doloribus pectoris, & coſtarum protulit, ut inter ſe invicem diſtinguantur, aptandum quoque erit cæteris partibus, ſi dolore afficiantur, ut ex iiſdem ſignis diſcerni poſſint, puta cum dolor divexat Ilia, num internæ, an ex-

externæ partes ventris afficiantur, & num Renes, an Intestina, an etiam reliqua viscera adjacentia: quę sanè, ex documento ejusdem Galeni *c. l.* à quinq; fontibus deducuntur, nimirùm à natura, & conditione doloris, à situ, ab accidentibus adjunctis, ab excrementis, & ab operationibus læsis.

Postremò advertit Galenus *in comm.* etiam in pluribus individuis dolores, iisdem in partibus inductos, ex supradictis indiciis posse diversificari; si nimirùm considerentur doloris species à vehementia: Etsi enim duo individua costarum dolore crucientur, si fortasse tamen in uno dolor sit pungens, in altero tendens, vel gravans: aut in uno vehementior sit, levior in altero; equidem in illis & causa doloris, & pars affecta variabit, pro eorumdem diversitate.

APHORISMUS VI.

Renum, & Vesicæ vitia in Senioribus difficulter sanantur.

UBi Leonicenus simul unà Renum, & Vesicæ vitia conjungit, alii Interpretes, & præsertim Fuchsius, & Cardanus disjunctim legunt; unde Aphorismum hunc è gręco Codice ita vertunt: *Vitia Renum, & quicumque dolores vesicæ*: quasi verò Renibus accidant quidem morbi, sed non cum magno dolore, quoniam illorum substantia parum sensitiva est; at verò multùm sensilis substantia Vesicæ, utpotè membranosa. Verùm ista non multùm faccessunt ad sententiam aphoristicam explicandam; etenim sive aliter afficiantur Renes, ac Vesica, sive etiam diversis morborum generibus divexentur, non tamē Hippocrates ex ipsorum varietate, eorundem viscerum insanabilitatem, vel difficilem sanationem desumpsit, quippe qui solùm ægritudines ipsis contingentes considerans difficulter sanabiles in senioribus recensuit, respectu ipsiusmet ætatis. Et quamvis iidem Authores pro Senioribus intelligant, qui in prima senectutis ętate sunt, ut videtur deduci posse ex eodem Hippocrate *6.epid.sect.* 7. ubi Renum affectiones post annos quinquaginta se non vidisse sanatas scribit; nihilominùs quia ibi de ulcere Renum, & Vesicæ, verba facit, non autem de reliquis, Renum, & Vesicæ ægritudinibus; & aliquando etiam visum, senes inter initia senectutis, à quibusdam Renum, & Vesicæ affectionibus fuisse vindicatos; verisimiliùs propterea credere licet, istiusmodi morborum curationem in provectioribus senibus omninò difficilem, aut etiam impossibilem existimasse: modò etiam inter homines in senio constitutos magna differentia facienda est, nam quidam post sexagesimum annum, & ultra, robusti, atque multis aliis, etiam minoris ætatis, fortiores sunt; contra verò alii, ante quinquagesimum adeò imbecilles, & languidi observantur, ut ne dum à Renum vitiis, sed ab aliis multo levioribus ægritudinibus liberari nequeant.

Sed unde est, quòd senes ab ægritudinibus Renum, & Vesicæ difficulter liberentur? Omnes ferè vetustiores Interpretes causam ad excrementorum multiplicationem, ad expultricis languorem, & ad meatuum angustiam retulerunt. Sed & Galenus, & cum Galeno Cardanus, quæ Hippocrates indefinitè de Renum, & Vesicæ vitiis scripsit, ad ulcera dumtaxat contrahunt; pro quibus curandis quiete inquiunt opus esse, quæ nulla esse potest in Renibus, & Vesica, perpetim addictis secretioni, &

expurgationi urinariæ serositatis. Verùm hæc cunctis ætatibus communia sunt: quinimmò multitudo excrementorum, & meatuum angustia, longè manifestior est in ætate puerili, quàm in reliquis. Putaverim eapropter ego curationis difficultatem in senibus specialiorem esse à vitio acoris muriatici in sanguine, lympha, cæterisque liquoribus temporis progressu sensim, sensimq; contracti, cujus causa urina ipsa acriori sale prædita, & serum, quod à sanguine repurgatur, acidius effectum continuam excitant in urinariis partibus proritationem, & molestiam, unde quidquid vitiosi in corpore exuperat, ad eas partes delatum, ægritudines reddit difficiliores, ut propterea nequeant ab iisdem senes ullatenus vindicari. Renum autem, & Vesicæ morbi senibus contingentes, sunt, dolor nephriticus à calculis, vel arenulis, urinarum suppressio, stillicidium, aut ardor, Vesicæ scabies, & urigo, qui sanè pro causa viscosos, acidosque succos recognoscunt difficulter emendabiles, atque inducta semel vitia assiduò foventes, quemadmodùm aliàs à nobis ostensum est. Porrò si hæc omnia in cæteris quibuscumque, cujusvis ætatis, & constitutionis, difficulter emendantur, quanto magis in Senibus incorrigibilia fient, in quibus omnia languent, & ex ipsa per ætatem mutatione, semper in pejus ruunt, cùm & fermenta viscerum in acidum degenerent, ac sanguis ipse sensim, sensimq; vappescat, coctiones omnes infirmæ fiant, excrementa cumulatiora, & crudi lentiq; succi in cunctis visceribus contrahantur, & hæreant: quamobrem idem Hippocrates 2. *aphor.* dixit *Raucedines, & Gravedines in iisdem difficulter maturari*; sed & articulorum dolores, paralyses, tusses, alvi fluxus, aliique morbi insanabiles in ipsis observantur. Meminit autem speciatim hoc loco de Renum, & Vesicæ vitiis, quia ab his, præ cæteris, senes graviùs affici solent, tum ob seri urinarii acritatem, tum ob tubulorum renalium laxitudinem, & sphincteris Vesicæ musculi languorem, tum demum quia per hos ductus potissimùm cuncta Corporis recrementa, quæ in illis abundantissima sunt, perpetim deducuntur; unde illos experimur assiduis mejendi stimulis infestari, & micturiendo plurimùm cruciari.

APHORISMUS VII.

Dolores ventris sublimes, leviores; qui verò non sublimes, fortiores.

Distinguit in hoc aphorismo Hippocrates dolores Ventris in sublimes, & non sublimes, illosq; ait leviores esse, hos verò nedum graviores, sed fortiores. Quid autem intelligat per dolores sublimes ventri contingentes, num scilicet secundũ corporis longitudinem, an verò secundũ ejusdem profunditatem, controvertitur inter Interpretes. Et cõmunior sententia est, loquutũ hìc Hippocratem de doloribus secundùm Corporis profunditatem consideratis, ut qui subter peritonæum fiunt, longè graviores, & vehementiores sint, leviores verò, qui supra. Atqui Cardanus, solito sui contradicendi animo, cæteris omnibus se opponit, contenditq; debere intelligi secundùm Corporis longitudinem, ut nimirùm, qui in parte ventris supera, ubi Ventriculus, Jecur, Lien, Duodenum Intestinum, & pars Coli latior continentur, accidunt, non ità graves sint, quemadmodùm sunt, qui fiunt in parte inferiori, & in Intestino Ileo, Monoculo,

Renibus, & Vesica. Sed valdè demiror, Cardanum, Virum alioqui solertissimum, voluisse in re tam clara cęcutire, & Galeno, cæterisque Interpretibus contradicere, ipsumque se gravissimis difficultatibus implicare, quas profectò cavisset, retenta communi explicatione. Quis enim unquam leviores putaverit dolores Stomachi, & Ventriculi, itemque Pylori, & Duodeni, quæ sanè partes sunt atrocissimis doloribus quam maximè obnoxiæ, & non sine gravi vitæ periculo contingentes; unde Hippocrates 2. *epid.* & *in prognost.* dixit, dolores, & tumores supra umbilicum periculosiores esse. Qua insuper ratione voluerit, Renes inter partes inferiores collocare, non satis benè constat, cum ex Anatome habeatur sinistrum Renem intestino Colo adhærere. Quæ insuper obiicit de partibus supra Peritonæum sitis, levissima sunt, cùm tam musculi Abdominis, quàm cutis ipsa, quæ ibidem crassior sanè est, doloribus multoties afficiuntur acutissimis, & nedum tumoribus œdematosis, verùm etiam inflammatoriis molestantur, atque in Tympanite magis cruciantur, quàm aliæ partes interiores. Cæterùm facta comparatione partium supra Peritonæum cum illis, quę infrà ipsum sunt, quis ignorat, quod longè graviores accidant dolores Intestinis, Mesenterio, Ventriculo, Utero, & cæteris Visceribus hinc inde sitis? Verumtamen pro fortioribus doloribus, congruentiùs graviores, seu periculosiores, subrogare licebit, cùm graviùs, periculosiusque sit in interioribus partibus laborare, quàm in exterioribus, etiamsi dolor hebetior, & obtusior in his percipiatur. Quòd si præter dolores adiiciamus quoque tumores, ut plerique expositores ex græco Codice addendos volunt in Aphorismo, planè cuique perspectum erit sublimes, idest ad superficiem ventris positos intelligi oportere; nisi etiam verbum Μετέωρον, quod in textu græco est, suspensum, elatum, pendulum interpretemur, ut dolores hìc voluerit Hippocrates intelligendos, qui fixi non sunt, nec partibus tenaciter hærentes, veluti ab humoribus tenujoribus, & facilè exhalabilibus progeniti, ut contradistincti ab his, qui tenaciùs hærent, nec tam facilè resolvuntur. Quod præterea de ventre dixit, si ad aliàs omnes corporis concavitates extendamus, proculdubio à veritate alienum non erit; ut sensus fiat, dolores sublimes, seu superficiarios, leviores semper esse, minùsque periculosos ab his, qui in profundioribus partibus accidunt, quippe qui principaliores corporis partes illi non afficiunt, sicut isti suaptè natura graviores.

APHORISMUS VIII.

Aqua intercute laborantibus, ulcera in Corpore facta difficulter sanantur.

De duobus videtur hìc Hippocrates Medicos commonefacere, primò quidem, quòd ulcera in hydropicorum corporibus enata difficillimæ sint curationis, atq; adeò omninò vitanda, ne fiant, etiam sponte adigente natura: alterum, ut exinde Medici caveant, ne ulcera in ipsis excitent, fortè ad totius corporis repurgationem, inde sperantes ab humoris aquosi per cutim evacuatione, fore illos ab hydropisi liberandos. In idipsum convenit etiam Celsus *lib.2.cap.2.* hanc eandem sententiam ab Hippocrate mutuatus.

Sed statim sese exhibet difficultas enodanda, de quibus Hydropicis hanc sententiam ipse protulerit. Et quidem de ea Hydropis specie, quæ Anasarca vocatur, locutum hìc testantur tum rationes, tum experimenta; quamobrem summo judicio peritiores Interpretes exponere studuerunt è græco Codice non Ascitícos, quibus scilicet aqua in abdominis cavo collecta est, sed Anasarca, aut Hyposarca affectos, in quibus aqua per totum corpus diffusa sub cute restagnat, ut propterea Aqua Intercus morbus hìc à Latinis appelletur. Cùm enim hydropicorum aqua sub cute constiterit, & universum corporis habitum tumidum effecerit, nedum humiditate, & edematosa crassitie cutem ipsam inficit, verùm etiam salsilagine muriatica, & acore maligno, circumjacentes partes infestat; unde cùm præ nimia distentione cutim extenuaverit, concurrente prava ejusdem humoris conditione, ulcera excitabuntur vix, ac ne vix quidem sanabilia. Atque hinc quotquot hactenùs Anasarca laborantes visi sunt cum enatis ulceribus in tibiis, aut cruribus, in mortem tandem concesserunt, omni prorsus curationis spe destituti; immò in aliquibus, ulcera ipsa versa sunt in gangrænam, & sphacelum, non solùm ex languore vitalis caloris ibidem contracto, verùm etiam, ob virulentam humoris conditionem irrumpentis in cutem. Cæterùm etsi in Ascite, ac Tympanite solus imus venter tumeat ab aqua, vel à flatu cum aqua permisto, cæteris partibus corporis pene exarescentibus; si tamen aliquando fiat, ut reliquę etiam partes, præsertim infernæ, tractu temporis, intumescant, & aqua scateant, idem, ab exorto in illis ulcere, præsagiendum. Porrò quod in Ascite, & Tympanite raró accidit, frequentiùs fieri solet in hydrope pectoris, aut pulmonis, in quo pedes, & tibiæ sensim, sensimque intumescunt, ac attolluntur, ut exindè procedente morbo, ulcera etiam erumpant, & enascantur, pari profectò de causa insanabilia. Id ipsum quoque accidere non raró consuevit ex diruptione vasorum lymphicorum, quæ plurima per articulos pedum dispergtuntur, si tamen lympha ipsa acorem muriatico-salsum contraxerit; siquidem tumores è simplici, & innocua lympha procedentes tale quid haud inferunt, & sæpissimè cum laborantibus consenescunt. A prava itaque, & maligna humoris lymphici conditione istiusmodi ulcera insanabilia exoriri dicendum, non veró à sola humiditate, quæ nisi pravitatem adjunctam habeat, facilè absumi, corrigi, & exsiccari tandem poterit.

Hinc igitur clarè admonemur non posse tutò in hydropicis ulcera excitari: nam si sponte naturæ inducta, insanabilia fiunt, quanto magis difficillima evadent, & periculosa, ab arte promota. Perperam eapropter agunt, qui sibi tibias cauteriis inuri permittunt, sperantes exinde omnem serosæ superfluitatis malitiam iri evacuatum; nam præterquamquòd nil peccantis humoris, sed solius particularis laticis, aut alibilis succi portio inde deduci solet, etiam imminenti vitæ periculo se subiiciunt, à gangræna mox mox successura, ut in plerisque observatum. Qui veró referuntur hydropici ab erumpentibus sponte vesiculis, atque ex affluente ab illis sero aliquantulùm levati, adhuc etiam postea periere, superstite nimirùm semper causa hydropisim faciente; sed & nonnullos quoque observavi, etiam

etiam ab egesta, & abundanter evacuata per alvum aqua, etsi ventre detumuerint, ac de recuperata salute certam spem conceperint, mox tamen, congesta denuo aqua, irreparabiliter periisse. Denique, quamvis dictum sit, ulcera in Anasarca laborantibus difficillimè sanari, ac de his potissimùm mentionem fecisse hoc loco Hippocratem, & quòd sub cute lympham crassam acido-salinam restagnante habeant; non tamen inde deducendum in cæteris Hydropis speciebus, licèt cutis externa non tumeat, nec ullam sub se stagnantem aquam contineat, ulcera fortasse ibidem contracta sanabilia reddi; cùm cunctorum hydropicorum corpora malam in sanguine diathesim, & pejorem in solidis partibus habitudinem sortiantur, quocirca partes omnes imbecillæ redditæ, & succus alibilis effœtus, atque inidoneus effectus nutricationi, facilè deinceps, quam non habent, subire possunt insanabilitatem. Atqui tumores etiam illi, qui crassam lympham, glutinosamque materiam, præsertim folliculis conclusam, continent, inter difficulter sanabiles recensentur, quales sunt Strumæ, Meliceride s, Steatomata, Atheromata, & Oedemata, eoque magis cùm diuturniora, atque inveterata evaserint.

APHORISMUS IX.

Latæ pustulæ non admodùm pruriunt.

HAnc eandem sententiam scriptam habemus 6. *epidem. sect.* 2. sub his verbis: *latæ pustulæ non valdè pruriginosæ sunt*: Inde ergo desumptus est hic Aphorismus, quo edocemur non eodem modo se habere pustulas sublimes, & in altum, sive acutum se attollentes, ac sunt pustulæ latæ, & juxtà cutis superficiem expansæ. Quamquam enim in cute erumpere soleant varia tuberculorum, & papularum genera, ut sunt exanthemata, & efflorescentiæ cutaneæ; itemque Psora, Lepra, Impetigo, Lentigo, Herpes; considerat nihilominùs hìc Hippocrates pustulas (sub nomine græco exanthematum indigitatas) quæ ad tubercula quidem referuntur, sed haudquaquam in saniem purulentam desinentia: etenim pustulæ potiùs in squamosa quædam, & furfuracea excrementa commutantur, fierique solent ex humoribus tenujoribus, vel acido-acribus, aut acido-salsis. Facta autem comparatione inter eas, quæ latæ, & eas, quæ elevatæ, & acutæ sunt, minùs quidem pruriginosæ observantur illæ, quàm istæ. In latis enim, & expansis pustulis humor peccans ad cutim delatus crassior esse solet, quamobrem non multùm attollitur; in montuosis verò, & sublimibus, humor est tenujor; quocirca verisimile admodùm est in prioribus lympham, in posterioribus serum sanguinis vitiosum ad corporis habitum extramitti. Idipsum passim quoque experimur in Variolis, & Morbillis, quippe hi angulosi, ac pyramidales à tenujori humore progeniti, dolorem, & pruritum excitant molestiorem; illæ verò, veluti à lympha, aut crassiori parte sanguinis procedentes, sicuti sua corpulentia in latum expanduntur, ita minùs pruriginosæ observantur. Sic scabies, & psora, cùm in exiguas eminentias, sed acutas, erumpit, molestior fit; secus verò cùm in latas, & expansas: quod sanè non aliunde provenit, quàm à varietate humo-

 ris.

ris erumpentis tenujoris, vel crassioris. Quòd autem humores acres, acidi, ac salsi pruritum istiusmodi excitent, palàm fit, attenta conditione istorum humorum simul erodentium, & cutim ipsam vellicantium, ea tamen differentia, ut si acritudo prævaleat, præter pruritum, inducatur quoque cutis erosio, aut ulceratio, nisi præ nimia tenuitate, & pororum laxitate, sensim dissolvatur, & evanescat; at verò si prævaleat salsedo præsertim muriatica, pruritum squamulæ furfureæ comitabuntur. Cæterùm in utrisque Acidum semper exorbitat, cujus causa humores concrescunt, & cuti adhærent.

Quamquam autem pruritus ab humoribus acribus, aut muriaticis, plerumque proficiscatur, observatum aliquando tamen est in cutaneis hisce eruptionibus, præsertim in scabie, herpete miliari, variolis, aliisque, ope microscopii, vermiculos, pediculorum instar, innasci, atq; ab his molestissimum pruritum illum excitari: de qua re libellum epistolarem conscripsit ad Franciscum Redium Joannes Cosimus Bonomo Liburnensis, atque alii post ipsum simili industria, & diligentia idem detexerunt. Atque hinc factum putaverim, non quibusvis medicamentis cutem sordidam mundificantibus cutaneas istas ægritudines, molestosque pruritus cedere solere, sed iis solùm, quæ vermiculos istos enecant, qualia sunt, quæ ex mercurio tum crudo, tum sublimato, componuntur, licèt ab aliis quoque, puta sulphure, helleboro albo, staphisagria, calce, minio, & similibus vitiosi isti humores corrigi, & emendari possint.

APHORISMUS X.

Caput dolenti, & vehementer laboranti, pus, vel aqua, vel sanguis effluens per nares, aut os, aut aures, morbum solvit.

IN hujus etiam Aphorismi expositione alienus est Cardanus à communi reliquorum versione; etenim ubi cæteri legunt, *Caput dolenti, & vehementer dolenti*, ipse exponit *circumdolenti*; nec malè; itaut velit intelligendum esse non solùm de dolore capitis interno, verum etiam externo, qui scilicet totius capitis ambitum occupet. Sed tamen si præter capitis dolorem simplicem, & tolerabilem, dicamus voluisse Hippocratem vehementiorem designare, non erit, cur communem quoq; versionem retinere non debeamus, quippe cùm dolor capitis vehemens est, causam arguit materialem, corpulentam simul, & copiosam; quę non tam facilè discuti, & resolvi possit, quemadmodùm à tenui humore, halitu, vel vapore proveniens: quamobrem vehemens capitis dolor acutiem simul, & magnitudinem designat, qui propterea manifesta evacuatione curari debeat. De hoc itaque scribit Hippocrates: *si sanguis, pus, vel aqua è naribus, auribus, aut ore effluat; morbum solvit*; evacuata nimirùm materia, quæ tanti doloris causa erat. Consentit etiam Mercur.

Sunt autem hìc duo potissimùm advertenda. Alterum ex parte causæ materialis inducentis dolorem, quæ non una, & simplex ponitur, sed varia, & multiplex; puta vel pus, vel sanguis, vel aqua: Alterum ex ratione loci, unde humores ipsi effluere possunt, videlicet ex naribus, auribus, aut ore: etenim hi ductus paten-

tentiores sunt, ut per ipsos, quę continentur intra calvariam, possint educi.

Et quidem causa istiusmodi doloris potest esse primò sanguis, si per plexus choroidem, & reticularem non benè circumire queat, sed fortasse alicubi restagnans, potissimùm in meningibus, in causa sit, ut in exilibus illarum venulis, & arteriolis circumquaque diffundatur, & dolorem afferat vehementissimum, tum ratione ejusdemmet sanguinis ob impeditam circulationem indebitè fermentescentis, tum etiam ratione earumdem membranarum exquisitissimo sensu præditarum. Quòd si fortè, restagnans ibidem sanguis, ex indebita fermentatione, computrescat, & in pus vertatur, idem, & gravius certè malum afferet. Si denique simile vitium in lympha inductum fuerit, ut ex præpedito sui motu hæreat, & acritatem contrahat, proculdubio vehementem quoque dolorem inferet. Humores siquidem isti per universum ferè cerebri corticem diffunduntur, quocircà in suo circuitu impediti, acritate, aut salsilagine contracta, meninges divexant, & dolorem vehementissimum excitant, totius capitis ambitum occupantem.

Loca verò, per quæ humores isti exitum habere possunt, nonnisi Aures, Nares, & Os sunt, quoniam per ista, veluti emunctoria Cerebri, solet Natura, omnes illius superfluitates crassiores repurgare, quemadmodùm Anatome etiam detectum. Excreto autem sanguine, pure, aut lympha, nedum dolor capitis desinit, verùm etiam alius quicumque morbus, qui exinde posset imminere, protinus solvitur: At verò ex adverso ipsis detentis, & per cerebri substantiam diffusis, Apoplexia, Convulsio, Lethargus, Phrenitis, aliiq; gravissimi morbi suboriuntur, & sæpissimè cùm patientis interitu. Quare jure optimo dixit Hippocrates, sanguine, pure, vel aqua effluente, non solummodò dolorem, sed morbum solvi; quia ex his non solùm dolor, sed alius morbus capitis evenit, vel imminet, qui simul cum dolore desinet, quandocumque detenti illi humores fuerint excreti. Excipiuntur autem Oculi: quoniam minimè consentaneum Naturæ foret, tam corpulentos humores, nempe sanguinem, pus, aut lympham per angustissimos oculorum canaliculos expurgari, nisi cum maximo eorumdem detrimento; quin & neque oculi ipsi tantam humorum colluviem excipere possent, cùm cæteroqui glandulæ in eorumdem angulis sitæ vix, serosiores, & tenuissimos liquores admittant. Cæterùm crassiores alii humores, si fortasse eas in partes deferantur, damnum potius, quàm levamen afferunt. Idipsum pariter accideret, si in spinam, in guttur, in gulam, palatum, & venas deponerentur, in quas etiam partes, ex doctrina ejusdem Hippocratis *lib. de glandulis*, solet Natura cerebrum à suis superfluitatibus repurgare; quandoquidem, ut evacuatio quælibet salutaris sit, nedum totius vitiosi humoris necesse est, ut fiat, sed per ea quoque loca, quę conferentia sunt; quemadmodùm idem Hippocrates alibi edocuit. Ex quibus omnibus nunc admonemur, Naturam ejusmodi evacuationes in vehementibus doloribus capitis tentantem, vel sollicitandam, vel adjuvandam esse, dissolventibus, & per eadem loca educentibus medicamentis, si nimirùm illa tarda, vel imbecilla sit.

APHO-

APHORISMUS XI.

Melancholia, & Nephritide laborantibus, hæmorrhoides supervenientes bonum.

QUa ratione Nephritici, & Melancholici solius Naturæ beneficio juventur, docet in hoc alio Aphorismo Hippocrates; idque asserit commodè, & salubriter accidere, si hæmorrhoides illis superveniant.

Quinam autem intelligi debeant Nephritide, aut Melancholia laborantes, dubium esse potest; nam Melancholia aliquandò sumitur apud Veteres pro ipso humore melancholico; & aliquando pro specie cujusdam delirii, in quo timent, & mœrent ægrotantes citrà causam manifestam, ut idem Hippocrates *hoc eodem libro, aphor.* 23. Nephritis verò, propria Renum ægritudo est, quæ cum eorumdem inflammatione contingit. At cohærenter rationi, & experimento dicendum, Melancholiam hìc sumi pro morbo, & Nephritidem pro ea dumtaxat Renum affectione, quæ ab affluxu acidorum succorum in eas partes provenit, quemadmodùm speciatim est dolor nephriticus à calculis, arenulis, atque à tuberculis in Renum substantia, aut in canaliculis eorundem progenitis. Hinc non immeritò plerique Interpretes legere maluerunt *vitia renum*, quàm *Nephritidem*, ut scilicet comprehenderent non solùm renalis substantiæ affectiones, sed etiam quæcumque alia accidentia in Renibus inducta.

Qua autem de causa supervenientes hæmorrhoides, melancholicis, & Renum vitio laborantibus, conferant, ratio in promptu esse potest, quia per ejusmodi sanguinis melancholici, & crassi profusionem, vel minuitur, vel omninò evacuatur acidus ille humor cum sanguine commistus, cujus causa melancholicum delirium contingit, & prædicta vitia Renibus accidunt. Constat enim ex Anatome sanguinis impuritates tartareas, & acidas per hæmorrhoidales, sive venas, sive arterias (potissimùm externas) feliciter repurgari, cùm istæ consentiant cum arteriis splenicis, & mesentericis, ex quibus acidi succi, tartarei, & melancholici in inferiores partes ventris à provida Natura deducuntur. Hinc experimur malè affecta, & cacochyma corpora per laxatas ejusmodi venas hæmorrhoidales, ne dum à præsentibus, sed etiam ab imminentibus gravissimis ægritudinibus præservari; sicut contra à suppressa illorum evacuatione, pessimos morbos tum cordis, tum capitis exoriri, ut de Alcippo retulit Hippocrates 5. *epidemiorum*, qui à suppressis hæmorrhoidibus insanivit, & periit; quinimmò sequenti aphorismo dicitur, Tabem, vel Hydropem succedere, nisi una saltem adaperta servetur.

Verùm debent hæmorrhoides Melancholicis, & Nephriticis supervenire, ut subinde proficiant: nam si forsitan illos ab initio comitentur, tantum aberit, ut conferant, ut potiùs noceant, & pessimum signum sint, alterius gravioris ægritudinis; quippe indicabunt tantam, ac talem pravitatem, tantumque acorem in sanguine exorbitare, ut unà simul melancholicum delirium, aut renum vitia foveat, & hæmorrhoidales venas, aut arterias proritet, ac referet. Quare tunc solùm conferet per hæmorrhoidas evacuatio, cùm per acidi humo-

ris.

ris repurgationem subtrahitur, vel divertitur vitium læsionis Cerebri, aut Renum: quod sanè non contingit, nisi fluxus iste supervenerit. Cæterùm dixit Hippocrates, *bonum esse*, desumpta nimirùm bonitate tum ex parte humoris excreti, qui, utile est, ut evacuetur; tum ex parte viscerum firma, validaque constitutione præditorum, quæ scilicet à se ipsis vitiosos humores repurgent, & ad alvum, veluti ad totius corporis sentinam, depellant.

Quamquàm autem hìc Melancholicis, & Nephriticis solùm hæmorrhoides supervenientes utiles, conferentesque referantur, alibi tamen ab eodem Hippocrate aliis quoque morbis proficere memorantur: etenim *6. epidem. sect. 3.* dicitur: *Qui hæmorrhoidas habent, neque pleuritide, neque peripneumonia, neque phagedena, neque furunculis, neque tuberculis, terebinthi figuram habentibus, corripiuntur; fortassis autem neque lepris, neq; vitiliginibus, &c.* Quin & nonnulli *pro Nephriticis*, Phreniticos legunt, immò voce etiam generaliori Insanientes; cùm reipsa insanientibus omnibus ejusmodi fluxus prodesse soleat, quemadmodùm *Aphor. 21. hujus* subnectitur: *Insanientibus si varices, vel hæmorrhoides supervenerint, insaniæ solutio fit.* Morbi siquidem isti ab acido coagulante, ac figente sanguinem, & lympham, sui originem recognoscunt, quòd planè per hæmorrhoidas, jam reseratas, magna ex parte exiliens egeritur, unàque corpus universum repurgatur, & revalescit.

Pro Coronide tandem advertendum, hæmorrhoides sponte Naturæ tantummodò supervenientes utiles esse, secùs verò si aliter proritatæ, arte quavis promoveantur. Unde malè quis ex hoc aphorismo colligeret, posse etiam tutò Medicos ejusmodi evacuationem per hirudinum appositionem, aut alia consimili industria, excitare; nam evacuatio ista sponte Naturæ promota, nedum ejus humoris fit, qui melancholiam, aut nephritidem fovet, (repurgato per eandem convenienter sanguine) sed etiam opportuno tempore, & ea quantitate, qua congruit, cum conferentia, & tolerantia ægrotantis. Hæc enim non benè quis, licèt solertissimus Artifex, internoscere, ac distinguere valebit, ut quid, quantum, & quando evacuandum sit, rectè peragat. At verò poterit solùm, inchoatum in eas partes defluxum adjuvare, si fortassis remoretur, & hæreat, laxantibus, & emollientibus medicamentis, quibus scilicet Natura ipsa alliciatur solùm, neutiquam verò irritetur, & concidat. Ita quidem pluries experti sumus tumefactas hæmorrhoidas, leniter laxatas, sanguinem fudisse ope emollientium plantarum, malvæ, altheæ, chamomillæ, parietariæ, aliarumque similium, quibus oscilla venarum reserantur, & acidi salsi, tum serosi, & sanguinei, tum lymphici humores, sua malitia retusi, salubriter effunduntur. Verumtamen profusio ista sanguinis moderata esse debet, & quousque vires patientis tulerint; nam si immoderata fuerit, ut patulas perpetim venas sanguinem quocumque levi conatu fundentes habeat, perniciosa fiet, & causa evadet aliorum morborum, longè graviorum, cùm omne nimium Naturæ sit inimicum.

APHO-

APHORISMUS XII.

A diuturnis sanato hæmorrhoidibus, si una non servatur, periculum est aquam intercutem, vel tabem advenire.

CUm dixerit præcedenti Aphorismo Hippocrates ex hæmorrhoidalium venarum fusione ægritudines quasdam, & præsertim melancholicas, & nephriticas temperari; nunc, si fortassis illæ diutius fundendo perduraverint, admonet non sine gravi periculo posse in totum supprimi, & fluentem per intervalla sanguinem vitiosum cohiberi; siquidem, aut aquam intercutem, aut tabem successuram prædicit. Verùm ad exactam Aphorismi intelligentiam plura sunt animadvertenda.

Primum, diuturnas debere esse hæmorrhoidas, hoc est ex longo tempore sanguinem fundentes, sed cum certa moderatione tum quantitatis, tum temporis: secus enim, si recens sanguinis profusio ex illarum reseratione sit, & neq; debita quantitas, nec conveniens modus, nec quantitas moderata, in ejusmodi evacuatione servetur, proculdubio accurata Medici diligentia poterit immodica hæc boni sanguinis evacuatio saltem sensim, sensimque cohiberi: quippe immoderatæ omnes evacuationes, etiamsi, ratione excreti, bonæ videantur, sollicitè sisti possunt, in gratiam virium conservandarum. Solùm igitur fluentes hæmorrhoides sisti non debent, cùm ex diuturno tempore vitiosum sanguinem, & glutinosos, acidosque succos emiserint, potissimùm per intervalla: tunc enim vitiosis humoribus exitum impedire, atque fluentes hæmorrhoidas omninò cohibere, periculo non vacat. Jure optimo proinde Hippocrates adnotavit, à diuturnis hæmorrhoidibus sanato, Tabem, vel Hydropem facillimè accidere posse, retentis nimirùm intrà corpus pravis illis humoribus, qui per venas, arteriasque illas infernas convenienter, salubriterque repurgabantur.

Dixit insuper, *Sanato*, hoc est non sponte Naturæ constrictis, occlusisque hæmorrhoidalium venarum osculis, sed ab Arte, & ope medicamentorum adstringentium, ac sistentium sanguinem. Unde Medicos profectò monitos voluit, ne statim cohibeant ex longo tempore fluentem ex hæmorrhoidibus sanguinem; quemadmodùm à plerisq; incautè nimis fieri consuevit, ut fortasse importunis ægrotantium petitionibus gratificarentur. Oportebit namque primùm, acorem in sanguine inductum emendare, medicamentis potissimùm chalybeatis, ut deinde tutò, & sine ullo patientis incommodò possit sanguis detineri. Sed nihilominùs consulit Hippocrates, neque omnes simul venas sanguinem fundentes adstrictoriis medicamentis debere sanari, sed tutius esse unam saltem adapertam relinquere, per quam reliquiæ vitiosorum humorum, si fortasse è toto corpore illuc deferantur, repurgari possint. Prudentis itaque, & sagacis Medici erit, unam post alteram, aliquo temporis intervallo, occludere, & quam postremò reseratam agnoverit, aut fortasse tumidiorem viderit, apertam, fundentemque relinquere; & cùm tandem universum Corpus tum vivido colore, tum solidis carnibus, & naturali vigore fuerit restauratum, detumescentibus intereà hæmorrhoidibus, V. Avic 17.3.c.3

dibus,

dibus, poterit ex integro fanare. Sed & adhuc in his confideranda erit propria, cujufque patientis conftitutio, ætas, & habitudo, num deinceps ferendo fit ejufcemodi venarum reclufionem, aut occlufionem.

Et quidem nifi ifta exactè perpendantur, & juxta traditas leges methodicè ferventur, verendum valdè erit, ne Tabes, vel Hydrops fubfequatur, etenim detentis acidi, & tartarei fanguinis recrementis, nedum cæteri liquores paulatim inficientur, fed etiam partes folidæ corporis, & vifcera tum naturalia, tum vitalia; unde vel Hydrops, vel Tabes, procedente tempore fubortietur: Hydrops quidem ex mala chylofi, ab obftructione, à tuberculis ingenitis, & à vaforum lymphaticorum diruptione; Tabes verò ab infecto liquore nutritio, & à pulmone vel erofo, vel flaccido.

Neque verò dixit Hippocrates omninò futuram exinde Tabem, vel Hydropem, quafi quòd neceffe fit alterutram ex his inevitabiliter fucceffuram, fed folùm periculum effe, ne Tabes, vel Hydrops fubfequatur. Siquidem fieri poteft, ut ob exactam victus rationem, & ope medicamentorum ad id conferentium, utraque ægritudo præcaveatur. Plerique enim temperatiores facti poft diuturnam hæmorrhoidum profufionem, ab ufu medicamentorum, præfertim ex chalybe, nedum ab hæmorrhoidibus convaluiffe vifi funt, fed etiam cachexiam, quam incurrerant, evafiffe; fecus verò alii diætam non fervantes, poft mille propemodùm incommoda, tandem Hydropici, atque etiam Apoplectici perierunt, à fuperabundanti fero, feu lympha in cerebrum effufa. In quem fanè fenfum audiendus Aetius, qui *lib.* 14. *cap.* 5. dictum Hippocratis: *nifi una fervetur*, de fervanda diæta interpretatur, quæ nifi exacta fervetur, Hydropem, vel Tabem, ac poftremò mortem certò fubfequuturam prædicit.

APHORISMUS XIII.

A fingultu correptum fternutatio fuperveniens liberat.

Comparat in hoc aphorifmo Hippocrates duos motus præternaturam factos interfefe, unum ventriculi, alterum cerebri; etenim fternutamentum cerebri, feu mamillarium proceffuum, & meningum, motus eft expulfivus, ab irritante humore excitatus; fingultus verò commotio ventriculi eft conantis expellere ea, quæ fibi infenfa funt: & unus alteri juvamento eft; nam fi fingultienti fuperveniat fternutatio, bonum, definente nimirùm fingultu per fternutamentum.

Quòd nonnulli Interpretes fieri dicant fternutamentum ab exucto aere per nares in cerebrum, unde pulmones illo quodammodò priventur; licèt hæc in fternutatione contingant, non proindè caufam excitantem, aut efficientem fternutationem, fed tantummodò concomitantem exponunt: quippe cùm pars anterior cerebri, feu proceffus mamillares meningibus obvoluti à caufa vel interna, vel externa proritantur, quodammodò contrahuntur, ut feipfos tueantur, & proritantem fimul caufam expellant, per idem tempus aer uberiùs per nares in partes fe contrahentes inferitur, atque ea de caufa pulmones attolluntur, mox verò confequente rei irritantis expulfione, ficuti partes anteriores cerebri in priftinam amplificationem reducuntur, ita quoque

que pulmones deprimuntur, & simul unà sternutamentum contingit. Quod autem à re irritante illud accidat, palàm fit in his, qui catarrhis obnoxii sunt; quoniã humor serosus, aut lymphicus per nares extillans sua acritate olfactum proritat, & tunicam narium internam lacessit, statim sternutamentis vehementibus, & iteratis molestantur; Qui pariter à pulveribus acribus, uti sunt Peti, Euphorbii, Sampsuchi, Pulegii, Betonicæ, aliarumque plantarum, pari modo naribus vellicantur, sternutationes subeunt.

Singultus verò, licèt ex mente Hippocratis fieri dicatur, quomodò fit convulsio, cùm ille motum convulsivum referat, non tamen sine irritamento accidit, nimirùm ab humoribus fibras, tunicasque Ventriculi proritantibus; quemadmodùm experimur ab assumptis cibis acribus, vel à crapula, quamobrem facillimè singultiunt helluones, ebrii, & qui piperata alimenta, aut etiam allium, cæpam, sinapim, aliaque similia assumpserunt. Sed & à glutinosis, & constipantibus idipsum plerique patiuntur: etenim quosdam novi, qui tam certò à castaneis præsertim elixis, & mellitis rebus singultirent, ut ab illis foret opus penitùs abstinere. Hac eadem de causa contingit, cur in his sedetur illicò singultus epota mox aqua, vino, aliove liquore, cujus scilicet beneficio dilutis cibariis; laxatisque fibris ventriculi, vellicatio desinat, & singultus.

His breviter præmissis, facilè nunc solvitur, quamobrem à superveniente sternutamento singultus sit desiturus: etenim cùm per sternutamentum fiat motus expulsivus processuum mamillarium, & meningum Cerebri, indeque concutiatur Thorax, & cum Thorace vehementer quoque compellatur septum transversum, fit proinde, ut etiam stomachus, & Ventriculi fundum violenter etiam concutiatur, ad quam concussionem mox consequitur dimotio rei illius molestantis, & singultum efficientis in tunicis Ventriculi; quapropter illa in ejusdem cavo innatans, non solùm ab irritatione deficit, sed etiam facilè per pylorum ad intestina transferri potest. Nisi etiam dicere velimus, singultum illum hìc ab Hippocrate notari ex superveniente sternutatione desiturum, qui solùm fit à vaporibus acribus, aut acidis, qui ubi priùs tunicas Ventriculi infestabant, mox sursum elati, ac per palatum ad nares deducti, in causa sint, ut sternutatio superveniat, facta interim à Ventriculo in Nares eorumdem translatione. Quòd si non Ventriculus, ejusque orificium superius, propriè in singultu pati dicatur, sed potius Diaphragma, ea quidem in parte, qua ab œsophago perforatur, facilior istius problematis resolutio patebit, ob consensum nervorum, qui plurimi per diaphragma disperguntur, cum nervis vagæ illius conjugationis, quæ per musculos intercostales, & vocales diffunditur; quippe possunt hi nervi per septum transversum, & stomachum dispersi sola proritatione commoti, internam narium membranam, & meninges Cerebri pariformiter contorquere, atque ex mutua, reciprocaque concussione, halitus, aut vapores proritantes excutere, ac sternutamento singultum, & singultiendi occasionem auferre.

Cæterùm singultus factus ab ingluvie ciborum, proculdubio superveniente sternutamento tolletur, si ex vehementi illa concussione liberatur

tur Ventriculus ab illa molestia, quam percipit ab oppletione, & gravamine, non quidem in fibris, & liquore nervorum, sed in poris, & membranis eorumdem; nam nullatenus fieri potest, ut ex iteratis, ac vehementissimis sternutamentis id, quod internam nervorum substantiam occupaverit, extrudi queat. Quare non benè videtur Galenus explicasse aphorismum hunc de singultu ex plenitudine facto, pari modò, ac evenit in convulsione: siquidem in convulsione benè possunt filamenta nervorum, & liquor nerveus à re, aut humore replente contrahi, & convelli; minimè verò in singultu ope sternutamenti excuti, & evacuari; quod certè necessarium foret ad liberandum illos à singultu.

Postremò sicut singultus hìc memoratus ab Hippocrate, frequens, iteratus, ac molestus intelligitur, ita sternutamentum quoque, ut illum solvat, debet esse repetitum, vehemens, ac valdè concussivum, quo scilicet possit tenax, & hærens humor à partibus semoveri, & extrudi: quamobrem non immeritò plerique *sternutamenta* plurali voce scribenda voluerunt, ut nimirùm plura, & frequentia illa sint superventura, quæque iteratis concussionibus rem tenaciter adhærentem excutiant, & exturbent.

APHORISMUS XIV.

Hydrope correpto, si aqua è venis in ventrem defluxerit, solvitur morbus.

De qua specie Hydropis scriptus sit hic Aphorismus, non levis est hujus loci difficultas: Etenim si de Ascite exponatur, quia Aqua in imo ventre collecta est, non benè toti sententiæ aphoristicæ cohærebit, qua è venis dicitur aquam in ventrem, & consequenter in alvum defluxam, morbum solvere; utque è venis aqua in ventrem, idest in alvum deflueret, per totum corpus diffusam prius esse oporteret, adeòque Anasarcam primò constituere, & deinde in alvum deponi, & evacuari, pro totius morbi solutione.

Et quidem in hac solùm Hydropis specie poterit aqua sensim per occultos canaliculos, aut etiam per communes ductus, in ventrem effluere, indeque criticè evacuari; unde pressiùs sanè intelligendus erit Aphorismus de laborantibus Anasarca, Hyposarca, ac Leucophlegmatia, non verò de Ascite, aut Tympanite. Id quod clariùs explicans idem Hippocrates 7. *aphor.* 29. sub nomine Leucophlegmatiæ hanc eandem sententiam protulit, inquiens: *si à Leucophlegmatia habito alvi fluxus supervenerit, liberatur*. Confer. Hipp. l. de intern. affection.

Sed quomodò fieri possit, ut lymphicus humor, & aqua intercus ex habitu corporis in ventrem transferatur, alia est gravior difficultas. Et quidem crediderim, non ex venis, aut arteriis illam posse resorberi, & in alvum deduci; etenim per arterias potiùs humor defertur ad partes, quàm è partibus referri possit, ut patet ex motu sanguinis circumfluo. Neque deduci potest ex venis, quia istæ reducunt humores in partes interiores per jecur in cor; unde si aqua in ventrem effluxura è venis deduceretur, proculdubio deberet prius per cor meare, & ex corde postmodùm in arterias transferri, atque ex arteriis denique in alvum: id quod non sine gravi vitæ periculo peragi posset, cùm ex hoc transfluxu cor ipsum, & arteriæ à tanta humoris serosi colluvie inficeren-

rentur, & ſanguis univerſus labem ferè inemendabilem contraheret. Quare potiùs è vaſis lymphaticis aqua illa intercus in alvum deferri debebit: vaſa etenim lymphatica per univerſam cutim perreptantia benè poſſunt reſorbere, ac reaſſumere lymphicum illum humorem, qui in glangulis ſubcutaneis continetur, citrà ſanguinis, & viſcerum infectionem.

Quoniam verò locutus eſt Hippocrates ſub conditione, *ſi aqua è venis in ventrem effluat*: id profectò tunc accidet, cùm lympha ſub cute nondum concreverit, ſed adhuc fluida manens, per prædicta vaſa lymphatica remeare poteſt. Cæterùm poſtquam diutiùs hæſerit ſub cute, & glutinoſam induerit conditionem, nulla ratione poterit è vaſis lymphicis in ventrem defluere, niſi tamen, non eam, quæ extra vaſa in glandulis ſub cute jam ſubſtiterit, ſed, quæ adhuc in vaſis lymphicis continetur, fluxuram in alvum intelligere velimus: Id quod faciliùs ſemper eveniet inter initia incipientis hydropis; ſecus verò in hydrope jam confirmato, cùm ſcilicet craſſior, & glutinoſior reddita lympha nequibit per vaſa lymphica in alvum deferri.

Sed cur eſt, quòd Hippocrates hìc Venarum meminerit inquiens: *ſi è venis in ventrem, ſeu alvum defluxerit*? Fortè quia, ſub venarum nomine, omnia corporis vaſa humores deducentia comprehenſa intellexit: quo fit, ut etiam arterias is aliquando venas appellaverit: vel etiam quia, cùm nondum illi vaſa lymphica innotuiſſent, planè cùm vidit aquam èx habitu Corporis in alvum deductam hydropicos judicaſſe, ex ſola venarum notitia, arbitratus eſt, nonniſi per illas potuiſſe aquoſum humorem in ventrem effluere: quandoquidem ipſe, quæ vidit ſcripſit, & quæ iteratis obſervationibus expertus eſt, in Aphoriſmos redegit: obſervavit autem ex habitu corporis aquam in hydropicis in ventrem effluxam illos judicaſſe, exiſtimavit, juxta communem veterum medicorum ſenſum, per venas illuc fuiſſe delatam.

Quamquam autem id in Anaſarca laborantibus veriſimiliùs exiſtimem accidere poſſe; non tamen omninò impoſſibile putandum, quòd idipſum in Aſciticis contingere nequeat: etenim licèt Aqua in Aſcite inter Peritonæum, & muſculos Abdominis colligatur, unde difficilè admodùm eſt in alvum effluere poſſe, fieri tamen aliquando poteſt, ut per ductus nobis incognitos à provida Natura in Inteſtina deferatur, & expurgetur: quandoquidem, ut alias dicebat Galenus ex eodem Hippocrate *6. epidem. ſect. 5. mille ſibi Natura parat vias, per quas ſeipſam exoneret*: attamen perrarum hoc planè eſt, nec tam facilè, ut propterea non niſi paracenteſi aquam in Abdomine collectam abducere adnitantur peritiores Chirurgi, neque tamen perpetuò ſucceſſu felici.

Poſtremò dicitur, ſolvi morbum effuſa in ventrem aqua; non quòd in ventre detinenda ſit, ſed quòd per ventrem in inteſtina, & alvum delata, promptè evacuetur, & quidem tota quanta eſt; ſiquidem ex eo, quòd aqua Hydropicorum, veluti res præternaturam egeritur per alvum, tanquam per locum convenientem, contingit morbum ipſum ſolvi, ut quæ totum corpus occupaverat, in ventrem effluens, aditum ſibi faciat apertum; adeòque

non

non quia in ventrem effluxerit, conferat, sed quia in alvum translata possit sponte sua evacuari, & extramitti. Hinc designavit Hippocrates ventrem, veluti locum facilis, & promptæ expurgationis, ut exinde corpus universum à leucophlegmatia, & aqua intercute vindicetur; quamobrem tota pariter, & quanto citiùs fieri possit, educatur, viribus intereà constantibus, quemadmodùm salutaribus crisibus convenit. Porrò non quia hìc ab Hippocrate solius per alvum evacuationis mentio facta est, exclusa credenda omninò erit, quæ per vias urinæ alias ab eodem velut conducibilis commendatur in tumore lienis, qui prodromus est hydropisis, ut 2.*epid.sect.*2. de Bione fertur, ex animadversione Mercurialis: nam hoc loco eam potissimùm memoratam voluit, quæ citior, facilior, liberior, ac securior esse solet, in comparationem ejus, quæ per urinam fit, longè tardioris, difficilioris, ac molestioris eventus.

APHORISMUS XV.

Longo alvi profluvio laboranti spontaneus vomitus superveniens morbum solvit.

ETiam in hoc Aphorismo memorat Hippocrates unius morbi sanationem per alium, sed cum morbificæ causæ evacuatione conjunctum: At verò non, ut præceptum curativum tradat, sed solummodò, ut prognosim proponat salutaris exitus diarrhœæ inveteratæ, à vomitu spontaneo superveniente, ac propterea non exinde deducant, arguantque Medici idipsum Arte tutò posse promoveri, quod sponte Naturæ utiliter accidit; nam, ut superiùs quoque monuimus, non æquè benè, nec undequaque potest Ars Naturam imitari, ut in humoris excernendi quantitate, conditione, tempore, & modo pariformiter se habeat, valeatque id solum, quod vitiosum est, & morbum facit, salutariter educere; cùm & nec ipsa Natura perpetuò, atque indiscriminatim, quocumque morbi tempore, & qualibet ejusdem circumstantia, ritè, rectèque se gerat. Signanter autem notavit in hoc aphorismo Hippocrates, *diuturnum alvi profluvium per spontaneum vomitum supervenientem terminari*; quia tria speciatim consideranda voluit, *diuturnitatem* in alvi profluvio, *vomitionem supervenientem*, & *sponte Naturæ* excitatam, non ab Arte.

Et quidem, si alvi profluvium recens fuerit, quia tunc peccans humor multus, pravusque esse solet, non tam facilè proficiet, nec utiliter continget. Inter initia etiam vomitus diarrhœæ superveniens, malus, non bonus censendus erit, veluti inductus ab irritata Natura, vel gravata à multitudine vitiosorum humorum, quæ nequeat illos efferos regere, & emendare; unde & per inferiora, & per superiora indomiti feruntur. Quare non solùm vomitus in his nullatenùs proderit, sed magis, magisque oberit, veluti symptomaticè excitatus ab impetu, & violentia prævalentium, & superabundantium humorum, quemadmodùm in Cholera morbo evenit. Itaque diarrhœam ex longo tempore perdurasse notat Hippocrates, quoniam ex temporis diuturnitate verisimile admodùm est, & multitudinem humorum defecisse, & pravitatem magna ex parte fuisse sedatam, ut propterea ex mala, ineptaque solùm dissolutione,

secretioneque ciborum assumptorum, alvi fluxus perseveret, & quidem ex fermentis Intestinorum vitiatis, aut etiam ex labefactatis, depravatisque succis ventriculi digestivis, qui mox à superveniente vomitu egerantur, vel immutentur: in quem etiam sensum exponendus est idem Hippocrates 2. *de diæta*, ubi dixit, vomitum sistere alvum.

At quamvis ita ab Hippocrate scriptum sit, & plerumque idipsum experimentis respondeat, non tamen universaliter verum putandum est, ut aliquando saltem non fallat, cùm & nonnunquam à spontaneo vomitu visum sit, non solùm diarrhœam nullatenùs desiisse, sed subinde etiam mortem fuisse subsequutam, potissimùm in his, qui viribus destituti, ejuscemodi evacuationem per dejectionem primùm, deinde per vomitum, sufferre nequiverunt. Sed & vomitus superveniens si præterea cibalis, vel chylosus fuerit, pejoris plane judicii erit, cùm ex illo magis vires atterantur, & labefactatus undequaque ventriculus nequeat deinceps illas restituere.

Tunc ergo vomitus spontaneus laudabilis solùm erit in diarrhœa, cùm humoralis fuerit, & ejusdem planè conditionis, ac est materia ipsa diarrhœam efficiens, & conservans. Debent insuper vires constare, ut vomitionem tolerent, quæque semel tantùm, & non ulteriùs repetat; hac enim ratione crisis naturam referet. Hinc idem Hippocrates *primo de morbis*, hanc eandem sententiam describens, adjecit particulam *validè*, quæ non solùm referri potest ad diarrhœam, sed etiam ad vomentem, & ad vomitum supervenientem, puta cum virium robore toleratum.

APHORISMUS XVI.

Pleuritide, & Peripneumonia correpto alvi profluvium adveniens, malum.

QUod anteà scripsit Hippocrates de supervenientibus evacuationibus conferentibus, nunc de aliis nocentibus ex adverso proloquitur; atque exemplum dat in morbis pectoris, in quibus dejectiones supervenientes nocuas animadvertit. Et quidem Pleuritis, ac Peripneumonia morbi sunt partium spiritalium, quorum alter ad Pleuram, alter ad Pulmonem pertinet: quamvis non defuerint, qui utrumque Pulmoni affixerint, ea tamen differentia, ut si Pulmo totus secundùm utrumque latus dextrum, & sinistrum, inflammationem contraheret, Peripneumonia laborare diceretur; Pleuritide vero, si alterutro tantum lobo; de qua re alibi.

Utcumque autem id eveniat, certum est, Pleuritidem, & Peripneumoniam ægritudines pectoris esse, & partium in pectore contentarum, quæ nulla alia ratione salubriter judicari possunt, quàm per anacatharsim; unde 5. *aphor.* 8. ab eodem Hippocrate scriptum est: *Quicumque morbo laterali, seu pleuritide laborantes in quatuordecim diebus non repurgantur, ii ad suppurationem vertuntur*; quoniam nullus alius tutior ductus patet expurgationi humoris in pectore contenti, quàm per asperam Arteriam, adeòque per tussim.

Si ergo contingat Pleuritide, aut Peripneumonia laborantem non expectoratione, sed dejectione per alvum evacuari, duplici proculdubio incommodo afficietur: altero quidem,

dem, quòd humor in pectore contentus non expurgatur, cùm ex pectore ad alvum ductus nullus sit, intersepiente Diaphragmate cavum pectoris, & abdominis: altero verò, quòd alius ab eo, qui peccat, educitur, & non sine ingenti virium jactura, cum ventriculi, & primæ digestionis languore, recrudescente intereà, aut etiam putrescente eo, qui pectoris cavum occupat; unde tum Pulmo, tum Cor, & sanguis universus plurimùm inficitur. Accedit, quòd superveniens alvi profluvium in Pleuritide, aut Peripneumonia, alia quoque Viscera, nempe naturalia, præter spiritalia, affecta designat, potissimùm verò Ventriculum, Jecur, Mesenterium, Intestina, ex quibus pravi illi humores alvi profluvium concitantes sine ulla difficultate derivabunt: quo autem morbi plures fuerint, & partes affectæ variæ, eò planè gravius vitæ periculum imminebit.

Quoniam verò, non quamcumque, aut levem evacuationem per alvum memoravit Hippocrates, sed multam, iteratam, & copiosam, designatam scilicet sub nomine *Alvi profluvii*; idcircò tunc solùm exinde de ægrotantis vita verendum, cùm alvus immodicè in ejusmodi Pectoris ægritudinibus fluxerit; secus verò, si levis solùm, & modica dejectio fiat: fieri enim aliquando potest, ut citrà incommodum partium spiritalium affectarum, alvus cum juvamento potiùs exoneretur, aut quia cumulatis anteà excrementis abundat; aut quia, ob adjunctam febrim, sanguis à suis impuritatibus repurgatur; aut etiam quia compatientia reliqua viscera naturalia, forte fortuna ab infartu, obstructione, tumefactione, vi febris, atque Naturæ molimine, per dejectionem illam, sensim allevantur, ut in Metone, & in Caupone memorat idem Hippocrates 7. *epid.* Jure igitur per *alvi profluvium*, immoderatam, impertinentem, adeòque vires atterentem evacuationem, ac sputum supprimentem, notatam voluit.

Neque solùm malum censendum est alvi profluvium in Pleuritide, & Peripneumonia ex ratione partium affectarum, quæ nullatenùs per alvum exonerari possunt; sed etiam ex ratione earumdemmet ægritudinum. Sunt enim Pleuritis, & Peripneumonia de genere inflammationum: in inflammationibus autem nulla purgatio per alvum proficit, ut propterea purgantia medicamenta sint omni jure interdicta: quomodò enim conferre poterit alvi solutio in inflammationibus, in quibus sanguis alicubi hæret, & concrescit, indigetque sui resolutione, aut suppuratione, ut tandem pars inflammata in pristinum statum restituatur? id quod potissimùm in Pleuritide, & Peripneumonia fit; de qua dicitur, quòd quanto citiùs sputum comparuerit, tanto quoque morbus breviabitur. Quod si cum Heurnio addere quoque velimus adverbium *vehementer*, quo non levem inflammationem, sed magnam, ingentem, vehementemque intellexerit Hippocrates, profectò timendum magis de illarum eventu à superveniente alvi profluvio: quippe vehementi Plueritide, aut Peripneumonia laborantes gravioribus symptomatibus afficiuntur, dolore scilicet acutissimo, difficili respiratione, siti, vigilia, inquietudine, febri continua, cæterisque, quę magis, magisque exacerbabuntur, & ingravescent, à superveniente diarrhęa. Sed

& longè pejus erit si alvi fluor accidat his, qui ex longo tempore Pleuritide, aut Peripneumonia laborarint, veluti suppuratis, ac tabidis effectis, quemadmodùm ex voce græca ἰχομένῳ, idest *habito*, *detento*, *vexato*, sive *diutiùs affecto*, colligit Galenus, estque cunctis notissimum.

APHORISMUS XVII.

Lippientem alvi profluvio corripi, bonum.

Adnotat nunc Hippocrates beneficia ex alvi profluvio provenientia in aliis affectibus, ac pro exemplo affert lippitudinem, quam consequens alvi dejectio salutaris dicitur.

Quid autem pro lippitudine intelligendum, græca vox *Ophthalmia* satis apertè explicat, quàm Celsus lippitudinem, & oculorum inflammationem pluries appellat, licèt plerisque lippitudo ad palpebras potiùs inflammatas referatur, non verò ad oculos. Quin & Celsus ipse *lib.6.cap.6.* aliam, diversamque videtur facere lippitudinem ab inflammatione oculorum, eamque sæpiùs nuncupat *Aspritudinem*, per quam palpebrarum extremitates asperæ, ac dolentes observantur.

Sed quamvis de nomine parùm intersit, multùm tamen refert novisse, Hippocratem alibi diversimodè descriptam *Ophthalmiam* memorasse, præsertim verò *primo epidem. sect.*2.& 3.*aphor.*12.& 16. ubi modò humidam, sed mordacem; modò aridam, & tabificam; modò siccam, & pruriginosam, immò etiam exulcerantem nominat, veluti à diversis causis, atq; humoribus progenitam; Unde ipse fieri crediderim, cur lippitudo quandoque sit contagiosa, & lippientes, alios inficiant; immò nec æquabiliter afficiant, & afficiantur, neque paribus symptomatibus molestentur, cùm & aliquando in palpebris solùm, aliquando etiam in adnata, seu conjunctiva tunica, ruborem, tumoremque patiantur. Quare qualem hìc intellectam velit, quæri potest.

Et clarè liquet, eam lippitudinem hoc in aphorismo designari, quæ nedum palpebrarum, sed & adnatæ oculorum tunicæ inflammatio est, facta ab affluxu humorum ibidem hærentium, potissimùm acrium, & erodentium, quorum causa asperitas, dolor, rubor, tumor, in orbita oculorum exteriori percipiatur: etenim nisi humores corpulenti has oculorum partes occupaverint, ac læserint, fieri haud poterit, ut per alvum excreti lippientes liberent; pari certè ratione, ac de obsurdescentibus auribus alibi idem Hippocrates pronunciavit. Nisi etiam dicere velimus cum cæteris Expositoribus, liberari lippientes oculos per alvi exonerationem, facta scilicet depositione humorum ab affectis visceribus naturalibus, ex quibus illi coafficiebantur. Oportet autem alvi profluvium sponte evenire; siquidem, ut anteà monuimus, istiusmodi evacuationes morbis supervenientes sponte Naturæ excitari debent, cùm solius Naturæ opus sit id evacuare, quod convenit, & quo tempore, atque ea quantitate, quæ causæ morbificæ correspondeat. Hinc non benè quis ex hoc deducere licere Medicis indiscriminatim oculorum lippitudines per dejectoria medicamenta curare, nisi aliter constiterit in ejusmodi opere naturam sibi adminiculantem habere, fortè quia in alvum adigere tentat humores, & vel rugitu, aut ven-

ventris murmure, aut intestinorum inflatione ejusmodi depositionem ostendat.

Quia insuper Hippocrates usus est voce *profluvii*, existimandum propterea supervenientem hanc evacuationem oportere esse copiosam, & non solùm fæcum, aut intestinalium excrementorum, sed etiam humorum, acrem, muriaticamque conditionem præseferentium: quippe hac ratione fiet, ut oculi ab humoribus ibidem stagnantibus vindicentur, vel etiam pars alia mandans affecta inaniatur. Quòd si evacuatio ista sponte naturæ promota, parca admodùm sit, & insufficiens, tutò tunc poterit Medici industria perfici, & expleri, documento ejusdem Hippocratis *aphorismo* 20. *primi*.

Denique inquit Hippocrates, *bonum*: significans ex hoc utilem esse ejusmodi evacuationem, quamquam non omninò necesse sit, ut ex illa sit prorsus lippitudo desitura: etenim postquam humores ab oculis defecerint, remanere quoque solet asperitas cum rigiditate, quæ nonnisi progressu temporis, sponte Naturæ desinit, vel fotibus, & balneis egebit, ut penitùs aboleatur; quemadmodùm idem Hippocrates 7. *aphor.* 46. & *hoc eodem* 6. *aphor.* 31.

APHORISMUS XVIII.

Vesica discissa, aut Cerebro, aut Corde, aut præcordiis, aut aliquo ex tenuioribus Intestinis, aut Ventriculo, aut Jecore, lethale est.

PRognosticus est hic Aphorismus, in quo Hippocrates mortem prædicit in his, qui vulnus, vel ulcus patiuntur in Cerebro, Corde, præcordiis, Jecore, Ventriculo, aut Intestinis gracilibus. Simile quid scribitur etiam *lib.* 1. *de Morbis*: *Moritur autem, si quis cerebro sauciatus fuerit, aut spinali medulla, aut hepate, aut præcordiis, sive septo transverso, aut vesica, aut vena sanguiflua, aut corde.*

Et sanè, quòd pleræque ex his partibus discissæ, aut vulneratę mortem afferant, longè notius est, quàm ut longa oratione probari queat; nam cùm inter partes corporis numerentur omninò vitæ tuendę necessarias, planè fit, ut dissectæ, sicuti non ampliùs ad vitam conservandam conferunt, ita imminentem mortem proculdubio portendant. Hujus generis pręsertim sunt Cerebrum, Cor, Pulmo, Septum transversum, Ventriculus. Dissecto etenim Cerebro, nervi, & nervorum liquor statim malè afficiuntur; unde operationes animales deficere necesse est: his autem deficientibus, nec vita diutiùs perdurare valet. Idipsum, & multò magis dicendum de Corde, quod principium, & origo est vitalium operationum; quamobrem ipso dissecto, neque pulsus, neque sanguinis motus haberi commodè potest. Pari ratione Pulmo discissus necem afferet, cùm sit unum ex præcipuis organis respirationis, atque per ipsum principalia vasa sanguifera dispergantur, unde sanguis in cor, deindeque in corpus universum influit. Septum quoque transversum respirationis quam maximè conducit; quare si fortasse dissecetur, quia in suo motu labascit, deficit pariter respiratio, qua deficiente Animal perit. Ita etiam reliqua viscera his adjacentia eidem infortunio subiiciuntur, sub quibus Præcordia comprehensa intelliguntur. De Ventriculo autem, quamvis à plerisque dubi-

dubitatum sit, num inter partes principes numerandus foret, quia nihilominùs conficiendis cibis incumbit, sine quibus diù animal perdurare nequit, proculdubio ex ipsius discissione mortem quoque accidere fatendum; quamobrem non immeritò à Quinto Sereno Rex membrorum appellatus est, à quo scilicet reliqua corporis membra alimentum, robur, & nutricationem suscipiunt. Accedit, quòd per ipsum plurimi venarum, arteriarum, & nervorum rami disperguntur, unde absque istorum gravi læsione eumdem vulnerari minimè contingit, adeòque non sine evidenti vitæ periculo.

Quoniam verò aliquando observatum est ex vulneribus Cerebri, Cordis, & Pulmonis ægrotantes supervixisse, ansa datur plerisque dubitandi, qua ratione id evenerit, ut simul unà tueri possint doctrinam hanc Hippocratis, & ex adverso experimenta eidem adversantia. Verùm facilè difficultas exolvetur, si vulnera his partibus inflicta, & à Medicis memorata, examinentur ubi, & quomodo contigerint. Nam qui testantur ab vulneribus capitis, cordis, aut pulmonum consanuisse; haudquaquam de partibus organicis istorum viscerum meminere, sed solùm de superficiariis, & extimis eorumdem. Cerebrum siquidem, ut ex anatome liquet, constat cortice, & meditullio; ex his autem meditullium omninò necessarium est ad animales operationes sensitivas, & motivas obeundas; cortex verò non nisi plurimarum glandularum contextus est. Hinc si portio aliqua corticis cerebri rescindatur illæso meditullio, quia organa destinata functionibus sensitivis, & motivis inoffensa manent, benè poterit in vita animal permanere; secùs verò si interna cerebri substantia, ejusque meditullium offendatur. Cor pariter, sine vitæ jactura vulneratum memoratur ea in parte, quæ illius mucronem constituit, qui cùm pars extima illius sit, nihilque impediat motum ejusdem, & sanguinis trajectionem in arterias, neque proinde vitæ tuitioni incommodabit. Cæterùm vulnera cordis inflicta basi, ventriculis, arteriæ aortæ, cæterisque ductibus principalibus ejusdem, omninò lethalia observata fuere. Pulmones quoque resecti memorantur, superstite vita, in extremitatibus, & apicibus loborum, quò scilicet vasa pulmoniaca circulanti sanguini necessaria haudquaquam pertingunt. De Jecore præterea idem omninò dicendum est, nam si vulnus sit inflictum in substantia Jecoris, ubi arteriæ, & venæ latiores adunantur, adeòque partem illius organicam constituunt, proculdubiò lethale erit; secus verò si fiat in extremitatibus loborum. Et ratio inde deducitur, quia vulnera in his visceribus inflicta, non alia de causa lethalia sunt, nisi quia sanguinis circulationi impedimento sunt, & diruptis, incisisque venis, aut arteriis, sanguis extra propria vasa effunditur, qui deinde exhaustus motum cordis conservare nequit, nec reliquas partes vivificare; quin & multoties ab irruente sanguine adjacentes aliæ opprimuntur, & repentè suffocantur, unde vita diutiùs persistere non potest. Accedit, quòd sanguis extra propria vasa effusus duplici alia de causa vitæ incommodat, & quia restagnans putrescit, & corrumpitur, & quia mole, ac irruptione, qua in parte hæret, gravat, opprimit, obruit, citiùs tamen, vel tardiùs, pro varietate viscerum affectorum. At-

que

que hinc modo fit, quamobrem vulnera apices viscerum solummodò lædentia lethalia non sint, nisi ex aliquo alio accidente, quia ejusmodi vulnera vasa sanguifera majora, & præstantiora minimè perturbant, unde nec multus sanguis effunditur, nec motus sanguinis intercipitur, aut impeditur. His itaque de causis accidit, ut vulnera basim cordis, & venas, arteriasque inde exorientes transfodientia statim perimant, ut & vulnera perforantia medium pulmonis, quoniam diruptis vasis pulmoniacis, vel sanguis aliò diffunditur, quàm in cor, vel impetuosiùs quàm par sit in cor ipsum influit, unde illius motus impeditur; in reliquis autem partibus vulnera inflicta non statim enecant, sed in aliquod tempus protrahuntur, quia ex his non omninò intercipitur motus sanguinis, & cordis, licet deinde in lethum etiam desinant, alia sanè de causa, quemadmodùm de vulneribus Vesicæ, & Intestinorum mox dicemus.

Vulnera itaque in universum lethalia erunt non una, sed multiplici ratione. Primò, si in partibus vitæ tuendæ necessariis conformationem, texturam, & nexum vasorum, aut structuram earumdem discindant, ac turbent. Secundò, si circuitum sanguinis interrumpant. Tertiò, si operationes ad vitam tuendam destinatas lædant, vel adimant. Quartò, si excrementorum repurgationes impediant. Quintò, si inflammationem, gangrænam, dolorem vehementem, aut alia symptomata graviora inferant, unde vires atterantur, & labascant. Hinc modò vulnera Cordis, & Cerebri ex primo, & secundo capite lethalia sunt, Pulmonis verò, Jecoris, aliorumque viscerum magnis, latisque arteriis, & venis refertorum ex secundo, & tertio capite; ex quarto, & quinto denique Intestina, & Vesica, in quibus etiam summoperè considerabilis est propria constitutio membranosa, & nervosa, ob quam convulsionibus subiiciuntur, & difficillimè coalescunt.

Atqui dubitare contingit, cur Hippocrates Lienis non meminerit, cùm tamen Lien arteriosum viscus sit? Ad quod dicendum, nullam de illo Hippocratem hoc loco fecisse specialem mentionem, quia parem cum Jecore conditionem sortitur; vel quia, si fortasse vulneretur, commodè rescindi potest, cùm viscus linguosum sit, & facilè à cæteris separabile, quinimmò illum eximi etiam integrè posse testantur plerique Anatomici citrà ullum vitæ incommodum.

Quoniam verò Hippocrates in textu non omnia Intestina dixit discissa mortem afferre, videndum hìc etiam breviter, quænam sit differentia inter tenuja, & crassa intestina, ob quam tenuja si vulnerentur, aut scindantur, mortem afferant, secùs verò crassa. Et quidem nedum in vulneribus, verùm etiam in erosionibus internis experimento constitit longè periculosiora esse ulcera tenujum intestinorum, quàm crassorum, nam in dysenteriis malè affecta priora tria, Duodenum, Jejunum, & Ileon, insanabilia esse solent; facilioris verò curationis Colon, Cæcum, & Rectum. Verùm diversitas hæc petenda est tum à structura, tum ab usu, tum etiam ab humoribus, qui per illa diffunduntur: etenim Intestina gracilia ex membranis constituuntur tenujoribus, habentque glandulas quoque molliores, in quas hiant oscilla venarum lactearum, unde chylus

in mesenterium, & saccum lacteum traiicitur, quamobrem & structura, & usus illorum longè præstantior est, quàm sit structura, & usus aliorum trium Intestinorum crassorum, in quibus & tunicæ crassiores, obesioresque sunt, & glandulæ duriores, compactioresque, eo quòd diutiùs detinendis fæcibus inservire deberent. Humores etiam confluentes ad Intestina tenuia, pancreaticus scilicet, & felleus, cùm in statum præternaturalem degenerant, pessimam, & deleteriam conditionem nanciscuntur, unde graviùs affici solent Intestina gracilia, secùs verò crassiora, ut patet; quamobrem non sine ratione fit periculosiori dysenteria laborare Intestina superiora, quàm inferiora. Non immeritò proindè Hippocrates consideratis his in Intestinis gracilibus, dixit illa discissa lethalem exitum sortiri, non ideò tamen ejusdem periculi expertia esse Intestina crassa, quæ etsi plerumque non tam graviter afficiantur, possunt tamen aliquando, ex ingenti, & magna discissione pari modo periclitari, sed longè minùs, vel tardiùs, quàm gracilia. Vesica pariter discissa insanabilis est, quia cùm sit perpetuum emissarium urinæ, nequit promptè conglutinari; quin & ulcus ibidem contractum perpetuò sordidum esse solet; quamobrem sæpesæpiùs experimur illa in fistulas facillimè desinere.

Denique Ventriculus si vulneretur, etiam mortem portendit, siquidem ipso discisso necesse est succos digestivos infringi, illius texturam vitiari, chylosim offendi, & chylum ipsum neutiquam protrudi posse per pylorum ad intestina. Sed & ob nervorum copiam, quibus intexitur, fieri nequit, quin etiam cerebrum compatiatur, unde postmodùm motus convulsivi; quinimmò ex sola, simplicique illius læsione vomitus, singultus, anxietas, dolor, & alia graviora symptomata minimè poterunt evitari: ab his autem fieri nequit quin mors sit brevi subsecutura.

Ventriculo non irrationabiliter adjungi potest Oesophagus, qui vulneratus non dissimiliter lethum afferet, non ita pridem observavi in quodam Presbytero ob vulnus inflictum in parte postica thoracis prope spinam, cui Oesophagus adnectitur.

Partibus his vulneratis, atque hoc loco memoratis ab Hippocrate, sunt qui alia plura adiiciunt; & quidem Brasavolus Vesicam felleam, Pericardium, Pulmonem, Lienem, & Spinatam medullam inter partes ad exitium vulneratas recenset: Et Celsus *lib. 5. cap. 26.* addit quoque Renes, venas, & arterias potissimùm circa fauces, & guttur, nec non spinalem medullam, uterum, & meninges cerebri. Verùm non quęcumque vulnera, quæ insanabilia sunt, lethalia dicenda erunt: etenim ossa, & cartilagines si frangantur, aut vulnerentur, licèt plerumque insanabilia evadant, non tamen mortem necessariò afferunt. Cæterùm multæ aliæ partes vulneratæ aliquando exitiales fiunt (etiamsi commodè sanari possint) vel ob imperitiam artificum, vel ob symptomatum societatem, vel ob vulneris profunditatem, aut magnitudinem, vel ob sanguinis effusionem, indeque consequentem virium jacturam, vel ob ætatis languorem, vel ob carnium mollitiem, vel ob alterius morbi præsertim virulenti concomitantiam, ut in lue gallica affectis experimur. Hinc non semel contigit

git observare vulnera, aut ulcera in partibus extimis etiam ignobilibus corporis inflicta, quæ tandem mortem attulerint, in senibus, valetudinariis, gallica lue affectis, aliisque propter quasdam circumstantias cum vulnere conjunctas.

Signa denique, quibus internoscere liceat, quæ membra discissa, aut vulnerata sint, ut ex illis judicium ferri possit lethalis, aut salutaris eventus, latè exposuit Celsus *cit. lib.* 5. *cap.* 26. ex quo alii Chirurgiæ professores, quos consulite si lubet.

Illud autem à nobis videtur superaddendum, quod iterati, inæquales, & recurrentes rigores febriles ferè semper solent internorum viscerum læsionem prædemonstrare, idque vel ob sanguinis è venis, aut arteriis discissis effusi in alias circumjacentes partes, præsertim sensu præditas, irruptionem, subsequentemque putrefactionem, vel ob impeditum ea in parte sanguinis circuitum, qui cùm non promptè sua vasa circulationi destinata subire queat, illas impetit, & extimulat; & licèt magna ex parte, non raro per supervenientem sudorem dissolvatur, perseverante tamen eadem causa, denuo illi recurrunt. Hinc benè Cardanus, partes in universum vulneratæ quatuor modis mortem afferunt; vel necessitate officii, ut Pulmo; vel potentia Naturæ, ut Cor; vel sanguinis profluvio, ut Jecur, Arteriæ magnæ, & venæ; vel symptomatum pravitate, ut nervosa, Ventriculus, Vesica.

APHORISMUS XIX.

Cùm discissum fuerit os, aut cartilago, vel nervus, aut genæ particula tenuis, vel præputium, neque augetur, neque coalescit.

Exposuit in præcedenti aphorismo Hippocrates partium quarundam organicarum vulnera, eaque protulit lethalia esse; in hoc verò aliarum quarundam partium similarium vulnera, & scissuras proponit, atque illa, inquit, non quidem mortem afferre, sed difficulter coalescere, & augeri.

Primo autem loco proponit fracturas ossium, de quibus tamen dubitare contingit, an non coalescere possint, & successivè incrementum suscipere; etenim *Gal. lib.* 3. *artis medicæ*, non solùm in pueris illa inquit facillimè couniri, & deinde augeri, sed etiam in adultioribus intermedio corpore calloso, quod licèt propriè os dici non possit, nihilominùs ad illius naturam quam maximè accedit, quippe quod duritie, soliditate, candore, insensibilitate præditum est, sicut os. Verum est, ossa fracta per intermedium aliud corpus uniantur, propriè tamen coalitio illa dici non potest, cùm sit quid heterogeneum differentis omninò conditionis, & naturæ, quamquam duritiem, & soliditatem ossium æmuletur, ut propterea si contingat in ea parte os iterùm fracturam subire, non quidem frangetur in poro illo adnato, sed alibi, ut pluries experimento constitit. Sed & neque incrementum suscipit os fractum, sed in eadem magnitudine, ac dimensione subsistet, cùm nutrimentum, quod ossi suggeritur supra solùm, non verò infrà fracturam deferri possit,

impe-

impediente nimirùm transitùm poro illo calloso; quamobrem experimur ossa fracta in pueris non ulteriùs increscere, sed per comparationem ad alia ossa correspondentia, aliquantulùm decurtata, & exilia remanere: modò Hippocrates in hoc textu de verò coalitu, & de genuina nutritione mentionem facit, secùs verò de falsa, & æquipollente.

Sed unde est, quòd ossa, aliæque partes hìc memoratæ coalescere, & nutriri non possint, gravis equidem est hujus loci difficultas. Omnes interpretes cum Galeno communem in omnibus partibus exanguibus, & spermaticis appellatis causam faciunt materiæ alibilis defectum. Putant enim partes universas corporis aut ex semine, aut ex sanguine generari: ex semine quidem partes eas, quæ albæ sunt, uti ipsi dicunt, Ossa, Tendines, Ligamenta, Nervi, Venæ, Arteriæ, Membranæ, Cartilagines, Glandulæ; ex sanguine verò omnia viscera, Cor, Pulmonem, Jecur, Lienem, Renes, Musculos, & carnes universas. Hinc subdunt partes carnosas, & rubras à sanguine progenitas, cùm vulnerantur, aut dilacerantur, facillimè regenerari, & increscere posse suggesto ipsis sanguine pro alimento, ex quo exordium desumpserunt: at verò ossa fracta, atque cæteras partes albas, veluti spermaticas dissectas, nullatenùs coalescere posse, quia deficit illis alimentum, & principium generationis earumdem, nempe semen.

Sed quam falsa sint ejuscemodi Veterum opinamenta, clarissimè deducitur ex Anatome, & ex earundem partium structura; omnia enim viscera tanquam constructa ex glandulis, membranis, fibris, nervis, venis, arteriis, nonnisi in primordiis suæ generationis eamdem materiam albugineam uniformiter recognoscunt, unde nil penitùs differunt à generatione, & structura partium albarum, seu spermaticarum; hinc in prima conformatione embryonis, cùm illius corpusculum integratur, nonnisi texturam quandam exhibet fibrarum, glandularum, membranarum, & vasorum, per ipsas excurrentium, quæ deinde à sanguine materno per vasa umbilicalia suggesto, nutricationem, & incrementum suscipiunt per substantiam illam glutinosam ejusdemmet sanguinis, quæ in aliquibus magis, & copiosiùs appingitur, in aliis minùs, & parciùs pro vasorum exilitate, & pororum, ac texturæ diversitate. Quòd verò Pulmo, Jecur, Cor, Lien, & alia consimilia viscera rubra videantur; membranæ verò, cartilagines, ossa, alba sint, id dumtaxat contingit à sanguine affluentiùs per prædicta viscera discurrente, quoniam continent venas, & arterias latiores, & numerosiores: at verò in partibus albis, quia venulæ, & arteriolæ exiles admodùm sunt, propterea vix conspici possunt. Atque hinc, si Pulmo, Jecur, Lien, & cætera viscera carnea, & sanguinea putata, sanguine ipso exuantur, quod fieri solet per immersionem in aqua tepida, postquam universum sanguinem per illorum parenchymata diffusum dimiserint, albicantem quoque substantiam referunt; & quemadmodùm accurata diligentia Anatomicorum detectum est, nonnisi glandulis, vesiculis, fibris, venis, arteriis, nervisque contexta sunt. Itaque omnes partes corporis homogeneam referunt naturam, atque in primis suis rudimentis ab una substantia seminis glutinosa, vel ut melius

liùs loquar, ab una substantia albuginea in ovo fœmineo contenta ducunt originem; à sanguine verò circumfluo vitam, vigoremque suscipiunt, quemadmodùm fusiùs à nobis est demonstratum in nostra Theoretice.

Hinc ergo omninò falsum dicendum est, quod à veteribus fuit creditum de duplici materia, origine, & principio partium componentium humanum corpus, & cujusvis alterius animalis. Sed & falsum quoque est deesse materiam seminalem nutriendis partibus spermaticis aptam, quippè quæ nedum in ætate juvenili, verùm etiam in virili, & senili non raro superabundat. Quinimmò si vera sunt, quæ Galenus memorat de regeneratione, & restauratione ossium fractorum in pueris, quia in his semen deficit, proculdubiò ossium fractorum coalitus, & refectio nulla foret, atque contra facilior, & abundantior haberi posset juvenibus, in quibus semen uberius est, & vegetius.

Totum igitur opus nutricationis à substantia sanguinis glutinosa promanat, quæ longè copiosior suggeritur illis partibus, in quas sanguis uberiùs influit: quo fit, ut jecur, pulmo, carnes in majorem molem, temporis progressu assurgant, minùs verò augeantur membranæ, aliæque partes exangues. Nisi etiam dicere velimus alimentum partibus accedere ex nervis, & nervorum liquore, ut Glissonius, & Vvarthonus inter Anglos primi arbitrati sunt, quocircà ubi membranæ corpulentiores sunt, & latioribus nervis sunt intextæ, ibi quoque incrementum sensibilius observatur; contrà verò in membranis tenuioribus, per quas nervi exiliores diffunduntur.

Neque insuper verum est, partes carnosas vulneratas omninò coalescere, & restaurari in fibris, venis, nervis, arteriis, siquidem istæ eodem modo uniuntur, ac reliquæ aliæ partes spermaticæ dictæ, ut patet ex cicatrice in ipsis relicta; quamobrem non semel observatum est in Cadaveribus anatome subjectis, viscera antecedenter vulnerata, & mox Chirurgicis auxiliis restituta exibuisse signaturas, & cicatrices qua parte vulnus fuerat inflictum. Sed & in cruribus, tibiis, brachiis, vulnerati musculi, cùm consanescunt, profundam cicatricem relinquunt, & qui cauteriis fuerant inusti, postquam ulcus ad cicatricem perductum est, manifestam signaturam, & foveam gestant, designantem non solùm cutim externam, sed etiam musculorum substantiam cicatricem subiisse. Verùm, in his partibus musculosis minùs sensibilis esse solet inflicti vulneris signatura, quia sanguis per adjacentes partes circumfluus illas sublevat, & consueto rubore afficit, unde non adeò conspicua in iisdem remanet cicatrix; contra verò in reliquis partibus, in quibus venæ, & arteriæ parciores, exilioresque sunt, longè apparentior observatur, & potissimùm in membranis, quarum textura tenuis, & plana est, & colore candicans.

Quoniam verò adhuc de modo, quo Callus fit in ossibus fractis, dubitare contingit, idcircò neque videtur soluta difficultas in præsenti textu proposita. Et quidem si id à Veteribus petamus, difficilè admodùm erit coniicere, quo pacto ossa fracta invicem conglutinentur per intermedium Callum. Recentiores verò Anatomici, nec quidpiam certi in hac re determinare ausi sunt; Solùm Angli cum Glissonio, & Vvarthono

thono

thono è membranis, & perioſtiis eorumdem alimentum oſſium deduxerunt, quò fieri ajunt denudata perioſtiis oſſa ſiderari, & contabeſcere: At neque per hoc explicant quomodò Callus in fracturis oſſium generetur; cùm in illis ſæpeſæpiùs membranæ ipſæ coafficiantur, & reſciſſæ, aut diſſectæ nequeant alimentum illis ſuppeditare. Putaverim idcircò alimentum oſſibus ſuggeri à ſanguine ſecundùm partem glutinoſam per apices muſculorum deſinentium in eorumdem oſſium capitibus, ubi cartilagines circumponuntur, & glandulæ innumerabiles ſunt poſitæ: illa verò ſenſim per partem poſt partem intra poros eorundem intruditur, & per univerſam oſſium ſubſtantiam ſecundùm longitudinem communicatur: quippe oſſa licèt ſecundùm extimam ſuperficiem lævigata ſint, ſecundùm interiorem tamen ſubſtantiam ſunt manifeſtè poroſa, ſpongioſa, ſquamoſa, & perforata, ut propterea ſi frangantur, non ſolùm ſuccum ipſum alibilem effundunt, verùm etiam, & non rarò, ſanguine intinctum, quo videlicet vegetare, & vigorari poſſint. Hinc facilè dijudicare eſt, ſuccum ipſum ex glandulis ibidem ſitis per porulos, & cavernulas oſſium veluti per filtrum tranſudare, & quaquaverſum diffundi; Quin & quò oſſa fuerint majora, & longiora, eò etiam cavitas, & manifeſtior, & oblongior in illis obſervatur cum ingenita quadam ſubſtantia medullari, quæ ibidem ex refudante eodem ſucco oſſium nutritio concreſcit, & coagulatur inſtar axungiæ, quemadmodùm obſervare eſt in oſſibus femorum, & brachiorum. Non tamen inde negaverim, à membranis oſſa amicientibus aliquid etiam volatile, & ſpirituoſum per extimos illorum poros ſuggeri, quo nimirùm vegetiora fiant, & in motibus promptiora, ut ſcilicet faciliùs commoventibus muſculis extendentibus, contrahentibus, & circumvolventibus obſequantur. Quia ergo in fracturis oſſium textura illa pororum, & cavernularum diſcontinuatur, & alimentum nequit commodè veluti per filtrum traiici, potiſſimùm quia fibræ, ac filamenta eorumdem ſquamoſa non recta invicem colligantur, & uniuntur, ſed aliquantulum tortuosè; proinde nodus in parte fracta gignitur pari fermè modo, ac in reciſis arborum ramis experimur, ſicut etiam in inſitionibus, in quibus inter truncum, ſeu ramum unius, & ſurculum, aut palmitem alterius, nodus adnaſcitur.

Differt autem aliquantulùm ab oſſe ipſo nodus iſte, quia non ex primigenia ſubſtantia ſeminali ortum ducit, quemadmodùm reliquæ oſſis partes, ſed totus ab adjuncto illis alimento provenit, ut propterea non referat eandem omninò duritiem, quam habet os, licèt eidem quàm proximè accedat: Neque verò fracturæ obnoxius deinceps fit, quia oſſe durior, ſed potiùs contra, quia oſſe mollior, ſed tamen glutinoſior, & compactior, ut in nodis arborum; nam quæ dura ſunt faciliùs franguntur, quàm quæ molliora, & glutinoſiora, uti cartilagines, quarum conditionem, & duritiem nodus ille refert, ut proinde meritò Callus appelletur.

Hæc planè de oſſium conglutinatione jam pridem meditatus in publicis lectionibus edocueram, cùm tandem ad manus meas Romæ pervenit accurata, & nova Domini Cloptonis Oſteologia Francofurti, & Lipſiæ anno 1692. latinè impreſſa; ibique

ibique fimul unà fuam de offibus Anatomem Doctor Dominicus Gagliardus Medicus Romanus diligentiffimus eft clargitus, qui ambo offium ftructuram, veluti ex pluribus lamellis fuperftratis inftructam detexerunt, & de eorundem nutricatione, & augmento abundè fatis egerunt, juxta ea, quæ in fua Anatome Plantarum multò anteà Clariffimus Malpighius indicaverat, *pag. m.* 19. *&* 20.

Quod hactenus dictum eft de fracturis offium, facilè etiam aptari poteft Cartilaginibus, quæ pari modo nutriuntur, & pari modo coalefcere poffunt, ac de offibus dictum eft, ea folùm differentia, quòd quemadmodùm Cartilago eft mollior offe, & durior carne, ita alimentum, quod in fuis porofitatibus recipit, mediam quoque fapit naturam inter alimentum illius, & iftius: id autem quod partibus difciffis agglutinatur, neque tantam duritiem acquirit, quantam habent primevæ partes Cartilaginis, quò fit, ut in confluxu humorum præternaturalium ad eas partes, quæ fciffuram paffæ funt, femper dolor percipiatur acerbior in parte illa conglutinata. Dixit autem Hippocrates partes iftas non coalefcere, non quòd revera coalitum nullum admittant, cùm reipfa fępiffimè conglutinari foleant, fed quia per intermedium corpus uniuntur, non verò immediatè per fua filamenta, texturam, porofitates, & partium apices connectuntur, quemadmodùm in partibus carnofis per fibras carneas; atque propterea neque augentur eodem incremento, quo reliquæ partes offeæ, aut cartilagineę increfcunt, quia alimentum non fatis abundanter, neque cum ea vivacitate, & efficacia ad partes infra fracturam tranfmittitur, quemadmodùm in aliis partibus fanis fit, ut patet.

Idipfum inquit accidere nervis difciffis, aut fectis, ut neq; ampliùs coalefcant, neq; augeantur. Verùm in his diftinguenda eft punctura à cæfura, nam nervi puncti non folùm coalefcere nunquam folent, fed & convulfiones inemendabiles afferunt, quemadmodùm aliàs à nobis eft dictum *in commentariis fuper tertium artis medica Galeni*; at verò nervi cæfi, aut omninò refecti nil tale patiuntur, fed folum nulla ratione poterunt cum partibus refciffis counire, aut in pofterum fuccrefcere, unde à Chirurgis communiter pejor, & periculofior cenfetur nervorum punctura, levior verò cæfura; quin & non rarò fatius ipfis ducitur nervum punctum omninò refcindere, & refecare.

Quamvis autem cæfi nervi vitę periculum non minentur, haud tamen poffunt coalefcere, & augeri, non folum ex prænarratis rationibus defumptis ab alimento, ut de aliis partibus fpermaticis dictum eft, verum etiam quia nervi fecundum longitudinem præter membranas habent fibras, quæ peculiari liquore perpetim irrorantur, quoties verò illi refcinduntur fibræ fimiliter unà fimul refecantur, quæ cum nequeant in priftinum ftatum revocari, ut in membris refciffis quibufcumq; accidit, propterea fit, ut coalefcere, neq; poffint. Accedit, quòd fibræ ipfæ in refectione inftar fidium retrahuntur, ut neq; deinceps in rectum fitum difponi poffint, quo certè opus effet, ut cum aliis refciffis poffent counire.

Adiicit quoque in textu Hippocrates tenuem genarum partem, pro qua intelligendæ funt non folùm, quæ propriè genæ dicuntur, verùm etiam labia, nares, palpebræ, & facies univerfa, quippe experimur vulne-

vulnera his partibus inflicta, & quæcumque scissionem, & discontinuationem efficiunt, fœdas, & indelebiles cicatrices relinquere, etiamsi post diuturnum tempus sagaci Medicorum industria resectæ partes coaluerint. Et quamvis idipsum commune sit totius corporis cuti, nihilominùs difficilior semper erit coalitio in partibus faciei vulneratis: Id autem multiplici de causa videtur evenire, tum quia cutis faciei longè nervosior est cæteris aliis; tum quia ita nectitur cum panniculo carnoso, qui illi subjacet, ut nullatenùs possit altera ab altero separari, qua ratione fit, ut nullibi cutis se sola contrahi, & moveri possit nisi solùm in facie, unde citrà capitis commotionem cutem frontis contrahere, & corrugare solemus, ut & labia, buccas, & pinnas narium, in cæteris autem partibus nullimodè; tum etiam quia fibris intexitur omnis generis, & dissecta facie ita fibræ discerpuntur, ut quaquaversum retractæ, nequeant in posterum nulla industria, ac diligentia couniri.

Denique præputium, seu membrana extrema mentulæ, cùm fuerit rescissa, neque amplius coalescit, si in longum, neque augetur, si in margine sectionem patiatur, idque non solùm propter ea, quæ omnibus partibus extremis communia sunt, cùm quælibet pars extrema corporis rescissa nunquam ampliùs restauretur, vel increscat, ut in auribus, naso, digitis; verùm etiam quia pars admodùm exanguis est, & paucissimis, atque exilibus vasis est intexta, quamobrem neque multo calore, neque multo alimento prædita est. Et quamvis secundùm longum dissecta aliquando visa sit coaluisse, id tamen non contigit sine summa Chirurgi diligentia consutis scilicet labiis vulneris, & ita proximè inter se invicem statim à vulnere commissis, ut adhuc sanguinem funderent: cum hac autem summa diligentia etiam per intermedium corpus callosum coaluisse visa est, ut propterea manifestam cicatricem referret, & quidem duriusculam. Si verò ejuscemodi connexio negligatur, nulla ratione fiet, ut in posterum conglutinationem, & coalitum admittat, ut pluries est observatum.

Partibus his in hoc aphorismo memoratis possent aliæ plures adiici, præsertim extremæ corporis, potissimùm palpebræ oculorum, pinnæ narium, nasi acumen, aures, & digiti manuum, & pedum. Verùm partes istæ cùm sint ex supradictis simplicibus in aphorismo recensitis compositæ, quemadmodùm ex anatome manifestissimè deducitur, propterea ad illarum classem sine ulla dubietate revocandæ erunt. Memoravit autem Hippocrates illas veluti simpliciores, sub quibus comprehensas voluit reliquas omnes, vel ex ipsis compositas, vel cum ipsis in natura, constitutione, & textura convenientes.

APHORISMUS XX.

Si in ventrem sanguis præter naturam effunditur, necesse est suppurari.

QUamvis Aphorismus hic communiter ab expositoribus receptus, & juxtà versionem Leoniceni traditus verissimus in quocumque sensu credatur, quoniam sanguis extra propria vasa effusus statim concrescit, acescit, & in pus vertitur, quemadmodùm passim experi-

perimur in ejufdem collectione in pectoris cavo, cùm è venis, aut arteriis ejufdem pectoris, & pulmonis effunditur, nihilominùs re exactiùs perpenfa, & ad experientiam revocata, non ubique veritati confonat; etenim fæpiffimè etiam obfervamus fanguinem in Inteftinorum cavitatem effufum, ut & in fundum ventriculi, concrefcere quidem in grumos, & coagulari, non tamen in pus verti, fed fub eadem fanguinis forma compactum, concretumque evacuari etiam poftquam diù, & ad plures dies fuerit detentus. Quamobrem non immeritò vifum eft plerifque de veritate iftius aphorifmi aliquantulum ambigere; quinimmò Recentioribus quibufdam putatur pus non quidem ex fanguine, fed ex lympha, & adipe proficifci: Sed & Fuchfius aliter quoque exiftimavit illum effe exponendum, & quidem fub generaliori fignificatione, ut fanguis præter naturam effufus in quamcumque cavitatem non fuppurationi ftrictè fumptæ, fed corruptioni fubiiciantur. Hinc videndum hoc loco breviter erit, quibus in cavitatibus collectus fanguis fuppuretur, & cum quibus conditionibus, & circumftantiis fuppurari poffit.

Et quidem, quòd pus ex fanguine oriatur palam eft, juxta doctrinam Galeni pluribus in locis, in quibus clariffimè oftendit fuppurationem prefsè fumptam nullatenùs competere poffe, nifi folùm fanguini: ceteros autem humores per analogiam dumtaxat dici poffe fuppurati, quatenùs per corruptionem æmulantur puris naturam, fed revera in pus minimè vertuntur. Sic in empyemate aliquando pus expurgatur verum, cùm ex præcedenti fputo fanguinis originem duxerit, juxta documentum Hippocratis: *à fanguinis fputo puris fputum*; aliquando verò fputum puri fimile fit, fed verum pus non eft, cùm fcilicet ex phlegmate, aut lympha ortum traxerit. Id ipfum quoque experimur in tumoribus, nam fi ifti fiant ex fanguine, & inflammationis naturam referant, verum pus cùm maturuerint emittent; fecus verò fi à cæteris humoribus fiant, ut in ędemate, meliceride, & fimilibus, licèt videantur puris conditionem referre, fortafsè propter alborem, revera tamen purulentam materiam minimè exhibent. Itaque cùm fanguis extra propria vafa effunditur, benè poteft in pus commutari, fi tamen per fermentationem in corruptionem tendat. Ut autem corruptioni fubiiciatur, neceffe eft, ut in cavitatem undequaque conclufam effundatur, in qua poft concretionem, & acorem, particulæ ejufdem fanguinis heterogeneæ inter fe invicem colluctentur, & tenues, ac volatiles, contranitentibus craffis, nifu quodam fubigant, & fubigantur; unde indebita fermentatio, & à fermentatione tenujum particularum exolutio, & craffarum præcipitatio, immò & totius humoris permutatio, atque in pus converfio. Hinc in cavitatibus patentioribus, in quibus ejufmodi motus fermentativus minimè poteft excitari, nec confequenter fuppuratio haberi poteft; quemadmodùm experimur in Inteftinis craffioribus, & in ventriculo. Cæterùm in cerebro, pectore, renibus, glandulis, cæterifque cavitatibus anguftioribus, & occlufis, promptiffimè fuppuratio accidit, ob traditam rationem; quinimmò quò loci fuerint anguftiores, & ex adjuncto calore facilè promoventes fermentationem, eò quoque citior, & facilior fuppuratio promove-

movebitur; qua de re ſanguis effuſus in muſculos citiùs ſuppuratur, ut & in parenchymatibus viſcerum, quemadmodùm experimentis palam eſt. Atqui pus univerſim à ſolo adipe, & lympha proficiſci minimè crediderim, cùm ex adverſo multæ partes adipis expertes ſuppurationi ſubiiciantur, & phthiſici penitùs extenuati, ac omni adipe conſumpti, purulenti ſint.

Quamquam autem Hippocrates dixerit *in ventrem*, ſeu ut mavult Fuchſius, *in cavitatem*, non tamen pro ventre, & cavitate intelligendi ſunt Venter imus, & medius ſcilicet thorax, & ſecundùm alios etiam caput, ſed etiam tubuli, & pori omnes in toto corpore conſtituti, ut propterea non irrationabiliter plerique Anatomici exiſtimarint, omnem muſculum, & quodcumque viſcus, immò & partem quamcumque corporis, ſuos habere ventres, & cavitates, in quibus ſanguis recipi, & colligi poſſit; & ſicuti in ſtatu naturali ſanguis quaquaverſum diffunditur, vel ut vivificet, vel ut nutriat partes, ita in ſtatu morboſo è ſuis vaſis exiliens, ſi hæſerit, inflammationem primùm, mox ſuppurationem excitat: neque enim fieri poteſt, ut ſanguis recipi, & colligi poſſit in partibus quibuſcumque, niſi cavitates ſaltem inconſpicuæ, vel etiam poroſitates ibidem ſint, quæ illum excipiant, cùm duo corpora in eodem loco ſimul eſſe poſſint, ex communi ſententia Philoſophorum.

Debet inſuper ſanguis, ut putreſcat, corrumpatur, & commutetur in pus, moram in cavitatibus contrahere; unde ſi fortaſsè è venis effuſus per alios ductus effluat, minimè putrefiet; & è converſo etiamſi intra venas, aut in apicibus arteriarum aliqua de cauſa præternaturali immoretur, poterit putrefactionem, & ſuppurationem ſubire: qua ratione factum eſt, ut ſanguis ſit ſemper in motu, ne ſcilicet alicubi hærens concreſcat, & putrefiat: quia verò è ſuis vaſis effuſus à continuato motu circulationis deficit, & in cavitatibus, aut poris partium reſtagnat, ſtatim concreſcit, & corrumpitur, excitata ibidem indebita fermentatione, ut dictum. Adjectum eſt inſuper *præter naturam*, ut fortaſsè diſcrimen ſtatueretur inter eam effuſionem, quæ naturaliter fit è vaſis in poros partium pro nutricatione, quippe quæ ſenſim accidit, & non ultra partium exigentiam, unde pedetentim convertitur ſubſtantiam partium alendarum; at verò, quæ præter naturam fit, affatim accidit, & præter naturæ exigentiam, eo quòd nec quantitas conveniens ſervetur, nec modus, nec uſus naturæ operantis, ſed ſolùm à cauſis præternaturalibus tum ſanguinem depravantibus, tum vaſa ſanguifera erodentibus, unde poſtmodùm ſanguis effluit.

Denique ſcriptum eſt in aphoriſmo, neceſſe eſt ſuppurari ſanguinem extra venas effuſum; ſiquidem cùm non ampliùs regi poſſit à natura per motum intra propria vaſa, neque ex altero capite commutari poſſit in ſubſtantiam aliti, neceſſariò fiet, ut per corruptionem convertatur in pus, modis ſuperiùs enarratis.

APHORISMUS XXI.

In insanientibus si varices, vel hemorrhoides supervenerint, insaniæ solutio.

QUid pro insanientibus intelligat Hippocrates in hoc aphorismo dubitari potest. Et Galenus *in commentario* de iis exponit, qui melancholico delirio sunt affecti. Verùm non solùm melancholicos, sed etiam maniacos non improbabiliter interpretabimur, attenta causa utriusque delirii, quæ semper ab humoribus acorem præseferentibus procedit, ea solùm differentia, quòd in melancholicis acidam stypticitatem, aut ponticam conditionem sapit; in maniacis verò redolet acritatem.

Quoniam verò per varices, aut hæmorrhoidas supervenientes, significatur, humores istos acidos deorsum transferri, & à partibus superioribus removeri, propterea fit, ut Insaniæ solutio exinde sit speranda, & quemadmodùm, ex superiùs traditis, hæmorrhoides supervenientes melancholicis prosunt, translata causa melancholici delirii ad venas podicis; ita in his facilè etiam insania desinere poterit decumbentibus vitiosis humoribus ad partes corporis inferiores. Neque multùm differre videntur varices ab hæmorrhoidibus, eo quòd pari modo, quo hæmorrhoides tument circà podicem, illæ in cæteris partibus corporis tumorem referunt, unde varices describi solent, venarum in aliquibus partibus corporis tumores; & sicuti hæmorrhoidales venæ tumefactæ nigrescunt, ita quoque livescunt varices à congesto, atque hærente in ipsis sanguine, propter acidum concrescente, &, ut vocant, melancholico: quare hæmorrhoides rectè possent varices podicis appellari.

Debent autem tum varices, tum hæmorrhoides supervenire, etenim hac ratione significant deponi vitiosum humorem ad partes ipsas tumefactas, & ubi anteà acidus, & vitiosus sanguis ferebatur in caput, mox à provida natura repurgetur, & deturbetur ad partes corporis infernas cum tumore venarum hæmorrhoidalium, aliarumve, à transpositione ejusdem peccantis humoris. Et licèt varices comparere soleant in omnibus fere corporis partibus, collo, brachiis, mammis, pectore, immò ventre, femoribus, tibiis, aliisque; nihilominùs securior semper erit ejusmodi transpositio in partes infernas, & à capite remotiores, ne scilicet reditus exinde timeri possit, è partibus inferis metastasi affectis in superam insania laborantem. Et quidem plurimi ab insania, aliave consimili capitis ægritudine evasisse visi sunt, vel saltem in meliùs abiisse, apparentibus varicibus in tibiis, ne dum superficiariis, sed etiam profundis; quamobrem in his etiam existimare est remeantem ex arteriis in venas sanguinem, omnem malitiam in varicosis tibiis deponere, & reliquum magna ex parte repurgatum denuò per jecur in cor circumire, unde cerebrum mitiùs affici cogeretur.

Verumtamen oportebit depositam in his partibus Insaniæ materiam, hærentem esse, nam si fortasè denuò in partes superas remearet, facilè posset ex nova transpositione in cerebrum, remissam affectionem augere, atque in pristinum statum revocare; quemadmodùm de Alcippo idem Hippocrates memorat

morat 5. *epidemiorum*. Unde sicut apparentibus varicibus, aut hęmorrhoidibus insania, vel melancholicum delirium definit; ita ex adverso ista redirent, si varices, vel hæmorrhoides disparerent.

APHORISMUS XXII.

Quæcumque ruptiones ex dorso ad cubitum descendunt, venæ sectio solvit.

SIve ruptiones, sive rupta ipsa, quæ in partibus musculosis contingunt in præsenti aphorismo legantur, non minimam afferunt difficultatem; cùm fieri non possit, ut ruptio, vel ruptum unius partis, ad aliam partem remotiorem transferatur. Meliùs eapropter videtur legendum *dolores* non *ruptiones*, ut *in commentario* rectè admonet Galenus; vel etiam meliùs causa illa, quæ dolorem attulit, quemadmodùm esse solet sanguis, serum, lympha, aliusve humor acritatem, aut acorem redolens. Et licèt ruptio, vel ruptum, propriè pertineat ad distractionem, distentionem, aut divulsionem fibrarum membranarum, musculorum, & partium carnosarum, nihilominùs quia causa diruptionem efficiens (si fuerit interna) vel dolorem à diruptione exortum excitans, & fovens (si fuerit externa) non rarò loco movetur è parte dirupta in partem exteriorem corporis, idcircò sub nomine diruptionis implicitè Hippocrates voluit esse intelligendam causam ipsam diruptionem facientem, vel conservantem, quoniam dolor diruptionem, & partem diruptam omninò debet concomitari, qui cum fieri non possit nisi ab humore discindente, & continuum solvente, propterea divulsiones ipsas expressit Hippocrates veluti dolorificas, atque sub sensu cadentes.

Hollerius etiā ῥεύματα idest fluxiones legere non vetur.

Si itaque contingat, ruptiones, & divulsiones partium dorsi transferri in cubitum, hoc est humores, dolores in dorso inferentes, ex parte ipsa divulsa dimoveri, & in cubitum deponi, argumento erit causam ipsam divulsionem, & dolorem inferentem, mobilem esse, atque adeò faciliùs posse evacuari per vasa proximiora, & magis consentientia, qualia sunt venæ, per quas sanguis, serum, lympha, aliusve humor perpetuò circumit. Atque hinc est cur Hippocrates hìc scripserit venæ sectione ruptionem ipsam desinere, quatenùs per venæ sectionem humor ille divulsionem, & dolorem inferens, utpote mobilis, & in cubitum delapsus, facilè possit evacuari.

Non tamen hinc quis licitè deducere poterit in contusionibus, luxationibus, fracturis, cæterisque divulsionibus partium musculosarum, debere venam secari, nam prærerquamquod tunc dumtaxat admonet hìc Hippocrates venæ sectione divulsionem solvi, cùm humor de parte divulsa ad cubitum defertur, atque adeò mobilis est; neque tamen in quibusvis ruptionibus, divulsionibus, & fracturis causa illas efficiens interna est, sed sæpesæpiùs externa, cujus ratione solutio continui manifesta est, & sanguis, aliique humores in partibus fractis, aut contusis hæret, & restagnat, qui propterea nulla ratione per venæ sectionem evacuari poterit, sed omninò resolutione egebit usu, & auxilio medicamentorum attenuantium, dissolventium, & promoventium diaphoresim. Et licèt nonnulli in his etiam casibus sanguinem mittant, id tamen agunt, non ut hærentem ibidem sanguinem educant, & ru-

ptio-

ptionem solvant, sed solùm ut prohibeant fluxurum in partem affectam humorem, qui quò paucior fuerit in venis, eò minùs in partem affectam confluere poterit. Verùm an id rectè etiam agatur, non est meum in præsenti loco examinare. Cæterùm Hippocrates nulla facta venarum electione, simpliciter dixit, *venæ sectione ruptionem solvi*, fortè quia existimavit sanguinem undecumque evacuatum istiusmodi irruptionibus conferre. Nisi etiam dicere velis, implicitè contineri in aphorismo venæ sectionem in cubitu faciendam, eo quòd ex dorso ad cubitum ruptionem descendere dicatur, quæ cùm ex humore mobili, & fluente, ad illam partem descendere putetur, per venas quoque eidem proximiores, atque adeò ex cubitu, verisimile sit sanguinem velle esse mittendum.

APHORISMUS XXIII.

Si timor, atque mœstitia longo tempore perseverent, ex eo atrabilis significatur.

QUamvis Leonicenus ex metu, & męstitia longo tempore perseverante atrambilem significari scripserit, rectiùs tamen reliqui Interpretes non atrambilem, sed melancholiam ex græco codice verterunt; & licèt atrabilis aliquando pro melancholia exponatur, ad evitandam nihilominùs æquivocationem, meliùs erit melancholiam, non atrambilem hìc exponere. Sed & neque pro melancholia humor melancholicus intelligendus est, sed potiùs affectio melancholica; unde Cardanus, & Heurnius scribunt: *si timor & męstitia longo tempore perseverent, tale est melancholicum.* Et sanè inter symptomata melancholicam affectionem concomitantia, præcipua recensentur ista duo, Timor, & Mœstitia sine causa manifesta, ut latè explicat *Galen. 3. de loc. affect. cap. 7.* ubi etiam Dioclem reprehendit, quòd in examine symptomatum, melancholicum delirium comitantium, istorum duorum non meminerit, quippe quòd ab his duobus potissimùm, rectè quis dijudicabit, patientem factum esse melancholicum, si diuturna mœstitia, ac panico timore laboraverit. Et licèt in hoc textu simpliciter dicatur ex diuturnitate temporis, quo timor, & mœstitia perseveraverit, melancholicum judicari debere patientem; quia tamen diuturna mœstitia, ac perseverans timor neutiquam à manifestis, ac externis causis oriri possunt, idcircò conditio ista sine causa manifesta videtur implicitè contineri in temporis diuturnitate, quo timor, & mœstitia perduraverint. Quoties enim timor, & męstitia ex manifestis causis cœperint, puta ex obitu parentum, aut amicorum, ex infortuniis, calamitatibus, cæterisque hujus sæculi ærumnis, tum animi, tum corporis, tum deniq; bonorum fortunæ, in longum tempus protrahi non solent, nisi tamen à causa interna foveantur; unde cùm diù perseveraverint, nonnisi ab humore melancholico, depravante cerebri operationes, ortum ducent, ut propterea sub particula illa *diù* hoc est, *longo tempore*, implicitè quoque contineatur, id accidere non à causa manifesta, & externa, sed à causa interna, & humorali.

Quo autem pacto timor, & męstitia ab humore melancholico, & acido procedant, indeque designent affectionem in cerebro contractam, similiter melancholicam, præter ea,

quæ fusè attulit Galenus *cit.* 3. *de loc. affect.* & 2. *de symptomat. caus.* clarè quis deducere poterit pervestigata conditione ejusdemmet humoris, sua aciditate magnoperè depravantis internas cerebri operationes, nec non etiam malè afficientis tum motum cordis, tum sanguinis, quemadmodùm pluribus ostendit præ cæteris Vvillisius, & nos etiam tum *in nostra Practice*, tum etiam in commentariis super 3. *Artis medicæ Galeni Cap. de passionibus Animi.*

Cùm itaque timor, & mœstitia diù aliquem infestaverint, & sine evidenti externa causa in longum tempus perduraverint, indicio erit talem factum esse melancholicum, hoc est delirio melancholico laborare. Verùm quamvis dictum sit, sine causa evidenti, & externa, melancholicos timere, & mœstos esse, fieri tamen poterit, ut etiam à causis externis timorem, & mœrorem inferentibus, sit quis melancholico delirio laboraturus; etenim si ex præcedente mala dispositione, & habitudine corporis ad melancholicum vergentis, ex malo fortasse apparatu succorum acidorum, quis à nimio mœrore, & à vehementi timore extrinsecùs illato, incidat in tantam animi consternationem, ut deinceps amicorum societatem fugiat, solitudinem inquirat, cibos non assumat, ploret, vigilet, & aliis consimilibus incommodis se submittat, poterit proculdubiò melancholicum delirium progressu temporis incurrere, ut propterea timor, & mœstitia, quæ symptomata sunt melancholicorum, fierent in isto casu causæ ejuscemodi affectionis. Non negandum tamen, quòd cùm symptomata sunt melancholicorum, junctum melancholicum delirium attestantur; cùm verò melancholicorum causæ sunt, disjunctim una, vel altera, veluti separatæ passiones animi, melancholiam ingenerabunt, inducta nimirùm in sanguine, cæterisque liquoribus corporis diathesi, acorem præseferente, vel aliter hebetante motum ejusdem, & cordis, ut alibi à nobis est ostensum. Delirium autem, etsi non semper in cunctis vocale sit, mentale saltem erit, cùm sæpenumerò mente solùm, quæ timent, aut mœrent, continuò recogitent, ac revolvant, & mille phantasmata sibi fingant.

Quamquam autem melancholicos hìc ab Hippocrate notatos, censuerimus esse eos, qui ex nigro, fæculento, tartareo, & acido humore melancholico laborant, quique hebetes, taciturni, solitarii, tristes, ac pavidi esse solent; si tamen melancholicus humor non lentus, & crassus, terreusque sit, sed tenuis, acris, salino-sulphureus, & facilè inflammabilis, velut, qui cum atrabile à plerisque confunditur, quemadmodùm ex prænarrata quorumdam versione superiùs est memoratum; proculdubiò neque pavorem, neque mœrorem præseferet, sed potiùs Ingenii vivacitatem, Intellectus acutiem, Mentis perspicaciam, & speculandi profunditatem largietur, ut in plerisque à nativitate, Melancholicis natura dictis, experimur. De his namque scitè admonet Aristoteles *Problem. sect.* 30. *probl.* 1. in carminibus pangendis, in Republica administranda, & in studiis Philosophiæ semper extitisse optimos, quales, inter cæteros plurimos, fuisse testatur Empedoclem, Socratem, & Platonem; & nostræ quoque ætati proximos, ferunt alii, ejusdem prorsus indolis fuisse Tassum, & Cartesium. Hinc Seneca *de Tranquillitate animi*, affirmare nō est veritus cū Platone *frustrà pulsari fores poeticas absque*

que

que furore; & cum Ariftotele, *nullum magnum ingenium fine miftura dementiæ*: quamobrem *non poſſe grande aliquid, & ſuprà cæteros loqui, niſi motam mentem*; quippe quod ab ejufmodi humore atrabilario non quidem fpiritus pauci, hebetes, effœti, & lenti proficifcuntur, qui folùm circà cerebri meditullium (ut in melancholicis terreis) operantes, potiùs mentis confufionem pariunt, phantafmatum turbationem, & in judicando inertiam; fed potiùs tenues, mobiles, quaquaverfum impetentes progignuntur, ferè ut in maniacis, & furiofis; undè poftmodùm fortis apprehenfio, vehemens, & prompta exiftimatio, acutum judicium, & profunda intelligentia exoriuntur. Atque hinc ftupendum quidem, quod à plerifque memoratur, hujus generis homines aliquando extitiffe phanaticos, ac veluti ecftafi abreptos, nedum exotico idiomate, quod nunquam didicerant, fuiffe loquutos, fed & ventura fermè vaticinatos; fortè quia ex intenfa, ac profunda nimis in feipfis meditatione, ab externis objectis penitùs abftracti, nullamque in mente aliorum phantafmatum turbationem paffi, ufque ad ultimas rerum differentias per rectam mediorum continuationem rei præconceptæ, & concupitæ, votum, & finem funt tandem affequuti. Hinc *efficitur porrò* (concludit Ariftoteles ibidem) *ut melancholici omnes non per morbum, ſed per naturam, ſint ingenio ſingulari.* Per naturam quidem: nam fi præter naturam atrabilarii humores corporibus ingenerentur, exitiales morbos pariunt. Verùm de hac re legantur præ cæteris, *Valleſ. de Sacr. Philoſ. cap.* 30. *Gaſpar à Rejes Camp. Elyſ. jucund. quæſt.* 27. *Cel. Rhodigin Antiq. Lect. l.* 17. *c.* 5. *Sennert. lib.* 1. *prax. p.* 2. *c.* 15. *qu.* 1. *Marcell. Don. de hiſt. med. mir. lib.* 2. *cap.* 1. præter alios.

APHORISMUS XXIV.

Si quod inteſtinorum gracilium diſcindatur, non coaleſcit.

QUod in hoc aphorifmo continetur, fuit ab eodem Hippocrate expofitum *Aphoriſmo* 18. ea folùm differentia, quòd ibi gracilia inteftina cum aliis partibus connumerata recenfeantur, hìc verò fejunctim ab aliis, gracilia folùm inteftina non coalefcere referuntur, fi fortaſsè difciffa fint. Hinc mirum videri debet, qua ratione id ipfum hoc loco fit repetitum, quemadmodùm cum Galeno *in commentario* reliqui Interpretes confitentur; undè Cardanus nedum illum explicare non eft aggreffus, fed neque in aphorifmorum ferie aufus eft connumerare, cùm illum inter aphorifmos adfcribere non curaverit. Quoniam igitur ratio iftius dicti in expofitione illius aphorifmi enarrata eft, ad eundem propterea locum vos remitto.

APHORISMUS XXV.

Eryſipelas ab exterioribus verti ad interiora, non eſt bonum: ab interioribus autem ad exteriora, bonum.

CUm Eryfipelas fieri communiter dicatur, à tenujori, & acriori fanguinis portione, quam biliofam Veteres appellarunt, & hæc facilè mobilis fit, & de loco in locum excurrens, confiderans ea propter motum illius in hoc aphorifmo Hippocrates, inquit, ab exterioribus partibus ad interiores verti malum

malum esse, contra verò bonum ab interioribus ad exteriores. Idipsum scribitur *in Coacis prænotionibus* sub his verbis: *Erysipelas foris quidem accedere commodum est, intrò autem converti lethale: Convertitur autem intrò, cùm disparente rubore pectus gravatur, & difficilem spirationem habet*. Ubi de erysipelate pectus occupante peculiariter meminit.

Neque solùm credere licèt locutum hìc Hippocratem de erysipelate superficie-tenùs apparente, atque adeò extimam corporis cutem divexante, sed etiam de erysipelate in interioribus partibus enato; siquiquidem qua ratione erysipelas extrinsecùs fit, eadem fieri solet intrinsecùs, & in intimis visceribus corporis, quæ (ut experimento pluries constitit) nulla ab hac affectione immunia esse non solent; quare & meninges cerebri, & pulmones, & jecur, & septum transversum, & uterus erysipelate affecta sæpè observata sunt, ut propterea sicuti inflammationibus, aliisque tumoribus interna viscera obnoxia sunt, ita etiam possunt erysipelate laborare, unde Hippocrates 5. *aphor.* scripsit: *si in utero fiat erysipelas, lethale*; his verbis denuncians benè posse uterum erysipelate affici.

Si ergo erysipelas interiùs ingenitum, ad externas partes vertatur, bonum erit; quippè quòd meliùs semper censendum est interiora viscera ab ægritudinibus vindicata remanere, etiamsi externæ partes afficiantur. Contrà verò gravius omninò erit, & non sine ingenti vitæ periculo, erysipelas introverti, malè affectis internis visceribus, veluti ad vitæ tuitionem non ampliùs conferentibus, cùm & sanguis, qui per illa perpetuò circumit, facillimè inficiatur, & infectus, cæteras quoque partes, ac præsertim cor, brevi temporis interstitio valeat contaminare. Accedit, quòd humor erysipelas efficiens, vel conservans, pejoris semper erit conditionis, cùm introvertitur, & præter tenuitatem, acritatemque, acidam, ponticam, malignamque naturam participabit: si enim tenuis solùm foret, & volatilis, proculdubio sponte sua resolveretur, & ex habitu corporis neutiquam denuò intimas partes pervaderet, ubi semel deflagrasset.

Est tamen advertendum, quòd ejusmodi introversiones erysipelatis citrà quamcumque occasionem, aut causam externam debent evenire; etenim si fortasse ex ambiente frigido, ex lotionibus aquæ gelidæ, aut etiam ex applicationibus medicamentorum infrigidantium, & repellentium, vel etiam incrassantium, & obstruentium poros cutis, erysipelas ab extimis ad intima vergeret, etsi malum quoque foret, quia tamen non ex defectu naturæ, neque ex vitio peccantis humoris id eveniret, minus profectò malum foret, & faciliùs posset introversum erysipelas extrà verti: quod secus accidet si sponte sua, & ab interna causa introverteretur.

Sed & præterea animadvertendum, tunc solùm bonum esse erysipelas extra versum, cùm per ejusmodi extraversionem liberantur partes internæ; secùs verò si partibus internis nullatenùs vindicatis, nec ab erysipelate liberatis, illud ad partes externas vergeret, quemadmodùm fieri solet, cùm propter multitudinem, & malitiam vitiosorum humorum non satis sunt partes internæ, sed etiam externæ coguntur superabundantes illos humores excipere; Coniiciet autem prudens medi-

medicus bonam fore istiusmodi extraversionem, cùm febris, sitis, ardor, inquietudo, & cætera symptomata, quæ cum erysipelate conjunguntur, omninò desinunt, vel magna ex parte saltem remittuntur; at verò si iisdem perseverantibus, nec ulla ratione intermissis, erysipelas extravergere videatur, pessimum indicium erit, denuncians præ multitudine, & pravitate peccantium humorum, nedum partes internas, sed etiam externas affici, & coinquinari.

Quod Hippocrates hìc de erysipelate dumtaxat commemoravit, rectè admonet Galenus *in comm.* aptari quoque posse cæteris omnibus transpositionibus è partibus internis ad externas, ut alibi quoque de Angina 4. *aphor.* recensuit: semper enim, ac humor, vel quodcumque aliud præternaturam, è partibus intimis, & profundis corporis, ad extimas, & superficiarias vergit, bonum erit. Quandoque etiam motus humorum habiti à partibus intimis ad intimas, vel etiam ab extimis ad extimas boni, vel mali esse poterunt, attenta partium conditione, & natura; unde si à partibus intimis, sed præstantibus ad partes internas ignobiles humores deferantur, bonum erit; contrà verò à partibus ignobilibus ad nobiles, malum. Ita quoq; si pravus humor, aut etiam erysipelas è partibus infernis ad supernas, ex brachiis, aut cruribus ad pectus, aut caput deferatur, malum. Itaque in unaquaque humoris motione consideranda est partis præstantia, robur naturæ, integra depositio, aut transmissio, termini à quo ad quem, spatium, seu medium, per quod transpositio illa fit, conferentia, tolerantia, & humoris commoti quantitas, qualitas, & permanentia in parte, ad quam transmissio facta est.

Deniq; pro praxi notandum perperam ex hoc aphorismo illos agere, qui ad reprimendum ardorem, & ruborem partium erysipelate affectarum consulunt infrigidantia medicamenta, aut etiam oleosa, haudquaquam animadvertentes, facilè ab illis reprimi, & cohiberi motum naturæ propellentis ad cutim; ut proptereà subsequi subinde soleat, vel introversio erysipelatis ad partes internas, & principaliores, vel ejusdem suppuratio, cùm tamen utrumque malum sit. Satiùs eapropter erit extrinsecùs admovere medicamenta, quæ motum ipsum ad exteriora promoveant, & cutis poros patentiores reddant, ut hac ratione faciliùs vitiosi humores attenuentur, & resolvantur. In quem finem consultò solent plerique partes erysipelate affectas sæpiùs madefacere vini spiritu, sicut etiam spiritu salis ammoniaci correcto, vino camphora medicato, aliisque similibus. Quòd si hæc admovere formido sit, juvabit partes ipsas ab ambiente frigido linteis tueri, atque intrinsecùs exhibere ea, quæ simul corrigant, & diaphoresim promoveant, atque ex his, quæ mitiora videbuntur, ut est pulvis viperarum, cornu Cervi præparatum, sanguis Hircinus, lapides Cancrorum pulverati, sal cardui benedicti, & his similia. Referuntur quoque nonnulla extrinsecùs admota erysipelati specificè prodesse, ut sanguis Leporinus recens extractus, & linteo superimpositus, sanguis caudæ felis, ros Vitrioli, sperma ranarum, aqua calcis, & in qua lapis medicamentosus Crollii sit dissolutus. Verùm ista potiùs retundendo acidum, quod in erysipelate vigere solet, quam sympathia, ut Veteres crediderunt, conferre putantur.

APHORISMUS XXVI.

Qui in febribus ardentibus tremores fiunt, delirio solvuntur.

IN expositione istius aphorismi non conveniunt Interpretes. Cùm enim sententiam hanc non levibus difficultatibus implexam viderint, non fuere propterea concordes, ut in commodum sensum illam revocarent. Et quidem qua ratione contingat, ut in ardentibus febribus tremores fiant tam ab illis disparati? unde Brasavolus pro tremoribus, rigores apposuit, quoniam rigor ardenter febrientibus supervenire solet: Insuper quomodò fieri possit, ut delirio solvantur sive febres, sive tremores, cùm delirium febribus ardentibus superveniens illarum malitiam augeat, non minuat; hinc nonnulli volunt legendum tremore solvi febrem ardentem, non delirium. Putant alii non debere scribi *delirio solvuntur*, ut habet lectio Leoniceni, sed potiùs *delirium succedit*, ut exponit Fuchsius, existimans ex tremore ardenti febre superveniente succedere delirium, sensu penitùs opposito. Quin & Heurnius delirio quidem eos solvi ait, sed in mortem desinentes, quippe qui ex tremore delirantes resoluti pereant. Quamobrem Cardanus tam acriter invehitur in Galenum, aliosq; Commentatores, ut se coactum dicat cum insanientibus insanire.

Ne autem de veritate istius aphorismi, deque illius vulgata versione dubietas ulla emergat, eandem sententiam recolligere ad verbum Nobis liceat ex *lib. de iudicatione*, & *de Coacis prænotionibus*, unde hic aphorismus est erutus. Quoniam igitur in utrisque his locis de tremoribus, non rigoribus delirio solutis sermo fit, ambigere propterea nulla ratione licebit de vulgata versione, adeòque non esse pervertendam sententiam hanc, ut reliqui Interpretes voluerunt; idcircò sensus erit, tremores ardenter febricitantibus supervenientes, delirio facillimè solvi, sive ad salutem, sive ad mortem: quamobrem verbum illud *solvi* non erit referendum ad febres, sed ad tremores, ut scilicet tremores ipsi supervenientes febribus ardentibus desinant in delirium, sitque delirium ipsum judicatio tremorum, licèt ex febre ardente, & ex delirio eidem superveniente æger facilè sit periturus, nisi opportunis, & convenientibus medicamentis illi occurratur.

Atqui fieri etiam potest, ut per delirium, ac febrim promptiùs extenuentur, & dissolvantur humores nervorum fibras vellicantes, adeòque simul unà ab utrisque æger evadat, juxta quem sensum Celsus hanc sententiam vertit *lib.* 2. *c.* 8. *cui calor, & tremor est, saluti delirium est.*

Quoniam verò tremores hìc memorantur supervenientes febribus ardentibus, dubitari non incongruè potest, quomodò illi ardenter febrientibus contingere queant? præsertim quia Galenus *lib.* 2. *de symptom. caus. cap.* 3. tremorem ait esse motum compositum ex facultate debili conante sursum attollere membrum, & ex gravitate ejusdem membri deorsum tendente, unde tremor exurgit, quia ex una parte membrum gravat, & ex altera facultas debilis sustinere illud non potest, quemadmodùm exemplo constat in senibus, qui propter virium imbecillitatem tremoribus corripiuntur. Id ipsum experiri est in puel-

puellis pondus aliquod elevare conantibus, qui cùm tanta virtute non polleant, ut illud attollere valeant, tremere solent. Sic etiam bajuli ingentiora pondera ferrè cùm non possunt, sub illis toto corpore contremiscunt.

Verùm qui consideraverit irascentes adhuc juvenes quandoque magno, & impetuoso tremore affici, & quò fortiores illi fuerint, eò etiam impensiùs tremere, cùm tamen in illis nulla improportio fingi possit inter facultatem attollentem, & membra deprimentia: Et ex adverso repentino timore perculsos, vehementer quoque tremere; itemque maniacos, phreneticos, aliosque citrà ullum partium languorem contremiscere solere, non irrationabiliter ambiget de causa tremoris, quam Galenus attulit, ut alibi quoque demonstravimus *in nostra praxi*; quamobrem non immeritò Cardanus *in commentario istius aphorismi*, duo genera tremorum distinguere non est veritus, atq; unum inquit fieri ab imbecillitate facultatis, ut in senibus, & pondere gravatis; alterum fieri cum magno impetu ex depravatione motricis facultatis, non tamen debilitatæ, quemadmodùm in convulsionibus ex irritamento vaporum, aut acrium humorum, itemque in palpitatione, & similibus ægritudinibus.

Contingent autem tremores in febribus ardentibus ex illapsu humorum acrium, aut vaporum è cerebro in nervos, nervorumque tunicas, quæ proritatæ, ut à seipsis expellant infensos istiusmodi vapores, aut humores tremorem excitant. Quòd si huic tremori delirium superveniat, quia recurrentibus humoribus, aut vaporibus ad cerebrum, desinunt punctiones illæ nervis illatæ, proindè fit, ut tremores delirio solvantur, quamquam in pejus ruat æger, nam longè pejus est delirare, quàm tremere. Cæterùm, qui ajunt, febres exinde solvi, non tremores, longè, latèque falluntur, tum quia verbum illud solvuntur ex contextu verborum, nullatenùs referri potest ad febres, tum etiam, quia nemo sanæ mentis concipere poterit solvi febres ardentes à delirio superveniente, cujus causa potiùs illæ increbrescunt, & multoties in mortem desinunt. Atqui fieri solùm potest, ut humores in Cerebrum recurrentes, & excitantes delirium, tenues admodùm sint, & facilè resolubiles, qui propterea promptè evanescentes, & febri, & delirio finem faciant.

APHORISMUS XXVII.

Quicumque suppurati, aut aquam intercutem patientes uruntur, aut secantur, si pus, aut aqua universim fluxerit, omnes moriuntur.

PRo suppuratis intelliguntur empyematici, qui nimirùm puris collectionem in cavo thoracis subeunt: Hi autem cùm multoties nequeant universam puris quantitatem per tussim egerere, ne suffocati perirent, solebant Veteres sectione, aut etiam ustione, inter quintam, & sextam costam inita, purulentam illam materiam evacuare, quemadmodùm tempore Hippocratis in frequenti usu erat; quod & idem Author manifestè edocet *lib. de internis affectionibus*, confirmantque Celsus, & Ægineta, aliique, ne dum ex vetustioribus, verùm etiam ex recentioribus Medicis. Idem quoque solitum peragi in Hydropicis, &

Asci-

Asciticis advertit etiam Hippocrates *lib. de locis in homine*, & præcitatus Ægineta ejusce operationis modum tradit *lib. 6. cap. 56.* Nec desunt inter Recentiores, qui summa diligentia, & felici successu peractam in aliquibus paracentesim fateantur, educta sensim aqua in abdomine collecta.

De his ergo inquit hoc loco Hippocrates peculiarem cautionem habendam esse, ne pus, aut aqua confertim effluat, quemadmodùm etiam in præcitatis locis consulit. Si namque universum pus, & tota aqua ex illis educatur, mortem subinde eventuram præsagit; unde licèt in præallegatis locis, cùm cætera presidia non profecerint, ad educendum pus ab Empyematicis, & ad evacuandam aquam ex Asciticis sectionem, vel ustionem commendet, illam tamen non universim, totamque simul educendam admonet, aliter illa affatim exeunte mors prestò erit, ut aliquando etiam Nos observavimus in quodam Ascitico, qui licèt ab exitu aquæ visus fuerit per aliquot horas in pristinum salutis statum restitutus; mox tamen repentè venter intumuit, & paulò post periit.

At qua de causa ex subita tum puris, tum aquæ subtercutem evacuatione mors certò immineat? Erasistratus, ut refert *Galenus in commentario* dicebat se experientia compertum habuisse, universam evacuationem febres, ac mortem afferre; verùm unde id accideret, non memorat, cùm tamen aliud quid diversum sit inter evacuationem affatim factam statim à principio, & eam, quæ in confirmato empyemate, & hydrope evenit, siquidem semper robustiores erunt vires inter initia, quàm sint diuturno post tempore, ab inveterato hydrope, aut empyemate. Sed & magna quoque differentia est inter sectionem, & ustionem; unde ustionem non nisi volunt in pectore faciendam, sectionem verò in imo ventre. At Hippocrates varius in hac eadem re videtur; nam 2. *de morbis* secandum, non urendum in empyicis ait; & in aqua intercute urit, non secat, *lib. de inter. affect.* & *6. epid. hydropicos*, inquit, *citiùs secare oportet, tabescentes verò statim urere*; at verò *lib. 3. de morbis* agens de suppuratis, sectionem, aut ustionem simul commendat; quamvis *Galenus in comm.* ustione egere dicat eos, qui plurimum habent pus, quod per sputum nequeat expurgari; eos verò, qui aquam intercutem patiuntur, sectione potius quàm ustione. Verùm quocumque pacto pus, vel aqua confertim egeratur, periculosa semper erit evacuatio, cujus causam refert idem Galenus in suppuratis ad spirituum immodicam exolutionem, quæ simul cum puris evacuatione inevitabiliter accidit ob vasorum reserationem, quæ antea à pure, & à puris acritudine continebantur occlusa; in hydropicis verò non modò ob causam mox enarratam, sed etiam ob subitam viscerum duritiem, quoniam subducta aqua non ampliùs irrorantur, sed arefiunt, unde septum deorsum trahitur cum reliquis visceribus, quæ in thorace sunt. At potiùs ipse crediderim mortem iis accidere, quia per subitam, & immodicam tam puris, quàm aquæ intercutis evacuationem vires concidunt, & viscera labascunt, tum quia nulla immodica evacuatio, etiamsi pravorum humorum sit, tolerari potest; tum quia partes illæ inanitæ aliquo alio corpore, aut etiam aere, repentè impleri

pleri solent, quod ad vitam sustinendam inidoneum omninò erit; tum etiam quia in partes istas inanitas humores, qui in venis, & arteriis continebantur, sine ulla remora confluunt, unde vasa quęcumque corporis ferè inaniuntur, ita ut circulationem sanguinis, & lymphę penitùs interrumpant, quęmadmodùm præsertim in hydropicis sæpesæpiùs est observatum, in quibus paulò post aquæ extractionem ex abdomine, lympha, quæ supererat in vasis lymphaticis brevi temporis intervallo tota prorupit in abdomen inanitum. Accedit, quòd in his totus ferè sanguis vertitur in serum, acre simul & salsum, & in empyicis à pure in pectore collecto sanguis pariter inficitur tanta acritate muriatica, ut plus justo dissolutus, fluitet in venis, & arteriis; unde per immodicam, & subitam utriusque evacuationem, commotione majori in toto sanguine, & in visceribus corporis inducta, pauci illi spiritus, qui supererant, suffocantur, extinguuntur, vel dissipantur.

APHORISMUS XXVIII.

Eunuchi neque podagra laborant, neque calvi fiunt.

LIcèt tempore Hippocratis perpetuò verum observaretur, Eunuchos, quibus scilicet virilia exempta forent, podagra non laborare, quia nostra tamen ætate plurimi adhuc observantur podagra affecti, non defuerunt, qui Hippocratem falsitatis in hoc aphorismo arguerent, quasi verò sententiam hanc inter aphorismos retulerit veritati non consentientem. Verùm etsi id verum sit, quia nihilominùs rarissimè accidit Eunuchos, propriè tales, podagra laborare, illaque nonnisi in ultima senectute, idcircò non erit cur Hippocratem inculpemus; quandoquidem ut alias notavimus, ea potissimùm Hippocrates literis tradidit, quæ vidit, & frequentiùs evenire comperiit.

Ratio autem, cur Eunuchi Hippocratis tempestate, non tam facilè podagra afficerentur, triplex ab Authoribus recensetur; ut præ cæteris memorat Fuchsius hoc loco. Primò, quòd non omninò ea tempestate otiosi forent, cùm mos fuerit apud Veteres mulierum famulatui Eunuchos adscribere; quamobrem serosa illa excrementa, quæ in illorum corporibus cumulabantur, benè poterant exercitiis, immò etiam laboribus, sive sensibiliter, sive insensibiliter dissolvi. Secundò, quia ad coitum impotentes erant, quò plerumque imbecilliora reddi solent corpora, & potissimùm in articulis. Tertiò, quia moderata illis victus ratio erat, unde pauca, vel nulla excrementa cumulari poterant: Nunc verò, cùm hæc omnia non tam exactè ab eisdem servari soleant, mirum non est, si nonnulli inter eos podagra afficiantur. Neque solùm Eunuchi, ut hìc memorat Hippocrates, à podagra immunes erant vetusta illa ætate, sed ut advertit *in commentario* Galenus, nec reliqui omnes tam facilè illa corripiebantur. *Ætate quidem Hippocratis*, inquit hoc loco Galenus, *pauci podagra laborabant propter vitæ moderantiam; nostris verò temporibus usque adeò auctis eduliis, ut nihil eis addi posse videatur, infinita est podagricorum multitudo, cùm nonnulli sint, qui nihil exerceantur, & cruditatibus, atque ebrietatibus offendantur; & ante cibum assumptum bibant vina poten-*

tentia, ac venereis utantur immoderatis: nonnulli verò etsi non his omnibus, in uno saltem, aut duobus ex iis, quæ dicta sunt, delinquant. Et paulò infrà subdit: *Accedit & ad has causas, ob quas plerique incidunt in podagras: quòd multi & patres, & avos habuere podagricos, in quibus semen erat vitiatum, atque ideò posteris vehementiorem fecerunt partium imbecillitatem.* Quoniam verò Eunuchi in his non raró delinquere solent, poterunt podagra quam maximè corripi, quamvis nullum habeant usum venereorum: talis enim (ut observat ibidem idem Galenus) *est illorum desidia, insatiabilitas, ebrietasque, quòd etiam sine venereis podagra corripi possunt.*

Est tamen advertendum, quod Eunuchorum alii sunt, qui Castrati dicuntur, alii Spadones, alii Thlasiæ, aut etiam Thladiæ, & alii Thlibiæ appellati. Castrati dicuntur, quibus ante pubertatem non solùm testes, sed etiam virile membrum exsectum est, ut apud Turcas fieri consuevit; vel etiam tales sunt, qui sine testibus progeniti, vel ab ipso primo ortu exsecti nil virile habent ex Luciano, atque hi propriè Eunuchi appellantur. Thlasiæ, & Thladiæ sunt, quibus testes solummodò in prima ætate fracti fuere. Thlibiæ verò, qui attritos habent testes, quemadmodùm fit in Juvencis, ut in opera campestria faciliùs ducantur. Spadones denique sunt illi, quibus meatus pudendorum, per quos vel materia seminis, vel semen emittitur, propter impedimentum aliquod, fortasse in ipsa eorundem conformatione, angusti, vel obstructi sunt, adeòque fit, vel ut semen nullum fiat, vel inefficax, & minimè prolificum, vel etiam quòd extra vasa ejaculari non possit; quamobrem ex istis nonnulli sunt, qui nequeunt generare, non quòd semen fœcundum minimè gignant, sed quòd propter aliquod impedimentum semen effundere nequeant, eo quod in suis cavitatibus, aut flexuris hæreat, quemadmodùm ex multis colligit Fuchsius *in commentario istius Aphorismi*: sed & alii licèt semen emittant, infœcundum tamen illud est. Spadonibus quoque adnumerantur ex Alciato, qui cum uno tantùm teste nati sunt, aut qui altero dumtaxat sunt exsecti. Cùm igitur Hippocrates in hoc textu de Eunuchis meminerit, illi propriè intelligendi erunt castrati, & quidem ii, qui in ætate puerili antequam pubescere, & semen progignere cœperint, testium resectionem passi sunt. Cæterùm Thlasiæ, Thlibiæ, & Spadones, planè possunt podagra corripi, cùm licèt semen non efficiant, vel non emittant, benè tamen concumbere possunt.

V. Gal. 15. de usu par. c. 3.

L. Spadonum, ff. de verb. signif.

Est præterea advertendum, Eunuchos podagra propriè dicta corripi non solere, posse tamen affici doloribus articulorum, etenim plurimùm interest inter podagram, & articularios dolores; siquidem licèt artus in utrisque afficiantur, articularii tamen dolores redire non solent, sed postquam semel invaserint, & ad plures dies etiam cum febre acuta, & continua vexaverint, tandem, cùm desierint, non tam facilè redeunt, nisi ex nova, & præpotenti causa; at verò podagra certis quibusdam temporibus redire solet citrà quamcumque causam, etiamsi in his rectam victus rationem servaverint, & quidem in mutationibus tempestatum, scilicet in solstitiis, & æquinoctiis. Atq; hinc planè constabit, posse pueros, & ado-

adolefcentes quoque articularibus doloribus affligi, fecùs verò podagricis propriè dictis; quamquam noftra ætate ob intemperantiam victus, & ob luis venereæ contagionem etiam vifi funt aliquando adolefcentes, & juvenes podagricis doloribus affici, & iteratò vexari.

Sed eft infuper notandum in podagra, chiragra, cæterifque doloribus articularibus, atque in Arthitride univerfali, duos concipi debere humores illos excitantes, alterum quidem, qui vel à toto, ut putavit Schneiderus, vel à cerebro juxta mentem Fernelii, vel à ftomacho, & hypochondriis, ut alii voluere, dependet, & veluti à parte mandante, ut plerifque dicitur, per reliquum corporis divagatur, ut eft ferum fanguinis, vel lympha acrior, acidiorve reddita, ac falina conditione imbuta; alterum verò articulis ipfis ineffe, atque in internodiis offium, qualis Paracelfo *fynovia* dictus eft, vel potius ex glandulis artuum mucilaginofis fuggeftus, qui licèt in ætate puerili, ac juvenili fluxilior, laxior, molliorque fit, in fenili tamen ætate craffior, denfior, & acidior evadit, atque fermenti podagrici, vel chiragrici vices gerit, eftque deinde in caufa cur ibidem hæreat, ac reftagnet ferum illud, vel lympha præterfluens, adeòque tumorem, ruborem, ac dolorem infert vehementiorem, vel mitiorem, prout acrior, acidiorve fuerit, aut contra temperatior, & levior. Neque quis putet, quòd fynovia, aliufve humor craffior redditus in fenibus incapax fit ejufmodi acritatem, & dolorem articulorum inferendi; Nam præter craffitiem acquirit etiam in fenibus (ut reliqui humores) aciditatem, acritatemque; unde quemadmodùm calx, auripigmentum, aliæque res duræ per humoris injectionem fermentefcunt, ac tumefiunt, ita & gluten ipfe. Debet autem iftiufmodi glutinofus, aliufve fimilis humor articulis ineffe, ut inibi cum præterfluente humore lymphico, vel fero fanguinis, fermentationem, tumorem, ac dolorem inferat; nam aliter nulla potior caufa foret, cur ibi hæreret, & non alibi. Neque fatis eft dicere ibidem hærere, quia articuli funt partes ignobiles, quo natura transferre folet humores peccantes; nam ex hac ratione deberent potiùs vitiofi transferri ad alvum, aut veficam, veluti ad partes longè ignobiliores, immò à Natura ipfa deftinatas veluti in cloacam corporis, ad excipiendas omnes fuperfluitates ejufdem. Quare neceffe eft, ut in articulis aliud quid refideat, quod in caufa fit, ut ibi fluentes humores hæreant.

Hinc ut Eunuchi, aut Spadones podagra fint exempti, fatis non eft, ut ad coitum fint impotentes, fed neceffe etiam eft, ut rectam fervent victus rationem, cùm ex fuperiùs traditis, præter artuum imbecillitatem, & glutinis, aut mucilaginis ibidem ftagnantis vitium, ferofi, ac lymphici etiam humores ex toto, vel ex vifceribus naturalibus, aut etiam aliunde illuc confluant, ut dolores arthriticos excitent. Porrò in Eunuchis, Spadonibus, cæterifque fimilibus languidæ, & mollis conftitutionis, ejufcemodi humores excrementofi, & aquei folent plurimùm abundare. Atqui compertum adhuc eft, cælibem vitam ducentes non raro etiam podagra corripi, nifi fimul unà temperantes fint, & frugales.

Denique neque calvos fieri Eunuchos docet hìc etiam Hippocrates, quod certè verius, & univerfalius obfer-

observatur. Cùm enim calvitium fiat ob carentiam, & privationem ejus humoris, qui per cutim capitis diffusus radices capillorum irrigat, & in alimentum eorundem transit, quia Eunuchi carnes habent molliores, & ejuscemodi humoribus quam maximè abundant, veluti mulieres, quibus per quàm similes sunt, ut etiam advertit Aristoteles asserens *lib. 5. de gener. animal. cap. 3. Eunuchos non calvescere, quòd in fœminas mutentur*; unde Galenus, *Eunuchos*, ait, *sectio testiculorum similes efficit fœminis; sicuti ergo in eis calvities non accidit, sic neque in Eunuchis*, proinde fit, ut minimè calvi fiant. Quod autem dicitur calvitium oriri in hominibus ob cerebri siccitatem, & consumptionem, non videtur omninò verùm: etsi enim cerebrum in senibus quodammodò constipetur, & obdurescat, non tamen tantam siccitatem acquirit, ut omni humiditate privetur, unde capilli decidere debeant; neque verò à cerebri humiditate capilli progignuntur, sed potiùs ab ea, quæ in glandulis subcutaneis continetur, cùm cæteroqui nequirent per meninges, cranii duritiem, densitatem, ac magnitudinem, pervadere ad radices capillorum usque. Accedit, quòd si ex cerebri siccitate, & consumptione calvitium accideret, non magis in syncipite, quàm in occipite illa foret observabilis, cùm tamen experiamur calvitium fieri dumtaxat in syncipite, secus verò in temporibus, & in occipite, ubi sola canities accidit. Verùm de hac re aliàs.

APHORISMUS XXIX.

Mulier podagra non laborat, nisi mestrua defecerint.

HIc etiam Aphorismus, nostra tempestate, veritati non semper cohæret, cùm plurimæ sint mulieres, quibus citrà menstruorum defectum podagra laborare contingat. Verùm ex superiùs traditis, quia id rarò evenit, & plerumque fit, ut fœminæ à podagra sint immunes, quotiescumque menstrua illis commodè fluxerint, non erit propterea cur Hippocratem inculpemus. Verumtamen notare decet, menstruorum defectum non simpliciter intelligendum pro omnimoda illorum suppressione, sed pro quacumq; eorumdem evacuatione depravata, diminuta, retardata, anticipata, aliave, ut propterea tunc fœminas liceat existimare à podagricis doloribus immunes, cùm non solùm menstruis expurgationibus debito tempore, debitaque quantitate, scatuerint, sed etiam ejus conditionis, & qualitatis, ut in omnibus respondeant earundem constitutioni, ætati, habitudini, victui, exercitiis, aliisque; fieri enim potest, ut fœmina menstruas habeat expurgationes, sed non ejus quantitatis, qualitatis, & conditionis, ut convenit, relatè ad propriam constitutionem, & habitudinem: quo casu si exinde sanguis, totumque corpus non benè fuerit à suis impuritatibus, præsertim serosis, repurgatum, decumbentibus hujus generis excrementis ad articulos, benè poterit podagra illam invadere. Adde quod menstruæ purgationes non omnibus eodem modo accidunt, nec in omnibus ejusdem, æqualisque sunt duratio-

rationis: siquidem nonnullæ in singulis mensibus, per integram hebdomadam repurgantur, aliæ verò non nisi per duos, aut tres dies ad summum: plerisque circà septimum annorum septenarium menstrua deficiunt; aliis verò etiam ad octavum, & nonum prorogantur; unde fit, ut de menstruationis defectu nulla possit certa regula stabiliri. Quoties igitur citrà manifestam causam mulieribus menstrua defecerint, quę alioqui tam citò deficere non debuissent, habito respectu ad ætatem, corporis habitudinem, temperiem, victus rationem, exercitia, & similia, quia facilè humores illi excrementosi, qui per uterum veluti per sentinam corporis repurgare consueverant, intus detenti, & cum sanguine, cęterisque humoribus commisti, in artus, veluti in partes corporis imbecilliores decumbere possunt, nil obstabit, quin podagricis doloribus sint eædem laboraturæ, cùm ad podagram contrahendam imbecillitas, & mala articulorum habitudo, nec non excrementorum præsertim ex sanguinis sero, & lympha dependentium superfluitates exigantur, quæ sanè in mulieribus, in quibus menstrua nimis tempestivè defecerint, benè haberi possunt. Quod autem à plerisque dicitur de intemperantia fœminarum nostri temporis, ob quam etiam commodè menstruantes podagra laborent, non tanti certè est, ut rem omnem penitùs evincat, cur etiam si menstrua ubertim fluxerint, debeant illæ podagra laborare: nam ex hac ratione omnes intemperantes essent podagricæ, perseverantibus adhuc menstruis purgationibus; cùm tamen contrarium experiamur. Demiror itaque Senecam, qui in hoc mendacii deprehensum dicat Hippocratem, *epist.95*. & in mores fœminarum sui temporis tam acriter invehatur, cùm inquit: *Maximus ille Medicorum, & hujus scientiæ conditor, fœminis nec capillos defluere dixit, nec pedes laborare: atqui hæ jam & capillis destituuntur, & pedibus ægræ sunt. Non mutata fœminarum natura, sed vita est; nam cùm virorum licentiam æquaverint, corporum quoque virilium vitia æquaverunt: non minùs pervigilant, non minùs potant, & oleo, & mero viros provocant: æquè invitis ingesta visceribus per os reddunt, & vinum omne vomitu remetiuntur: æquè nivem rodunt, solatium stomachi æstuantis: libidine verò, nec maribus quidem cedunt, &c.* Et mox: *quid ergo mirandum est maximum Medicorum, ac naturæ peritissimum in mendacio præhendi, cùm tot fœminæ podagricæ, calvæque sint? beneficium sexus sui vitiis perdiderunt; Et quia fœminam exuerunt, damnatæ sunt morbis virilibus, &c.* Si planè is vitam, & mores nostrorum temporum contemplaretur, haudquaquam suæ ætatis fœminas tam vehementer fuisset criminatus, quinimmò fateretur aut nostra suis temporibus pejora, aut saltem non dissimilia, nilque esse sub sole novum, quod idipsum non fuerit, vel futurum sit. Nec illud quidèm admittit de suo sæculo Cardanus, quòd podagricæ fiant fœminæ ob voracitatem, & incontinentiam, quippe qui asserat, mundum semper sibi similem extitisse, & nullo non tempore voracitatem, incontinentiam, & victus intemperantiam fuisse hominibus familiarem. Sed & notatu dignum, quod scribit Athenæus *libr. 2. cap. 10.* de Moris agens: *Hegesander suis tempo-*

V. Hipp. 6. epid. de Phaetusa Phytheæ uxore.

V. etiam Cel. Rho dig. l. 28. c. 30. & C. Agrip. de van. scient. c. 82.

temporibus intra viginti annorum spatium moros fructum non tulisse affirmat, atque tantam podagræ pestem omnes invasisse, ut non homines solùm, sed pueri, puellæ, eunuchique, & mulieres eo morbo laborarent. Quare ad solam vitæ intemperantiam podagram referre minimè posse videtur, cùm adhuc cælibes, temperantes, frugales, abstemii, & vitam monasticam, atque eremiticam ducentes, visi sint pariter nodosa podagra laborare, quin & si ex intemperantia in victus genere podagræ in fœminis orirentur, planè hac nostra ętate nulla esset, quę hoc morbo non foret affecta, adeò in cunctis cujusvis generis gulæ libido excrevit. Itaque dicamus veram esse Hippocratis sententiam in quacumq; ętate, omnique sexu, dummodò ea omnia concurrant, quæ anteà à nobis animadversa sunt. Cæterùm non est prætereundum, quòd aliquando fœminæ aliis doloribus articularibus, prętér quàm podagricis, affici solent, & quidem aliunde progenitis, quæ rheumaticam affectionem, aut gallicam contagionem referunt; & licèt articuli tum inferi, tum superi cum dolore, & tumore divexentur, nihilominùs non veram Podagram, Chiragram, Gonagram, sed Rheumatismum, vel simplicem, vel gallicum designant: dolores enim podagræ, aut chiragræ, per certa intervalla, & statutis quibusdam temporum mutationibus redire solent, cæteri verò dolores articulares, sive rheumatici, sive gallici, cùm invaserint, vel nunquam ampliùs desinunt, vel si semel desierint, denuò non redeunt, licèt languidas, admodùm, & labefactatas partes relinquant, & facilè ex quacumque causa fluxionibus obnoxias.

APHORISMUS XXX.

Puer podagra non laborat ante usum venereorum.

QUod dixerat præcedenti aphorismo Hippocrates de fœminis, eas podagra non laborare, nisi ex menstruorum defectu, nunc edocet de pueris, illos referens à podagra esse pariter immunes ante usum venereorum, his designans plurimùm Veneris usum articulis nocere, qui propterea podagricæ affectioni fiant obnoxii.

Quoniam verò non ante decimum quartum annum incipiunt pueri semen progignere, idcircò visum est plerisque pueros hìc interpretari eos, qui impuberes dicuntur, cùm quo tempore semen gignunt, simul unà pubescere soleant: at verò ętas pubescentiæ ad annum decimumquartum adscribitur. Verùm cùm plerique referantur etiam ante hoc tempus semen effudisse, & generasse, propterea ad prædictum annum decimumquartum rem hanc definitè dijudicare velle, non videtur rationi, & experientiæ consentaneum; quamobrem non immeritò Hippocrates indefinitè dixit, *pueros, & ante venereorum usum*; quia non ante hoc tempus fieri solet, ut articuli adeò sint labefactati, ut defluentes ex aliis interioribus partibus humores excipiant. Hinc nomine puerorum eos intelligere licebit, qui ante pubescentiam, & ante non solùm seminis generationem, sed ejusdem effusionem, atque adeò venereorum usum, illibati permanserunt.

Sed unde fit, ut ex Veneris usu possint podagra laborare, non levis videtur hujus loci difficultas; siquidem

dem etsi immoderatus illius usus cunctis nocuus reputetur, documento ejusdem Hippocratis *6. epid.* dicentis: *labor, cibus, somnus, venus, omnia mediocria*; nihilominùs si moderata illa fuerit, & tempestiva, etiam plerisq; ægritudinibus conferens ab eodem Hippocrate proclamatur. Atque hinc versus illi:

Balnea, Vina, Venus corrumpunt corpora nostra:
Conservant eadem Balnea, Vina, Venus.

prout moderatus, vel immoderatus fuerit eorumdem usus. In ægritudinibus quoque frigidis, humidisque, & in corporibus succiplenis, & obesis, utilis ab eodem existimatur, eo quòd dicatur vim habere exsiccandi, & absumendi superfluas corporis humiditates. Quare cùm pueri humidi sint, & ob voracitatem excrementosas superfluitates facilè cumulent, atque in frigidas, humidasque ægritudines non raro incidant, non videtur omninò dicendum post venereorum usum pueros podagra laborare, si præsertim moderamen in ipsis servent.

Cui difficultati facilè fieri potest satis duplici responsione. Primò, quia Hippocrates non dixit post venereorum usum pueros podagra esse laboraturos, quasi quòd omninò post illud tempus illa affici debeant, sed solùm, quòd non ante hoc tempus soleant podagra laborare: siquidem ex Veneris usu articuli facilè læduntur, & labefiunt. Secundò, quia pueri adolescere, & debitum magnitudinis incrementum acquirere debent: cùmque per seminis effusionem (etiam si moderata illa fuerit) deficiat quodammodò nutricatio, & substantia illa glutinosa sanguinis, quæ in nutrimentum partium, & præsertim articulorum cedere debet, in locum effusi seminis deferatur, proinde fit, ut articuli plus justo labefactentur; quin etiam ex iterata seminis evacuatione, coguntur assumere alimentum non benè digestum, nec elaboratum, unde postmodùm major labefactio, & imbecillitas: Et quoniam in podagricis doloribus contrahendis non solùm exquiritur articulorum laxitas, & languor, sed etiam quædam habitudo, & mala constitutio eorumdem, quam Paracelsus *Synoviam* appellavit, & Recentiores Medici fermento cuidam in ipsis ossium internodiis, glandulisque, hærenti adscribunt, cujus ratione decumbentes in ipsos artus serosi, & excrementitii humores in fermentationem adiguntur, uude postmodùm dolor acerbissimus, maximus robur, & ingens tumor in ipsis artubus excitatur, si alimentum in pueris ad eas partes delatum, ejuscemodi imbecillitatem, malamque habitudinem, & Synoviam ex usu venereorum talem imprimat, ut confluentes ex cruditatibus humores facilè ad fermentescendum promoveat, proculdubiò podagricos dolores excitabit: Qua ratione etiam fit, ut ex parentibus podagricis orti, nedum ob languorem earumdem partium articularium, propter malam seminis conformationem, verùm etiam ab ingenito fermento podagrico in articulis hærente, fiant illi etiam in ipsa pubertate podagræ obnoxii. Simile quid à gallica contagione artubus infertur, qua plerique solent in ipsa prima pubertatis ætate articulariis doloribus acerbissimè vexari, & exostoses molestissimas pati.

Quamvis autem ex eodem Hippocrate, ut anteà notatum est, immodicus Veneris usus sit cunctis in quacumq; ætate nociturus, specia-

liùs tamen ob ennaratas rationes pueris officiet; Sed neque solùm immoderatus, sed qualiscumque, semper ipsis valdè nocuus erit, tum ob carnium, nervorum, viscerum, & ossium teneritudinem, tum ob majorem, ex alimenti inopia per seminis evacuationem, nutritionis jacturam, & sanguinis tunc temporis tenujoris dispendium; tum etiam ob partium pudendarum seminis elaborationi destinatarum imbecillitatem, laxitatemque, quæ neque multum semen gignere, neque genitum in suis vasculis continere possunt; unde in his non rarò fieri etiam solet, ut iteratis pollutionibus molestentur, & aliquando pro semine, sanguis effundatur; quin & Tabes periculosissima contingat, quam Dorsalem appellant.

Podagra itaque vel nulla fit, vel rarissima in pueris, antequam Venerem exercuerint, nisi hæreditaria contagione illam à parentibus contraxerint; siquidem Natura tunc temporis intenta nutricationi, & augmentationi partium, nil in ossium intercapedines deponit, quod proficuum, ac salutare non sit, & acidum illud fermentum, quod podagricas affectiones excitat, per ætatem iners, vel nullum est, immò humores omnes dulces; grati, & consentanei partibus esse solent, nec tam facilè acorem contrahunt, nisi aliunde à potenti causa, sive interna, sive externa depraventur. Qui verò referuntur in ætate puerili articulorum doloribus cruciati, revera podagrici non fuerunt, sed aliis generibus morborum affecti, ut anteà quoque animadversum est.

APHORISMUS XXXI.

Dolores oculorum, meri potio, aut balneum, aut fomentum, aut venæ sectio, aut medicamentum epotum solvit.

QUo pacto dolores oculorum curare expediat, docet in hoc aphorismo Hippocrates, & quidem non uno remediorum genere, sed vario, ac multiplici, pro varietate, & multiplicitate causarum illos inferentium.

Nomine autem dolorum, num simpliciter dolores intelligere voluerit sine humoris affluxu, an etiam cum tumore, inflammatione, aut lippitudine oculorum, & præsertim tunicæ conjunctivæ, aut etiam palpebrarum, quæri hoc loco potest. Et quidem probabiliùs videtur dolores hìc fuisse recensitos ab humoribus dependentes, tum quia dolor nullus fieri potest sine causa valente solvere continuum, atque adeò materiali, & corporea; tum etiam, quia remedia, quæ hìc ab Hippocrate proponuntur. ad curandos ejuscemodi dolores, nonnisi causis materialibus videntur adversari: qua enim ratione balneum, fomentum, venæ sectio, aut medicamentum purgans in doloribus oculorum curandis convenire possent, nisi humores, dolores foventes, forent dissolvendi, emolliendi, aut evacuandi. Itaque dolores erunt hìc intelligendi cum affluxu humorum, atque adeò progeniti à causis materialibus. Sive autem totum oculum in suo ambitu, sive solam tunicam conjunctivam, ejusque venulas, & arteriolas, sive etiam palpebras ipsas confluxi humores afficiant, parum referet; siquidem semper eædem indicationes vigebunt,

gebunt, & eadem medicamentorum genera erunt in illis indicata.

Proponit autem primo loco Hippocrates *meri potionem*, fi nimirùm dolor fit inductus ab humoribus craffis, vifcofis, & tenaciter hęrentibus, præfertim in lymphicis, unde fanguis etiam craffior, & glutinofior nequeat per anguftas ocularium membranarum arteriolas, & venulas tam facilè permeare, fed ibidem hæreat, & tumorem inferat cum dolore. Ab ufu autem vini meracioris, benè poteft fanguis ipfe attenuari, & à craffamentis mucofis repurgari, five per poros cutis, five per vias urinæ, five per alios ductus corporis, & commodè dolores etiam oculorum exinde poterunt levari: id quod nedum in his, fed etiam in aliis confimilibus ægritudinibus peropportunè factum exiftimaverim in corporibus humidioribus, & excrementofis, potiffimùm ex mala chylofi, propter ventriculi, aliorumque vifcerum naturalium defectum. Sed & *fomentum*, ac *balneum*, quod adiicitur, etiam ad vinum meracum referri poffet, ut propterea quis non malè exiftimaret fomentum, & balneum ex vino fit oculis dolentibus profuturum. Verùm hæc generaliùs funt intelligenda.

Secundò *balneum*, quod nedum particulare iifdem oculis malè affectis adhibitum, fed etiam univerfale intelligi poteft; etenim fi particulare oculorum balneum intellexiffet, minimè adjeciffet fomentum; nifi tamen nomine balnei audiamus, quod humorofum eft, & nomine fomenti, quod eft vaporofum. Conferet autem balneum toti corpori adhibitum ad repurgandas fuperfluitates è toto corpore provenientes; particulare verò oculis admotum ad diluendos, attenuandofque humores ibidem hærentes, & ad laxandas porofitates eorumdem, & præfertim tunicæ exterioris conjunctivæ. Poterit verò balneum tum naturale effe, tum artificiale: Naturale è thermis, & aquis mineralibus, ut eft Puteolis: Artificiale verò ex herbis emollientibus, attenuantibus, & ocularìis dictis. In hunc quoque finem excogitatæ funt multæ aquæ, ophthalmicæ dictæ, à Quercetano, Hartmanno, Crollio, aliifq; quibus fæpiùs in die foti oculi, mirabiliter in vifus acie reficiuntur, ut apud eofdem eft legere: Attamen in doloribus hìc memoratis Aquæ non ex acutis, & acribus, fed ex lenientibus confici debent.

Tertiò *fomentum* adiicitur, quod in multis convenit cum balneo anteà recenfito. Verumtamen poteft etiam fomentum, nedum ex aquis, & decoctis herbarum mollientium, atque humefacientium confici, fed etiam ex rebus halitu, atque fpiritu parari. Sic ex gummis, refinis, & lacrymis plantarum pleraque fomenta concinnari poffunt, præfertim ad abfumendas humidas, ferofafque fuperfluitates, in iis potiffimùm, qui caput, & oculos habent humoribus fcatentes, facilèque illacrymantes. Ita quoque plerifque in ufu, & quidem falutari, eft fpiritus falis ammoniaci rectificatus, atque ex fale ipfo ammoniaco, & tartaro, paratus, qui manè, & fero ante cibum oculis halitu applicitus, & propè palpebras admotus, efficaciffimè albugines, maculas, & humores quofcumque conjunctivæ tunicæ inhærentes, diluit, & abftergit, fed & tanta infuper eft illius efficacia, ut penetrante fua vi etiam interiores oculi tunicas, & humores repurget, & videndi aciem mirabiliter exacuat. Olfactus quoque vifui prodeft,

cùm inter nares, & oculos communio maxima intercedat. Verùm de his latiùs in praxi dictum est.

Proponitur quartò *venæ sectio*, cùm scilicet oculi dolent ab impetente sanguine, in corporibus plethoricis, aut ex suppressa sanguinis evacuatione laborantibus; unde illius quantitatem minuere, aut plus justo irruentem in oculos intercipere, aut hærentem promovere necesse est. Sed & fieri etiam potest, ut in oculis, ob angustiam arteriolarum, & venularum, sanguinis circuitus aliquantisper impediatur, nequeunte scilicet sanguine non tam promptè oscula venarum subire; quamobrem ad citandum ejusdem motum, promovendam circulationem in illis, conferre poterit venæ sectio, vel in brachiis, vel in pedibus: etenim diminuta quantitate, concitatoque motu, meliùs sanguis per ejus partes circumibit, atque etiam magna ex parte attenuatus faciliùs per angustas oculorum venulas, in reliquas totius corporis diffundetur. Attamen in ejusmodi sanguinis distractione maximoperè cautus debebit esse Medicus, ne plusquam natura ferat, aut res ipsa postulet, sanguinem detrahat; siquidem larga illius evacuatio sicuti cunctis partibus, totique corpori non leviter incommodat, ita, & multo magis visui, & oculis obesse solet, ut cunctis est notum: cæterùm quod scribitur 7. *aphor*. 46. *dolores oculorum post meri potionem, & aqua calida balneum, venæ sectione curari*, non omninò recipitur à Galeno, nec minùs à Cardano, eo quòd cum præsenti aphorismo non consentiat, quapropter meritò reiicitur ab iisdem.

Denique *medicamentum epotum* proponitur, quod planè purgans intelligendum, illudque commodè adhiberi poterit in doloribus oculorum ortis à cacochymia, & quotiescumque corpus pravis humoribus refertum est; siquidem ex convenienti purgatione sicuti vitiosi humores extrà corpus egeruntur, ita quoque oculorum dolores inde procedentes facillimè desinunt. Cujus autem conditionis, & virtutis purgatorium istud medicamentum esse debeat, facilè quis determinabit, tum ab humorum peccantium multitudine, & pravitate, tum etiam à patientis constitutione, ætate, & corporis habitudine. Verumtamen in gratiam oculorum dolentium vitanda semper erunt ea, quæ acria sunt, & partibus plus justo infensa, qualia ex colocynthide, & scammonio, cæterisque similibus, sunt confecta, nisi fortè tam exactè fuerint à perita manu castigata, & correcta, ut omnem malitiam, & acritudinem exuerint. Quæ verò conficiuntur ex manna, violis, prunis, neque convenientia esse dicuntur, cùm ista vix intestina diluant, & multoties in corruptionem tendentia majus damnum excitant, præsertim in iis, qui hypochondriorum affectionibus subiiciuntur.

APHORISMUS XXXII.

Balbi ab alvi profluvio maximè capiuntur.

UBi Leonicenus vertit ex græco Codice *Balbos*, Heurnius exponit *lingua titubantes*. Verùm in textu græco scribitur *Trauli*, qui propriè quales sint, non sine ratione controverti potest: etenim cùm ejusmodi vitium linguę debeatur, & lingua tripliciter in loquela lædi soleat, idcircò cujusmodi sit vitium hoc in Traulosi, breviter est examinandum.

Et

Et quidem nonnulli sunt, qui unam dumtaxat ex alphabeti literis nequeunt rectè pronunciare. Alii, qui unam, vel alteram, aut plures, vel etiam syllabam integram in locutionibus prætermittunt: & alii, qui ita in singulis syllabis, & dictionibus balbutiunt, ut syllabas ipsas, & voces universas perpetim interrumpant, vel transiliant. Modò si ex linguæ mollitie, & musculorum ejusdem imbecillitate voluerit Hippocrates deducendum esse alvi profluvium, omnes ii trauli hoc loco intelligendi erunt, qui ex linguæ laxitate, nimiaque humectatione, in locutionibus deficiunt; unde & blęsi, & balbutientes, & hæsitantes in vocibus, & pronunciationibus verborum, poterunt commodè hìc exponi, ut & Galenus ipse *in commentario* de pluribus speciebus traulosis interpretatur; quamquam Cardanus Traulos solùm putet esse eos, qui voces per T, & per R proferre non possunt, pro Blęsitate, *Traulotim*, seu *Traulosim*, pro balbutie *Psellotim*, & pro hæsitantia *Ischnophoniam* exponat ex idiomate græco: quamobrem subdit in *Pselloti* peccare eos, qui dictiones ex Ps proferre non possunt; in *Ancyloglossia*, qui linguam habent radici tenaciter hærentem, ut propterea in mediis dictionibus hærere cogantur; in *Mogilalia* denique illos, qui præ timore, aut ex vehementi ira titubant, ac impediuntur. At Heurnius triplici vitio solùm affici linguam in sanis, ait, unde Trauli, qui aliquam literam pronunciare perfectè nequeunt: Pselli, qui prætermittunt literam, vel syllabam: & Ischnophoni, qui in continuata serie verborum syllabas non nectunt, & balbutiunt. Cęterùm sunt adhuc, qui S nullatenùs proferunt, vel mutant in T, aut C; & R in L: sed & Balbi, ut etiam advertit Cardanus, quædam proferre non possunt, aut aliter illa pronunciant ex impedito motu linguæ ad certas voces, ut in his, quibus frænulum, & ligamentum breve est, aut ex indebita sectione contractum; Blæsi verò omnia vitiosè. Quin & lingua interdum longior quibusdam est, & dentes exciderunt.

Quoniam verò omnia istiusmodi vitia locutionum ex linguę laxitate, mollitie, atque imbecillitate provenire videntur, & multoties etiam ex ejusdem corpulentia, & crassitie, veluti bovina, & hæ non sine humoribus laxantibus, ac plus justo humefacientibus, vel tumefacientibus, puta pituitosis, aut lymphicis, propterea fieri credendum, quamobrem compatiente Ventriculo eamdem laxitatem, cùm una, eademque tunica omnes istæ partes vestiantur, facilè alvus in his laxetur, vel cùm fortassis aliqua alia de causa lubrica fit immodicè, ut per longum tempus profluat, concurrente pariter ea, quæ ex cerebro, glandulis, faucibus, & ventriculo suggeritur, serosa colluvie. Hinc adverbium illud *maximè* non solùm refert promptam, & facilem in his alvi solutionem, sed etiam longam, ac diuturnam, si fortasse Balbi ea, quacumque ex causa, corripiantur. Novi quemdam è genere Ischnophonorum, qui adeò lubricam alvum habebat, ut pluries in die fæces egerere cogeretur, easq; liquidissimas: in eo autem id peculiariter notare erat, ut in mandendis cibis penitùs deficeret, quippe qui illos pene integros devoraret: hinc non absre suspicor istiusmodi homines præter linguarum, & glandularum salivarium laxitatem, atq; humorum lymphicorum copiam etiam ex præpedito linguæ motu, & man-

& mandibularum in molitura ciborum defectu, alvum lubricam subire, eo quòd cibi non benè mansi, nec exactè confecti, aut dissoluti, facillimè cruditates pariant, unde postmodùm alvi profluvia; quin & saliva ipsa, quæ suo sale subacido plurimùm confert ad ciborum digestionem, in his præ nimia fluiditate nonnihil deficit à naturali sua conditione: consimiliter quoque malè affectos existimare licèt succos illos dissolutioni ciborum in Ventriculo destinatos, ob mutuum glandularum consensum inter sese; quamobrem facilè exinde accidunt in ipsis imperfectæ coctiones, atque adeò intestinorum laxitates, quæ semel deinde excitatæ, diutiùs posteà perdurare solent, eodem fomite perseverante, cum laxa fibrarum intestinalium textura. Cæterùm hęc non nisi contingunt his, qui à nativitate balbi sunt, neutiquam verò, qui ex aliqua ægritudine tales fortasse evaserunt, vel ex timore, aut ira, aut etiam ex ebrietate per aliquod solùm tempus balbutientes observantur. Sed & quosdam in puerili ætate vitia locutionum contraxisse comperii ex malo usu, quem ab aliis acceperunt, contracto in tenera illa ætate, cum quibus versari consueverant; quippe per id tempus facillimè incurrimus in defectus eorum, cum quibus consuetudinem inimus. De Demosthene, scribit Plutarchus *in ejus vitâ*, eum vitio linguæ laborasse, & voce, ut non mediocriter in dicendo turbaretur oratio, nec mens ejus intelligi posset; atque (ut ex Demetrio Phalereo subdit) ipsum adhuc jam senem linguæ hæsitantiam, conjectis in ore lapillis emendasse; vocem autem currendo, scandendo, inter pronunciandum exercuisse. Memini me aliquando puellum non dissimiliter affectum, indicta inter pares in literario gymnasio æmulatione, in recitandis lectionibus sub certa pœna, moderasse. Quamobrem juvabit plurimùm in his industria, ac pecularis quędam exercitatio ad ejusmodi vitia tollenda.

APHORISMUS XXXIII.

Qui acidum eructant, non valdè morbo laterali corripiuntur.

De ructu acido anteà meminimus, & quo pacto à nidoroso differat: nunc qua ratione acidum eructantes non valdè morbo laterali corripiantur, breviter exponemus. Neque enim, quod communiter Interpretes cum Galeno commentantur, veritati consentaneum existimare est, acidos ructus fieri ex pituita sua natura frigida ventriculum opplente, pleuritidem verò ex humoribus potissimùm biliosis: siquidem ructuosi sunt melancholici, & pleuritici plerumque fiunt ab hęrente crassa, viscosaque pituita, aut etiam lympha in ductibus pulmonis, aut pleuræ; unde neque ructus perpetuò à pituitosis, neque pleuritis omninò à biliosis humoribus in cunctis corporibus ortum ducet.

Cùm itaque Hippocrates acidum ad lateralem morbum retulerit, certè comparatione inter ipsos inita ab una, eademque causa illos oriri tacitè existimavit; & quidem jam satis apud accuratiores rei Medicæ professores benè constitit, laterales dolores, immò & pleuritidem ipsam, ab acido figente exoriri: cùm enim acidum in humoribus præsertim sanguine, & lympha exorbitaverit, in angustioribus vasis, ubi sanguinis motus, vel tardus, vel nullus fit,

fit, illos cogit, ex quorum concretione inflammationes, tumores, & abscessus eveniunt, graviores, vel leviores, pro diversitate partium, in quibus humores isti in suo cursu prępediuntur, & quoadusque resoluti, vel subacti, & sive insensibiliter, sive sensibiliter fuerint educti, eousque tumor, & dolor perseverabunt. Et quamvis acidum istud præternaturale, & exorbitans, ubique excitari possit, nihilominùs frequentiùs accidit ex vitiatis succis ventriculi digestivis, aut etiam ex depravato succo pancreatico originem trahere solere, unde postmodùm chylus, sanguis, lympha, liquor nervorum, & recrementa quæcumque corporis in suis ductibus, ac secerniculis vitiantur, & vitiata in causa sunt, ut vel in seipsis hæreant, vel alios præterfluentes humores cogant, & coagulent, quemadmodùm aliàs adnotavimus.

Cùm igitur acidum istud per ductus corporis, ejusque humores, minimè vagatur, sed in flatus, halitusque vertitur, & per ructus discutitur, planè fit, ut neque laterales morbi, neque tumores, aut abscessus in partibus contingant; siquidem resoluto acido, excussoque per flatus, ac ructus, humores, & viscera ab illius maleficio præserventur.

Quamvis autem ex acido ructu cujusvis generis morbi, atque innumerabiles aliæ ęgritudines præcaveri possint, meminit tamen speciatim hìc Hippocrates lateralium morborum; siquidem ab acido detento potissimùm in ventriculo, & pancreate, proximiùs affici solent partes pectoris, tum externæ, ut sunt musculi, tum internæ, ut pleura, mediastinum, pulmo, diaphragma: quare excusso per ructus acido, detrimenta harum partium spiritalium, quæ exinde proximè corripi possent, præcaventur, ipsæque minimè doloribus, aliisque ægritudinibus afficiuntur.

Est tamen advertendum, quòd ructus acidus hìc ab Hippocrate memoratus, debet esse ex longo tempore perseverans, atque iteratis vicibus recurrens, ut nimirùm totum quantum acidum in dies fortasse cumulari potest, quotidie pariter per ructus dissipetur; Hac enim ratione fiet, ut nunquam humores reliqui à vaganti isto acido, quod oberrans appellavit Helmontius, sint vitium aliquod subituri, adeòque nec moram, nec coagulationem in pectore, aliisque partibus contracturi.

Denique advertendum, quòd non dixit Hippocrates acidum eructantes nullatenùs morbo laterali corripi posse, sed solùm *non valdè*, sive (ut alii exponunt) *non admodùm*, neque tam facilè; etenim si fortasse adeò illud augeatur, & exaltetur, ut etiam cum ructibus humores inficiat, poterit quoque laterales dolores, aliosque morbos parere, quemadmodùm sæpesæpiùs evenit in hypochondriacis, in quibus ponticum, & austerum quoque fieri solet. Itaque acidum eructantes non admodùm lateralibus morbis corripiuntur, licèt illis laborare quoque possint, quapropter Hippocrates de acido dumtaxat in ructibus, non autem de acido per humores diffuso sermonem hìc habuit, quòd scilicet intra limites ventriculi conclusum illud sit. Et licèt ructus expressè meminerit, tacitè tamen flatus omnes etiam vagantes, & per intestina erumpentes ad alvum comprehensos voluit, cùm non minùs per superiora, quàm per inferiora discuti possint:

sint: At verò, quia flatus per inferiora exhalantes non benè poterant dijudicari, cujus pravitatis naturam referrent, idcircò speciatim ructus commemoravit, utpote qui malum saporis sensum in ore referentes, benè poterant internosci, cujus qualitatis forent participes. Cæterùm tam ructus, quàm flatus pro causa materiali tenacem, crassamque pituitam acido-austeram recognoscunt, modico sale volatili, exiguaque bile refertam, quæ sicuti fundo Ventriculi hærens sæpissimè in ructus exolvitur, ita in Intestino Ileo, aut etiam Cæco erumpit in flatus; unde Simon Pauli *in suo quadripartito botanico*, non immeritò existimavit Cæcum Intestinum receptaculum esse flatuum, neque sine ratione tam amplum à Natura fuisse constructum, ut scilicet distentione, inflationeque minùs vexaretur.

APHORISMUS XXXIV.

Quicumque Calvi sunt, iis magnæ varices non fiunt: quibus verò Calvis varices magnę superveniunt, ii rursùs capillati fiunt.

INsimulat Galenus in hoc Aphorismo mendacii Hippocratem, utpote qui calvos putet supervenientibus varicibus sanabiles fieri posse, cùm aliunde calvitium passio existimetur insanabiles. Nec insuper verum esse subdit, quòd magnæ varices calvis nunquam accidant. At ab ejusmodi calumniis rectè vindicatur Hippocrates à Cardano, qui pluribus contendit calvos capillatos fieri posse supervenientibus potissimùm varicibus, quin & multa alia in medium adducit, ut Hippocratem adversùs Galeni accusationes tueatur: quamquam Fuchsius in sua versione non calvos propriè, sed qui capillorum defluvio laborant eundem exponat, inquit enim, φαλακροὶ, *græcam vocem hìc, non qui calvi sunt, ut cęteri Interpretes fecerunt, sed qui capillorum defluvio laborant, convertimus, ut Hippocratem, aut alium, qui hujus aphorismi Author fuit, à mendacio vindicaremus*; atque in ejus rei comprobationem affert authoritatem Philothei, qui calvos appellat, non eos, qui propriè ita nominantur, sed qui ob malum aliquod, capillorum defluvium patiuntur, veluti propter alopeciam, aut ophiasin; Unde istos existimat magnis varicibus non affici, quòd vitiosi humores ad caput, & non ad crura ferantur; iis verò, qui capillorum defluvio laborant, si varices succedant, capilli denuo nascantur, quoniam vitiosi humores, qui anteà radices capillorum corruperant, ad crura transferuntur. Et sanè cùm defluvium capillorum contingat à diffusis per cutem, pravis humoribus vim habentibus erodendi, & radices capillorum corrumpendi; planè fit, ut vergentibus illis ad alias partes corporis, & potissimùm ad crura, vel tibias, cum tumefactione venarum, unde varices, facta transpositione prædictorum humorum acrium à capite ad femora, vel tibias, poterunt facillimè capilli renasci; & contrà, quicumque calvi sunt, & capillorum defluvium ex mala eorumdem humorum acrium dispositione patiuntur, magnis varicibus non tam facilè corripientur, opposita proculdubiò de causa.

Hinc autem palàm fit, defluvium capillorum hìc sumi à causis morbosis inductum, non verò ex mutatione naturali ætatum, potissimùm in ulti-

ultima senectute, in qua calvitium accidit, ob defectum potiùs materiei, ex qua capilli generantur: cùm enim per eam ætatem ob defectum alimenti partes omnes exarescant, & cutis specialiùs corrugetur, atque in suis porulis densata, constrictaq; à cæteris partibus non parùm dissocietur, propterea fit, cur capilli sponte sua decidant: id, quod potissimùm accidit in syncipite, ubi cutis nudo ossi hæret; siquidem in aliis partibus substratum habet panniculum carnosum, & adipem. Hac eadem de causa fit quamobrem pleræque mulieres in ultima senectute pilos in mento progignant, & supercilia cæteris prolixiora, quoniam ob defectum menstruorum superfluitates illæ, quæ in sanguine cumulantur, ad eas partes deferuntur, & commutantur in pilos, & capillos. Cæterùm, quod spectat ad varices, superiùs est latè examinatum.

APHORISMUS XXXV.

Aqua intercute laborantibus tussis superveniens, malum.

PRo aqua intercute laborantibus intelligendi sunt propriè hydropici cujuscumque generis illi sint, quemadmodùm manifestè deducitur ex textu græco. Neq; enim tussis mala solùm est, si Anasarca laborantibus superveniat, sed etiam Asciticis, quemadmodùm deducitur ex eodem Hippocrate 2. *prædictionum*, ubi signa tradit bona, & mala in hydropicis, ex quibus præsagire quis rationabiliter possit de eorundem eventu salutari, vel lethali.

Rationem autem hujus dicti, quamvis Galenus deducere conetur ab aquosa humiditate tantùm adaucta, ut jam asperam occupet arteriam, unde tussis; quia tamen exinde, non solùm malum, sed lethale signum foret deducendum, cùm alioqui Hippocrates hìc non dixerit lethale, sed dumtaxat malum; idcircò non sine ratione Cardanus ridiculam esse, ait in hoc aphorismo Galeni expositionem. Malum itaque signum erit tussis superveniens hydropicis, quoniam indicat aquam in illis adeò subcrevisse, & pravam fuisse redditam, ut sanguinem circulantem infecerit, ac pulmones in suo transitu vellicando, ad tussiendum extimulet, veluti ad expulsionem rei noxiæ. Accedit, quod in Asciticis à superabundanti aqua adeò tumefiunt, & opprimuntur viscera sub diaphragmate sita, & potissimùm jecur sub hypochondrio dextro diaphragmati alligatum, ut motum illius impediant, ac deorsum contrahant, unde postmodùm respiratio difficilis, & cum difficili respiratione tussis sicca, & molesta. Si præterea in pulmone, & pectore hydrops factus sit, partim ab hydatidibus, partim etiam à superincumbente aqua, & ab oppleta pectoris cavitate, multò crebrior respiratio, & molestior tussis sine sputo fiet, quod certè pessimum signum est. Denique si tussis, & respiratio adeò increscant, ut æger nonnisi erecta cervice respirare possit, ab irruente in asperam arteriam, & bronchia pulmonis, humore, proculdubiò nedum malum signum inde portenditur, sed etiam brevi mors futura, ob imminentem suffocationem; sub quo sensu præsens aphorismus videtur repetitus 7. *aphor*. 47. ubi scribitur: *Aqua intercute laborans, si tussis corripiatur, desperatus est.*

APHO-

APHORISMUS XXXVI.

Difficultatem urinæ vena secta juvat: secare verò interiores.

VErum non esse hunc Aphorismum, scribit Galenus *in commentario, nisi, &*, particulam conjunctivam, *assumpserit, ita ut aphorismus talis fiat: difficultatem urinæ, & venæ sectio solvit*. Sed non video quid unquam particula ista, *&*, ad expositionem hujus aphorismi conferre possit, cùm eam dumtaxat urinæ difficultatem, græcè dysuriam, solvere possit, quæ ab inflammatione, & multitudine fit, ut ipsemet Galenus *in commentario* fatetur; Nisi præter venæ sectionem alia quoque medicamenta inflammationem respicientia per particulam illam, *&*, conjunctivam, intelligere velimus, quasi verò sensus sit, non solùm medicamenta inflammationem temperantia, & dissolventia, sed etiam venæ sectionem convenire in urinæ difficultate.

At verò, quia urinæ difficultas cum ardore, & dolore conjungitur, planè dicendum videtur, etiam ab ipsa mala urinæ conditione dysuriam evenire posse. Et quidem, quandocumque cum urinis salia acria commiscentur, quæ in transitu per sphincterem musculum, & urethram, vellicant, & compungunt partes illius sensitivas, planè fieri potest, ut citrà quamcumq; inflammationem, ardor quoque in urinæ exitu percipiatur. Qua ratione fit, ut ægritudo ista sæpesæpiùs observetur in senibus, in quibus humores omnes, & præsertim lymphici, ac sanguinis serum, acorem summum contraxerunt, & nedum urinæ difficultati, sed & consimilibus aliis ægritudinibus ab acido provenientibus, illos obnoxios reddunt. Accidit præterea non raro dysuria ex ulcere contracto in iisdem partibus, quemadmodùm experimur in infectis gallica contagione: etenim pertransiens urina, sua mordacitate partem ulceratam compungendo, ardorem, & dolorem in ipsa mictione ingentem excitat.

Quamquam autem venæ sectio hìc ab Hippocrate commendata locum habere possit in inflammationibus partium mictui destinatarum, non tamen in cæteris aliis commendabilis videtur, nisi dumtaxat ad deplendam seri sanguinei multitudinem. Cæterùm, cùm serum istud acore plerumque inficiatur, qui nulla ratione potest per venæ sectionem temperari, proinde fit, ut nemo ampliùs in praxi audeat in ejusmodi ægritudinibus sanguinem mittere. Sed neque solùm apud Recentiores rei Medicæ professores, verùm etiam apud Vetustiores Medicos mittendi sanguinis usus in urinæ vitiis exolevit, & qui illam tentare ausi sunt, in pejora mala ægrotos deduxere. Qua etiam ratione putaverim, quamobrem Cardanus hunc aphorismum exponendum omiserit, immò neque inter aphorismos sententiam istam reposuerit, fortasse quia existimavit, neque rationi, neque experimento illam esse congruentem, adeòque non ab Hippocrate, sed ab aliis adjectam fuisse, quemadmodùm Galenus ipse suspicatur, ob adjunctas dictiones, *secare verò interiores*: utpote Hippocraticis dogmatibus non consentientes.

Postremò additur *secare oportere interiores*, ideft venas; quæ Antiquis credebantur majorem consensum cum partibus urinariis retinere, ut nimirùm exinde promptiùs, & pro-

& proximiùs è partibus inflammatis affluxus humor derivaretur. Verùm hæc post detectam sanguinis circulationem sponte sua evanuere.

APHORISMUS XXXVII.

Angina correpto, si tumor fiat in collo, bonum; foras enim morbus deducitur.

QUod aliàs dixerat de Erysipelate, immò etiam de cæteris aliis inflammationibus, nunc repetit speciatim de Angina, in qua si tumor ad partes externas, & ad collum vergat, bonum dicitur; adjecta causa, & ratione, quia foras morbus deducitur. Erit tamen advertendum, ut alibi quoque adnotavimus, tunc bonum signum esse, tumorem in collo apparentem, cùm affluxus humor Anginam faciens partes internas gutturis, & faucium deseruerit; secus verò si adhuc easdem occupet. Cùmque hoc notum sit etiam ex superiùs traditis, non est, ut hìc longiùs immoremur.

APHORISMUS XXXVIII.

Cancros occultos habentes melius est non curare, curati enim citò pereunt: non curati verò longius tempus perdurant.

QUid pro occultis cancris intelligere voluerit Hippocrates in hoc textu, dubitat primùm *in commentario* Galenus; mox verò tum de cancris in profundo corporis, & in intimioribus partibus enatis, tum de nondùm apertis, non improbabiliter exponit; & quidem in utrisque ratio eadem æquè militat. Sed tamen verisimilior semper credita est illorum expositio, qui de cancris nondum apertis, aut ulceratis, quos Carcinomata Græci vocant, sententiam hanc interpretantur; siquidem Cancri in reconditis partibus corporis geniti, utpote intractabiles, nullatenùs subiici possunt curationi per medicamenta localia, quæ ab occultis ad patentes illos deducant.

Sunt autem Cancri de genere tumorum malignam conditionem humorum redolentium, quales Veteribus putabantur atrabilarii, sive maligni, erodentes, & veneno aquę stygiæ valdè consimiles. Dicuntur Cancri, vel ob similitudinem, quam referunt in sui expansione cùm cancris, vel quia partes, quas invadunt, inæqualiter depascuntur, & multoties increscunt, aliquando etiam decrescunt instar cancrorum. Et quoniam ob malignam, & cacoethicam naturam difficillimè suppurantur, etiamsi omnis industria adhibeatur, neque tam facilè rescindi possunt sine ingenti sanguinis effusione, & periculosa circumjacentium partium laceratione, propterea fit, ut à Chirurgis insanabiles reputentur: adeòque nullo cujusvis generis medicamento illos tractare audeant: quod & Ovidius 2. *de Ponto* innuit:

Vulneris id genus est, quod cùm sanabile non sit,
Non contrectari tutius esse puto.

Considerata itaque pessima illorum conditione, inquit in hoc textu Hippocrates, meliùs esse illos non curare, id est medicamentis localibus, aut ad suppurationem, aut ad resolutionem ducentibus tractare; nam si contingat illos aperiri, & ulcerari, citò ad mortem perducunt, cùm ex ambiente aere, virulentus ille humor magis acuatur, vires,

vires, & spiritus perpetim dissipentur, ob continuam sanguinis effusionem, & reliqui humores, immò etiam partes solidæ circumjacentes graviùs afficiantur, eoque magis si cancri reconditas corporis partes occupaverint. Et quamvis ab Aetio, & Paulo Ægineta methodus proponatur salubriter curandi cancros, & multa medicamentorum genera in eundem finem conferentia referantur; nihilominùs illa aliquando in praxim deducta vana, & inefficacia evascere, ut proinde nemo ampliùs in praxi audeat medicamenta in illorum curationem administrare, nisi solùm, quæ universale vitium humorum corrigere, & temperare valeant.

Præter difficultatem curationis procedentem à causa humorali acido-acri, & maligna, adiicienda quoque est partium affectarum in cancris laxa habitudo, quæ deinde durescit: siquidem cancri plerumque fiunt in partibus glandulosis, quæ cùm suaptè natura debiles sint, & facilè malorum succorum susceptivæ, propterea difficiliorem semper reddunt curationem. Fuere tamen, qui usu causticorum medicamentorum, & excedentium, præsertim olei vitrioli, aliusve, ex integro universum tumorem extirpare conati sunt, sed non semper felici successu; etenim nisi omninò carcinoma eradicetur, inutilis evadet opera extractionis. Accedit, quòd multoties ex resectione vasorum tanta sanguinis effusio facta est, ut omninò exanimati patientes paulò post interierint.

Atque hinc denique concluditur in textu, non curatos in longius tempus perdurare, cùm Natura faciliùs semper toleret cancrum non ulceratum, quam ulceratum. Observatum namque est in praxi plures carcinomate affectos ad plurimos annos vixisse, & alios usque ad extremam senectutem fuisse perductos, servata tamen convenienti diæta, & assumptis per intervalla medicamentis sanguinis acritatem retundentibus, qualia sunt, quæ ex cancris fluviatilibus, ex viperis, cornu cervi, decoctis chinæ, aliisque similibus conficiuntur, de quibus in praxi.

APHORISMUS XXXIX.

Convulsio fit vel ex repletione, vel inanitione: ita verò & singultus.

Causas convulsionis memorat in hoc Aphorismo Hippocrates, illasque ait duas esse in universum, Inanitionem scilicet, & Repletionem: cùm enim convulsio sit retractio nervorum, & musculorum ad propria capita, & tum inanitio, tum repletio possint nervos, fibrasq; nervorum ita afficere, ut involuntariè retrahantur, convellanturque, eo prorsus modo, quo fides, cæteræque partes membranaceæ, ac fibrosæ, aut plus justo arefactæ, aut plusquam ratio postulat humoribus tumefactæ contrahuntur, propterea fit, ut pari ratione nervi, nervorumque fibræ à consimilibus causis convellantur, quemadmodùm Galenus ipse latè prosequitur *in commentario hujus aphorismi.*

Verùm quidquid sit de causa replente, certum est inanitionem talem, ac tantam in nervis impossibilem esse, quæ videtur omninò excitari non posse: nam quæ Galenus affert de chordis, & coriis arefactis ad ignem, vel ad solem æstivum, licèt vera forent (quæ tamen puerilia existi-

existimat Martianus) non tamen congruenter aptari possunt nervis,& musculis intra corpus positis, cùm nunquam isti adeò possint arefieri, & exsiccari, ut omni prorsus humiditate priventur, sicuti contingit corio ad ignem exsiccato: si unquam insuper id humano corpori viventi possit accidere, proculdubiò in his, qui hectica febre, tabeque consumpti sunt, idipsum liceret experiri: atqui nemo istorum unquam convulsionibus corripi visus est, etsi plerique pellem dumtaxat superductam ossibus haberent: causam igitur istam ex inanitione petitam rationi, & experimento consentaneam nemo planè existimabit. Convulsio insuper nervorum compunctionem, aut cæsuram momento ferè temporis consequens, nec ad inanitionem, nec ad repletionem referri potest, sed aliam omninò diversam exigit.

Crediderim eapropter causam hanc inanientem, non ex ratione inanitionis, & arefactionis convulsionem excitare, sed ex acritate, ac molesta quadam vellicatione, nervis, & musculis plurimùm infensa, proficisci; nisi enim nervi, & musculi in inanitionibus à re quapiam proritentur, & compungantur, nullatenùs poterunt convulsionem subire: qua etiam ratione exposuimus *V. aphorismorum textu primo*, convulsionem ab usu ellebori, aliusve simimilis acrioris medicamenti excitatam; siquidem cùm elleborum immodicè evacuando humores extenuat, ac perturbat, simul unà per acritatem nervos,& musculos, illorumq; fibras proritat,& compungit, unde ipsi inæqualiter concitantur,& convelluntur. In quam eamdem rem Galenus quoq; *in comm. istius aphorismi* proponens causas singultus, qui species dicitur convulsionis, affert exemplum piperis ex vino sumpti, quod sua acritate potenter singultum promovet, motum scilicet ventriculi subversivum, quo se ipsum ab illa molestia liberet.

Neque solùm causa inaniens, sed etiam replens, convulsionem nullam affert, nisi præter repletionem acrem, & molestantem aliquam conditionem conjunctam præseferat: nam membra paralysi affecta à causis replentibus humidis, & pituitosis, nullatenùs convulsioni subiiciuntur, sed potiùs à copia humorum plus justo distensa, & resoluta, omnem motum, & sensum amittunt: neque verò nervi in paralysi aliter afficiuntur, quàm ut in convulsione; etenim fibræ, & tunicæ nervorum in utrisque æquabiliter offenduntur, ea solùm differentia, quòd in paralysi causa sit opplens, & hebetans sensum, in vonvulsione verò pungens,& irritans. Atque hinc fit quamobrem hystericis passionibus laborantes non rarò unà simul vexari soleant convulsionibus, & motibus convulsivis, itemque catalepsi, & paralysi membrorum, à materia nimirùm simul contorquente fibras, & sensum partis hebetante. Hinc falsum, quod hucusque nonnullis creditum in convulsione membranas nervorum, in paralysi verò cavum eorundem oppleri, & tumefieri, siquidem in paralysi non rarò amittitur sensus superstite motu; sensus autem in membranis nervorum fit: & membra paralysi affecta resoluta observantur, ac plus justo distenta, & flaccida, ut per fibras nullimodè flecti, aut commoveri possint; in quarum vitium etiam fibræ musculorum coafficiuntur, ut aliàs dictum.

Quod dictum est de convulsione, facili negotio singultui aptari potest, cùm singultus sit quædam pecu-

peculiaris ventriculi convulsio conantis expellere ea, quæ intimas illius partes infestant: atque in hoc differt singultus à vomitu; in vomitu enim humores molestantes, cavum ventriculi occupando, facillimè evacuationi subiiciuntur, idcircò ventriculus motu subversivo illos expellit, & ab irritamento se vindicat; at verò in singultu conatus omnis est irritus, quia humores infestantes penitiores illius partes occupant. Non semel autem expertum est desiisse singultum citrà quamcumque evacuationem, assumptis medicamentis oleosis, acritatem illorum humorum retundentibus, vel fibras ventriculi laxantibus.

APHORISMUS XL.

Quibus dolor circà hypochondrium fit absque inflammatione, iis febris superveniens morbum solvit.

Dolores in hypochondriis excitati, varii esse possunt. Aliquando enim fiunt cum sensu ponderis à materia quadam obstruente, & sua corpulentia premente, & gravante partes præsertim glandulosas in hypochondriis sitas. Aliquando fiunt à flatibus cum sensu inflationis, unde partes ipsæ plus justo distentæ tumefiunt, & attolluntur, adeòque dolent. Nonnunquam à detentis fæcibus una simul commistis cum crassis, tenacibusque succis, ut non rarò evenit in intestino Colo, quòd cùm à dextra in sinistram ventris partem porrigatur sub utroque hypochondrio, non rarò etiam cum hypochondriacis doloribus confunditur, eo quod zonæ instar jecur, lienem, renes, & lumbos circumafficiat. Sed & interdum quoque dolor excitatur à male affecto pancreate, à glandulis lumbaribus, à tumoribus progenitis in parte cava jecoris, aut lienis, unde etiam difficultas respirandi, motus impotentia, murmur ventris, ructus, flatus, aliaque consimilia symptomata exoriri solent. Denique contingunt dolores ab inflammationibus, aut abscessibus in iisdem partibus progenitis ab humoribus præsertim acribus, acidis, lymphicis, aut biliosis dictis, qui præter dolorem febrim quoque continuam, & acutam excitant.

Hos omnes ergo, aliosve similes hypochondriorum dolores considerans in hoc aphorismo Hippocrates, illos inquit salubriter finiri superveniente febre; sed neque solùm dolores ipsos veluti effectus, sed & morbum qualemcumque, unde dolores ipsi proficiscuntur, à suscitata febre terminari. Dixit autem dolores hypochondriorum, hoc est partium illarum, quæ sub chondriis, seu cartilaginibus, costas spurias obducentibus, sitæ sunt, quemadmodùm in dextra parte lobus est jecoris cum adjuncto illius ligamento, in altera parte lien: excipiuntur autem stomachus, ventriculi fundum, pylorus, intestina gracilia, quæ inter utrumque hypochondrium sita sunt, & medium regionis epigastricæ occupant; siquidem partes istæ dolentes, à superveniente febre minimè liberarentur, sed magis, magisque molestatæ, exitium brevi futurum ex febre portenderent, quemadmodùm ex aliis tum Hippocratis, tum Galeni locis, clarissimè deducitur, & pluribus experimentis passim in praxi comprobatum est, quippe non dolent nisi à causis vehementibus, & cùm sint partes maximo sensu præditæ, semper ac febrim comitem habent, in mortem

desinunt. Contrà verò dolores in hypochondriis excitati, quia plerumque fiunt ab humoribus crudis, crassis, glutinosis, & flatulentis, facillimè beneficio supervenientis febris discutiuntur, & resolvuntur, cùm febris vim habeat attenuandi, resolvendi, & ejusmodi crassos succos concoquendi, facta deinde per vias urinarias, vel etiam per alvum, depositione.

Excipit autem Hippocrates dolores ab inflammatione dependentes: tunc enim, quia causa doloris non est lentus, & crassus humor, aut conclusus flatus, sed sanguis vel acer, vel acidus restagnans in ipso jecore, vel liene, neutiquam à febri subigetur, sed potiùs exacerbabitur, & exacuetur; unde sicuti in priori casu febris remedium est, ita in posteriori signum erit pessimi morbi, & exitus calamitosi, veluti designans causam malam difficulter superabilem, & partes affectas penitiùs esse in suis operationibus invasas. Qua planè ratione fit, cur Hippocrates apposuerit adverbium illud *circà*: nam inflammatio semper intimiores, & præstantiores partes occupabit; simplex verò dolor superficiarias tantùm, nec adeò naturæ operibus necessarias. Hinc autem idem Hippocrates scripsit 2. *pror rethic.* febres ex hypochondriorum doloribus malignas esse, veluti ab inflammatione, vel phlogosi dependentes.

Denique adjectum est, non solùm dolorem, sed etiam morbum subinde solvi: nam cùm dolor in hypochondriis, sit symptoma consequens vel morbum, vel causam morbi, putà obstructionem, tumorem, vel flatus, humoresque crassos inflantes, & distendentes, profectò nedum per febrim dolor ipse definet, sed etiam morbus, vel causa morbi dolorem excitans. Et licèt dolor nullus fiat sinè causa aliqua continuum solvente, quia nihilominùs Hippocrates non definivit in hoc aphorismo naturam, seu speciem doloris, poterit benè explicari de quocumque dolore, etiam gravante, inflante, vel distendente, qui cùm fiat ab humoribus lentis, vel etiam à flatibus, facillimè poterunt à superveniente febre dissipari, discuti, & resolvi.

Pro coronide tandem deducere licebit ex hoc aphorismo, non semper febrim nocuam esse, sed sæpesæpiùs salutarem, quemadmodùm non hìc solùm, sed alibi plùries idem Hippocrates est testatus.

APHORISMUS XLI.

Quibuscumque suppuratio in corpore existens non innotescit, iis ob crassitudinem puris, aut loci, non innotescit.

Cum anteà dictum sit dolores in intimis partibus corporis excitatos, non raro ab inflammationibus exoriri, & inflammationes in suppurationem deduci, adiicit in hoc aphorismo Hippocrates, quibus de causis illa non innotescat, aitque vel ob crassitudinem puris, vel ob profunditatem loci non apparere, aut visu, vel tactù non percipi.

Et quidem primò necesse est, factam multò anteà fuisse suppurationem à sanguine alicubi concreto, unde præcesserint febres, dolores, inquietudines, aliaque symptomata suppurationem comitantia: cumque post suppurationem ista soleant plurimum remitti, documento ejusdem Hippocratis 2. *aphor.* dicentis: *dùm pus conficitur dolores, & febres*

febres accidunt magis, quàm jam confecto; propterea ab indicio confecti puris, & desinentium symptomatum, si illud aliunde non innotescat, alterum ex duobus intercedere, crassitudinem videlicet puris, aut loci profunditatem. Usus est autem Hippocrates voce *non innotescere*, quæ idem omninò significat, ac non conspicuum fieri, non apparere, neque manifesta indicia de se prodere, sive fluctuatione, sive tumefactione, sive novo dolore, ac febre, sive exitu per vias urinæ, per alvum, aliosve ductus corporis, itaut omninò intra corpus delitescens nullum manifestum indicium præbeat, quo possit prudens Medicus in illius cognitionem perduci. Sed tamen non inde quis existimabit, taliter affectum, ac patientem benè se habere, nullaque ægritudine molestari, nam cùm pus genitum, & alicubi collectum, sit de genere eorum, quæ præter naturam sunt, fieri nulla ratione poterit, quin operationes aliquæ læsæ sensibiliter non sint, unde probabiliter suspicari queat à contento pure, alicubi delitescente, fore operationes aliquas, saltem naturales, ab ipso restagnante vitiatas, cum sensu saltem ponderis, cum lassitudine, cum motus difficultate, cum mala nutricatione, cum febri aliqua pusilla, cum inquietudine, cum vigilia, aliisque symptomatibus, magis, minusve ægrotantem molestantibus, prout pars affecta nobilior, vel ignobilior fuerit. Atque hac ratione multoties visum, factas suppurationes in glandulis, & partibus glandulosis, diù patientem malè affectum detinuisse, & pòst aliquot horas à pastu levi febricula vexasse, tum anxietudine, molestia, motus impotentia, sine evidenti aliqua causa, & tandem facta irruptione pus prodiisse per alvum, aut per vias urinæ; unde licèt patiens ipse malè se haberet, non tamen certa indicia patebant peractæ suppurationis.

Verùm quamvis difficillimum planè sit de facta suppuratione certum judicium proferre, poterit nihilominùs sagax Medicus ex prægressis causis, atque ex præcedenti morbo non improbabiliter conjectari peractam alicubi illam esse: si nimirùm ex casu, contusione, vulnere quis ægrotaverit, itemque ex præcedenti dolore saltem gravante, potissimùm in partibus imi ventris, itemque ex nausea, vomendi stimulo, pavoribus nocturnis, pulsu inæquali, decubitu in aliquam partem corporis molesto, lassitudine, inquietudine, motus impotentia, aliisque per aliquod tempus fuerit ille affectus, mox veluti repentè gravi febre, & acuta corripiatur, quæ sine ulla intermissione, & cum repetentibus rigoribus, aut horripilationibus, ad tres, quatuorve dies uniformis observetur; deinde subitò mitescere, & remitti videatur adjuncto levi sudore, vel urina crassiori, ob quam ita in meliùs abire videatur, ut se à febre immunem omninò existimet, procedente verò tempore sensim, statutis quibusdam horis, febricula molestetur, & cùm appetendo, & concoquendo benè se habere videatur, nihilum tamen proficit; planè suspicari licebit, ex causis superiùs memoratis, abscessum, aut inflammationem alicubi factam esse, mox ex superveniente febre acuta, & vehementi, promotam fuisse suppurationem, qua peracta, remissa fuisse symptomata, aut etiam inconspicua evasisse, sed non omninò deleta, patientem detinere morbosum, aut valetu-

valetudinarium; quamobrem, si adhibitis medicamentis dissolventibus, & puri confecto exitum parantibus, aliqua expurgatio deinde purulenta subsequatur, certum indicium prodibit latentem suppurationem patentem jam evasisse.

Quòd autem suppuratio in corpore existens delitescat, & certa sui indicia non proferat, idque ex memoratis duabus in hoc aphorismo causis haberi possit, clarius est, quàm ut longa hìc oratione explicari egeat. Siquidem puris crassitudo multoties in causa est, ut alicubi restagnans neque ingentem molestiam pariat, neque exitum sibi paret; quoniam propter crassitiem circumjacentes partes minimè vellicantur, quæ propterea non proritatæ nullatenùs illius evacuationem moliuntur: id quod (ut anteà est animadversum) sæpesæpiùs accidit in partibus glandulosis: Nec præterea purulenta materia tenax, & crassa vehementem in partibus excitat fermentationem, unde diù ibidem subsistere potest, quemadmodùm experimur in Atheromate, Steatomate, & Meliceride, in quibus propter humoris contenti crassitiem, & viscositatem partes affectæ in longissimum tempus sufferunt tumefactiones, & gravamina. Partes etiam reconditæ, profundæque corporis, itemque crassæ, obesæ, glandulosæ, veluti sensus expertes, in diuturnum tempus solent collectam purulentam materiam citrà grave incommodum sustinere, & absque ullo periculo putrefactionis, aut corruptionis; quia putrefactio, & corruptio non fit sine fermentatione, & fermentatio non sine intestino motu partium tenujum, & mobilium: cùmque pus crassum sit, atque adeò ineptum motioni, & partes affectæ exangues, nullo, vel modico sensu præditæ, fit proinde, ut diutissimè suppurationes istæ delitescant, & eousque innoxiæ perseverent, quo usque promoto in illis motu, vel novus morbus insequatur, vel aditum sibi faciat pus attenuatum. Cæterùm peritiores Chirurgi solent de internis istiusmodi suppurationibus partium profundarum certum fermè judicium proferre à fluctuante per tactum utrimque initum materia, si nimirùm hinc inde prementibus digitis, quod subest, loco moveri percipiatur, & cutis externa à suo naturali colore, & calore permutata videatur.

Omittendum denique non est, de iis suppuratis locutum esse hoc loco Hippocratem, qui in imo ventre potissimùm suppurationem patiuntur, secùs verò de suppuratis in pulmone, aut pectore, quorum alibi signa cum eodem Hippocrate tradidimus, *in commentariis super quintum librum Aphorismorum.*

APHORISMUS XLII.

Morbo Regio laborantibus si fiat Hepar durum, malum.

MOrbus Regius quinam sit, & à quibus causis progigni soleat, & quemnam exitum febrientibus contingens portendat, alibi est à nobis examinatum: nunc solùm pro expositione istius aphorismi, dicimus illum hìc dumtaxat ab Hippocrate considerari, qui ab inflammatione vel simplici, vel mixta jecoris contingit: nam cùm felleus humor nequit in sua cysti colligi, propter tumorem, aut inflammationem jecoris, planè per universum corpus diffunditur, & sanguinem inficiens, non sine febri evenit; hinc

hinc duplici de causa malus ille erit, tum quia infectus subinde sanguis, cunctas corporis partes inevitabiliter contaminat, & operationes ejusdem principales lædit, præsertim respirationem, & pulsum, cùm Icterus nunquam fiat in febribus sine fermento sanguinis corruptivo; tum etiam, quia à jecoris inflammatione, vel tumore provenit, & ejusmodi mala in illo semper gravia sunt. Nisi etiam interpretari velimus Hippocratem de tumore, & duritie jecoris consequente, non autem antecedente, vel comitante Icterum. Siquidem morbo regio laborantibus si jecur obdurescat, indicio erit tantam in jecore humoris non repurgati collectionem factam fuisse, ut exinde illud remaneat obduratum; vel etiam felleum humorem in cysti recollectum ex conditione acri transitum fecisse in acidam, malignam, obstruentem, figentem, obdurantemque substantiam jecinoris, ut proinde non solùm ex ipsa tumefactione, & duritie, sed etiam ex obstructione, & maligna conditione fellei humoris jecur obduruisse, ut in posterum nullus sit repurgandæ bili locus, sed universa sit per sanguinem, & habitum corporis diffundenda; quamobrem ex multis capitibus malum ægrotanti portendatur.

APHORISMUS XLIII.

Qicumque lienosi à difficultate intestinorum capiuntur: iis supervenientem longam difficultatem intestinorum, aqua intercus, aut lævitas intestinorum excipit, & moriuntur.

SEriem quorumdam morborum lienosis contingentium, proponit in hoc aphorismo Hippocrates, cum prognosi exinde lethali. Inquit enim lienosos dysenteria, & quidem diuturniori correptos, facilè in Hydropem, aut Lienteriam delabi, ac tandem mori.

Pro lienosis autem non intelligit quoscumque liene laborantes, sed eos solùm, qui diuturna lienis ęgritudine laborarunt, cum tumore, obstructione, & duritie manifesta in sinistro hypochondrio: tales enim nedum acido, & melancholico humore superabundant, sed etiam serositatibus gravantur ferè per totum corpus dispersis; siquidem & sanguis universus in his malus est, & totus habitus corporis fœdus, & decolor, nonnisi ab acida ejusdem humoris conditione, & à copia aquosæ superfluitatis, quæ cùm non benè repurgetur, nec in renes deferatur, omnia viscera naturalia, totumque corpus inficit, & conspurcat. Hinc observant Anatomici carere renibus animalia illa, quæ splene sunt orbata, & nos passim in praxi experimur spleneticos ex obstructione, aut tumore parùm mingere, & urinam proferre decolorem, tenuem, & veluti percolatam.

Quoties igitur lienosi tanta excrementorum multitudine superabundant, ut irruptione per mesenterium, & ramos mesentericos simul, & splenicos in alvum facta, dysenteriam incurrant, præsertim longiorem, fore planè, ut labefactatis plus justo visceribus imi ventris, propter diuturnam excretionem cruentam simul, & dolorosam intestinorum, aqua intercus, seu hydrops, aut lienteria subsequatur cum interitu inevitabiliter successuro. Neque enim mirum videri poterit, quòd post diuturnam dysenteriam lęvitas intestinorum, aut hydrops subsequatur: nam cùm lienosi, ex nuper tradi-

traditis, acidis humoribus, & serosis superfluitatibus abundent, proculdubiò ista cumulatiora fient in lienosis post intestinorum difficultatem, tum quia vires sunt magis infractæ, partim ex dolore, & assiduo egerendi conatu, partim quoque ex sanguinis egestione; tum etiam, quia fermentum stomachi digestivum vel dilutius omninò fit, vel aciditate infensius, unde chyloses pessimæ, adeòque & sanguis, qui ab his restaurari deberet; ut propterea tandem dysenteriam excipiat lienteria, si acidæ istiusmodi aquosæ superfluitates petant ventriculum, & Intestina gracilia; vel hydrops, si per totum corpus dispergantur, aut in abdominis cavum deducantur: superveniens autem alterutra ex his affectionibus, mortem inevitabiliter afferet, cùm ægrotantem invadat diuturna ægritudine malè affectum, & dolorosis evacuationibus conflictatum, adeòque viribus imbecillem: qua sanè ratione fiet, ut morti brevi succumbat, effœto sanguine, & spiritibus exsoluto. Cæterùm, quod à plerisq; scribitur subsecuturam mortem in his à labefactata jecoris sanguificatione, quoniam jecur putatur perpetuò affectum in hydrope, nec experimento, nec menti Hippocratis in hoc aphorismo cohæret: non experimento, quia hydropici citrà jecoris vitium affecti plurimi referuntur, ut alibi quoque à nobis est animadversum: neque Hippocratis menti, qui ex lienis affectione acido-melancholica futuram inquit dysenteriam, indeque lienteriam, aut hydropisim nulla facta de jecoris laborantis mentione. Sed & apud Schenkium, Platerum, Bonetum, aliosque, plerique memorantur hydropici solius malè affecti lienis vitio, & ex melancholico potiùs humore superabundanti, quàm ex dyscrasia frigida, humidaque jecoris, sanguinem pituitosum, & aquosum progignentis: quippe ubi lien tumet, & acidus, melancholicusque humor prævalet, aqua etiam, illaque malæ conditionis, perpetim quoque superabundat, ut propterea jure optimo melancholiam Hippocrates Aquam appellaverit.

APHORISMUS XLIV.

Quibus ex stillicidio urinæ Ileos supervenerit, in septem diebus pereunt, nisi, febre superveniente, satis urina fluxerit.

PRoponit & in hoc aphorismo Hippocrates morbum morbo supervenientem considerandum, ut exinde exitum utriusque deducat, aut ad salutem, aut ad mortem. Affert autem exemplum supervenientis Ilei urinæ stillicidio, aitq; Ileum stillicidio urinæ succedentem, infra septem dies lethum afferre, nisi tamen febris superveniat, & sua vi, atque efficacia urinam reddat copiosam, & affluenter prodeuntem.

Quid autem sit Ileos, & à qua causa fiat, abundè à nobis alibi est explicatum. Et quamvis à fæcum constipatione, & duritie, à viscosis, & tenacibus succis, à situ ejusdem intestini Ilei vitiato, vel per contorsionem, vel per intrusionem, vel per inversionem, & denique ab inflammatione ejusdem, aut partium circumstantium oriri soleat, in præsenti tamen aphorismo, quia ex urinæ stillicidio provenire dicitur, putandum à confluxu acrium, & mordicantium humorum illum excitari, ut propterea, qui humores in Vesicam ferebantur, & urinæ stillicidium inferebant, in intestinum Ileum delati, aut phlo-

gosim, aut inflammationem pariant, maxima autem, & viciniſſima communio inter veſicam, & inteſtinum Ileon intercedit, cùm illi proximè veſica ſuperincumbat, quamobrem promptè poſſunt ex una in aliam partem humores decumbere: ſive autem iſti extimas veſicæ partes occupent, ſive etiam muſculum janitorem proritent, ſive denique mediam veſicæ tunicam fibris carneis intertextam infeſtent, planè poterunt illam ad micturiendum ſollicitare, atque adeò urinæ ſtillicidium inferre: ſi præterea delati in inteſtinum Ileon, illud inflamment, vel per motum periſtalticum inverſum ad vomendum laceſſant, non ſine dolore, & ventris inflatione, profectò fiet, ut mors infra ſpatium ſeptem dierum ſit ſubſecutura, cùm Ileus morbus ſua natura ſit lethalis, & multò magis ſi fiat ab inflammatione propter affluxum acrium, & mordentium humorum. Statuitur autem terminus ſeptem dierum, non quòd ſeptimo die mors omninò accidat, cùm & ſexto, quinto, quarto evenire poſſit; ſed quia ſeptimus dies eſt terminus morborum peracutorum, cujuſmodi eſt Ileus. Hinc non dixit Hippocrates, in ſeptimo die, ſed in ſeptem diebus, hoc eſt intra ſpatium ſeptem dierum pereunt. Poterunt nihilominùs patientes ab hac calamitate evadere, ſi beneficio febris (quæ proculdubiò affectionem hanc, aut à principio comitabitur, aut intra prædictum ſpatium conſequetur) diſſoluti humores denuò in veſicæ cavum repant, & urinam affluenter promoveant; ſiquidem promota per febrim fermentatione, & attenuatis humoribus, laxatiſque viis in veſicæ cavum tendentibus, fieri poterit tranſpoſitio eorumdem ab inteſtino Ileo in veſicam. Et quamvis de ductibus controverti poſſit, attenta nihilominùs diligenti, & accurata anatome Recentiorum, qui duce Bartholino detexerunt ex inteſtinis gracilibus, & præſertim ex Ileo, meatus quoſdam deduci ad renes, uretenes, & veſicam, planè ſatisfieri poterit ejuſcemodi difficultati; quin & ſagax Natura mille ſibi (ut ajebat Galenus) parare ſolet vias, per quas ſe ipſam exoneret, & à morbis vindicet. Quòd ſi urinæ ſtillicidium fieri dicatur ab humoribus mucoſis, craſſis, & acidis, qui partim tenacitate, partim acore veſicam ad micturiendum ſtimulent, longè faciliùs poterit à ſuperveniente febre, excitatus Ileus deſinere, & mors præcaveri; quandoquidem per febrim viſcoſi iſti humores facillimè attenuantur, & diſſolvuntur, unde poſtmodùm urinæ profluvium. Debet autem urina affluenter promoveri, quemadmodùm dicitur in textu, ut ejuſdem copia, nedum humores in Ileo collecti, ſed alii quicumque per univerſum corpus diffuſi, veluti criticè, uberiori mictu penitùs egerantur, ſiquidem criſis, ut ſit perfecta, debet proportione reſpondere quantitati humorum peccantium, qui ſanè in iſto caſu non pauci dicendi ſunt, cùm Ileum, febrim, & inflationem cum dolore ventris excitaverint. Et quamvis Hippocrates in aphoriſmo non meminerit, cujus conditionis urina futura ſit, ut patientem ab Ileo, & à morte tueatur, credere tamen licet illam debere eſſe non ſolùm quantitate copioſam, ſed & craſſam, multo ſale, & ſulphure ſaturam, ac abundanti ſedimento ſcatentem, quemadmodùm deducere eſt *ex Coacis prænotionibus*.

APHO-

APHORISMUS XLV.

In ulceribus annuis, aut etiam diuturnioribus, abfceffum cum offe communicari eft neceffe, & cicatrices cavas fieri.

MAximè utilis eft hic Aphorifmus in praxi Chirurgica pro curandis ulceribus inveteratis: in eo enim edocet Hippocrates, quænam mala confequantur ulcera diuturniora, fimulque reddit caufam, cur eadem difficillimè quandoque curentur, etfi efficaciffima præfidia tum interna, tum externa fuerint adminiftrata; quippe fæpè evenit, ut adhibitam quamcumque diligentiam eludant, nullaque ratione ad cicatricem perduci queant, licèt rubra, munda, & fine ulla inflammatione obferventur, ac pus referant concoctum, minimèque fœtidum, quia fcilicet offa illis fubjecta livorem, aut corruptionem ab ipfamet diuturnitate contraxerunt, unde alimentum perioftio communicatum inficitur, & infectum nullatenùs permittit ulcus ipfum confolidari. Admonentur proinde Chirurgi aphoriftica hac doctrina, oportere fubjectum os denudari, deinde etiam fi læfum, vitiatum, aut lividum obfervetur, detergi, abradi, defquamari, quoufque pars fana offis detecta fuerit. Verùm ad exactam totius aphorifmi intelligentiam aliqua erunt adnotanda.

Primùm memorari hìc ab Hippocrate *ulcera annua, aut etiam diuturniora*: nam recentia videntur excipi debere, nec ejufmodi incommodum fubire, tum quia non ftatim offa, & offium perioftia in ulceribus læduntur, nec alimentum, quod illis fuggeritur, ftatim ab initio contaminatur; tum etiam, quia non fubitò à pure detento, aut vitiato, ulcera finuofa fiunt, vel faltem fordida, & cacoethica, unde profundiores illius partes infici poffint; tum demum quia magna etiam ex parte refiftunt corruptioni, & putredini offa ipfa, quæ propterea non nifi ad longum tempus fœdari, & vitiari folent. Itaque ulcera debent effe in longum tempus protracta, ut propterea jure optimo dixerit Hippocrates *in ulceribus annuis*, quæ nimirùm per annum, & ultra perduraverint. Adjecit autem, & non immeritò, *aut etiam diuturnioribus*; quoniam non ab annua conditione, fed à temporis diuturnitate fubjecta offa in ulceribus inficiuntur: Neque verò diuturniora folùm ulcera debent hìc intelligi, quæ ultra annum producta funt, fed etiam alia quęcumque, quæ intra annum curari potuiffent, & fanata non funt, cùm in aliquibus partibus ulceratis curatio facilior effe foleat, in aliis difficilior; unde experimur partes emunctorias corporis, glandulofas, articularias, aliafque fimiles difficiliùs curari, longè faciliùs carnofas, & mufculofas; quin & inter has adhuc aliqua differentia obfervatur, nam ulcera in mufculis clunium excitata, femper funt difficiliora, & feriùs ad cicatricem perducuntur; immò & ulcera mufculorum temporalium periculofiffima; quamobrem diuturniora appellari poterunt ulcera illa, quæ præter morem protrahuntur, fine ulla evidenti caufa. Dixi fine ulla evidenti caufa; quoniam fieri poteft, ut ulcera in longius tempus differantur ex mala curatione, & ex imperitia Chirurgi, fortè quia non tractantur iis medicamen-

camentorum generibus, quæ à natura ulceris, & partis affectæ sunt expostulata, vel quia sordities non est detersa, vel quia corpus est impurum, & cacoethicum, vel quia gallica contagione infectum, vel quia in ulceribus occultum aliquod detinetur, quod curationi impedimento est, quemadmodùm Galenus refert *lib. artis Medicæ*, & passim Chirurgi experiuntur in vulneribus, in quibus aliquod extraneum relictum est, puta ensis mucro, stupa, capillus, pila plumbea, aliudve simile.

Quoties igitur citrà quamcumque causam manifestam ulcera, quæ cæteroqui apparenter salutaria videntur, ad cicatricem non perducuntur, neque consolidationem admittunt, vitium in osse contractum significant, quod primùm abradi, & desquamari, deinde detersum complanari expostulat; unde cogendi sunt Chirurgi, ut in his casibus cavum, & profundum ulceris exquirant, & tum periostium, tum os subjectum mundificent, atque ab omni vitio tueantur, aliter abscessus, & decubitus humorum ad partem ulceratam factus, non solùm curationi impedimento erit, verùm etiam talem, ac tantam læsionem in osse subjecto inferet, ut de totius ossis, totiusque membri enormi læsione timendum sit, quamobrem jure optimo admonet in hoc aphorismo Hippocrates ex diuturnitate ulceris abscessum in osse communicari, & cicatricem cavam fieri, ex causis superiùs adductis.

APHORISMUS XLVI.

Qui gibbi ex asthmate, aut tussi fiunt, ante pubertatem moriuntur.

QUamvis gibbi plerique sint, & ex multis causis tales fieri possint, non tamen omnes hìc Hippocrates considerat, sed eos dumtaxat, qui gibbi fiunt à dorsi, & pectoris structura vitiata, ita ut pulmo, aliæque partes spiritales intra pectoris cavum conclusæ, & in angustum positæ, in respiratione molestentur: etenim non alia de causa videntur gibbi hìc ab Hippocrate memorati, vitæ periculum subire, nisi quia summoperè in respiratione offenduntur, quæ ad vitam omninò necessaria est.

Sed non solùm gibbos hìc considerat Hippocrates cum usu respirationis læso, sed etiam ante pubertatis tempora; siquidem in ea ætate pectus nimis angustum esse solet, & cùm in situ, vacuitate, ac figura sit depravatum, nequit procedente ætate, juxta exigentiam corporis amplificari: quo fit, ut viscera spiritalia in angusto satis loco conclusa, neque debitam magnitudinem possint adipisci, neque pro respirationis usu commodè expandi, unde venæ, arteriæ, vasa lymphatica, itemque pulmonis tubuli, cordis ventriculi, pericardium, admodùm exilia, & contracta putanda sunt, ut non satis commodè sanguis, & cordis motum ad vitæ indigentiam adjuvare queant, proindeque necesse sit vitam procedente ætate diutiùs sustineri non posse.

Addidit prætereà Hippocrates ex asthmate, aut tussi gibbos, quoniam tunc gibbositas non ex sola ossium

introversione, aut extraversione, sed ex pulmonis, cæterarumque partium spiritalium vitio provenit; nam asthma, & tussis ægritudines sunt pectoris, & pulmonis. Verumtamen sicuti ex asthmate, & tussi gibbositas oriri potest, ita è converso ex gibbositate asthma, & tussis non raro fit, ea tamen differentia, quòd in priori casu gibbositas illa fit maximè periculosa, & plerumque lethalis; in posteriori verò casu, fit quidem molesta, sed possit in diutiùs tempus prolongari; quemadmodùm experimur in senibus. Atverò, qui gibbi fiunt ex asthmate, aut tussi, propter violentam, & continuam contractionem juguli, ossis sterni, musculorum intercostalium, colli, & asperæ arteriæ, fieri nequit, quin simul unà partes internæ spiritales, & externæ pectoris, haud graviter coafficiantur, præsertim in ætate puerili, in qua ossa mollia sunt, neque debitam expansionem, ac convenientem structuram sunt adepta, unde organa universa respirationi destinata inidonea fiunt vitæ tuitioni.

Atque hinc concludit Hippocrates eos ante pubertatem interire, cùm per eam ætatem exigat natura respirationem ampliorem, & vasa circulationi sanguinis dicata, latiora esse debeant; cùmque per gibbositatem, & partium spiritalium contractionem, illa insufficientia fint, meritò proinde dicitur ante pubertatem illos interire. Sed & posset etiam aphorismus exponi de gibbis illis ex asthmate, aut tussi factis antè pubertatem; ut proinde sensus fiat, non quòd ante pubertatem moriantur, sed quod gibbi ex asthmate, aut tussi ante pubertatem facti, in longum tempus vivere non possint. Quocumque autem modo legatur aphorismus, semper exitus in his lethalis portenditur, quoniam cum gibbositate respiratio, & motus cordis, ac sanguinis plurimùm impeditur, ac interrumpitur, unde vita diù foveri non potest.

APHORISMUS XLVII.

Quibuscumque venæ sectio, vel medicatio convenit, hos verè purgare, vel venam incidere oportet.

MUltoties corpora ægritudinibus obnoxia ad sui præservationem indigent evacuationibus tum per venæ sectionem, tum per purgantis medicamenti assumptionem, sed quoniam non quocumque tempore ejuscemodi remediorum administratio opportuna est, docet propterea in hoc aphorismo Hippocrates, quodnam tempus sit conveniens, & opportunum, adeòq; magis aptum purgationibus, aut venę sectionibus, ut illæ ex voto proficiant.

At verò non de quibuscumq; corporibus quomodolibet affectis intelligendus est hic aphorismus, sed de iis dumtaxat, quæ præservatione indigent, ne in ægritudines labantur, & in quibus humores mali adeò superabundant, ut nullo alio leviori præsidio possint emendari, sed omninò evacuatione egeant; quamobrem non immeritò Hippocrates in aphorismo scripsit: *quibus purgatio, vel venæ sectio convenit*; sive, ut aliis vertere visum est, *quos opus est purgare, vel sanguinis detractione evacuare*: isti autem nonnisi cacochymi, vel plethorici esse solent, & ut cacochymi purgatione, ut plethorici sanguinis missione indigere videantur. Corpora namque actu ægrotantia, sicuti præsentibus,

non imminentibus ęgritudinibus, afficiuntur, ita curatione, non præservatione opus habent: perperam enim quis ageret, si ægritudine jam jam exigente, purgatorium medicamentum in vernale tempus differre vellet, cùm tamen intereà increscente ægritudine, facilè æger ante hoc tēpus perire posset. Itaque aphorismus intelligendus est in corporibus præservandis, non autem curandis, quippe corpora præservanda, licèt actuali ægritudine minimè corripiantur, sunt tamen adeò malè affecta causis ægrotare facientibus, ut ne progressu temporis istæ plurimùm adauctæ, vel vitiatæ, morbos excitent, peropportunè antequam morbos pariant, ab iisdem purganda sint, & quidem tempore convenienti, quale vernale est, priusquam per æstivum calorem in motum fermentativum præternaturalem adigantur.

Quænam autem corpora ista sint, quæ verno tempore præservari debent, ne postmodùm per æstatem in ægritudines labantur, inquisitione dignum. Et rectè exponuntur à Galeno, cæterisq; Interpretibus, quæ per æstatem ægrotare consueverunt: puta si quis diebus canicularibus solitus sit aliàs corripi tertiana febre, erysipelate, diarrhęa, aliisq; similibus ægritudinibus, quoniam propter superabundantiam excrementorum acrium, seu biliosorum, prędictas ęgritudines æstivo tempore incurrere consuevit, profectò, antequam æstas accesserit, purgante medicamento, ejuscemodi excrementa biliosa, acria & depravata educenda erunt, ne scilicet quantitate adaucta, qualitate corrupta, & in corpore diutiùs detenta, in subsequente æstate febres, aliasque ęgritudines acutas cum manifesto vitæ periculo excitent.

Quod dictum est de Vere respectu Æstatis, pari ratione ampliari poterit ad Autumnum respectu Hyemis, quoties hyemali tempore consueverint ægritudines pluries recurrere, & corpora divexare; unde si fortassè quis per hyemale tempus solitus sit laborare ęgritudinibus pituitosis, aut lymphicis, poterit præcedenti tempore autumnali, opportunè repurgari à cumulatis ejuscemodi excrementosis superfluitatibus, antequam istæ per hyemem adauctę, & depravatæ, solitas illas ægritudines inducant.

Disjunctim prætereà notavit Hippocrates *medicationem*, aut *venę sectionem*; nam non in omnibus indifferenter utraque adhibenda est, sed prout habitudo corporis, morbi conditio, & apparatus humorum expostulaverit; quare corpora plethorica, carnosa, sanguinea, & quæ aliquam sanguinis evacuationem suppressam patiuntur, à qua aliàs juvamentum suscepere, venæ sectione tractanda erunt; quæ verò cacochymæ sunt, & excrementis abundant, vel in ęgritudines delabi consueverunt, humorales dictas, medicationibus, seu purgationibus erunt præservanda.

Neque solùm ista diversimodè peragenda erunt pro corporum varietate, & humorum conditione, sed etiam pro varietate ætatum, temperierum, regionum, consuetudinum; cùm quædam corpora per ejuscemodi circumstantiarum diversitatem, hoc, vel illo remediorum genere in melius procedere soleant.

Denique imminentes ægritudines debent esse tales, ut præter timorem certæ repetitionis in æstate, aut in hyeme, gravitatem, diuturnitatem, aut vitæ periculum rationabiliter minentur; quamobrem sana ratione superiùs dictum est, nullo alio leviori præsidio posse fieri emendabiles: nam si fortassè sola diæta, exactaq; victus ratio-

ratione, aut certo alimentorum genere, rectoque usu rerum nonnaturalium præcaveri possent, haudquaquam confugiendum erit ad venæ sectionem, aut purgationem. Ita quoque, si possint eadem præservari medicamentis corrigentibus, aut etiam per alios ductus corporis deducentibus humores, puta per sudorem, aut vias urinæ: similiter si per vomitum, ut in corporibus picrocholis dictis, & in quibus facilis est vomitio, aut sponte naturæ humores per superiora feruntur, ut ab eodem Hippocrate dicitur 4. *aphorismorum*. Hinc excipiuntur ęgritudines illæ, quæ immateriales dicuntur, hoc est ab humoribus non pendentes, aut quæ à solo viscerum languore originem ducunt, adeòque sola correctione, non autem evacuatione curantur.

Quoniam verò *in hoc comm.* Galenus consulit, podagra, cæterisque articulariis doloribus affectos purgationibus quoque per eadem tempora præcaveri posse, cùm dicat: *sed & podagram, & morbum articularem adhuc incipientem, & nondũ poros circa articulos facientem, ex tali evacuatione multis iam annis fieri probibuimus.* Qui hac ratione se tutos ab illa credunt, perbellè deridet Podagra apud Lucianum *in sua Tragopodagra*, jactabunda sic istos eludens:

Quis est hominum, cui non ego, insuperabilis
Regina morborum Podagra, nota sim?
Quam nulla thura, nulla fumigatio,
Nec fusus apud aras cruor, aut donaria
Suspensa templis divitum placabilem
Reddunt: nec ipse vincere summus omnium
Pæan deorum Medicus arte sua potest,
Apollinisve filius Æsculapius, &c.

Et infrà, postquam retulerit varia remediorum genera, quibus eandem retundere sibi mortales persuadent, & plurimas, ut seipsam vincant, industrias adhibent, tandem concludit:

Sed omnibus illis nil nisi plorare impero:
Et sic facientibus, vel irritantibus,
Occurrere soleo magis iracundior.
Qui verò contra me nihil ejus cogitant,
Illis facilem, & tractabilem me præbeo.

APHORISMUS XLVIII.

Lienosis difficultas intestinorum superveniens, bonum.

Lienosi hìc intelliguntur, qui lienis vitio laborant, sed cum tumore citrà inflammationem, aut febrim; quia scilicet crassa, & tartarea excrementa ibidem collecta sinistrum hypochondrium tumefaciunt, lienis ductus obstruunt, & totum corpus serosis, ac vitiosis humoribus, acidis, & melancholicis inficiunt: cùmque difficulter humores isti possint evacuari, & lien ab eorundem crassitie, ac densitate ęgrè admodùm liberetur, propterea fit, ut non tam facilè medicamentorum beneficio oppletus, pressusque, ille inaniatur. Solet autem sponte naturæ non raro moles ejus adaucta diminui, & per proprios ductus in mesenterium, ac in intestina exonerari, transfusis nimirùm ejuscemodi humoribus in alvum, unde dysen-

ſenteria hìc ab Hippocrate notata, non quidem inducta à vitio ſuccorum pancreatici, & bilioſi, neque ab eroſione venarum, aut arteriarum inteſtinalium, ſed per ſolam metaſtaſim decumbentis humoris è liene in inteſtina craſſa, cujus cauſa frequens, ſed non adeò doloroſa dejectio exorietur, ut in vera dyſenteria inteſtinali: id quod non ita pridem contigit obſervare in Nobili quodam Viro, qui per integram hebdomadam atrum, craſſumque humorem amurcæ ſanguinis haud diſſimilem, non tamen ſine vitę periculo, abundanter egeſſit. Verumtamen bonum erit indicium, ſi exinde lien ab ejuſmodi evacuatione detumeſcat, & univerſi illi humores ibidem cumulati excernantur, viribus ſimul unà conſtantibus. Accedit, quòd lienoſi plerumque ſeroſis humoribus abundant, qui ab acido ibidem hęrente ſiniſtrum illud hypochondrium tumefacere ſolent; ſi deinde ſponte naturæ ſeroſa illa colluvies in alvum deferatur, lien ipſe detumeſcet, & ductus ejuſdem obſtructi reſerabuntur, totumque corpus exinde malè affectum exonerabitur, atque in meliorem ſtatum abibit.

Eſt tamen verum, quòd dyſenteria hoc loco ab Hippocrate memorata intelligenda erit ſine inteſtinorum ulcere, aut inflammatione, & fortaſsè etiam ſine febre, quam plerique ſub nomine diarrhœæ potiùs, quàm dyſenteriæ, ſolent appellare. Etenim ſi dyſenteria ſit cum ulcere Inteſtinorum, vel cum eorumdem inflammatione, & febri conjuncta, planè ex his pertimeſcenda foret, adhuc ſi è liene tumefacto penderet, adeòque bonum non foret, cum dyſenteria quæcumque ſemper mala ſit, tum ratione partis affectæ, tum ratione ulceris ibidem contracti, tum denique ratione ſymptomatum adjunctorum, & præſertim febris acutæ.

Hinc modò edocemur ſinendam eſſe ejuſmodi evacuationem in lienoſis, ſi ſubinde lien detumeat cum ægri levamine, & virium conſtantia: quin ſi fortaſsè Natura tarda ſit, & ægrè admodùm hanc tranſpoſitionem tentet, aut illam non proficiat, poterit ſagax Medicus eandem explere. Pari ratione admonemur, lienoſos per eaſdem vias alvi fore evacuandos medicamentis purgantibus, ſed attenuantibus ſimul, & incidentibus, cùm plerumque humores ibidem hærentes craſſi, & tartarei ſint, nec facilè poſſint per alios ductus corporis amandari, niſi ſolùm per Inteſtina. Quòd ſi poſt craſſorum ſuccorum evacuationem ſeroſi alii ſuperſint, qui forſitan nequiverint ſimul unà, nec tam brevi tempore evacuari, diureticis planè medicamentis per vias urinarias deduci poterunt, cùm inter lienem, & renes magnus conſenſus ineat, ut ex Anatome: quamquam, ſi craſſi, tenaceſque ſucci fuerunt educti, veriſimile ſit ſimul unà quoque tenues, & ſeroſos per eoſdem ductus commodè potuiſſe evacuari.

APHORISMUS XLIX.

Quibuſcumque morbi podagrici fiunt; ii, ſedata in quadraginta diebus inflammatione, finiuntur.

TErminum podagricarum affectionum hìc memorat Hippocrates, dierum ſcilicet quadraginta, cùm ſponte ſua, & citrà quamcumque cauſam externam, aut errorem tum ab ægrotante, tum à Medico commiſſum, producuntur. Neque

que solùm podagræ, sed cujusvis alterius particularis morbi terminum, implicitè in hoc contineri existimandum; siquidem par ratio in cunctis est, cùm non à partibus affectis, manu scilicet, vel pede, sed ab humoribus ibidem depositis, & à loco articulari, terminus quadraginta dierum constituatur: qua profectò ratione experimur Rheumatismum, & Rheumaticas quascumque affectiones, in appendicibus musculorum habitas, pari dierum numero terminari solere.

Sed quamquam quadraginta dies hìc ab Hippocrate pro termino desitionis podagricorum affectuum referantur, non tamen quis existimabit, & ante hoc tempus, & multò etiam post finiri non posse; siquidem juxta variam humorum decumbentium conditionem, ac copiam majorem, vel minorem, & citiùs, & tardiùs poterunt ægritudines istæ desinere; unde si humores pauci sint, & tenues, citiùs, tardiùs verò, si multi, & tenaces fuerint, terminabuntur: sic in tophacea podagra plerique sunt, qui ad menses, & ultra laborant, sine ulla spe brevioris desitionis. Quamobrem non sine ratione adjecit Hippocrates in textu, *sedata inflammatione*; nam cùm inflammatio eas partes occupat, terminus desitionis speratur quadragesima die; humores etenim depositi in articulos cum inflammatione, nonnisi tenues, & calorem præseferentes esse solent: Inflammatio autem in his conspicua fit, quoniam non solùm internodia, & partes interiores articulorum, sed etiam appendices musculorum, tendinum, & ligamentorum, immò & cutis ipsa inflammari consuevit. Contra verò, cùm humores sunt crassi, crudi, phlegmatici, citrà quamcumque inflammationem articulos afficiunt, immò quandoque referunt conditionem tumoris ędematosi. Tempus etiam vel æstivum, vel hyemale ad durationem breviorem, vel longiorem valde conferet, promota nimirùm, vel retardata per poros cutis transpiratione.

Præterea, neque dixit Hippocrates desituram esse podagram in quadraginta diebus, sed inflammationem, fortassè cum podagra copulatam; unde ista tunc finienda speratur, cùm inflammatio desierit: primò enim terminari debet inflammatio in articulis inducta, posteà verò morbus podagricus, aut articularis. At qua de causa tantùm tempus exigatur, ut inflammatio desinat, benè explicat Galenus *in commentario*: Quoniam humores illi sensim debent difflari, & per poros cutis resolvi, quod sanè nequit peragi ad breve tempus, sed omninò necesse est spatium quadraginta dierum, qui terminus est acutorum morborum; quare inflammatio, quæ ægritudo acuta est, ejuscemodi termino finietur; podagra verò, quæ inter morbos chronicos refertur, etiam ultra hoc tempus prorogari poterit, &, ut dictum, pro varietate adhuc humoris ibidem collecti, vel paucioris, vel copiosioris, vel crassioris, vel tenujoris. Accedit, quòd ex languore articulorum, & ex conditione phlegmatis ibidem congesti, acidum referentis, multoties humores illi vertuntur in tophos, unde tophacea, & nodosa podagra, quæ sanè longissima fit, & multoties immedicabilis, de qua Ovidius.

Solvere nodosam nescit Medicina podagram.

quinimmò articuli ipsi ita convelluntur, & distorquentur, ut luxationem

tionem subeant, nulla ratione reducibilem, ut ex praxi.

Cæterùm licèt terminus hìc statutus in rheumaticis affectionibus passim talis observetur, sicut & non raró in repetentibus podagricis afflictionibus, non tamen de universali, totoque durationis tempore podagræ intelligendus est, quippe quæ longissima cùm sit, cum podagricis ipsis consenescit, & sæpissimè commoritur.

APHORISMUS L.

Quibuscumq; præciditur cerebrum, iis necesse est febrem, & bilis vomitum supervenire.

EST hìc Aphorismus prognosticus, quo nos edocet Hippocrates quid præsagiendum sit à præciso cerebro; simulque etiam erit diagnosticus, cùm ex symptomatibus hoc loco memoratis ducamur in cognitionem cerebri præcisi. Ubi autem Leonicenus vertit *cerebrum præcisum*, Fuchsius clariori significatione exponit *vulneratum*; quinimmò & nos, *quomodocumque contusum, punctum, concussum, aliterve exagitatum*, pari ratione interpretari poterimus. Quare ad partem Chirurgicam specialiùs pertinere videtur monitum hoc præsenti aphorismo memoratum.

Et quidem cùm cerebrum est vulneratum, aliterve affectum, non solùm ratione vulneris febris accidit, sed specialiùs à sanguine è vulnere prodeunte, & in pus converso; quoniam sanguis alicubi restagnans, statim grumescit, & in pus vertitur, unde postmodùm febris, quæ & acuta, & continua erit, tum ratione ipsius partis affectæ, tum ratione conclusi ibidem puris, aliusve corrupti liquoris, qui nedum Cerebrum ejusque meninges, sed & pertranseuntem sanguinem statim inficit, atque in indebitam fermentationem adigit: cùm fieri non possit, quin vulnerato cerebro meninges etiam scissæ non sint, proindeque præterfluens per illas sanguis depravetur, & inflammatio ibidem excitetur: modò inflammationes in meningibus cerebri statim febrem inferunt, continuam simul, & acutam.

Est tamen verum, quòd non semper febris hæc statim, & inter initia vulneris contingit, cùm aliquando sit observatum, tertia, aut quarta die illam supervenire, quoniam, ut dictum, non tamen ratione vulneris, quàm à sanguine extravasato, corrupto, aut in pus converso, febris oritur: atqui pus non statim fit, sed plerumque tertia, aut quarta die, ut propterea non irrationabiliter dixerit Hippocrates, *febrem supervenire*, non comitari. Hinc si fortasse in vulneribus capitis febris post tertium, aut quartum diem, non appareat, probabiliter conjicere poterimus cerebrum, ejusque meninges haudquaquam fuisse vulneratas.

Neque solùm febris supervenit cerebri vulneribus, sed etiam vomitus; siquidem vulnerato cerebro, meninges etiam, & principium nervorum afficiuntur, unde postmodùm stomachum, ventriculum, septum transversum, cæterasque partes nerveas simul unà collædi necesse est, immò etiam contrahi, & convelli, adeòque vomitum subsequi, qui peculiaris actio ventriculi est; quinimmò non raró accidit, ut statim ab affecto, vulneratoque cerebro ille succedat, ut & singultus, ac septi transversi coarctatio, ob maximum consensum, quem inter sese

partes

partes iftæ cum Cerebro ineunt. Neque folùm fi cerebrum vulneretur, vomitus accidit, fed etiam fi fcindantur, aut lacerentur meninges, quæ cùm nervofiffimæ fint, immò nervos, & nervorum liquorem conveftiant, femper ac illæ afficiuntur, partes cum ipfis confentientes ftatim mutuo fibrarum commercio in confenfum trahuntur, quemadmodùm fpecialiter eft ftomachus, multis refertus nervis è vago pari provenientibus.

Quamquam autem vomitus fæpiffimè paulò poft inflictum vulnus fubfequatur, folet nihilominùs etiam tertio, aut quarto die fupervenire, præfertim à fanguine putrefacto, à fanie, & à pure jam genito, quod cùm non ftatim fiat, neq; fubitò vomitum afferet; poftquam verò fanguis effufus in pus verfus fuerit, atque cerebri meditullium, ac principium nervorum pertigerit, vomitum inducet. Atque hinc deducunt peritiores practici mortem proximè effe affuturam, ut proptereà, fi contingat vomitus in quarta, æger fit periturus in feptima; & fi accidat in feptima, periclitabitur in undecima, & fic deinceps; eoquòd vulnera capitis, & cerebri, periculum femper vitæ minentur, quoufque non fuerint ex integro fanata; fed & aliquando etiam vifa apparenter curata mortem attuliffe, ichore ex vulnerata parte in cerebri meditullium refudante; quamobrem non fine ratione plerique ad centefimum quoque diem periculum vitæ protendi exiftimarunt, ut apud Chirurgos ipfos eft legere.

Sed unde accidat vomitus biliofus, & num à folo bilis vomitu periclitentur ægrotantes, quæri non incongruenter hoc loco poteft. Et quidem bilis vomitus in his accidit, vel quia ob nervorum convulfionem contrahitur ventriculus, & cum ventriculo pylorus, unde inteftinum duodenum, in quod per choledochum ductum portio fellea exoneratur, etiam motu periftaltico inverfo furfum retrahitur, & in ventriculi cavum biliofum iftum humorem effundit, qui deinde evomitur: vel quia portiones cibales in ventriculo relictæ, nec benè digeftæ, ac propterea in alium humorem degeneratæ per febrim ex vulnere cerebri fupervenientem commutantur in excrementa amaricantia, quæ conditionem biliofam referunt, unde vomitu fuperveniente poftmodùm evacuantur: id autem fæpefæpiùs experimur in praxi, quotiefcumque ventriculus malè affectus non benè concoquit, nec diffolvit alimenta, & ex inconvenienti mixtura fuccorum digeftioni deftinatorum emergunt fuperfluitates amaricantes, bilis naturam referentes. Verumtamen etiamfi vomitus biliofus non fit, nec amarorem referat, adhuc nihilominùs ejufdem pravitatis exiftimandus erit, quotiefcumque ex vulnerato cerebro accidit: malum enim exinde fignificatur, non quòd biliofus humor evomatur, fed quòd ex vulnerato cerebro vomitus accidat: parùm enim referet, an vomitus biliofus, an acidus, vel pituitofus, aut cibarius fit, nam femper malus erit, veluti defignans ex vulnere cerebri meditullium, & nervorum principium ab effufo fanguine, & à fupergenito pure, aut ichore, in eam partem decumbente, fuiffe affectum: modò gravis ifta affectio à pure, aliove humore deciduo in principaliorem cerebri partem, periculofa femper eft.

Deni-

Denique quòd à supervenientibus duobus hisce symptomatibus, febre scilicet, & bilis vomitu, ægri sint proximè periclitaturi, licèt hìc ab Hippocrate non sit memoratum, expresse tamen deducitur ex *lib.* 1. *de morbis*, ubi hìc idem aphorismus in hunc modum scribitur: *si cerebrum sauciatum fuerit, febrem necesse est supervenire, & bilis vomitum, & aliquam corporis partem siderari, atque perire*: & *in Coacis prænotionibus*, idipsum ferè repetitur: *quibus cerebrum vulneratur, febris plerumque, ac bilis vomitus accidit, & corporis sideratio, atque tales perniciosè habent*, quin etiam 2. *lib. de morb.* addit, *cerebro corrupto sanguinis vomitum sæpè subsequi*. Cæterùm quòd sanguis aliquando etiam in his exeat per nares, & aures adnotarunt Celsus *lib.* 5. *cap.* 26. & Paulus *lib.* 6. *cap.* 88. licèt non semper cum cerebri vulnere conjungatur, sed potiùs in ictu, contusione, casu, in quibus aut sanguis, aut pus, ex sanguine genitum, exteriores cerebri partes occupat, & per suos ductus faciliùs educi potest; quemadmodùm in praxi pluries est observatum.

APHORISMUS LI.

Quicumque sani dolore capitis repentè capiuntur, & statim muti fiunt, & stertunt, in septem diebus pereunt, nisi febris apprehenderit.

Ad prognosim quoque pertinet hic aphorismus, quo Hippocrates edocet benè valentes dolore capitis repentè correptos, si statim obmutescant, & stertant, intra septem dies perire, nisi febris illos apprehenderit.

Et quidem sanos, benèque valentes hìc considerat Hippocrates, non autem ægros, aut valetudinarios, in quibus hæc omnia evenire possunt, sed alia profectò de causa, quæ dolorem capitis afferat, & mox etiam Aphoniam cum stertore: siquidem potentior planè causa existimanda est, quæ ejusmodi affectum excitet in sanis, quamquæ in valetudinariis. Itaque sani, benèque valentes, si dolore capitis repentè capiantur vi, violentiaque causæ externæ, aut virulentia, & malignitate causæ internæ, taliter affecti intelligendi sunt: & quidem vi, atque violentia causæ externæ, puta ebrietate ex vino meraciori, aut usu alicujus medicamenti narcotici, ac stupefactivi, quemadmodùm in expositione *aphorism.* 5. *libr.* 5. latè adnotavimus; virulentia verò causæ internæ videlicet humoris maligni, acidi, figentis, & coagulantis humores per cerebri substantiam diffusos, quemadmodùm idem Hippocrates 2. *de morb.* alia phrasi idipsum retulit, inquiens: *repentè dolor occupat caput, & vox intercipitur, & sui impotens æger fit: hìc in septem diebus moritur, nisi febris invaserit: Patitur autem hæc, cùm atra bilis in capite commota fluxerit in partes, ubi venæ plurimæ sunt, in collum inquam, ac pectus; postridie autem apoplecticus fit, atque impotens, sanguine nimiùm perfrigerato.* Et *tertio de morbis* subdit: *cùm à capite dolor acutus statim vocem intercipit, tum aliàs, tum si ex ebrietate hoc contingat: qui sic affectus est, septima die moritur; minùs tamen moriuntur, qui ex ebrietate tale quid perpessi sunt, & voce privati permanserunt; nam si eadem die, aut postera,*

ſtera, aut tertia vocem edant, ſani evadunt: faciunt autem hoc aliqui ex ebrietate, & neutri moriuntur.

Quoties igitur ex præcedenti dolore capitis repentè ſuborto, Aphonia accidit cum ſtertore, nedum cerebrum, ſed etiam nervi vocales in aſperam arteriam, & in vaſa ſpiritalia tendentes afficiuntur, & ſive morbos de genere Apoplexiæ fiat, ſive ad ſpeciem Cari referatur, ut mavult Cardanus, ſive etiam convulſionis naturam ſapiat, proculdubiò ex quibuſvis harum ægritudinum æger perire poterit. Quomodò autem id contingat, deſcribitur ab eodem Hippocrate 2. *de morb.* his verbis: *ſanum repentè dolor circa caput invadit, ſtatimque vox intercipitur, ſtertit, & os hiat; ſi quis ipſum vocet, aut moveat, ſolùm ſuſpirat, nihil autem intelligit, & multùm mingit, & ſe mingere non animadvertit*. Quare ſenſu, motuque privatum illum fieri clariſſimè deſignatur ex his, adeòque ægrotantem proximè accedere ad Apoplexiam, aut ad aliam cerebri affectionem huic valdè affinem, præſertim quia repentè illum corripi hoc aphoriſmo memoratur, ſtatimque mutum fieri; quę ſanè fieri nequeunt ſine ingenti cerebri affectione, & cùm partis animalis, & nervorum læſione. Stertor etiam idipſum denotat, ſiquidem hic fit impedita reſpiratione, & nequeuntibus muſculis thoracis illum attollere, unde aer interceptus in ductibus aſperæ arteriæ ſtertorem parit, quemadmodùm experimur in his, qui ſuffocationis periculum incurrunt. Sicut autem Aphonia diutiùs perduratura eſt, ita quoque & ſtertor, qui plerumque conditionem ejuſdem ſequitur, ut propterea Galenus 2. *aphor. comm.* 42. quatuor Apoplexiæ ſpecies conſtituerit, pro quadruplici reſpirationis læſione, majori, vel minori.

Hos itaque taliter affectos in ſeptem diebus mori teſtatur hic Hippocrates: Et licèt alibi Apoplecticos dixerit intra quatuor dies perire, quia Apoplexia morbus acutiſſimus eſt; nihilominùs non exinde fit, ut nequeant iſti ad alios dies ſequentes protrahi, puta ad quintum diem, ſextum, vel ſeptimum. Neque verò quia Hippocrates in ſeptem diebus illos perire ait, terminus ſeptimæ diei conſtituitur, nam juxta morem ejuſdem, intra ſeptem dies mortem evenire poſſe deſignat, ut pluries à nobis eſt adnotatum, cùm & quinta, & ſexta etiam accidere poſſit.

Tandem additur in textu, *niſi febris illum apprehenderit*, ideſt niſi febre intra hoc tempus æger corripiatur, cujus beneficio ligati, obſtructique nervi vocales ſolvantur, & humores cerebrum afficientes per febrim digerantur, & aliò exturbentur. Quantò citiùs autem febris acceſſerit, tantò melior erit, antequam ſcilicet humor ibidem collectus concreſcat, & coaguletur, ut nequeat poſtmodùm promptè digeri, & diſſolvi. Verumtamen febris iſta nec adeò mitis, & levis eſſe debet, ut humores impactos, craſſoſque non diluat, nec multùm vehemens, aut diutiùs protracta, quæ vires infringat, & deprimat, ſed laudabilis erit, quæ de genere ephemerarum ſtatuuntur, ut nimirùm non traſcendat ſpatium trium dierum, quo ſanè tempore humor Aphoniam efficiens, digeri, & diſſolvi, adeòque vel per ſudorem, vel per urinam evacuari commodè poſſit. Cæterùm ſi febris limites ephemerarum excederet, & vel à viſceribus malè affectis, ac tumefactis, vel ab humoribus plus debito fermen-

teſcen-

tescentibus, ac vitiosis proveniret, non omninò tuta foret; quoniam exinde tantùm abesset, ut aphonia, & stertor desineret, ut potiùs novus, ac deterior morbus exoriretur priore pejor; ut aliàs etiam à nobis est animadversum *in commentariis super secundùm Aphorismorum librum*.

Reliqua ad curationem hujus morbi facientia legi poterunt apud eundem Hippocratem in præcitato *lib.2.& 3.de morbis*.

APHORISMUS LII.

Oportet verò considerare oculorum in dormientibus suspectiones: Nam si quid album commissis palpebris subinspicitur, neque ex alvi profluvio, aut medicamenti potione istud contingat, malum est signum, & lethale valde.

QUamvis Cardanus hunc aphorismum omninò adjunctum præcedenti velit, itaut sejunctim ab illo veritati non consonet, quia tamen ejus mos perpetuus est, ut aphorismos interse connectere plurimùm allaboret, quasi verò sine connexione stare illi non possint, nil mirum, si in hisce rebus inutilibus sæpissimè diutiùs immoretur. Est tamen verum, quòd accidentia hæc in oculis ægrotantium memorata, ut malum significent, & eventum quandoque lethalem portendant, à læso cerebro, nervisque inde provenientibus proficisci debent: nam si fortasè à vermibus, aut vaporibus ex imo ventre elevatis orirentur, licet præternaturalem corporis constitutionem designarent, non tamen omninò prava forent, ut passim in puellis experimur. Sic pariter, si ex consuetudine quis dormire consueverit inconniventibus oculis, & non commissis palpebris, neque malum præsagiri exinde posset, quandoquidem multi sunt, qui apertis oculis profundè dormire solent, immò hianti ore, & cum stertore, & ronchis horribilibus, citrà ullum vitæ incommodum. Itaque de his speciatim intelligendus est aphorismus, qui ex ægritudine Cerebri, & principii nervorum læsione id patiuntur, quemadmodùm in delirantibus, caroticis, apoplecticis, lethargicis sæpissimè experimur; itemque in malignè febrientibus cum depravatione animalium operationum. Et licèt in præcedenti aphorismo de cerebro laborantibus actum sit, quibus incommissis palpebris dormire malum est, nihilominùs non solùm de iis, sed de quibuscumque aliis, pari ratione cerebro laborantibus, exponi commodè potest; itaut aphorismus sejunctim sumptus aptabilis sit omnibus ægrotantibus quocumque genere ægritudinis, modò cum illa cerebrum compatiatur. Est propterea aphorismus hìc prognosticus, prænuncians malum, & quandoque etiam lethalem eventum in ejusmodi ægrotantibus; simulque etiam diagnosticus, designans cum illa ægritudine cerebrum simul unà affectum esse, adeòque per ejus meditullium, & nervorum principium, malitiam ejus ægritudinis esse diffusam.

Unde autem accidat, ut ægrotantes incommissis palpebris dormiant, & album oculorum detectum exhibeant, ratio varia proponitur ab Interpretibus. Et Galen. *in comm.* causam attribuit siccitati jam introductæ in partibus nerveis, itemq; imbecillitati facultatis motricis, nequeuntis palpebras undequaq; expandere, & amplificare. Verùm siccitas ista si talis, ac tanta foret, ut hìc fingitur à

Galeno, certè non minùs in palpebris, quam in aliis partibus membranofis, & nerveis confpicua foret; quin & idipfum dici oporteret in puellis inconniventibus oculis dormientibus ex caufa vermium, aut corrupti lactis ftagnantis in inteftinis, cùm tamen ejufmodi ficcitas adaucta in his nulla fit. Neque etiam imbecillicitas facultatis motricis caufa ejufdem adæquata effe poteft, quandoquidem in aliis partibus illa fenfibiliter deberet apparere; quin & in palpebris tanta vis movens non videtur neceffaria, ut illas expandere, & amplificare cogatur, quoniam fponte fua palpebræ laxari, & ampliari poffunt, nulla intercedente interna facultate motrice; unde fæpiffimè etiam accidit fponte fua illas lymphico humore gravatas delabi, laxari, & occludere univerfam oculorum orbitam, præfertim cùm palpebræ fuperiores non committuntur; vel è converfo, licèt iftæ committantur, infernæ tamen retractæ, nequeunt expandi, & fimul unà committi cum palpebris fuperioribus. Accedit, quòd aliquando vitium non totum eft palpebrarum in ejufmodi incommiffione, fed eft oculorum, qui cùm ex defectu mufculorum, & nervorum, illos moventium, quodammodò retracti obferventur, proptereà non fecundùm rectam difpofitionem conftituti, velut in Strabonibus, fed vel furfum, vel deorfum contracti, exhibent inter utrafque palpebras albumen; quod fecus accideret, fi oculi in fuo fitu forent repofiti. Itaque ad folam ficcitatem totum hoc oculorum, & palpebrarum incommodum tribuendum minimè videtur.

Crediderim eapropter rationabiliùs palpebrarum fufpectiones exoriri in his, qui per ægritudines five totius corporis, five partium principalium ejufdem, cerebro laborant, & caufa morbi in principium nervorum transfufa eft, ubi vel propter acritatem, vel propter malignam conditionem infertur levis primùm, mox gravior nervorum contractio, cujus ratione nervi in fenfus externos proximiores corporis tendentes coafficiuntur, & potiffimùm illi, qui feruntur in palpebras, eo quòd propter exilitatem, tenuitatemque faciliùs commoventur, & proritantur, adeòque affectionem quamdam convulforiam incurrunt. Sic etiam in his fæpiffimè etiam experimur motus inæquales, fpafmodicos, & convulfivos dictos, itemque retractionem labiorum per intervalla, & voces tremulas, & vifus obtenebrationem, aliaque accidentia his fimilia, ab affecto nervorum principio provenientia, vel faltem à proritatis meningibus, quæ integumenta præftant nervis omnibus corporis, ut ex Anatome conftat.

Hinc itaque deducere licebit, malum effe indicium, aut etiam valdè lethale in ægrotantibus, quotiefcumque palpebræ non benè committuntur ipfis dormientibus, ità ut album oculorum fubinfpiciatur; quoniam ex hoc arguitur cerebrum fimul unà affectum effe, & nervos motus quofdam convulforios fubire à vaporibus, vel humoribus illos vellicantibus: cùmque id plerumque non fiat fine abfumptione roridæ cerebri fubftantiæ, aut alteriùs confimilis liquoris, cùm ea, quæ irritandi, & vellicandi vim habent, etiam fua natura poffint extenuare, & exficcare; idcircò fimul cum his fæpenumerò etiam partium confumptio, & exficcatio copulari poterit, cum languore, & jactura virium.

Quoniam verò adiicit Hippocrates in textu, *si non ex alvi profluvio, aut medicamenti purgantis potione*, id evenerit; clarissimè ostendit causam in illis debere esse internam, non autem externam, & manifestam; siquidem fieri potest, ut ex immodica evacuatione, sive spontanea, sive promota per artem, adhuc nerviceæ oculorum partes, aliæque adjacentes, partim ab ipsa evacuatione vim habente extenuandi, partim ex acritate medicamenti in humoribus, & sanguine relicta, nervi ipsi, & partes membranosæ contrahantur, quemadmodùm ab usu hellebori aliàs edocuit idem Hippocrates convulsionem exoriri posse; quandoquidem medicamenta purgantia, & præsertim validiora, nedum dissolvendo, & eliquando humores, verùm etiam irritando, evacuationem promovent, & non rarò etiam hypercatharsim inducunt. Et quamvis Hippocrates de alvi profluvio mentionem fecerit, veluti de evacuatione spontanea, nihilominùs jam satis unicuiq; notum est, alvi profluvium, & diarrhęam immoderatam ab acribus, & vellicantibus humoribus proficisci, si nimirùm in alvum delati, intestina ad immodicam evacuationem lacessant; unde postmodùm partium superiorum, & cerebri non levis extenuatio, ac proritatio contingit, adeòque palpebrarum retractio, quæ non adeò mala dicenda est, veluti facta à causa manifesta, scilicet ab illa immoderata evacuatione, quæ licèt humores, & roridam substantiam nervorum absumpserit, non tamen hærentem in cerebro causam arguit, adeòque non adeò periculosa est; præsertim quia humores illi absumpti, & evacuati, faciliùs remitti, & restaurari possunt, secùs verò corrigi, & emendari, qui cerebrum proximè, & non sine malignitate afficientes in causa sunt, ut membranosæ partes convellantur.

Tandem concludit, nedum malum esse signum, sed etiam valdè exitiale; siquidem in ægritudinibus quibuscumque cerebrum, & nervosas partes affici, pessimum est; sive quòd illę inter principales referantur, sive quòd sensui, & motui corporis dicatæ sint, atque adeò ad cordis pulsum, & ad vitam conservandam proximè conferant; sive demum quia nutricationi incommodant, adeòq; viribus sustinendis inidoneæ fiant: qua ratione affectus omnes Cerebri periculosissimi semper sunt. At verò non dixit Hippocrates omninò esse signum lethale, sed valdè lethale, hoc est multùm, aut plerumq; lethale; unde adverbium illud, valde, nō adiicit, sed aliquantulùm potiùs diminuere videtur magnitudinem, & periculum symptomatis, si præsertim alia non penitùs consentiant.

APHORISMUS LIII.

Desipientiæ, quæ cum risu fiunt, securiores: quæ verò cum studio, periculosiores.

Comparat in hoc Aphorismo Hippocrates desipientias, & quænam periculosiores, quæ verò securiores sint ab adjunctis breviter deducit; nam cum risu securiores dicit, cum studio verò periculosiores.

Quamvis autem desipientię in universum plures, & variæ esse solent, quemadmodùm deducitur ex eodem Hippocrate, atque ex eodem colligit Cardanus; commodè tamen ad tres revocari possunt, utpote quæ sæpesæpiùs ægrotantes afficiant, & patentioribus indiciis manifestantur, nempe ad eas, quæ cum risu, quæ cum stu-

studio, & quæ cum furore, & impetu contingunt, ut benè Galenus *in comm. istius aphorismi*. Inter has autem securiores semper sunt, quæ cum risu, graviores, quæ cum studio, & multò adhuc graviores, periculosioresque, quæ cum furore conjunguntur.

Et quidem, quæ cum risu fiunt, securiores sunt, tum ratione Imaginatricis facultatis non adeò à naturali statu declinantis, tum ratione humoris illum inferentis: etenim quandocumque phantasmata per Imaginativam diffusa lætitiam, & risum repræsentant, Naturam non deprimunt, nec deiiciunt, sed potiùs exhilarant, ac sublevant, motum cordis, & sanguinis non opprimunt, aut intercipiunt, neque à sua diathesi multùm distrahunt, aut avertunt, sed per convenientes, ac expeditos spiritus consovent, & conservant: Humor autem risum excitans, nonnisi benignus esse potest, qualis est sanguis, & risus ipse, seu risibilitas, passio propria hominis est, consentanea plurimùm vitæ, & animi hilaritati; unde experimur lætos, hilaresque homines salubriter degere, cunctasque operationes naturales viriliter peragere, ac exercere.

Contrà verò desipientiæ cum studio semper sunt graviores, veluti contrariis ex causis inductæ; Imaginativam enim magnoperè perturbatam designant, atque ab idolis melancholicam, acidamque conditionem referentibus cum timore, ac mœstitia, unde cogitabundi, timidi, tristes, conversationem aversantes, solitarii, & cibum refugientes istiusmodi patientes fiunt, utpote qui humoribus abundant acidis, tartareis, melancholicis dictis, sanguinem figentibus, offuscantibus, atque in suo motu retardantibus; quamobrem is parte sua florida, vividaque plurimùm imminutus, pulsus, cæterasque operationes vitæ necessarias hebetes reddit; indeq; postmodùm corporis macies, languor, & ad motum ineptitudo, atq; impotentia exoritur, quemadmodùm experimur in delirio melancholico laborantibus, & sive ab hypochondriis, sive à toto corpore, ex congestione humoris melancholici illud proficiscantur, de quo Galen. *3. de loc. affect. c. 7.*

Longè demum periculosiores sunt desipientiæ cum furore, impetu, & audacia, ut in maniacis, quoniam in his operationes vitales magis depravantur, & humores præsignatur longè pejores, quales dicuntur à Medicis atrabilarii, plurimùm à naturali statu recedentes.

Hinc modò admonemur, quibus remediorum generibus ejusmodi desipientias curare debeamus, sive cum risu, sive cum studio, sive cum furore illæ socientur. Etenim licèt Hippocrates in hoc aphorismo diagnosim, ac prognosim horum deliramentorum visus sit solummodò referre; voluisse tacitè tamen comprehensas eorumdem curationes, subintelligendus; adeòque majorem diligentiam esse adhibendam in curatione delirii cum studio, aut cum furore, quàm in eo, quod cum risu fit, ut ex superiùs traditis facillimè deducitur, & satis à nobis est explanatum *in parte Medicinæ practica*.

APHORISMUS LIV.

In acutis passionibus, quæ cum febre sunt, luctuosa suspiria, mala.

Acutæ passiones non solùm hìc intelligi debent, quæ brevi

temporis intervallo finiuntur, sed quæ gravioribus symptomatibus sũt stipatæ, atque adeò à pravis humoribus progenitæ, cum læsione partium principalium ad vitã tuendam summoperè conferentium. Hinc appositè adjecit Hippocrates, *quæ cum febre sunt*: nam si fortàsse sine febre forent, leviores proculdubiò essent existimandæ. Itaque cum febribus conjunctæ ęgritudines hoc loco considerantur, veluti quæ vitium in sanguine recognoscunt, & cor proximiùs, penitiùsque molestant. Hæ namque spiritales partes læsas vel comitantur, vel consequuntur, atque adeò facilè possunt luctuosa suspiria excitare, quæ nonnisi ab affecto corde, pulmone, ac pectore, proficiscuntur. Luctuosa namque suspiria sunt, quæ fiunt cum interrupto motu thoracis, & respirationis, quemadmodùm etiam Galenus *in comm.* memorat, & sæpissimè pueris ejulantibus evenire experimur ob angustiam thoracis, & partium respirationi destinatarum, ut propterea nequeant seipsas tam benè expandere, sicut exigit necessitas Naturæ mœstitia oppressæ, quæ amplificatione cordis, & pectoris vellet melancholicum affectum excutere, & ab opprimente causa se liberare. Cùm itaque hæc accidunt acutè laborantibus, & cum febre, proculdubiò grave cordis detrimentum arguunt à maligno, cogenteque humore illud comprimente, ut propterea nequeat pro indigentia se convenienter amplificare; unde mala sunt, & quidem tam ratione ipsiusmet Cordis malè affecti, tum ratione humoris tam graviter illud afficientis; quamobrem nonnisi in malignis, ac pestilentibus febribus ista accidunt, in quibus propter sanguinis concretionem potissimùm in vasis pulmonum, & quandoq; etiam in arteria Venosa, aut in arteria Aorta, ubi grumuli, hærentesq; succi sæpissimè adinventi sunt, cor gravi oppressione afficitur, & veluti à comprimente manu, universa præcordia gravantur, unde pulsus etiam pusilli, intermittentes, ac deficientes exurgunt, ac postmodùm interitus, ut in plerisque cadaveribus diligenti anatomica inquisitione sępesępiùs est observatum.

APHORISMUS LV.

Dolores podagrici Vere, & Autumno magna ex parte moventur.

Podagrici dolores, ut aliàs meminimus, à colluvie serosa, & à superabundanti lympha in articulos decumbente excitantur: istá autem nedum corpulentia, sed etiam infensa qualitate acri, aut etiam acido-salsa artus ipsos, & adjacentes partes musculosas, itemque tendines, ligamenta, membranas, nervos tumefaciunt simul, & compungunt, unde postmodùm tumor, rubor, & dolor acerbissimus. Quoniam verò serosi isti, & lymphici humores superabundare potissimùm solent Verno, & Autumnali tempore; idcircò fit, ut per hæc eadem tempora Podagrici dolores infestent: Verno quidem tempore, cùm scilicet cumulatæ per hyemem pituitosæ superfluitates, vi postmodùm ambientis calidioris diluuntur, & meliùs fluitant; itemque propter sanguinem in cunctis hominibus vegetiorem, atque etiam velociùs excurrentem per arterias, ut indicant pulsus per idem tempus celeriores, vehementioresque: Autumno verò, ex impeditis, detentisque quodammodò sudoribus, qui per æstatem copiosissimi esse consueverant, tum à po-

tibus largioribus, tum ab esu fructuum immodico, unde excrementa copiosiora fuerant cumulata.

Magna autem ex parte dicuntur per hæc tempora excitari, sive quòd non semper in his temporibus cunctis accidant, sive quòd non solùm in æquinoctiis, Verno scilicet, & Autumnali, sed etiam in solstitiis promoveri soleant podagrici dolores: equidem passim experimur, ejuscemodi dolores, aliosque similes, per hæc tempora excitari, fortasse ob mutationem in aere inductam, atque ex illo in humanis corporibus commotionem, cùm ex calido in frigidum, vel ex temperato in calidum, & è converso, mutatio fit, ut propterea scripserit Hippocrates 3. *aphor. primo*, *mutationes temporum morbos parere*; ut alibi etiam à nobis est ostensum. Quantum autem valeant ejusmodi mutationes aeris in perturbandis humanis corporibus, & præsertim iis, quæ valetudine non firma fruuntur, notius est, quàm ut hìc longiori sermone ostendi possit; etenim præterquamquod aer magnam vim in alterandis corporibus habeat, usu respirationis, etiam simplici suo contactu eadem afficere solet, constipando, aut laxando cutim, ejusque poros diversimodè afficiendo, unde postmodùm vel effluvia, quæ perpetim extramitti debent, retineantur, & retenta sanguinem, cæterosque liquores corporis inficiant, vel affluentiùs exhalantia, eosdem diluunt, & extenuant, unde plus justo dissoluti inhabiles fiant partibus reficiendis, quin potiùs apti ad easdem perturbandas, alterandasque; quamobrem qui obnoxii sunt doloribus articulorum, facilè per hæc tempora illos incurrunt.

APHORISMUS LVI.

In morbis melancholicis cùm in hæc pericula inciditur, stuporem corporis, vel convulsionem, vel furorem, vel cæcitatem significant.

Morbi melancholici dicuntur illi, qui ab humoribus melancholicis dictis, seu, ut mavult Paracelsus, tartareis, acidisque progignuntur, & sive isti proveniant à melancholica totius corporis constitutione, & peculiari sanguinis diathesi, sive specialiùs à mala habitudine viscerum naturalium, quemadmodùm in hypochondriacis, & scorbuticis. In his igitur enumerat Hippocrates, quæ mala sint affutura, nisi citò, & opportunè succurratur; siquidem increbrescente affectu melancholico, & exuberantibus succis acidis, ac tartareis, facilè subindè accidere solent stupor corporis, vel convulsio, furor, vel cæcitas: Stupor, vel convulsio, si repant humores in nervos, hebetatis scilicet, malèque affectis ab acidis succis eorumdem fibris, vel iisdem, ab acido vellicante proritatis; nam 6. *epidem. sect.* 7. dicitur, *melancholici fiunt epileptici, & epileptici melaacholici*: Furor verò, si in cerebrum tendant; unde Galenus explanans mox relatam Hippocratis sententiam 3. *de locis affectis*, dicebat: si humor melancholicus vergat in mentem, delirium, vel convulsionem, si verò vergat in corpus, paralysim, vel apoplexiam infert. Denique cæcitas, si in organa visus deducatur, & specialiter in nervos opticos, vel in tunicam retinam, quæ à fibrillis eorumdem nervorum ortum ducit.

Quamvis autem hæc solummodò

retulerit Hippocrates, non tamen quis credat alia quoque mala exinde suboriri non posse; nam plures alii similes, affinesque morbi iisdem ex causis supervenire poterunt, pro varia corporum habitudine, ætate, consuetudine, sexu, & prout in has, vel alias partes, fortasșè imbecilliores, prædicti humores decumbere possunt.

APHORISMUS LVII.

Apoplexiæ autem fiunt maximè à quadragesimo anno usque ad sexagesimum.

Licèt Galenus in commentario non de quacumque Apoplexia scriptum velit hunc aphorismum, sed de ea solùm, quæ ab atrabile dependet, utpote quia *per eam consistentiæ ætatem atræ bilis humor abundet, quemadmodùm & in Autumno*; nihilominùs haud negat posse etiam à cæteris succis pituitosis, & crudis per eandem ætatem illam oriri: quin & senes ab his potiùs, quàm ab atrabilariis, aut melancholicis humoribus apoplecticos fieri alibi etiam pluries edocuit, cujus causa tam acriter in illum invehitur Cardanus, ut totum hujus aphorismi commentarium adversùs hoc Galeni placitum conscriptum videatur.

At verò nobis distinguere fas sit, Apoplexias, & alias quidem ętatum defectu, alias humorum vitio, & alias à mala partium cerebri conformatione. Ex defectu ætatis, & ob virium languorem obnoxii magis sunt senes, & provectioris ætatis homines Apoplexiæ, à lymphicis humoribus crassescentibus, & tenacibus, qui per languidam illam ætatem ex malis coctionibus, ac secretionibus humorum, atque ab effœto, ac vappescente sanguine emergunt, qui deinde cùm per cerebri ambitum, & corticales glandulas facilè hærescant, ac remorentur, adeòque gravent, oppleant, obtundant; Apoplexiam, cæterosque similes morbos inferunt. Et quamvis in pueris ejuscemodi pariter humores videantur superabundare, causa præsertim voracitatis; attamen in illis lymphici isti humores fluxiliores sunt, & viæ molliores, laxioresque, unde facillimè difflantur, & evaporant, quique per cruditates progignuntur promptè in ductus urinarios, aut intestinorum delati egeruntur, & exonerantur, conferente in hoc idem plurimùm partium omnium mollitie, ac laxitate.

Humorum insuper vitio contingunt Apoplexiæ, sive cùm ipsi plus justo cumulati in cerebri meatibus hærent, & vel gravando, ac opprimendo, vel etiam obstruendo motui sanguinis, ac lymphæ impedimento sunt, adeòque excrementorum, sive sensibilium, sive insensibilium repurgationi remoram faciunt: qua ratione helluones, ebrii, succipleni, obesi, catarrhosi, aliique similes, sæpenumero Apoplectici, aut Carotici pereunt, factaque cadaverum sectione inveniuntur in cerebri anfractibus, & intercapedinibus, seri, lymphæ, aliusve corrupti humoris congestiones. Porrò hoc pacto omnes, & quicumque humores gravare, opplere, obstruere, & stagnare valentes, aut etiam reserare, erodere, ulcerare, benè poterunt Apoplexias, cæterosque similes morbos in cerebro parere.

Ex mala denique partium cerebri conformatione, sive à primordiis vitæ, atque ex defectu Naturæ, sive tractu temporis, & ex accidenti morboso, progenita, accidunt Apoplexiæ;

xiæ; fortè quia moles cerebri puſilla, anguſta, duriuſcula, aliterve malè affecta eſt; aut etiam ductus, cavitates, pori non convenienter patuli ſunt, adeòque arteriolæ, venulæ, & vaſa lymphica liberum excurſum, recurſumque liquidorum non admittunt; unde poſtmodùm interceptiones, occluſiones, obſtructioneſque, aut etiam diruptiones, eroſiones, ſuppurationes, aliaque hujus generis incommoda ſuboriuntur. Quò ſanè reſpexiſſe viſus eſt Hippocrates 4. *de ratione victus in acutis* 23. dum ſcripſit: *cùm quis repentè obmuteſcit, id venarum interceptiones, occluſioneſque faciunt. ſi ſano abſque occaſione, vel forti alia cauſa id contigerit*: ubi alia plura in eandem rem accuratiſſimè obſervanda proponit. Hoc etiam pacto ligatis arteriis caroticis, aut contuſis muſculis temporalibus, concuſſoque cerebro, Aphoniæ, & Apoplexiæ accidunt, mutata ſcilicet, turbataque partium conformatione. Ex eodem vitio crediderim pleroſque ejuſcemodi affectibus comatoſis natura obnoxios eſſe, ac repetitis inſultibus per intervalla moleſtari ſolere, ut tandem ineunte ſenili ætate ab iiſdem pereant; quin & non raró (Anatome in iiſdem inſtituta) nil quidpiam ſenſibile extra cerebri ductus inventum eſt, ut pluries expertum.

V. Gal. & Valleſ. in commēt. hujus loci.

V. Hipp. 1.2. & 3. de morbis.

Hinc modò putaverim, Hippocratem in hoc aphoriſmo eas ſolummodò voluiſſe Apoplexiarum ſpecies recenſere, quę vitio humorum quidem, ſed ex mala cerebri habitudine contingunt; fortè quia circuitus humorum, facilè per ætatem juvenilem fermenteſcentium, largam, promptamque vaſorum expanſionem, juxta naturæ indigentiam nactus, ſuperveniente ætate conſiſtenti, à fibrarum, & membranacearum partium duritie ſenſim, ſenſimq; inducta, ejuſmodi amplificationi non facilè deinceps obſequuntur; unde in plexibus cerebri, meningibus, lymphicis ductibus, cæteriſque, quacumque de cauſa circumeuntes humores hærent, aut irruptione, impetuque facto in apicibus eorumdem, tenellàs illas partes delaxant, & aperiunt, vel tumefaciunt, opplent, aggravant, prout acor in illis inductus major, vel minor extiterit, adeòq; obſtructiones, interceptioneſq; aut eroſiones, & diruptiones inferunt planè inemendabiles. Procedente verò ad ſenium ætate, quia niſus ille, & motus fermentativus in humoribus tractu temporis lenteſcit, propterea nec vehementem commotionem, nec urgentem impetum in iiſdem excitat: id quod ſanè oſtendunt manifeſtiſſimè pulſus, per hęc eadem tempora tardi admodùm, rari, & imbecilles: quamobrem licèt ſopores, hebetudines, languores in provectiori ętate contingant; haud tamen veræ Apoplexię dicendæ ſunt, veluti ab ipſo ætatis decrepitæ languore, & virium, ac ſanguinis labefactione dependentes; collabente, videlicet ſenſim natura ex defectu ſpirituum, ac excrementoſorum humorum ingluvie, quocirca ſoporati potiùs, & comatoſi, non verò Apoplectici illi pereunt.

Quamvis autem Hippocrates hìc dixerit à quadrageſimo ad ſexageſimum uſq; ad annum Apoplexias fieri, non tamen exinde putandum, intrà hoc ſolummodò temporis interſtitiū illas accidere poſſe, cùm & ante, & poſt ejuſmodi tempora, benè adhuc poſſint evenire: ſi nimirùm aliunde cauſæ illas inferre valentes ſuppetant, quandoquidem unicuique perſpectum eſt, omnes morbos cunctis ętatibus accidere poſſe, ſi cauſæ vel externę, vel internæ, aut ex defectu

naturæ, aut ex aliquo quovis accidenti supergredientes, salubrem, convenientemque corporis œconomiam turbent, ac depravent. Hinc non immeritò adjecit adverbium illud *maximè*, ut nimirùm indicaret non omninò, & per eam dumtaxat ætatem Apoplexias evenire; sed magis solùm, seu plerumque per illam; licèt in aliis quoque ætatibus fieri queant, esto alius generis morbi, quàm veræ Apoplexiæ.

APHORISMUS LVIII.

Si Omentum excidat, necessariò putrescit.

Idipsum scribitur primò de Morbis, & in Coa. præn. unde hic aphoris. transcriptus.

EXcidere Omentum idem est, ac extra peritonæum, & abdomen, cùm fortasse vulnerata sunt, egredi, ac prolabi, adeòq; ambienti frigido exponi: cum enim Omentum multò adipe, atq; innumerabilibus glandulis refertum sit, facillimè ambienti aeri expositum, alteratur, & livescit, adeòq; nullo negotio, ac brevissimo temporis intervallo, putrescit; idque potissimùm, cum ex vulnere ad eas partes inflicto, & sanguinis profluvio, illæ viribus fatiscunt, & elanguent, ac præsertim Ventriculus in suis coctionibus obeundis; quandoquidem ex observatione Galeni 4. *de usu partium cap.9.* multùm ad ciborum confectionem, chylificationemque conferat, ut in gladiatore illo ibidem memorato, cui omentum abscissum fuerat, compertum refert.

Ex hoc autem Aphorismo monemur, cautos, sollicitosq; oportere esse Medicos in illius extra abdominis regionem prolapsu, ad statim, nullaque data mora reponendum; sin secus rescindendum potiùs, ne putrefactioni subiiciatur; cujus repositionis, aut resectionis modum edocent Celsus *lib.7.c.21.* itemq; Galenus *lib. 6.meth.c.4.* Paulus *lib.6.c.52.* & Fabritius *ab Aquapendente lib.2.c.45.* aliique. Atqui non rarò etiam contigit à perita adhuc Chirurgi manu repositum periculo non vacasse, & computruisse; quandoquidem tam levis, & mollis texturæ est, ut ne tantillum è sua sede dimotum, atq; ambienti aeri expositum, livorem, & putrefactionem incurrat.

APHORISMUS LIX.

Quibuscumque à longo coxendicum dolore molestatis, cavitate sua excidit coxa, & rursus recidit, iis mucores superveniunt,

&

APHORISMUS LX.

Quibuscumque à coxendicum dolore diuturno molestatis excidit coxa, iis crus tabescit, & claudicant, si non curantur.

HUnc Aphorismum sexagesimũ non debere à superiori sejungi edocet *in comm.* Galenus, sed ipsum omninò esse cum pręcedenti jungendum, ut unus sermo continuatus sit: quasi dicere voluerit Hippocrates à coxendicum dolore molestatis, ubi per mucoris multitudinem articulus excidit, & rursum recidit, necessariũ esse, processu temporis os ipsum contabescere, & patientem claudicare, nisi, quam citò fieri possit, mucor ille absumatur, & exsiccetur; quemadmodùm idem Hippocrates *l. de articulis* faciendum consulit in brachio jugiter excidente: quod & Arabes scriptores quoq; omnes admonẽt peragẽdum vel igne *actuali*, & ferro cãdenti, vel *potentiali*, ope medicamentorũ causticorum, & per emplastra pica-

ta,

ta, quas uſtiones Arabicas Moderniores appellarunt; juxtà illud ejuſdem Hippocratis: *Quæ medicamentum non ſanat, ſanat ferrum, quæ non ſanat ferrum, ſanat ignis.*

Et quidem conſiderata oſſis coxendicis cum oſſe ſacro articulatione, facile eſt, ut quiſque ſibi perſuadeat, craſſos, mucuſoſque ſuccos eo loci, ubi coxa exciderit, colligi, & adunari poſſe, quique poſtquam obduruerint, & calli ferè conditionem fuerint adepti, difficulter diſcuti, aut exolvi poterunt, quinimmò extra ſuam ſedem caput femoris ſurſum protrudent, impedientque, ne cavum oſſis ſacri denuò ingrediatur, quamobrem claudicatio ſequetur, contractis ſubinde, decurtatiſque, tum crure, tum tibia ad uſque pedem. Nec abſre dictum, ac repetitum: *Cavitate ſua excidit coxa, & rurſus recidit*; quoniam non ſatis eſt coxam excidiſſe, ſive è ſua ſede dimotam eſſe, ſed oportere pariter recidere, ſi fortaſſis aliqua induſtria, vel ſponte ſua, commiſſa fuerit; ſiquidem tunc ſignificatur cavum illud oſſis à confluxu humorum præſertim lymphicorum repleri, vel ſaltem à luxatione, relaxationeque ligamentorum, & tendinum ſtare firmiter non poſſe, ſed facillimè à cavitate illa deſciſcere, quam proinde lymphici humores occupent, & in mucos, tenaceſque ſuccos, data mora, convertantur, unde nequeat in poſterum os femoris cum oſſe ſacro cõvenienti articulari.

Nedum autem exinde claudicatio, ſed & tabes cruris quoque ſuccedet, niſi per uſtionem mucoſi illi humores abſumantur, quoniam lęditur ſubinde non ſolùm conveniens partium illarum diſpoſitio, ac ſtructura, ut pronide alimentum pro earumdem nutricatione, vel in alium humorem degeneret, vel non apponatur, aut omninò deficiat; ſed etiam membranulę circumamicientes oſſa, & medullaris illa ſubſtantia, quæ cavum femoris occupat, malè afficiantur; quocirca tabes poſtmodùm, languor, dolor ad uſque genu in perioſtiis, muſculis, nervis, cæteriſque ſuboriuntur.



LUCÆ TOZZI
In Septimum Librum Aphorismorum
HIPPOCRATIS
COMMENTARIA.

APHORISMUS PRIMUS.

In morbis acutis frigus partium extremarum, malum.



Orbis morbos, & accidentibus accidentia, sive in bonum, sive in malum supervenientia, quæq; ex uno in aliud vicissim permutantur, consideranda in hoc ultimo Aphorismorum libro proponit Hippocrates; qui propterea vagus, atque indiscriminatim varia comprehendens, neque certum ordinem, neque continuatum nexum in iis servat. Initium autem facit ab extremarum partium frigore cunctis morbis acutis contingente, quod nocuum generaliter pronunciat.

Quamvis autem hic cum 48. *quanti* (ubi in febribus non intermittentibus interiora uri, & exteriora frigere, lethale dixerat) multùm convenire videatur; revera tamen omninò distinctus ab illo est; siquidem ibi speciatim in febribus, hic verò in morbis universaliter acutis, nulla intereà de interiorum ustione, ac siti, mentione facta, sed solius frigoris partium extremarum meminit, ut proptereà non penitùs lethale, sed malum simpliciter protulerit. Neque insuper in eorum sententiam iverim, qui cum Galeno adhuc de acutis febribus dictum hoc interpretantur ex viscerum inflammationibus, quoniam tunc planè exitiosum omninò est, & morti proximum, ut etiam *in Coacis prænotionibus* adnotatur, cùm tamen hic solummodò scribatur *malum*. Rectè proinde Celsus, *lib. 2. cap. 4.* hanc sententiam ab illa sejungens, neque interioris incendii, neque urentis sitis mentionem faciens, extremarum dumtaxat partium frigus commemoravit, & mali morbi signum in acutis dixit.

Et quidem frigus partium extremarum cum incendio internarum partium, atque ingenti siti, veluti ab inflammatione interna procedens, facilè in gangrænam vergente, lethale signum omninò est; at verò citrà internorum viscerum ardorem, & sine ulla inflammationis suspicione, provenit solùm ab hebetato, & lentescente sanguinis motu, qui per angustos extremarum partium meatus progredi non potens potiùs in iis concrescens adhæret, quàm ut porulos earumdem pervadens, exangues illas partes irradiet, & calefaciat; unde non rarò etiam liventes illæ comparere

solent; ejusmodi autem sunt aures, nares, manus, pedes, & quandoque etiam universa cutis, quæ ambienti quocumque modo exposita sæpissimè horrere solet. Addidit autem *in acutis*, nam illas in longis, diuturnisque ægritudinibus frigere non adeò præter rationem videtur evenire; quamobrem rectè Galenus *in comm.* inquit: *in morbis diuturnis, qui præsertim sunt sine febre, & hyeme, & ætate senili, partes extremas corporis, veluti nares, aures, pedes, & extremas manus frigidas fieri, nihil mali*; præsertim quia diuturni morbi, (præter corporis languorem à morbi diuturnitate contractam) nonnisi à crassis, lentis, frigidisque succis progignuntur. At verò acuti pro caussis, tenues, mobiles, & calorem excitantes humores recognoscunt; unde in illis frigus persentiri dissentaneum omninò est, ideòque malum, & longè gravius, ac periculosius livore conjunctum. Verumtamen frigus istud partium extremarum perseverans esse debet, ut omninò malum sit, nam si fortasse ad modicum tempus appareret, & deinde sponte sua, calefactis partibus iisdem, desineret, quemadmodùm inter initia tertianarum, & quartanarum febrium experimur, dubiò procul nihil mali præsagiret, quod tamen pessimum foret, si per omne tempus perduraret, & partes ipsæ ab admotis calorificis nullatenùs recalescerent; quod & longè adhuc gravius, si cum madore cutis frigus societur.

APHORISMUS II.

In osse ægrotante caro livida, malum est.

Livor in quacumque parte comparens, nedùm frigoris, sed mortificationis, & gangrænæ præsentis, vel imminentis indicium est; cùm igitur in osse ægrotante, ideſt læso, contuso, vulnerato, caro superincumbens, vel circumsepiens livida fit, ipsum à suscepta læsione corrumpi quoque conjectandum. At non ideò, quia caro livescit, ipsum corrumpi dicemus, sed potiùs, quia ipsum à læsione corrumpi contingit, caro livescens apparebit: sæpè enim in gangrænis caro livida, & omni sensu orbata percipitur, nullo intereà in osse vitio existente, idcircò appositè adjecit Hippocrates *in osse ægrotante caro livida*. Sed & neque solùm caro si liveat in læsis ossibus, verùm etiam si albicet, si flaccescat, si ichorem saniosum, & fœtidum fundat, si sponte sua sejungatur, & subjecto ossi minimè inhæreat, idipsum arguit: quamquam in his dijudicandis, internoscendisque sagax, & accurata Chirurgorum diligentia multùm valeat; siquidem non rarò fit, ut à contundente corpore cutis externa solùm liveat, nulla interius inducta in osse læsione.

Livor autem, à contusis, vulneratisque ossibus, in carne circumjacente, vel superincumbente, provenit à liquore in nutricatum ossis transmutando, qui cùm in partibus circumjacentibus remoretur, & stagnet, atque lamellæ ossium externæ quodammodò à reliquis interioribus dissociatæ, immò & periostium, quo ipsæ amiciuntur, in suis filamentis, & lo-

& loculis distractum, sauciatumque sit, propterea partes subjectæ rorido, vivificanteque spiritu destitutę, sensim languescunt, & ferè emoriuntur, unde postmodùm corruptio, & putrilago, quæ sensim quoque in adjunctas carnes serpit, & livorem, sphacelum, ac gangrænam parit, simili modo, ac in remorante, hærenteque in poris carnium sanguine contingit; atqui faciliùs gangręna, & mortificatio accidit in membranis ossium, quàm in carnibus, tum quia illæ exangues sunt, tum quia spiritu valdè tenui irradiantur, tum quia glutinosum quid magis, facilèque coagulabile suscipiunt, quod acore hebetatum, & alkalino spiritu depauperatum, indomitumque redditum, tandem frigefacit, & mortificat. Hinc experimur gallicas exostoses ab acido illius luis miasmate nimiùm infensas ossibus evadere, corrodendo, frangendo, & terebrando, ut illa penè friabilia reddantur. Expedit itaque in ejusmodi livoribus ad carnes circumstantes apparentibus, statim subjectum os detegere, & qua parte squamosum, rima affectum, aut aliter læsum apparuerit, abradere, ac desquamare, vel etiam urere, & removere, si opus fuerit, ut in posterum meliori alimento reliquum restauretur, & subftet, ut ex praxi Chirurgica satis notum.

APHORISMUS III.

A vomitu singultus, & oculorum rubor, malum.

PEr vomitum solent humores nedum per ventriculi cavum innatantes, sed ejus tunicis hærentes, aut aliunde confluentes, salubriter evacuari, qui propterea salutaris pluribus in ægritudinibus observatur, quinimmò à plerisque, statis quibusdam temporibus, gratia præservationis salubriter instituitur, quemadmodùm ab Ægyptiis singulo quoque mense factitatum refert Herodotus *lib.* 2. Si qui igitur prodesse consuevit, obsit, singultum potiùs afferens, atque oculorum ruborem, symptomata cæteroqui gravissima, malus planè, & perniciosus censendus est.

Singultus siquidem ad classem convulsionum non irrationabiliter reducitur à Galeno, adeòque semper humorum acritatem, malignitatemque, nervos vellicare, ac lacessere valentem, pro causa recognoscit, ut aliàs ostensum; oculorum verò rubor (si tamen perseverans, nec subitò disparens sit) meningum cerebri, quibus oculorum orbitæ componuntur, inflammationem significat: utrumque autem vomitui, unde emolumentum non leve toti corpori accedere sperabatur, supervenire, proculdubiò malum est.

Num autem utrumque simul oporteat supervenire, an alterutrum tantùm, dubitari potest; prędsertim quia Celsus disjunctim illorum meminit *lib.* 2. *cap.* 4. sententiam hanc Hippocratis ita in latinum vertens: *mali morbi signum est, aut post vomitum singultum esse, vel rubere oculos.* Et quidem ipse crediderim fuisse utrumq; hìc consultò ab Hippocrate memoratum, ut certius de mala prognosi judicium ferri posset; nam etsi singultus solus si superaccidat, malus sit, veluti nervorum per ventriculum serpentium læsionem designans, & potiùs à prava humorum conditione proveniens, quàm ab eorumdem multitudine, quæ saltem magna ex parte ina-

inanita per vomitum existimanda est, nihilo tamen minùs si cum eodem oculorum rubor pertinax,& durabilis conjungatur, longè magis illorum malitiam adauget,utpotè quę cerebrum, ejusque meninges in consensum trahere potuerit, & præter irritationem, corrugationemque fibrarum nervearum, atque angustiam meatuum sanguiferorum, etiam phlogosim, aut inflammationem in iisdem excitare. Porrò per vomitum præsertim violenter promotum, non solùm ventriculus ipse, propter sui inversionem, cum stomacho graviter contorquetur,& affligitur, sed etiam septum transversum, thorax, aspera arteria, ęsophagus, jugulum, facies, & caput universum molestè admodùm afficitur, impediturque non leviter in his omnibus sanguinis reditus per venas, qui impetuosiùs per arterias, stante illo per vomitum conatu, sursum appellitur; unde non mirum si oculi, & vultus impensè rubeant, qui tamen sponte sua à vomitu sedari solent, si is benè cesserit; secùs verò, si vitium in humoribus,atque in ipsamet textura ventriculi profundius recognoscat, ut interiorem ipsius membranam, & nervos coaffectos arguat. Hinc cautos esse oportet eos, qui ad vomendum inepti, vel in partibus thoracis, & capitis malè formati, crebris vomitionibus se subiiciunt, quoniam facilè ejuscemodi pericula subeunt. Cęterùm licèt Hippocrates *malum*, hìc tantummodò dixerit, non tamen istos ab initio immunes putarem, si alia subinde concurrerent virium languorem attestantia.

APHORISMUS IV.

A sudore horror, non bonum.

Licèt sudor totius corporis evacuatio credatur, proximè tamen glandularum subcutanearum humores exhaurit; qui cùm à lymphicis derivent, & isti à sanguine, propterea ab unius exoneratione, reliqui successivè diminuuntur, & tandem sanguis ipse, immò & universum corpus, communione illa cum partibus reciproca, repurgatur, & impuritatibus inanitur; quamobrem à Medicis evacuatio hæc universalis dicitur, & morbis ferè omnibus indifferenter conducibilis. At verò,ut omnì ex parte proficiat, non solùm exigit, ut è toto corpore faciliter prodeat, & calens sit, sed etiam,ut levamen ægrotanti afferat, & ab ægritudinibus solvat, vel saltem temperet; unde si fortassè non allevet, sed aggravet, immò symptomata nova inducat, vel præterita excitet, proculdubiò indicium non bonum erit, quoniam ex eodem Hippocrate: *Decretoria non decernentia partim lethalia sunt, partim difficilis judicii*. Quamquam autem multa alia pessimi indicii mala sudorem subsequi possint, meminit tamen hìc speciatim Hippocrates *horroris*, seu potiùs horripilationis, quæ sanè sæpesæpiùs illi succedere solet: nam cùm, ut dictum, sudor proximè à glandulis subcutaneis emanet, si forsitan is per cutim sensu præditam excurrens, acore vitiosus, & glutinositate hærens, porulis ejusdem impingatur, & ab ambiente magis, magisque recrudescat, ac figatur, proculdubiò eamdem vellicans, & compungens, horrorem, aut horripilationem incutit, quinimò, rigescen-

te

te corporis habitu, humores ad glandulas è partibus internis commoti, repelluntur, & intrò remeant, unde postmodùm incommoda majora, & præsertim si id accidat ex sudore manante in febribus, quo tempore speratur crisis; tunc enim nedum priorem morbum non tollit, sed potiùs novum, & pejorem arcessit, elanguente intereà Natura, ac infractis per sudorem viribus. Hinc in multis ægrotis *epidemiorum* Rigor, aut Horror post sudorem vel lethalem, vel longum saltem morbum præmostravit. Verùm debet horror hic à sudore supervenire; nam si fortasse præextiterit, ut inter initia febrium intermittentium, malus omninò dicendus non erit, veluti initiantis futuræ febris prodromus.

APHORISMUS V.

A furore difficultas Intestinorum, vel aqua intercus, vel mentis alienatio, bonum.

V. etiam Hipp. lib. de inter. affect.

ETsi non raro morbus morbo succedens majorem malitiam arguat, & extremum Naturæ languorem, quæ proinde debilis reddita cuicumque deinceps incommodo succumbat, solent tamen aliqui alios pejores solvere, & è gravioribus principes partes occupantibus, liberare, aut saltem in leviores, magis domabiles, aut in longius tempus protrahendos commutare. Debent autem isti adjunctam semper habere materię peccantis evacuationem, vel saltem decubitum in partem minùs nobilem, quemadmodùm in hoc aphorismo Hippocrates memorat de Furore in dysenteriam, vel hydropem, aut etiam mentis alienationem commutato. Cùm enim humor furorem, & maniam in Cerebro efficiens, aliò transfertur, & per Intestina, veluti per communem corporis cloacam foras educitur, etsi vellicando, & abradendo, dysenteriam in illis excitet, attamen quia è cerebro deponitur, & maniam delet, omninò salutaris censenda est, tum ratione humoris peccantis excreti, tum ratione loci à parte affecta remotissimi, quamquam in ratione modi convenientis deficiat. Atqui potest etiam furor, & mania desinere, si ex humore in hypochondriis commoto cerebrum in consensum trahatur, cujusmodi plerique Maniaci per intervalla furiosi, certis dumtaxat temporibus, perturbantur, & impetunt, siquidem in his necesse non est, ut vitiosus humor cerebrum sua corpulentia occupet, sed satis est, si plexum nervorum in mesenterio, aut diaphragmate situm, afficiat, & fibrillas eorumdem extorquendo, in cerebri meditullium desinat, ac talem commotionem excitet, ut phantasmata rerum confundat, ac perturbet. Sed & Ecstasim quoque, seu mentis alienationem, non dissimiliter parere potest, deturbata materia in fibras nervorum, vel etiam vaporibus Cerebro perfuso, quo pacto de humore melancholico acido aliàs dicebat Hippocrates, & cum Hippocrate Galenus, si is nimirùm in mentem vergeret, fieri melancholiam; seu delirium melancholicum. Inde enim mania remittitur à continuitate, quia per Ecstasim interrumpitur, & attenuata materia in halitus, & vapores, faciliùs mox mox penitùs sit exolvenda: constat autem, fixos, hærentesque succos perpetim molestantes, benigniores evadere, si loco moveantur, & attenuentur, adeòque mitiùs affligant, & per inter-

valla; ut & contra acres, tenues, mobiles, si crassescant, & consistant, plerumque commutantur in melius, resolutis tenujoribus partibus, & subactis, concretisque crassioribus, atque adeò non tam vehementer ferientibus, & perturbantibus, quemadmodùm de phreneticis factis comatosis dicitur *primo prorrheticorum*, consumpta scilicet parte humoris tenujori, & relicta crassa mitiori. Commutari verò potest Mania in Hydropem, si humores illi in hypochondriis stagnantes, & nervos extorquentes, cum phantasmatum perturbatione, loco moti, & inter cavitates imi ventris à nervorum plexibus sepositi, ipsum tumefaciant, & hydropem efficiant, atque hac de causa maniæ opitulentur. Nisi etiam fieri contingat, ut melancholici, acidique succi maniam inferentes, in serosiores diluti salino-acidum ex parte dimittant, & in cavum ventris confluentes aquam intercutem inducant: quippè novum non est, melancholicos, acidosque humores facilè commutari solere in aqueos, & serosos, immò maximam inter utrosque analogiam inesse, ut ab Hippocrate docemur, & constat ex Pancreatis liquore per ductum Vvirsungianum in gracilia intestina derivantem. Ab his autem supervenientibus maniæ symptomatibus, licèt bonum dixerit Hippocrates, non tamen simpliciter tale intelligendum est, sed comparatè solùm ad Maniam, & cùm criticorum motuum rationem sapiunt, nam si fortasse unum, aut alterum ex his superveniret, nullatenùs intereà desinente, aut mitescente Mania, proculdubiò gravius esset; siquidem unum alterum non deleret, sed potiùs augeret. Sic pariter humores aliò translati, si tenaciter ibidem hærerent, ac consisterent, morbum solummodò in alium morbum commutarent, æquè periculosum, uti sunt Dysenteria, & Hydrops, & sua etiam ex parte Ecstasis, quæ planè ægritudines sunt non minùs, quàm Mania lethales, quinimmò sæpè perniciosiores, ac breviores. Debent itaque ejusmodi humorum Maniam inferentium motiones criticam conditionem referre, ut ex his illi, vel extra corpus, quàm citiùs expellantur, ut in dysenteria, illæsis intereà intestinis; vel aliò sepositi ignobiliores partes occupent, deserentes nobiles, sintque mox etiam facilè egerendi; vel denique in se ipsis intranea commotione subacti malitiam deponant, & mitiorem nanciscantur conditionem, ut in Ecstasi.

APHORISMUS VI.

In morbis longis ciborum fastidium, & dejectiones syncera, malum.

QUoties morbi spatium quadraginta dierum transiliunt, & ulteriùs progrediuntur, ex acutis fiunt chronici, seu longi, potissimùm ex humoribus lentis, crassis, & hærentibus progeniti, vel etiam in locis stagnantes, ubi difficulter fermentationi, & secretioni subiiciuntur, sed potiùs impacti tenaciores evadunt, & veluti gypsei, quemadmodùm in glandulis, & articulis, si præsertim viribus infractis langueat Natura, & sanguis, ac viscerum fermenta, suo spiritu alkalino destituta, inertia prorsùs evaserint. His ergo si fastidium ciborum, nausea, & inappetentia superaccidat, malum erit, tùm quia præ longitudine, effœtis omninò viribus, per alimenti carentiam, facilè est, ut Natura penitùs succumbat, & con-

concidat, antequam morbus finiatur, tum quia, à ciborum fastidio, & nausea stomachicum fermentum valdè languidum, & ineptum indicatur, & quod gravius, nec à sanguine, cæterisque liquoribus similiter effœtis, ut decet suggestibile, ut proinde, etiamsi vi, & conatu cibi resumptivi ingerantur, ob illorum inertiam corrumpantur potiùs, & degenerent in excrementa, magis magisque cumulantia materialem causam chronicitatis, unde etiam dejectiones synceræ prodeunt. Quamobrem non absre Hippocrates utrumque symptoma conjunctim in hoc aphorismo proposuit, quoniam vix fieri potest, ut unum sine altero habeatur. Dicuntur autem synceræ dejectiones, quæ uniformes sunt, & impermistæ, æqualiter fermenta viscerum malè affecta significantes, ut ejusdem languoris, tam quod in stomachum derivat, quam quod per confluentes succos, intestinorum excrementorum repurgationi famulatur, vitium denotet, proindeque uniusmodi, & homogeneæ conditionis alvi dejectiones efficiat, sive illæ hunc, aliumve colorem referant, à prædominio unius, vel alterius succi depravati cum cibo commisti. Hinc & flavæ, & virides, & pallidę, cibales, & humorales, aliæve esse possunt, quas propterea generaliori nomine voluit Hippocrates synceras appellare. Cæterùm esto alterum horum symptomatum satis etiam attestari possit de malo morborum chronicorum eventu, cùm illis superacciderit, juxta ea, quæ Celsus *lib.2.cap.4.* sententiam hanc inter sua prognostica referens, commemoravit; crediderim, tamen voluisse Hippocratem utrumque hoc loco jungere, ut certiùs mali morbi testimonium desumatur; præterquamquod difficilè admodùm sit, ex uno alterum non esse consequuturum, si præsertim ciborum fastidium cum nausea, inappetentia, & mala assumptorum digestione, conjungatur, ut sæpiùs accidit.

APHORISMUS VII.

Ex multa potatione rigor, & desipientia, malum.

MAla ex ebrietate provenientia, tum mentem, tum corpus plurimùm turbantia, nemo est qui non sciat; & quidem ex his alibi dixerat Hippocrates subsequentem ab ebrietate aphoniam, convulsionem inferre, ac postremò mortem, nisi illam febris præverteret; nunc alia memorat ex multa potatione symptomata, & prognosim inde faciendam: & quamvis potationem simpliciter recensuerit, nulla facta liquoris potabilis mentione, non est tamen, ut ambigamus, de alio ipsum, quàm de vini potu sermonem habere voluisse, ut Galenus exponit, & cum eo reliqui omnes Interpretes conveniunt; nam à nullo alio liquore in usum potus deducto Rigorem, ac Dementiam proficisci posse, res in comperto est. Itaque ex nimia solùm vini potatione, seclusa tamen temulentia, ac ebrietate rigorem, & desipientiam supervenientem, malum esse inquit. Quoniam verò hominum industria factum est, alios æquipollentes liquores pro vino fuisse excogitatos, qui cùm immoderatiùs fuerint epoti, paria incommoda inferant; idipsum idcircò de iis intelligendum suadent, quod à larga vini potatione hìc est animadversum, cùm non dissimiliter Cerebrum, & nervi malè afficiantur à vino, quàm à cerevisia, & zitho, cæteris-

terisque artificialibus potibus vinosis, qui identidem cerebrum vaporibus opplent, & offuscant, acoremque fecilè redolentes, nervos, nervorumque fibras vellicant, & extorquent, immò spiritus animales acres, & tumultuarios progignunt.

Incutitur autem exinde Rigor concussione in iisdem inæqualiter excitata ab acore ipso irritante, & à natura impellente per contractionem, corrugationemque earumdem partium nervearum: Desipientia verò à turbata fibrarum dispositione, & spirituum animalium violenta commotione, qui nimirùm à potu meri largiore turgentes, & efferi, immò confertiores, mobiliores, & acres redditi non suaviter, & blandè irrigando, ac leniendo fovent, sed contrà impetenter irruendo, omnia conturbant, irritant, & exagitant; unde postmodùm delirium. Junxit autem utrumque non inconsultò Hippocrates, ut malum exinde rationabiliùs prædici queat, quoniam per rigorem, malum in nervis, & fibris membranarum; per desipientiam verò damnum in spiritibus, & in mente, cerebrique substantia portenditur, quæ sanè quantum faciant ad vitæ tuitionem, nemo est, qui nesciat.

Haudquaquam autem hìc reticebo, quod à bibacibus quibusdam in usum inter epulas, ne temulentiam incurrant, ac pro more largissimè bibant, invectum est, vinum etsi potentissimum, saccharo commiscere; ita enim confitentur illud minùs, immò nullatenùs, inebriare, fortè quia per sacchari mistionem ejus spiritus inspissantur, & dulcore coerciti, coarctantur adeò, ut propterea minùs, vel nullimodè cerebrum feriant: qua etiam ratione fit, ut vinum, colatum dictum, seu non fermentatum, aut etiam mustum ipsum, paucissimos, ac inertes admodùm spiritus per destillationem emittat, ac largiùs adhuc epotum minimè inebriet, licèt ventrem inflet, & in ingentes flatus erumpat.

Postremò notatu dignum est, Rigorem non raro ex largo quoque Aquæ gelidæ potu supervenientem imminentis morbi esse solere prænuncium. Novi siquidem virum sobriè, modestèque viventem, qui cum à potu aquæ frigidæ, etiam à prandio, vel cœna, rigeret, futuram sibi prędicebat infirmitatem, potissimùm à stomacho, vel imo ventre procedentem, & multoties adhuc cum febre: fortè quia infracta, vel deficientia Ventriculi, & Intestinorum fermenta, ab aquæ potu languidiora reddita, chylosim non benè moderabantur, nec meliùs excrementorum alvi repurgationem, unde postmodùm febris, & alia ventris incommoda.

APHORISMUS VIII.

A Tuberculi introrsum ruptione, virium dejectio, vomitio, aut animi defectio fit.

ACcidentia à Tumoribus internis diruptis exorientia hìc ulteriùs memorat Hippocrates, atque prognosim ex iisdem recenset, quam malam, & infaustam ait, si subinde vomitus, animi defectio, aut exsolutio consequantur. Hinc prognosticus est præsens Aphorismus, & summoperè in praxi Medica utilis.

Tumores in humano corpore progigni, nedum externos, sed etiam internos, & ratio manifestissima suadet, & experimenta plurima ex dissectorum cadaverum observationibus certocertiùs attestantur. Eos autem

autem non solùm in viscerum parenchymatibus, Jecore, Liene, Renibus, Utero, verùm etiam in glandulis, quibus totum ferè corpus constructum, contextumque est, tum majoribus, & conspicuis, tum etiam parvis, & inconspicuis, ac solo microscopio observabilibus, cunctis planè in confesso est, adeòut plerique, nec sine firma, constantique ratione arbitrentur, rarò febres acutas, aliasque graves, & calamitosas ægritudines accidere, quæ ingenitum tuberculum comitem non habeant, vel pro causa, sive efficiente, sive fovente, non recognoscant. Quò sanè videtur Hippocrates respexisse, cùm dixit, omnes morbos vel ulcus esse, vel ulceris conditionem præseferre, ut alias innuimus.

Quoties autem accidit, interiùs genitos Tumores suppurari, ac postmodùm dirumpi, nisi promptè materia suppurata exitum habeat, necesse est alicubi deponi, ac hærere; & quidem si in glandulis, quæ uti spongiosę facilè quoscumque humores excipiunt, facillimè corruptionem inferet, & symptomata planè exitiosa; si verò in Ventriculum feratur, vomitum excitabit, si in Thoracem, & Pulmonem, tussim, anhelitum, suffocationis periculum, & quandoque etiam animi defectionem; si in Intestina, diarrhęam, vel dysenteriam, si in Abdominis cavum, hydropem; si in Renes, aut Vesicam, stranguriam, dysuriam, ischuriam, sicque deinceps alia, & alia incommoda pariet, prout in unam, vel aliam partem abscedet. Ex his autem speciatim memoravit Hippocrates virium exsolutionem, vomitionem, & Animi defectionem, quæ videntur esse symptomata specialiora diruptionis, ad cavum thoracis, & præcordiorum pertinentia, unde gravius timere sit vitæ periculum; siquidem quæ fit ad Intestina, Renes, Vesicam, & Abdomen leviùs præ cæteris vitam incommodat, etsi etiam mala sit. Silentio autem prætermisit Hippocrates prognosim, quam in cæteris anteà præsignaverat, fortè quia implicitè in his continebatur, vel facilè ab iisdem deduci poterat; quamobrem rectè Mercurialis *hoc loco*: *sat fuisse*: inquit, *dicere, fieri, cùm sint semper perniciosa quomodocumque fiant*: *sunt enim hæc omnia mala, si separatim, & multò magis si conjunctim capiantur*; *tum quia significant magnitudinem tuberculi, & pravitatem illius materiæ, locique, ad quem missa est, præstantiam*; *tum quia cuncta hæc tria symptomata tam per sese, quam consecutivè, unumquodque separatum, vires magis atterit, atque alios graves affectus producere potest*. Quin & grumi sanguinis ex rupto apostemate, ulcus ipsum sordidum, facilè in gangrænam terminandum, continuus per eas partes humorum effluxus, fistulæ, cuniculi, aliaque plura, quæ supervenire solent, vitæ periculum adaugent. Quibus omnibus unica spes est evadendi per iteratas potiones vulnerarias, adjecto spermate ceti, mumia, extracto hyperici, aliisque similibus, ut ex praxi. V. Heurnium hoc loco.

APHORISMUS IX.

A profluvio sanguinis desipientia, ac convulsio, malum.

EX sanguinis fluxu convulsionem, aut singultum consequentem malum esse scripsit Hippocrates 5. *aphor.* 3. nunc addit etiam desipientiam; unde propterea crediderim sejunctim unum ab altero, si hæmor-

hæmorrhagiæ superveniat, malum portendere; quamvis Celsus *lib.* 2. *cap.*8. utrumque sociaverit; & quidem convulsio sola, aut sola desipientia satis, superque mali morbi testimonium esse possunt, cùm cerebri, & nervorum læsionem arguant, quæ, sua natura, mala semper est. Quòd si præterea simul una copulentur, multò magis deteriora erunt; quare idem Celsus utrumque conjungens, non solùm *malum*, sed *mortis periculum*, adjecit. At verò hæc non dixit Hippocrates supervenire posse cuicumque sanguinis evacuationi, sed illius profluvio dumtaxat, seu largæ, & copiosæ hæmorrhagiæ, de qua etiam meminerat cit. *lib.* 5. *aphor.* 3. nam si modicè sanguis fluat, fieri proculdubiò nequit, ut desipientia, vel convulsio sequatur, quinimmò sæpiùs accidit, ut sanguis moderatè, præsertim per nares, vel per hæmorrhoides, profluens, multùm levaminis afferat ægrotantibus, ut etiam ex pluribus locis Hippocratis deducere est. Num autem de sola narium hæmorrhagia dictum hoc retulerit, an etiam de aliis aliarum partium evacuationibus cruentis, licèt dubitari possit, probabiliùs videtur de quocumque sanguinis exitu immoderato, è quacumque parte prodeuntis, voluisse intelligendum, cùm ab omni sanguinis immodica evacuatione Cerebrum præ cæteris visceribus magis afficiatur, & langueat, attenta præsertim ejusdem conditione, licèt quæ è naribus procedit proximiùs cerebrum debilitet, qua de causa non solùm malum esse indicium censuit Celsus, sed etiam exitiosum dixit *c. loco*. Desipientia autem, seu dementia, quæ hìc notatur, ea videtur potissimùm intelligenda, quæ stuporem, stultitiam, & sensuum omnium hebetudinem significat, ut in mentecaptis, ob ingentem virium, præsertim animalium, jacturam.

APHORISMUS X.

Ab Ileo vomitus, singultus, desipientia, vel convulsio, malum.

ILeos, latinè Volvulus, est morbus, in quo, nil quod supernè assumptum est ad inferiora, & ad alvum descendit, sed potiùs sursum resolvitur, & per os regeritur, obstructo, constipatoque, aut etiam contorto, atque inflammato intestino Ileo, à quo morbus ipse nomen desumpsit. Quamquam autem Intestini hujus affectionem specialiùs morbus iste volvulosus comitetur, aut consequatur, non tamen omninò vomitus necesse est, ut simul una conjungatur, cùm fieri etiam possit, ut nedum Ileon intestinum, sed etiam reliqua superiora compatiantur dolore, cruciatu, torminibus, inflatione, febre, siti, inappetentia, aliisque symptomatibus citrà vomitum, qui etsi postmodùm subsequatur, solius cibi assumpti, vel humoris in cavo ventriculi stagnantis esse solet. At verò si vomitus deinde stercorarius accedat, aut etiam cum singultu, omninò lethale esse consuevit, de quo hìc Hippocrates: tunc enim intestinum Ileon tam crudeliter vexari indicio est, ut irritatione perpetim inducta, fibræ illius lacessitæ distorqueantur, & veluti convulsione affectæ, sursum retrahantur, ac motum peristalticum penitùs conturbent, & invertant, unde postmodùm fæces in cellulis, & anfractibus illius residentes, evomantur, excitato simul una singultu.

Perpensis præterea caufis, è quibus Ileos proficifci folet cum vomitu, planè ab illis periculum vitæ magis adaugetur: nam five ab inflammatione contingat, five ab ejufdem contractione, ac tortura, aut etiam prolapfu, ut in Enterocele, five à fæcibus induratis, aut vifcofo, hærenteque humore, five ab alio quopiam vim habente convellendi, & fibras inteftinorum proritandi, atque diftorquendi, femper exitium minatur, ut hiftoriis quoque compertum eft, & praxis ipfa pluries oftendit; quamobrem non immeritò funeftum fignum hic ab Hippocrate proclamatur.

Quod fi ulteriùs cum vomitu fingultus adjungatur, longè gravius malum indicitur, tum ex natura fingultus, qui ad convulfionem refertur, tum ex conditione materiæ Ventriculum, & Stomachum impetentis, planè mordicantis, & acris; tum denique ex ratione partis affectæ ad vitæ fuftentationem penitus neceffariæ (qualis eft Ventriculus) & propter nervos, quibus intexitur innumerabilibus, magnam cum cerebro connexionem habentis, ut aliàs dictum.

Hinc non folùm Hippocrates fingultum fupervenientem malum dixit, fed etiam convulfionem, quæ proculdubiò periculofior cenfenda erit ob cerebri, & nervorum inde immediatè prodeuntium affectionem: Atqui defipientiam quoque fuboriri poffe ex Ileo, illumque pari modo funeftum fignum effe, nulli dubium, tractis nimirùm in confenfum partibus ad animales operationes pertinentibus, depravatis fpiritibus, turbatifque, confufifque phantafmatibus, Imaginativam, & Æftimativam dirigentibus, ac moderantibus. Quæ cùm clariora fint, quam ut fufiori fermone egeant, non eft, ut diutiùs in his immoremur. Solùm id animadvertere juvabit, unumquodque horum fymptomatum fatis effe ad indicandam morbi Ilei pravitatem, ac contumaciam; quamquam unum ab altero profectum, & intrà quatriduum lethum attuliffe non raró obfervaverimus.

APHORISMUS XI.

A morbo laterali inflammatio Pulmonis, malum.

PLeuritis, ac Peripneumonia, adeòut inter fe affines morbi funt, ut multoties unus alterum mentiri foleat, quinimmò plerique utrumque confundere confueverint. At verò quamvis inter initia diverfimodè moleftent, & diftinctas partes pleuram fcilicet, vel pulmonem afficiant, unde poftmodùm à partis affectæ diverfitate, Pleuritis, aut Peripneumonia vocitetur, plerumque tamen, procedente morbo, ac pejoribus fymptomatibus comitato, citrà fuppurationem, & fputum, etiamfi anteà partes à pulmone diftantes affecerit, facilè in ipfius pulmonis fubftantiam repere poteft, & Peripneumoniam, feu pulmonis inflammationem excitare; cumque hic affectus majus vitæ periculum minetur, ob majorem cum corde viciniam, & cum toto corpore confenfum, per arterias inde latiores excurrentes, ac recta in cor, ejufque ventriculos, & aortam fanguinem afportantes; propterea tranfitus pleuritidis in peripneumoniam longè perniciofior exiftimatur: id quod confiderans in hoc aphorifmo Hippocrates ait, à *Pleuritide Peripneumonia, non bonum.*

Digno-

Dignoscitur autem his præsertim indiciis transitus hic ex Pleuritide in Peripneumoniam à febris exacerbatione majori, à difficultate spirandi magis adaucta, à tussi profundiori, vel nulla citrà screatum, à genarum rubore, ab urinę substantia magis flavente, crassaque, atque à doloris sensu, qui priùs acutus, & pungens, mox verò gravis, & premens evadit, majori cum anxietate, & corporis inquietudine.

Tunc itaq; Pleuritis in Peripneumoniam commutata mala dicetur, cùm, illa non desinente, hæc supergreditur; at verò si cessante priori, posterior adveniat, licèt bonum simpliciter non sit, non tamen omninò malum esse solet, si pręsertim materia inflammationem inferens, aut fovens, perducta ad pulmonem, atque ad ductus ejusdem tracheales, possit subinde faciliùs, & promptus extussiri, & excreari. At verò cùm Pleuritis, seu inflammatio pleuræ, nō omninò desinit, sed potiùs majori sua expansione etiam in pulmones diffunditur, & unà simul cum pleurę inflammatione, pulmonem quoque ipsum, secundùm alterutrum saltem lobum, inficit, ac tumefacit, tantùm abest, ut commutetur, & aliquatenùs prosit, ut potiùs malum malo gravius adiiciat, & pejora vitæ incommoda pariat, de qua re hic sermo est; unde meritò scriptum, *malum*, immò & fortasse pessimum, ac lethale asserere licet, eo quòd subinde febris, quæ utrumq; morbum comitari solet, augeatur, respirandi difficultas increscat, & quod gravius, cor, ac vitale robur magis, magisque infringatur, & hebescat. Quòd si præterea genę exinde rubeant, sputum vel supprimatur, vel crudum, rotundum, flavum, viride, aut nigrum, & nonnisi maximo cum conatu educatur, vel in lethum desinit, vel in empyema, ac phthisim, commutatur, & postremò in mortem adhuc.

Sed an quod Hippocrates hìc ait de inflammatione pulmonis ex pleuritide, ampliandum quoque sit è converso in pleuritide, si in hanc peripneumonia transeat, ut *in Coacis prænotionibus*, ubi peripneumonia pleuritidis succedanea, tutior primigenia dicitur, & cur ejusmodi transmutationem Hippocrates tacuerit? Et dicendum, illam siluisse non irrationabiliter Hippocratem, veluti rarissimam, & insuetam, quæ si fortasse aliquando visa sit, pari, immò pejori prognostico esse judicandam, cùm subindè conjectura pateat jam pulmonem ex integro fuisse inflammatum, ut proinde incapax novi affluxus humoris, illum excipere non potens, aliò divertere faciat, quinimmò beneficium educendi per sputum, & tussim humorem, penitus desperatur à superveniente pleuritide, quod faciliùs expectandum erat ex sola peripneumonia.

Qua verò de causa pleuritis in peripneumoniam transire possit non aliunde crediderim, quàm ex impedito magis, minusve in partibus pectoris sanguinis circuitu: cùm enim in apicibus solùm arteriolarum sanguis hæret, cæteræ verò liberæ, expansæque sunt, ac præterfluentem sanguinem admittunt, ac deducunt, levis planè inflammatio fit, & pleuram non excedit; at verò si illæ excipiendo sanguini satis non sint, sed adhuc ulteriori egent spatio, fortè quia sanguis, crassior, acidior, glutinosior, aliusve amplitudinem exigit majorem, latioremque, tunc in adjacentes partes excurrens adhuc in pulmonem divertitur, illiusque substantiam tumefacit, ac inflammat.

APHORISMUS XII.

A Pulmonis inflammatione Phrenitis, malum.

QUamquam pleuritis, & peripneumonia morbi ſint inter ſe adeò affines, ut vices invicem commutent, & unus in alterum tranſire poſſit, frequentiùs tamen mutatio in pejus, à ſuperveniente nimirùm graviori, periculoſiorique contingens, juxta ſeriem ab Hippocrate hìc notatam, fieri ſolet, ut ex pleuritide, peripneumonia, atque ex peripneumonia, phrenitis accidat. Hac enim ratione per partes ſucceſſivè nobiliores, magiſque ad vitam ſuſtentandam neceſſarias, periculum adaugetur, & proximiùs ad mortem itur: Pleuritis autem, & peripneumonia ita à pleriſque confunditur, ut ex utriſque commune nomen apud nonnullos factum ſit; & pleuro-pneumonia non incongruenter vocitetur.

Cùm igitur à peripneumonia tranſitur in phrenitidem, aut hæc illi ſuperaccidit, ab affectione partis vitalis trahitur in conſortium ægritudo alia partis animalis, & cerebri, ubi phlogoſim, & inflammationem pariter exortam ſuſpicari irrationabile non eſt, eo ferè modo, quo pulmo ipſe affectus creditur: etenim ſæpenumerò evenit, ut quemadmodùm partes externæ, eryſipelate vexatæ, aliis conſentientibus, & vicinis id ipſum communicent, quod patiuntur, ita & partes internæ inter ſe invicem conſentientes; ſed & fit quoque, ut eryſipelas veluti per ſaltum diffundatur, & has, & illas partes, non rarò etiam diſſitas, indifferenter infeſtet, ut in eo, quod *volaticum dicunt*. Atqui maximus ineſt conſenſus per arterias, venas, & nervos inter thoracem, & pulmonem cum cerebro, ut patet, eſtque à nobis aliàs notatum ex Anatome. Si igitur præter pulmonis inflammationem, cerebrum quoque, vel ejuſdem meninges, & plexus, accidat inflammari, unde phrenitis exoriatur; nulli dubium mali morbi teſtimonium eſſe, & ægrum de vita facilè periclitaturum. Porrò in his, ſive urinæ turbulentæ compareant, ſive è turbidis mox repentè tenues fiant; aut etiam, quæ inter initia concoctæ videbantur, poſt quartum diem attenuentur, aut aliter in excretis confuſæ varient, mortis prænunciæ eſſe ſolent, ut dicitur ab eodem Hippocrate *lib. Coacarum prænotionum*.

APHORISMUS XIII.

Ab æſtibus fortibus Convulſio, aut Tetanus, malum.

QUo pacto legendus ſit hic aphoriſmus, non ſatis adhuc benè conſtat, cùm, & neque inter veteres Expoſitores conveniſſe ſcribat Galenus *in commentario*, qui fatetur, Marinum inſignem Aphoriſmorum Interpretem pro *æſtibus* maluiſſe ſcribendum *vulnera*, ut proptereà ex vulneribus potiùs fortibus, quam ex æſtibus, convulſiones oriri poſſe fuerit arbitratus, cùm nuſquam rationabiliter conſtare poſſit ab æſtibus fortibus convulſiones proficiſci, aut quinam unquam intelligendi ſint ejuſcemodi fortes æſtus, an ab ambiente aere, an verò à vehementibus medicamentis, ſudorem potiſſimùm inferentibus, vel etiam uſtionem, & eſcharam excitantibus, aliiſque. At ſicut hæc verſio ſuas patitur difficultates, ita nec altera

tera Marini suis aliis ex adverso caret. Quis enim unquam veluti rem notatu dignam, & inter aphoristicas sententias collocandam arbitrabitur, ex fortibus vulneribus convulsiones oriri posse, aut ortas inter mali morbi testimonia reponere dubitabit? cùm tamen aliàs, & pluries Hippocrates idipsum memoraverit, sitque cunctis jam satis superque notissimum. Multoties etiam observatum in praxi ab hypocaustis, & laconicis, ex thermis naturalibus, sudore nimiùm, vehementerq; promoto, excalefacta plus justo corpora exaruisse, ac nervorum, musculorumque tensionem passa esse;itemque alia ab usu caussticorum medicamentorum supra partes sensu exquisito præditas applicatorum, contractas, & convulsas illas remansisse,ut & ab usu mercurialium; quocircà non omninò impossibile putandum ab æstibus fortibus, cæterisque extrinsecis calorificis immoderatis convulsionem, ac tetanum posse proficisci; unde Celsus *lib.2.c.7.* hanc Hippocratis sententiam ita accepit, ut verteret: *Post magnos fervores corporis, nervorum rigor, aut distentio, malum.*

Sed etsi ab his, aliisque similibus causis externis convulsiones excitari posse crediderim, non videtur tamen hoc loco Hippocrates voluisse istas ab illis deducere, sed dumtaxat, quæ ab internis causis progignuntur, cùm hìc de morbis aliis morbis supervenientibus sermonem habere à principio hujus libri sibi constituerit. Hinc rationabiliùs fortes æstus exponere conveniet, febriles, & quales ab Ardentibus inferuntur, quæ Causones, & æstuosæ febres, appellantur, & aliquando colliquativæ fiunt. Et quidem ab his plurimùm commoti, ac fermentescentes humores, nedum calore intensissimo, & siti inextinguibili, ægrotantes excruciant, sed etiam acritate, ac molestia intolerabili partes cunctas corporis exagitant, lacessunt, ac divexant, ut musculi, & nervi rorida illa, blandaque substantia exhausti, rigidi, contractique fiant. Atque hinc animadversione dignum sequitur, quamobrem Hectici, ac Tabidi effecti, etiamsi toto corpore exarefacti evaserint, nullatenùs tamen convelluntur, quoniam non à siccitate (ut vulgò creditur) quæ sanè in illis extrema est, sed potiùs ab humorum acritate, ac irritatione convulsio nervorum, & musculorum evenit, ut alias adnotavimus. Quòd autem febres ardentes, fortes æstus ab Hippocrate appellari soleant, præter voces græcas πῦρ, πυρεξία, πυρετός, quibus ipse utitur, ad significandas febres ardentes, deducitur quoque ex eodem *lib. de medicamento purgante*, ubi in fortibus æstibus cavendum à catharticis consulit. Huic etiam expositioni meliùs cohæret Celsus antea memoratus *lib.2.c.* 7. hanc Hippocratis sententiam afferens, dum inquit: *post magnos fervores corporis, nervorum rigor, aut distentio, malum*, quandoquidem ibi de his, quæ intrinsecùs in singulis morborum generibus accidunt, sermonem facit.

Sed quid est, quòd Hippocrates sejunctìm hìc scripserit convulsionem à Tetano, quem latini vertunt nervorum distentionem, cùm tamen Tetanus ad convulsiones referatur, sitque affectus compositus ex Opisthotono, & Emprosthotono? Et dicendum superaddidisse Tetanum convulsioni simpliciter dictæ, veluti morbum simplici convulsione deteriorem, eo quòd totum corpus tum

anterius, tum posterius rigidum, contractum, immobileque reddat; unde quodammodò ad naturam Catalepsis videtur accidere, in qua prẹter contractionem, tensionemq;nervorum, & musculorum, corpus universum rigidum, & inflexibile fit, à nerveo liquore, & spiritibus, gelu ferè coactis.

APHORISMUS XIV.

Ex Capitis ictu obstupescentia, & desipientia, malum.

CApitis vulnera, & contusiones undecumque contingant, vel inflicta sint, semper metuenda; innumeris id attestantibus experimentis, confirmanteque ratione; quoniam primùm Ratiocinatricis Animæ domicilium conturbant, & offendunt; quamvis pro Regionum varietate magis, minusve molesta sint, & seriùs, vel tardiùs curari soleant, plurimùm ad hoc concurrente ambientis aeris conditione, ac qualitate: quod & luculenter quoque deducitur ex pluribus Hippocratis, Galeni, aliorumque clarissimorum Auctorum testimoniis. At verò ubi præter generalis hujus timoris causam manifestam, comparent insuper læsi interiùs Cerebri indicia, quæ symptomata sunt veluti pathognomonica concussæ ejusdem substantiẹ, vitiatæque structuræ, tunc nedum graviora, sed etiam periculosiora illa existimantur. Quamobrem scitè admodùm Hippocrates hoc loco scripsit, *Obstupescentiam*, & *desipientiam*, quæ solent esse ejuscemodi læsionis symptomata frequentiora, illis supervenientia, malum esse, ut fusius *lib. de vulneribus capitis* refert, & admonet. Neque solùm à re gravi contundente, ut ferro, lapide, ligno, aliove, sed etiam ab impetente quovis violenter, id accidisse plurimæ testantur historiæ: Notabilior autem est, quæ scribitur ab eodem Hippocrate de Virgine illa Nerii filia 5. *epidemiorum*, quæ lata manu ad syncipput percussa vertigine capta est, & nona periit: Et de eo, qui lapide in caput percussus à Macedone corruit, secunda die voce destitutus, tandem mortuus est; ut & Autonomus in Omilo lapide ex manu ictus, & decimasexta pariter defunctus.

Quoniam verò hìc speciatim meminit *ictuum*, videndum quid ex his magis, quàm ex vulneribus cerebro contingat? Et sanè noxa, quæ obstupescentiam, vel desipientiam infert, non aliunde provenit, quàm ex interna totius substantiæ Cerebri concussione, perturbationeq; qua nimirùm illius fibræ, poruli, sinus, spiritus, & roridus ille liquor, qui ejus substantiam irrorat, vigoratque, perturbantur, concutiuntur, exagitantur, & è suis loculis dimoventur. Sed & aliquando etiam accidit, ut Cerebrum in sua constitutione, ac textura depravetur, & dissocietur, vel etiam è diruptis venulis, aut arteriolis sanguis guttatim effluat, atque vel in eadem cerebri substantia, vel in meningibus, & plexibus restagnet, ut propterea mole aggravet, aut putrefactione corrumpat, motum liquidorum interrumpat, & mentem, mentisque operationes hebetet, ac dementet. Hinc autem fit, quòd gravior, periculosiorque non rarò fit ictus, & contusio, quàm simplex vulnus Capitis, si præsertim per illud prodire possit quidquid extra vasa effluxerit, & pus exinde proveniens exitum habeat. Accedit, quòd multoties ex ictibus non ipsa pars percussa, aut contusa,

tusa, sed opposita lædatur, & frangatur, unde occultum nimis ubi, & cui medela adhibenda sit; quod secus contingit in vulnere, dummodò fracturam, aut contusionem vehementem adjunctam non habeat: Quamobrem ex contusionibus, periculosiores fiunt Cerebri læsiones veluti interiùs inductæ, nec sensibus conspicuæ, & apparentes, ut compluries est observatum.

Quamquam autem innumera propemodùm mala, ex ejusmodi ictibus, & contusionibus capitis accidere possint, speciatim tamen meminit in hoc aphorismo Hippocrates obstupescentiæ, & desipientiæ; siquidem istæ frequentiùs ex illis accidunt ob enarratas causas: A concussione etenim cerebri, atque ab effusione sanguinis, alteriusve liquoris, extra propria conceptacula, faciliùs Cerebrum gravatur, atque opprimitur, unde postmodùm obstupescentia, qua nimirùm icti, vel vulnerati, attoniti, immobiles, ac veluti apoplectici remanent. Desipientia verò hìc ab Hippocrate notata, non ad phrenitidem, vel maniam referenda est, sed ad dementiam, seu stupiditatem, per quam mens stupefacta nil rectè agit, vel cum sopore, confusione, & ignavia, ut in vacillantibus, temulentis, multoque vino repletis.

Denique dixit Hippocrates *malum*, non lethale; quoniam etsi sępenumerò sic affecti pereant, fieri tamen potest, ut revalescant, ac salventur, si nimirùm Cerebrum sua substantia illæsum, solùm in suis vasis sanguiferis, aut lymphicis, noxam patiatur, & sanguis ex illis effluxus exitum habeat per aures, nares, aut os, ut in plerisque visum: tunc enim nullibi restagnans cerebri substantiam nec comprimit, nec corrumpit, adjuta potissimùm natura à traumaticis, & vulnerariis medicamentis, de quibus alibi dictum.

Cæterùm malum semper est stupere, ac dementari ex capitis vulneribus, aut ictibus, quoniam ab his cerebri substantia concussa, & vitiata significatur, quæque tum ratione sui, tum ratione sanguinis effusi, facilè in corruptionem abit, ni per patentes suos ductus statim se ipsam exoneret, & commotum, turbatumque humorem repurget, extramittatque. Neque à non apparente extrinseca capitis læsione quis certò coniiciet, nullam internam Cerebro commotionem fuisse illatam; quandoquidem non raró etiam compertum est, sine ulla apparente contusionis, aut vulneris signatura, cerebrum malè affectum, conturbatumque fuisse, atque etiam repentè post aliquod tempus mortem intulisse, nullo intereà præcedente sensibili symptomate.

APHORISMUS XV.

A sanguinis sputo puris sputum, malum.

Dixerat aliàs Hippocrates *sanguinem supra ferri, malum*; nunc superaddit, illum superiùs rejectum, nisi citò, & spontè sua desinat, in pus verti, atque ab illius sputo, puris sputum evenire, atque adeò priori malo aliud pejus, & gravius succedere, quod est suppuratio, & Empyema.

Et quidem sputum hìc memoratum, non simplicis spuitionis, aut excretionis intelligendum, veluti ex faucibus, & ex faucium glandulis erumpens, sed quod è pectore per tussim eiicitur, quemadmodùm

omnes

omnes Interpretes exponunt. Huic enim dumtaxat puris sputum super. accidit, deindeque phthisis, de qua sequens Aphorismus subnectitur. Nec aliter pus verum fieri potest, nisi sanguis, è suis vasis exiliens in pectoris cavo, aut alibi concrescat, & fermentatione subactus suppurationem postmodùm subeat. Cohæret his consuetus loquendi mos Hippocratis, qui cæteras quascumque expurgationes, excreationes semper appellat; per tussim verò habitas, sputa restrictiùs vocitat; unde *aph.13 quinti*, scripsit: *qui spumosum sanguinem expuunt*, *&c.* & *in Coacis prænotionibus*, *sputa spumosa*, & *flava*, & *alba*, & *nigra*, *rotunda*, ac *viscosa* nominat, quæ è pectore educuntur. Quoties ergo sputum sanguineum observatur, mox futurúm expectare est purulentum.

Quoniam verò *à sanguinis sputo*, inquit, vereri subit, num propriè sanguinis puri puti, ac simplicis, an etiam misti; vel sputi solùm cruentati, is intelligendus sit? Et planè asserendum in verò pure, simpliciter sanguinem esse extussiendum, nam verum pus nonnisi à solo, & puro sanguine provenit; at verò à sputo cruento, seu cum aliis humoribus permisto, potissimùm cum phlegmate, verum pus non exoritur, sed quid puriforme, ac purisimile, quemadmodùm experimur in catarrhis diuturnis, ad maturitatem perductis. Parùm autem refert, sive sanguis excretus multus sit, vel modicus, dummodò iteratis vicibus exspuatur, ut exinde coniicere liceat vas aliquod sanguiferum fore apertum, vel diruptum, & secundùm aliquam sui partem, saltem in pectore hæreat, & concrescat; cujus causa deinde fiat, ut in pus vertatur. Atqui longè gravius erit, & pus subinde futurum portendetur, si spumosus, ac floridus, adeòque ex pulmonis parenchymate ille prodeat, ut aliàs ostensum: Cæterùm major, vel minor copia sanguinis excreti, nonnisi proveniet ex vasis adapertis, vel erosis, latioribus, aut angustioribus ejusdem, præsertim per pulmonis substantiam dispersis. Vasa enim illa, per quæ sanguis è dextro in sinistrum Cordis ventriculum per pulmones traducitur, longè majora sunt, & cùm referantur, vel rumpuntur, citam mortem afferunt, ab impetente sanguinis irruptione, ac suffocatione, impeditaque circulatione.

Puris prætereà sputum hoc loco ab Hippocrate notatum tunc eveniet; cùm valida Natura vim extussiendi ferre potest; nam si fortasse imbecilla sit, quæ tussis impetum, atque anacatharsis molestiam sustinere nequeat, licèt sanguis anteà prodierit, puris sputum non comparebit, quia interiùs detentum cavum pectoris occupabit. Quocumq; autem modo fiat, malum semper erit, quoniam sputum purulentum, & sanguinem præterfluentem inficiendo, & pulmonis substantiam erodendo, Phthisis causa evadit; de qua in sequenti.

Verumtamen observare est, non fuisse in aphorismo absolutè pronunciatum, omninò à sanguinis sputo puris sputum subsequuturum, sed solùm sub conditione, si à sanguinis sputo puris sputum subsequatur, malum esse; plerosque enim novi sanguinem non semel tantùm, sed plures, atque iteratò ad certum tempus expuisse, nullamque passos esse puris excreationem: quin & pleuritici, & mulieres in menstruo, catameniorum recursu consuevere ad plures dies copiosum sanguinem sputo,

to , ac tuſſi, non ſine ingenti moleſtia expurgare, citrà ſuccedentem ullam puris excretionem. Jure optimo itaque adjectum eſt, malum tunc ſignum eſſe, cùm ad ſanguinis ſputum, puris ſputum conſequitur; ſiquidem hoc pacto fiet, ut deinceps à puris ſputo phthiſis, & marcor univerſalis inſequatur, ac tandem interitus, ut mox dicetur.

APHORISMUS XVI.

A puris ſputo phthiſis, & fluxus: cùm verò ſputum retinetur, moriuntur.

EX antedictis clarè liquet, non irrationabiliter hunc aphoriſmum fuiſſe à præcedenti disjunctum, cùm non omninò neceſſarium ſit, puris ſputum ſanguinis rejectionem ſubſequi debere, licèt plerumque id fieri ſoleat: Quamobrem ſenſus utriuſque aphoriſmi videtur eſſe, quòd ſi à ſanguinis ſputo, puris ſputum habeatur, malum ſit; quoniam à puris ſputo phthiſis, & deinde fluxus ſequitur; & ſi forſitan puris ſputum in poſterum detineatur, mors infallibiliter ſuccedet: unde aphoriſmus hìc videtur eſſe ratio prioris illius.

Sed unde fit, ut à puris ſputo phthiſis, & fluxus portendatur, ſitque alterum alterius ſymptoma, veluti neceſſariò ſuperventurum? Planè id videtur deducendum à pure, & puris conditione: pus enim, ut alias dictum, acritatem habet muriatico-ſalinam, & acrem, adeòque erodentem, atque infenſam ſanguini, & pulmoni, ubi hæret, unde cordi, totique corpori, vis, robur, & nutrimentum ſuggeritur; quamobrem ab infecto, ulceratoque pulmone, ſanguis inde præterfluens perpetim vitioſus, & acer, ac mordens redditus, nedum ulcus ipſum fovet, & ſordidum reddit, ſed etiam ventriculos cordis, & reliquos humores inficiens, febrim excitat tabificam, ſubindeque poſtmodùm alia innumera detrimenta, & tandem mortem.

At cur ſputum in pleuritide cruentum bonum ſit, & quantò citiùs comparuerit, tantò meliùs: cùm ex adverſo hìc malum referatur, & ſuppurationem portendat? Ratio facilè reddi poteſt ex eo, quia ibi ex dirupto apoſtemate à ſanguine extra vaſa reſtagnante, hìc verò è pulmonis vaſis diruptis, vel reſeratis proximè reſilit, etiam cum pulmonis læſione, cujus inſanabilia dicuntur ulcera, authore Galeno 4. *de loc. affect. cap.* 5. & 5. *Meth. cap.* 8. & 11. Legi meretur de hac re idem Hippocrates *lib.* 1. & 2. *de morbis*, ubi multiplex genus Phthiſeos diſtinguit, & uniuſcujuſque cauſas, ac generationis modum, per quam accuratè recenſet; ut propterea in illis deſcribendis non ſit opus hìc ulteriùs immorari.

Fluxus verò, qui in hoc aphoriſmo, nomine generaliori notatur, vel intelligendus erit, qui ventris dicitur, juxta documentum ejuſdem Hippocratis 5. *aphor.* dicentis: *Tabe laboranti ſi alvi fluxus ſuperveniat*, vel *capillorum defluvium*, ut ibidem memoratur *aphor.* 12. & 14. vel utrumque, planè nil erit, quod huic ſententiæ non conveniat; quoniam ex utriſque proximè imminens interitus portenditur, ut iis in locis à nobis eſt explanatum: quidquid enim præter naturam evacuari Phthiſicis, ex pulmonis ſcilicet ulcere tabefactis, contingit, proculdubiò malum eſt, immò etiam lethale, ob maximum naturæ languorem, & virium

rium

rium dispendium. In quam rem non semel observare curiosum fuit, phthisi peremptos in tam extremam sanguinis consumptionem pervenisse, ut is solùm in arteriis, & venis superfuerit, qui vix circulationi ejusdem satis foret, reliquo penitùs exhausto.

Tandem ad calcem aphorismi adiicitur: *cùm sputum detinetur, moriuntur*. Et sanè: detento etenim pure pulmo nedum magis inficitur, sed in usu respirationis multùm opprimitur, ut tandem suffocetur, unde cor à suo motu deficiens vivere desinit. Atque hinc liquet, quàm gravius sit puris sputum intercipi, & remorari, quàm, molestè licèt, extussiri, & educi; quoniam ex hoc expellentis Naturę robur ostenditur, ab eo verò detento summa ejusdem imbecillitas indicatur, & proximus vitæ finis.

APHORISMUS XVII.

In Hepatis inflammatione singultus, malum.

Confer. aphor. 58. 5.

MUltoties Hepar (sicut & pleraque alia corporis viscera) ab hærente in ejus substantia sanguine, utriusque, vel alterutrius vitio, inflammatur. Cùm autem id morbi genus subit, non solùm graviter ægrotantes divexat, sed in maximum vitæ periculum eosdem coniicit, si præsertim vehementiori febre, anhelitu difficiliori, ingenti dolore, siti, vigilia, cæterisque molestioribus accidentibus societur. Ex multis autem, quæ illius inflammationem comitari, vel subsequi solent, specialiùs hic adnotat Hippocrates singultum, veluti symptoma rarenter superveniens, atque ab alio viscere malè affecto, puta stomacho, aut diaphragmate, dependens; aitque illum malum esse, quoniam designat eò diffusam, extensamque esse jecoris inflammationem, ut alias quoq; partes superiores, & adjacentes affecerit, magisque ad vitam sustinendam necessarias. Et quidem à singultu stomachus, & diaphragma perpetim convellitur, unde & ciborum assumptio, ac eorumdem digestio, nec non respiratio plurimùm impeditur, quæ operationes sunt quam maximè ad viventis corporis conservationem conferentes; prætorquamquod affecti, ac proritati à causa singultum excitante, nervi per stomachum, & septum transversum dispersi, trahunt quoque in consensum cerebrum, unde alia longè graviora, & periculosiora mala exoriri possunt, ut cunctis notum.

Sed etsi Hepatis inflammatio ad stomachum, & diaphragma non subreperit, adhuc tamen poterit singultus ab Hepatis inflammatione suboriri propter ligamentum carneum, quo illud diaphragmati alligatur, ut ex Anatome patet, quamobrem illo inflammato, tumefacto, ac plus justo distento, ex nimio pondere contrahitur diaphragma, & in suis expansionibns impeditur; cumque stomachus diaphragmati quoque cohæreat, unde fieri potest, ut singultus exoriatur, qui utriusque passio dicitur: & quoniam singultus ad motus spasmodicos refertur, & isti nervos malè affectos, & Cerebrum quoque læsum arguant, adhuc exinde malum signum erit, & multarum partium principalium, simul unà laborantium, indicium manifestissimum.

APHO-

APHORISMUS XVIII.

A Vigilia Convulsio, vel Desipientia, malum.

Sicut convulsio, aut desipientia plerisque aliis ægritudinibus, cum nervorum læsione conjunctis, supervenire solet, & mali morbi testimonium addit; ita si Vigiliæ, ut non raro fit, accidant, malum pariter portendunt: quoniam si in reliquis deducti in compassionem Cerebri indicia sunt, multò magis in Vigilia Cerebrum ipsum malè affectum proximiùs designabunt. Verùm Vigilia in his vehemens, diuturna, & nulli penitùs remedio cedens esse debet, ut convulsionem, vel desipientiam pariat: sunt etenim, ac fuere plurimi, qui ad menses integros somno caruerint nihilum tamen convulsionis, vel desipientiæ incommoda passi sunt, ut historiis liquet, & de Mecœnate cunctis notum: At verò ubi ex perenni Vigilia ista evenerint, ne dum humores, & spiritus per Cerebri substantiam diffusi acriores redditi, multùm infensi evaserunt, sed etiam Cerebrum ipsum in sua constitutione, ac textura non leviter à naturali statu declinasse indicio est, cùm ipsius meditullium, & nervorum principium depravari, ac offendi contigerit ex contumaci, diuturnoque pervigilio, aliter convulsio, vel desipientia nullatenùs accideret. Cujus autem generis desipientia hìc intelligenda sit, facilè ex supradictis deducere licebit, quam nimirùm vocant melancholicam, vel maniacam, ab exustis, acidis, vel acribus humoribus progenitam; ab his enim pluries dictum, convulsiones excitari solere, irritatione in nervorum fibris inducta; quamobrem pari ratione ab iisdem desipientiam hoc loco memoratam proficisci credendum est. Atque hinc modò, facilè quoque deducitur, cur Vigilia, quæ plerisque innocua esse solet, in his mala fiat, si nimirùm ad eam convulsio, aut desipientia subsequatur; siquidem denunciat non à sola exsiccatione, aut humoris absumptione illam provenire, sed ab alia pejori, mordaci, ac virulenta causa, quæ convulsionem, & dementiam gignere valeat; vel saltem ex tali, ac tanta substantiæ cerebri coarctatione, ut roridum illius liquorem vel non gignat, vel in meditullium diffundi non permittat, unde contumax, atque incompescibilis vigilia sensim, sensimque suborta sit; quamobrem malum ægrotanti portenditur, & fortassis etiam interitus, nisi, humectantibus simul, ac retundentibus acritatem convenienter, opportunèque occurratur.

Pl. l. 7. c. 51. Sen. de prov.

APHORISMUS XIX.

Ex ossis nudatione Erysipelas.

Adiiciendum omninò est, *malum*, vel implicitè subintelligendum, ut sensus aphorismi consonet experimento, & menti Hippocratis; siquidem illo omisso, nequaquam videtur utriusq; consentaneum, quòd ossi nudato erysipelas perpetuò accidat, quidque portendat, cùm supervenerit, ignoretur, attenta ossis denudatione. At verò fieri nequit, quin grave, & periculosum symptoma censendum non sit erysipelas ossi denudato superveniens, tum suimet ipsius ratione, tum ob ejusdem ossis denudationem, quoniam denudatum os facillimè livori, & corruptioni subiicitur, unde postmodùm sphacelus.

celus. Fuere ſiquidem oſſa omnia à provida Natura tenui quadam membranula, quæ perioſtion vocatur; undequaque circumveſtita, cujus cauſa foveantur, & ab extrinſecis alterantibus cuſtodiantur; quamobrem ubi illa orbata ambienti aeri exponuntur, promptiſſimè frigent, liveſcunt, & quamlibet aliam præternaturalem alterationem ſubire poſſunt; cùmque liquor, & vigor nerveus, qui per illam diffunditur, propter oſſis denudationem, per eas partes permeare nequeat, ſed vel hęreſcit, & circumquaque reſtagnat, vel ex partium circumſtantium vitio, ac ambientis aeris importuna actione, aceſcit, & corrumpitur, proinde fit, ut antedicta mala exoriantur. Hinc cauti, & accurati Chirurgi in ejuſmodi caſibus omnem adhibent diligentiam, ut os nudatum amiciant, ac balſamicis medicamentis tutentur, ſimulque unà ab extrinſeco ambiente cuſtodiant, & defendant, immò ſi quid in oſſe vitioſum appareat, ſtatim abraſionibus, ac lituris detergant, & amoveant.

APHORISMUS XX.

Ab Eryſipelate putredo, aut ſuppuratio, malum.

QUamvis Eryſipelas ad Tumores referri poſſe videatur, quia tamen à tenui admodùm humore acri, & volanti plerumque fit, qui vix cutem affectam elevat, & rufo, vel flavo colore inficit, propterea ſponte ſua ſolet promptiſſimè diſcuti, & inſenſibiliter reſolvi, intacta, atque illæſa relicta parte, ſi præſertim verum, ac legitimum illud fuerit. Cùm autem præter rubicundum colorem, in manifeſtum tumorem cutim attollit, miſtum ex alieno, & craſſiori humore eſſe ſolet, adeòque ſpurium appellatur: quin & pro ratione humorum admiſtorum, nunc phlegmonodes, nunc œdematodes, nunc etiam ſcirrhodes dicitur, prout in colorem varium inclinat, & hunc, vel illum adjunctum humorem redolet, ut apud Chirurgos: quo caſu niſi illorum peritia, & accurata diligentia accedat, facilè in apoſtema degenerat, & ſuppurationi ſuccumbit, nequeunte ſcilicet alieno illo, admiſtoque humore tam promptè attenuari, & exolvi. Id ergo conſiderans in hoc aphoriſmo Hippocrates, inquit, putredinem, aut ſuppurationem ex Eryſipelate inductam, malam eſſe, eo quòd à ſua conſueta conſtitutione recedat, & alio, quàm diſſolutionis, & evaporationis modo deſinat, immò in graviorem morbum, & in ulcus ſanè periculoſum commutetur.

Et quidem cùm in putredinem, vel in ſuppurationem tendit, proculdubiò deſignat ex miſtura alteriùs humoris craſſioris, indebitam fermentationem inibi fuiſſe excitatam, per quam partes tenues exolutæ, fæculentas, ac tartareas reliquerint planè irreſolubiles, quæ cùm acorem, ac virulentiam etiam contraxerint, facilè inſuper ſubjectas, & circumſtantes partes inficiant, & corrumpant, ac tandem in gangrænam deſinant, ſubſtratum os vitiantem, contaminantemque.

Sed & ex putredine, aut ſuppuratione, nova ſemper febris exoritur, & non raro priore pejor, infecto ſubinde ſanguine, per affectam partem in cor remeante, indeque per corpus univerſum; unde poſtmodùm gravius vitæ periculum imminet. Accedit, quòd putredo iſta, & ſuppuratio mali ſemper moris eſſe

ſolet,

solet, ratione mistorum humorum spurium Erysipelas progignentium, qui cùm ferè semper acorem salinum referant, vel procedente tempore adipiscantur, præter crassitiem, & lentorem, sordidum quoque ulcus efficiunt, quod non tam facilè detergi solet, nec tam citò consolidationem admittit; quapropter diuturna mora, etiam circumjacentes partes, excitatis cuniculis, afficit, & novos, novosque tumores, ac abscessus promovet, dubium semper exitum comminantes, præsertim si circà articulos fiant, & in corporibus valetudinariis, humidisque regionibus, atque in ætate senili, ut multoties est observatum. Anno 1700. sub Autumni finem, ac deinceps per totam hyemem sequentis anni 1701. Neapoli, genus quoddam crustosis Erysipelatis vagatum est, epidemicam constitutionem referens, quod cunctos facie peculiariter affecit, cum febre acuta, pervigilio, delirio, è naribus hæmorrhagia, aliisque symptomatibus perniciosissimis, è quo pauci admodùm evasere.

APHORISMUS XXI.

A forti in ulceribus pulsu, profluvium sanguinis, malum.

Ulcera, sicut etiam vulnera, cùm præsertim magna sunt, & in partibus arteriosis inflicta, solent circum labia, ob indigestam materiam, intumescere, & non raro etiam cum rubore, dolore, & ardore sociari, ut propterea circumsitę venæ, & arteriæ sanguinem deducere, & excipere non valeant, unde postmodùm ab ipso restagnante vehementiùs pulsant, & elatiùs attolluntur. In his ergo ait in hoc aphorismo Hippocrates, facilè posse sanguinis profluvium exinde succedere, impetente nimirùm illo, atque aditum sibi per violentiam faciente: quod cùm acciderit, malum esse subdit, tum ratione ipsius sanguinis immodicè profluentis, tum ratione ulceratæ partis, quæ ab ejusmodi immoderata sanguinis effusione languida, & effœta remanens, difficulter ad cicatricem sit perducibilis.

At verò hæc in ulceribus quibuscumque contingentia, longè graviora evadunt in Carcinomatibus, quorum proprium esse solet ejuscemodi mala inferre, & fortes pulsus, aut irrestagnabiles sanguinis profusiones inducere, à maligna, virulentaque materia arsenicalem conditionem referente; quamobrem non solùm malum, sed pessimum in his indicium promitur insanabilitatis, & mortis.

Notavit autem signanter Hippocrates *fortem*, idest vehementem, & elatum *pulsum* esse debere: nam non quælibet pulsatio in ulceribus mala est; quæ enim concors, & conformis est cum cordis, cæterarumque arteriarum pulsu, mala non est, immò potiùs salutaris, cùm sit conveniens debito Naturæ usui, arguens ulceratæ partis vim, facultatemque validam, & sanguinis circumeuntis blandam, consentaneamque conditionem. Quare, ut pulsationes istæ morbosæ sint, fortes, vehementes, impetentesque esse debent, vitium ulceris, & qualitatem materiæ restagnantis designantes acrem, multumque infensam, quæ peculiari fermentatione ibidem excitata violenter concutiat, & percellat arterias, immò & ambitum totius partis ulceratæ, quocircà fiat, ut orificia arteriarum, & venarum ab impetente,

te, atque erodente illius malitia referentur, & scindantur. Sed & nec solùm ab ulceratis, aut vulneratis partibus, sanguis si profluat, malum erit, sed etiamsi à naribus, hemorrhoidibus, utero, cæterisque immoderanter exiliat; quippe tunc arguit vitium tale in sanguine inductum, ut nedum labia ulceris, & adjacentes partes tumefaciat, & excruciet, verum etiam reliquas omnes totius corporis inflet, vellicet, & depravet; unde Celsus latiori planè significatione sententiam hanc expressit *lib.2.cap.7.* inquiens: *ubi vehementer venæ super ulcera moventur, sanguinis profluvium erit*. Et quidem ex Cancerosis ulceribus aliquando observatum nares immodicè sanguinem fudisse, cùm jam patientes in proximum exitium deducti toto corpore ejus malitia forent infecti. Sunt etiam, qui fortem, ac vehementem pulsationem non proximè in ulceribus, sed in corde ex ulceribus vehementer affecto, atque elato illam velint, veluti signum inflammationis ibidem inductæ, atque ex pulsu cordis manifestandæ, cùm pulsationes omnes arteriarum ab unico, & solo corde procedant: & quidem id non inverisimiliter dictum putaverim, quamvis cunctis ferè interpretibus creditum sit, pulsum Hippocrati vel incognitum fuisse, vel deneglectum; at verò si nonnulla in ejusdem operibus loca perpendantur, haud inficiabimur fuisse non raró pulsum in ægrotantibus ab illo observatum, siquidem 4. *epidem. n.* 9. *In acutissimis febribus pulsus densissimos, & maximos* fuisse adnotat: & *num.* 12. *In Zoilo fabro pulsus tremulos, & tardos memorat*; itemque *num.* 23. & 2. *epidem. sect.* 5. *cui vena*, inquit, *in cubito pulsarit, insanus, & iracundus est*: & 7. *epidem. numer.* 41. *Pherecydæ pulsus in fronte valdè obscurus* memoratur: & *num.* 42. *Venæ in temporibus saliebant* (pro venis autem arteriæ intelliguntur juxta Veterum morem.) Et *in Coacis prenotionibus, quibus in febribus*, ait, *venæ in temporibus pulsant*: atque *ibidem*: *pulsus lethargicorum tardos esse*, ait: & inferiùs, *pulsus* memorat *in præcordio*. Pulsuum etiam circa tempora meminit *lib. de flatibus*, & *lib. de Alimento*, *venarum pulsationes, & aeris respirationem sanitatis, & morbi signa* esse statuit. Ex quibus locis colligere planè est, consuevisse aliquando Hippocratem pulsus observare, immò etiam in diversis corporis partibus, eo fermè modo, quo apud Chinenses (superstitiosè tamen nimis) factitari legimus, quibus mos fertur pulsus in toto ferè Corpore percipi, & observari; Verùm eos Hippocrates non adeò magni fecit.

Juxta divisionem Marinelli.

V. Merc. var. lect. l.2.c.12.

APHORISMUS XXII.

A ventris dolore diuturno, suppuratio.

Diagnosticus, & Prognosticus simul hic aphorismus summoperè ad praxim conducibilis est, admonens medicos, ut in tractandis diuturnis ventris doloribus cauti fiant, ne inadvertenter decipiantur, immò aberrantes à scopo exoptatæ curationis ægrotos in perniciem deducant, quemadmodùm non raró plerisque accidisse maxima sane incuria, observatum.

Accidunt sæpèsæpiùs ventris dolores in intestinis ex retentis, constipatisque fæcibus, à flatibus cavum eorumdem distendentibus, & quodammodò convellentibus, à tenaci,

naci, hærenteque pituita acorem ponticum referente, & fibras contrahente, & corrugante, aliisq; consimilibus causis *in nostra praxi* memoratis, exceptis his, qui ad utrumque hypochondrium pertinent, ut & ad vesicam, & uterum. Isti verò temporis diuturnitate, sponte sua desinere solent, vel ope medicamentorum remitti, atque aboleri, discussis nimirùm flatibus, egestis fæcibus, subactisque aliis causis dolorem inferentibus, nisi tamen, ut benè advertit Galenus *in comm.* doloris ferocia à contumaci, repugnantique causa mors ægrum præoccupet. Quoties ergo dolor in diuturnum tempus producitur, nec beneficio medicamentorum sedatur, aut desinit, indicio est, doloris causam cavum intestinorum, aut locum ad exitum per alvum patentem non occupare, sed interiùs reconditam esse, & fortasse etiam fixam, hærentemque in glandulis Mesenterii, Omenti, Pancreatis, & similium, quæ nonnisi coctione, maturationeque subigi, & subacta, maturata, ac fluida reddita expelli possit; idque beneficio suppurationis, quæ opus Naturæ est, in rem malam alicubi conclusam, & fermentationi subjectam; unde jure optimo, inquit hìc Hippocrates, à diuturno ventris dolore suppurationem esse expectandam, cùm non alia subsit via, per quam illa corrigi, & expurgari queat. Nisi tamen Natura impotens, & imbecilla evaserit à laboris, & doloris diuturnitate, quam etiam Vigiliæ molestissimæ, & virium jactura sæpesæpiùs consequi consueverunt; unde ægrotanti interitus ante suppurationem præaccidat, ut non raro evenit in istiusmodi tumoribus, & abscessibus internis.

Tacuit postremò Hippocrates, *malum*, vel quod implicitè subintellectum velit; vel potiùs, quòd in ipsa suppuratione contineatur, quæ licèt opus Naturæ concoquentis sit, adeòque bonum, mala tamen est saltem ex reliquo in parte dolente ulcere, quod difficulter admodùm detergi, & ad cicatricem perduci potest, adeòque timendum deinceps est, ne in longius tempus protractum, mortem sit denique allaturum.

Quod hactenus de imi ventris doloribus est expositum, nonnulli quoque ad cęteras corporis cavitates, quas etiam ventres vocant, extendunt, nimirùm ad Thoracem, & Caput, ita ut si in his quoque dolores diutiùs perseveraverint, sequuturam suppurationem portendant pari ratione. Verùm etsi id non improbaverim, cùm rationi, & experimento non repugnet; verisimiliùs tamen id videtur pronunciatum ab Hippocrate de infimo ventre, qui propriè, immò specialiùs talis dicitur, atque in diuturnum tempus dolorem sustinere potest, potissimùm si in mesenterio, ejusq; glandulis progignatur, ut dictum. Atque hinc modò facilè etiam deducitur, dolorem hìc ab Hippocrate memoratum haudquaquam vehementem, & magnum esse intelligendum; nam si magnus, & ingens foret, nullatenus posset in longum tempus produci, cùm tantam doloris vehementiam, & acutiem Natura diutius ferre non possit citrà manifestum vitę periculum. Modò in capite, & in pectore dolores, qui fiunt, semper sunt gravissimi, & citò intra terminum acutorum vel in salutem, vel in mortem desinunt; secus verò, qui in mesenterio, ejusque glandulis fiunt, leviores sunt, adeòque ad menses integros perdurasse fatentur histo-

riæ: suppurata autem materia doloris causa, dolor ipse mitescit, & febris, si quæ fuit, remittitur; nam *dum pus conficitur, dolores, & febres accidunt magis, quàm jam confecto*: atqui pus sive verum, sive falsum sit, parùm refert, cùm utrumque esse possit, pro varietate humoris in parte dolente congesti, & subacti.

Postremò pro coronide animadvertendum collectos in glandulis mesenterii humores, præsertim crassos, & consistentes, non semper dolores excitare, neque in suppurationem desinere, sed aliquando in tubercula durissima, scirrhos æmulantia, commutari, atque ita cùm ægrotantibus consenescere, ut Anatomicis inspectionibus dissectorum corporum pluries est observatum.

APHORISMUS XXIII.

A dejectione sincera difficultas intestinorum, malum.

Sinceras dejectiones appellat Hippocrates, quæ uniusmodi sunt, & simplicis, sincerique humoris conditionem referunt, quales sunt, quæ solius flaventis bilis, seu fellei humoris, aut nigricantis, vel albi coloris comparere solent, atque à Veteribus ad flavam, aut atram bilem, & ad pituitam reduci consueverunt; quamvis nunc à detectis, industria anatomica, novis humoribus aliter evenire referantur. Utcumque autem istæ fiant, cùm comparent, minùs malæ esse solet, eo quòd arguant Naturam non tam variè distractam, malèque affectam, nec viscera esse diversimodè coinquinata, ut alios, aliosque succos præternaturales gignant, & genitos deponant in intestina, ut alibi meminerat; Verumtamen non adeò à fæcibus sejunctæ egeri debent, ut penitùs impermistæ, ac solitariæ educantur: tunc enim immodicum humoris excessum, & causam effectricem nimiùm præpotentem denunciant, quę haudquaquam à reliquis aliorum viscerum succis corrigatur; ut cùm dejectiones flavæ fiunt ab exuberantia fellei humoris nullatenùs à succo pancreatico edomiti, & contemperati; vel contra, cùm nigricantes sunt, ejusdem pancreatici acidioris redditi vitium arguentes, qui ab inerti, paucoque succo felleo corrigi non potuit. Has ergo vituperat Hippocrates tanquam malas, tum ratione signi, quoniam significant viscera, unde illæ derivant, à naturali constitutione degenerantia; tum etiam ratione causæ, eo quòd indomitæ, nec correctæ, quò tendunt, veluti efferæ, partes cunctas inficiunt, depravant, & excruciant. Quamobrem non immeritò hoc loco animadvertit, à sinceris dejectionibus dysenteriam supervenientem malam esse, non quòd undecumque ista proveniat, mala non sit, sed quòd longè gravior, ac molestior sit futura, cùm à sinceris dejectionibus originem habuerit. Et quidem, ut mox dictum, quoniam à causa provenit nimiùm præpollente, & excedente, tum in quali, tum in quanto, & viscera, unde dejectio provenit, plurimùm à naturali statu recedentia, atque intemperata recognoscit: Quare intestina nedum continuis, & constantibus doloribus extorquentur, sed etiam facilè subinde exulcerantur, & exeduntur. Hinc aliàs dixerat idem Hippocrates, *dysenteriam ab atrabile lethalem esse*, quippe quæ à simplici, sinceroq; humore procedit; & alibi mutationes colorum in evacuationibus commendavit, ut pote

te arguentes humores sibi invicem in meliùs succedentes, & mutuò se contemperantes, ne scilicet alter supra alterum nimiùm prævaleat.

Quod autem hìc edocet de malis dejectionibus sinceris à statu naturali in præternaturalem, excipere convenit in his, quæ è statu morboso, & præternaturali in sanum accidunt, cùm scilicet in declinatione morborum, & præsertim febrium acutarum, criticè contingunt. Tunc enim facilè fit, ut à victrice Natura, separante malum à bono, unius duntaxat sinceri humoris febrim foventis evacuatio criticè, & salubriter habeatur. Quo pacto experimur sæpenumerò tertianas, aliasque febres acutas desinere solere, copiosa simplicis humoris flavi, seu biliosi dicti, evacuatione, unde postmodùm æger convalescat. Ita pariter in Aurium obsurdescentia scripsit Hippocrates biliosas dejectiones salutares esse, redeunte in pristinum auditu.

Neque insuper inquit Hippocrates omninò futuram dysenteriam ab ejusmodi sinceris dejectionibus, sed solùm sub conditione, si evenerit, malum esse; ut propterea perperam à quibusdam omittatur particula, *malum*. Quin & sincera dejectio in singulari numero à Leoniceno, aliisque Expositoribus notata, non unicam, sed iteratam, nec modicam, sed copiosam egestionem designat, quæ scilicet valeat dolores, tormina, & cruentam quandoque evacuationem excitare: quæ profectò conditiones junctim solent dysenteriam comitari.

APHORISMUS XXIV.

In ossis præcisione, desipientia, si in vacuum apprehenderit.

Os hìc sumitur per antonomasiam, Cranium, quòd cæteris ossibus præcellat magnitudine, structura, ministerio, præstantia, ac sublimitate: Præciditur autem multoties exteriori dumtaxat lamina, vel ad meditullium, aliquando etiam ad ejusdem concavum usque, ubi dura meninx appingitur, & alligatur: sed & quandoque parte posteriori, quæ durior, & validior est, interdum verò parte anteriori, tenujori, magisque friabili, quæque molliorem Cerebri substantiam amplexatur, ubi plerique Phantasiam, seu Imaginatricem facultatem stabulari arbitrati sunt.

Etsi autem indiscriminatim scribat Hippocrates ex illius præcisione desipientiam suboriri; putaverim tamen id non perpetuò successurum (quod sanè pluries observatum, irrita hujus aphorismi prædictione) nisi ad eam partem sectio, atque incisio facta sit, quæ meningem duram comprehendit; unde ipsa graviter læsa, vel saltem detecta, ab ambiente aere, à confluente sanguine, hærenteque sanie, aliove humore præternaturam alteretur, & subjectam aliam piam meningem, & tenellam Cerebri substantiam in consensum trahat, indeque postmodùm desipientia succedat. Hinc non absre dictum videtur, *in ossis præcisione*: quod sanè verbum, anteriùs incidi, aut secari significat, græcè διακοπῇ. Neque solùm incisione, sed etiam contusione crediderim os illud affici oportere, ut si fortasse desipientia (quam vocalem

 dicunt)

dicunt) propriè non sequatur, saltem accidat, quæ mentalis dicitur, vel ea, quæ cum stupiditate, obstupescentia, caro, & comate vigili confundi solet, de qua anteà meminerat.

Sed quid voluerit intelligendum per ea verba, *si in vacuum apprehenderit*, non benè constat apud Interpretes. Puto tamen ego, idipsum hìc intelligi, ac *in cavum*, idest in internam, & concavam cranii partem, qua duram matrem suspensam sustinet: *vacuum* autem illam partem appellat, quia reverà inter cerebrum, suis meningibus obtectum, & cranium, spatium quoddam intercedit, quo levis ille, tardusq; Cerebri motus expansionis, & amplificationis, peragi possit, ut in ejusdem cranii incisionibus compertum, & patentissimus est in recens natis.

Quamquam autem hæc ita exposita Experimento, & Rationi non dissentiant; sunt nihilominùs, qui in hoc Hippocratem criminentur, quòd rem scripserit rarissimè contingentem, cùm sæpiùs capite vulnerati, & cranio præcisi, nil penitùs desipuerint. Verùm id summæ, & accuratæ Chirurgicorum diligentiæ tribuendum, qui efficacissimis remediis balsamicis ejusmodi vulnera, quàm optimè tractare sint conati, & nedum ab imminentibus ejusmodi periculis tueri, verùm etiam ad perfectam sanationem perducere satagerunt. Quæ autem mala imminentia præsagit Hippocrates, intelligenda sunt à vi præcisionis, & vulneris, siquidem vulnera, & incisiones Cranii certò certiùs hæc, & alia graviora mala minantur, immò inevitabilem mortem plerumque arcessunt, cùm potissimùm Cerebrum concutiunt, & perturbant; atque in his, quę citrà Artis beneficium accidunt, aphoristicam hanc sententiam intelligendam mox recensita suadent juxta Hippocratis observationem, qui & posteris tradidit, quæ sola morborum vi, ac violentia, ut plurimùm, contingunt.

APHORISMUS XXV.

Ex medicamenti potione convulsio, lethalis est.

INitio libri Quinti dixerat convulsionem ab assumpto helleboro lethalem esse; nunc, quod speciatim de uno genere medicamenti purgantis asseruerat, ad quodvis aliud prorogat, ac extendit, si tamen catharticum sit: siquidem, ut benè exponit Galenus *in comm.* de propriè purgantibus, atque per irritationem, & acritatem humoris educentibus, intelligendum monet, cùm convulsio non nisi ad acrimoniam, irritationemque nervorum consequatur, ut alibi à Nobis est explicatum. Cùmque de hac re satis, superque ibidem; & in aliis aphorismis, actum sit, idcircò in hac recoquenda crambe immorari non licebit.

APHORISMUS XXVI.

In forti dolore ventris, partium extremarum frigiditas, malum.

ANteà etiam docuerat in acutis morbis frigus partium extremarum malum esse; hìc verò specialiùs memorat idipsum malum esse, & fortasse pejus in ventris dolore; quoniam ibidem designat inflammationem genitam, jam jam in gangrænam vergentem, & partes in-

ternas mortificantem, unde postea extremarum frigiditas emanat, cum istæ ab illis benè se habentibus vigorentur, & incalescant.

Quoniam verò ventrem indefinitè nominavit, posset quis omnes tres animalem, spiritalem, & naturalem subintelligere, juxta consuetam Anatomicorum divisionem. Attamen satiùs credere licebit, notatum hìc speciatim ventrem inferiorem; ibi enim specialiùs dolores atroces, & tormina fiunt, immò faciliùs ibidem gangrenæ, & mortificationes exoriuntur, unde postmodùm extremarum partium frigus, quod sanè pluribus experimentis comprobatum in Cadaverum ejuscemodi genere mortis interemptorum dissectione; quin & varietas viscerum, glandulis, & membranis innumeris constantiam, idipsum promptè accidere posse suadet, ut consideranti patet. Cæterùm etsi Intestina acutis potissimùm doloribus subiiciantur, cætera nihilominùs viscera suo pariter sensu prædita iisdem expertia non sunt, quæ cùm affecta fuerint, proximè adjuncta, & consentientia Intestina divexant, & condolere quoque cogunt. Denique, quod Hippocrates scribit *malum*, Celsus *lib.2. cap.* 8. hanc eandem sententiam latinè interpretatus, inquit: *periculosum*, nec sine ratione, quia ad harum partium inflammationem, & gangrænam nonnisi interitus brevi expectandus est.

APHORISMUS XXVII.

Mulieri utero gerenti si tenesmus supervenerit, facit abortum.

Est Tenesmus, torminosus, & irritus ille conatus desidendi, & egerendi fæces, in quo tamen vix musculum quid, sed cruentum, aliquando verò solus crepitus emittitur. Molestissimus sanè affectus, quo præter tormina, & intestinorum cruciatus, cupiditas deiiciendi perpetua est, nec desinet, etiamsi crebrò venter comprimatur, atque ad egestionem sollicitetur; quamobrem frequentem hanc molestiam, & ventris compressionem, vulgò *Premiti* appellare solent.

Id ergo si utero gerenti accidat, abortum facit, multis ex causis, speciatim ex his, quæ illum excitant; siquidem plerumque ab ambiente aere frigido subter excepto, à cibariis acidis, crudis, crassis, ac glutinosis, gelidis potionibus, fructibus ponticis, & acerbis, aliisque, itemque ex natura ipsius morbi, & ex situ partis affectæ, cùm spincter musculus, & intestinum rectum eo afficiantur; denique attenta molestia symptomatum adjunctorum, præsertim verò torminum intestinalium, & assidua ventris compressione; quibus omnibus accidit sæpenumerò stomachi tum in appetendo, tum in digerendo nimia imbecillitas, qua vires deinde non leviter imminuuntur. Atqui hæc utero gerenti potissimùm infensissima sunt ob viciniam partis affectæ, & ob ingentem noxam, quam idem uterus subire cogitur ab iteratis compressionibus, quas cùm infans diutiùs sufferre nequeat, alia ex parte multùm ob carentiam alimenti labefactatus, proculdubiò abortui succumbit, nisi Artis auxilio succurratur, de qua re in praxi.

APHORISMUS XXVIII.

Quando os, aut cartilago, aut nervus abscinditur in Corpore, neque augetur, neque coalescit.

QUa ratione sit denuò præsens aphorismus hoc loco insertus, cùm alibi *aphorismo* 19: *sexti libri* latiùs, clariùsque eadem sententia referatur, & nedum de his, sed de aliis quoque similibus partibus discissis, ac resectis, explanare non ausim; nisi dicere cum aliquibus velimus industria librariorum fuisse adjectum, ut per ampliorem libri molem, hunc reliquis aliis coæquarent. Quomodocumque autem se res habeat, quia nil ultrà continet præter ea, quæ ibidem memorantur, eum locum adeat, qui de his instructus esse velit.

APHORISMUS XXIX.

Ei, qui leucophlegmatia detinetur, si fortis ventris fluxus supervenerit, à morbo liberatur.

QUid nomine Leucophlegmatię intelligat hìc Hippocrates, non satis benè liquet; aliquando enim cum Ascite, quandoque etiam, immò plerumque cum Anasarca, aut Hyposarca confunditur. At verò contra Ascitem pugnare videtur *aphorismo* 27. *sexti*, in quo dicitur, quòd hydropicis sectis, vel ustis si aqua affatim exeat, moriuntur; cùm hìc ex adverso dicatur vehementem, & copiosum alvi fluxum illos liberare; quamobrem verisimiliùs putandum Anasarcam, aut Hyposarcam intelligendam esse, in qua crassa, ac lenta pituita, vel etiam lympha glutinosior reddita, in extimis partibus corporis, & sub cute universa, diffusa hæret, nihilum compatientibus visceribus internis, ut *in prorrheticis* dicitur, sed solùm vitio lymphaticorum vasorum resorbere per glandulas illam non valentium. Soluta namque fortiter alvo universus ille humor pituitosus, vel lymphicus glutinosus, per glandulas ipsas inter sese connexas, ac consentientes, facilè sensim, sensimque deducitur in proprios ductus, & salubriter evacuatur. Porrò cùm hoc evenit, validum naturæ robur indicatur, quæ non solùm vias evacuationis patentes reddit, sed etiam humores ipsos evacuandos disponit attenuatione, dissolutione, lubricitate, nullo intereà viscerum internorum detrimento exoriente; quod sanè faciliùs in Asciticis haberi solet. Atqui fluxus iste alvi vehemens, copiosus, & crassi illius humoris, qui peccat, esse debet, quemadmodùm hìc indicitur, ne scilicet tenujores humores egerantur, crassiori. bus, ac tenacioribus relictis; quamobrem non immeritò notatum, *fortem*, ac *validum* esse oportere, ut à leucophlegmatia liberet.

Sed quamvis de Anasarca, aut Hyposarca sententiam hanc simus probabiliùs interpretati, haudquaquam tamen diffidendum, id ipsum salubriter quoque evenire posse in Ascite, in quo licèt in abdomine contentus humor non tam facilè ad Intestina deduci possit, eo quòd supra peritonæum ille fluctuet; non raro tamen factum est, ut parante sibi viam Natura, adhuc salutariter inter mali initia sit evacuatus, & cùm Ascites altam ibidem non fixerit radicem, nec adjacentia viscera infecerit, aut labefactaverit; quo casu etiam eos perire accidit, etsi ab uberrima seri evacuatione videantur

suble-

sublevati, quoniam paulò post in novam feri collectionem, à labe in visceribus relicta, recidunt, laxatis simul unà glandulis, & vasis lymphaticis erosis. At verò neque hinc colligere audeant, qui adaucter à Naturæ evacuationibus ab Arte promovendas pari gradu procedere contendunt, licere nimirùm prudenti Medico idipsum rationabiliter tentare, quod aliquando à Natura criticè peractum est: nam disparitas longa, lataque nimis est inter utrumque: Naturæ opus siquidem tempestivum, ac opportunum quis unquam, etsi peritus artifex, ad amussim poterit imitari? ut aliàs à nobis indicatum. Quin & ipsam quoque non rarò fallere, ac falli experimur, cùm in iisdem evacuationibus, salubriter interdum inchoatis, tandem deficiat, & naufragetur sæpesæpiùs æger in portu.

APHORISMUS XXX.

Quibus in alvi profluviis excrementa spumosa sunt, iis ex Capite pituita defluit.

Diarrhœam non ineptè plerique multiplicem faciunt, tum pro diversitate humorum excretorum, tum pro varietate partium affectarum, unde illi originem ducunt; memorat autem hìc Hippocrates eam, quæ à capite malè affecto, atque ab humore ejusdem causâ congesto, & vel ingenito, vel non repurgato, derivat. Inquit autem illam internosci à spumosis excrementis per alvum egestis, non quòd ista, si compareant, cerebrum affectum certò designent, cùm possint aliundè procedere, etiam ab ipsis intestinis; sed quòd malè affectum caput, si fortassè per intestinorum cavitates exoneretur, excrementa spumosa deponat, atque ab iisdem apparentibus idipsum alleviari spes non levis adsit, quemadmodùm in *Coacis prænotionibus* de Angina per intestinales vias solvenda, idem Autor admonet.

Dicuntur autem spumosa excrementa, quæ præter mucum, tenacemque pituitam, bullosa comparent, & intermistos flatus, illam attollentes, ac quodammodò fermentantes, necnon etiam crepitus adjunctos habent. Tales autem egestiones fiunt, quoties lymphicus, sive pituitosus humor acorem contraxit, & cum tenui, effœtoq; felleo humore, ad intestina delatus commiscetur, qui cùm è glandulis inter se invicem connexis prodeat, & potissimùm à Cerebro, quod magna glandula ab Hippocrate dicitur, nil mirum si hìc ab eodem censeantur ejuscemodi spumosa excrementa è capite defluere, non quòd proximè spuma ipsa à Cerebro dependeat, sed quòd pituitosus, seu lymphicus humor ab ipso malè affecto, cæterisque glandulis potissimùm proficiscatur; qui deinde in intestinis à mistura cæterorum succorum, atque ab intermistis flatibus spumosus evadat; quin & non rarò, docente eodem Hippocrate *libr. de internis affectionibus*, & *libr. de Glandulis*, per ventriculum, & glandulas per ipsum intersertas ad alvum exoneratur; non levi intereà, nec unica, sed ingenti, ac multiplici fermentatione in itinere promota à variis succis per ductus, & viscera occurrentibus, præsertim felleis, pancreaticis, & intestinalibus, ut ex Anatome constat; sed & per glandulas ipsas, in quibus secernitur, diversimodè commotus, atque inæqualiter discerptus, variis-

que salium generibus, pro varietate fermentorum, vel partium, per quas transit, imbutus, facillimè deinde spumescit, & quæ in intestinis invenit excrementa, pari conditione inficit, immò multò magis, coadjuvante nimirùm accommoda ejus loci ad fermentandum habitudine.

Quod autem hìc Interpretes opinantur de spumæ generatione, ab intercluso aere in liquoribus, vel motu exagitatis, vel calore ebullientibus, verum quidem est in iis, quæ extra corpus sunt, quibus aer intermisceri potest; at cum humoribus per corporis vasa discurrentibus, quomodò unquam externus aer cōmisceri queat, non benè liquet, nec rationabiliter sibi quis persuadebit, cùm vix is pulmonis tracheolas subeat; quamobrem, quod Galenus in *comm.* edocet: *flatuosum spiritum, dum humori commiscetur, vehementem habentem motum, & inæqualem, ita quod ipse dirumpitur, & pituitam frangit in multas partes, & parvas*, spumam progignere, verisimiliùs aptabitur fermentantibus in seipsis humoribus interse invicem commistis, ut mox est expositum, cùm fermentatio ad localem etiam motum partium heterogenearum seipsas subigentium, per quàm optimè reducatur. Cæterùm adhuc si à Capite pituitosus, vel lymphicus humor non defluat, ut ex longo itinere, & cæterorum succorum commistione, agitari queat, & spumosus fiat; satis tamen erit si ex confluxu solùm prædictorum humorum interse invicem fermentescentium commotio talis habeatur, ut excrementa spumescant, adeòque indicent, à laborante Cerebro pendere, si crassior lympha inde deducatur ob malam per ejusdem glandulas repurgationem, veluti per filtrum laxum plus justo, vel obstructum, habitam, quemadmodùm in catharrhis, ut proinde per glandulas sensim, sensimque delabatur in ventriculum, & intestina. Constat autem ex Anatome consentire cum Cerebro glandulas penè universas corporis, tam arctè inter sese connexas, ut catenam indissolubilem efforment, ut præsertim sunt Corticales Cerebri, Papillares, Pituitaria, quæque in collo, jugulis, faucibus, & in Oesophago interspersæ sunt ad Ventriculi fundum usque, indeque ad intestina, Pancreas, Mesenterium, ut reliquas sileam viscerum planè omnium, & subtercutaneas dictas, quæ nexu equidem inexplicabili cum fibris partium, & præsertim membranacearum texturam efformant reticularem, ut fermè dixerim, aliud non esse humanum corpus, exceptis ossibus, quam exactam, elegantemq; compagem glandularum, fibrarum filo consutam, extructam, & intertextam. Quare, qui hæc in humano corpore consideraverit, planè perdiscet, qua ratione Hippocrates dixerit partes omnes inter se mutuò consentire, & *consensum* in toto corpore *unum* esse, *conspirationem unam*, & *omnia* esse *consentientia*: & *lib. de locis in homine inter initia* scripserit; *corporis autem singulæ partes altera alteri, ubi hinc aut illinc processerit, morbum statim facit, venter capiti, caput carnibus, ac ventri, & reliquæ omnes iuxta eandem rationem, quemadmodùm venter capiti, & caput carnibus, ac ventri*, &c. Et paulò infra: *Corpus porrò ipsum sibi ipsi idem, ac simile est, & ex iisdem compositum est: similiter autem habet parvas, & magnas partes, itemque infernas, ac supernas: & si quis minimam partem corpo-*

Hipp. lib. de alimento V. Gal. ibidem, & primo de usu part cap. 8. & primo de natur. fac. cap. 13.

corporis acceptam malè afficere velit, totum corpus affectionem sentiet, qualiscumq; tandem ea fuerit, propterea quòd minima corporis pars omnia habet, quæcumque & maxima, &c. Hæc Hippocrates.

APHORISMUS XXXI.

Quibuscumque febricitantibus in urinis fiunt sedimina veluti farina crassior, longam ægritudinem fore significat.

PRognosticus hic aphorismus fortasse opportuniùs, & congruentiùs inter eos, qui *libro* 4. continentur, fuisset relatus, cùm ibi de his, quæ ad febres pertinent, sermo habeatur, sed quoniam Nobis nuspiam curæ fuit aphorismorum connexionem exquirere, aut veluti necessariam in hoc opere investigare, propterea parùm intererit, quo loco sit hic adiiciendus, modò sententiæ utilitatem, veritatemque fuerimus assequuti.

Urinarum sedimenta hìc considerans Hippocrates in febrientibus, dijudicat ex illis futuras chronicas, ac diuturnas febres, si farinæ crassiori, vel furfuraceæ simile quid referant. Sunt enim sedimenta in urinis repurgamenta eorum, quæ è circulante sanguine in visceribus deponuntur, atque cum sero urinario ad filtra tubulorum renalium amandantur, ostenduntque propterea quidquid in sanguine, & visceribus, præsertim imi ventris superabundat, atque uti inutile secernitur, ac repurgatur. Quoniam verò febres cùm longæ futuræ sunt, à crassis, lentis, tartareis, atque acidis succis progenitæ foventur, & hi diuturno planè tempore egent, ut dissolvantur, attenuentur, ac seponantur, per fermentationem in se ipsis promotam; proinde fit, ut cùm ejusmodi humores prævalent, longas quoque ægritudines excitent; quandoquidem hi non aliò promptiùs deduci solent, quàm ad Renes, quò superabundantes in sanguine, & visceribus humores, fermentis eorundem subacti, & secreti, simul cum sero urinario transcolantur, ac deponuntur; & actione inter seipsos inita, acidum illorum à sale urinoso alkalino subitur, unde præcipitatio succedit cum depositione partium tartarearum, & crassiorum, quæ fundum matulæ petentes, sedimentum urinarium efficiunt farinæ crassiori simile; Quamobrem cùm istud in urinis comparet, indicio est, crassos, tartareos, acidosque succos in corpore prævalere, qui febrim foventes, illam significant diuturnam, & chronicam futuram.

Cæterùm tunc solùm sedimenta istiusmodi farinæ crassiori similia morbi longitudinem indicabunt, cùm citrà sanguinis vel coagulati, vel dissoluti vitium, accidunt, à sola scilicet crassioris lymphę, vel glutinosi seri abundantia; at verò si cum aliis pravis symptomatibus conjungantur, mali moris in sanguine vitium attestantibus, nedum mala erunt, sed etiam lethalia, ut contigit *Sileno*, & qui *in Dealcis horto decumbebat*, ut benè advertit Galenus; quoniam tunc non à multitudine, aut crassitie humorum dependent, sed à veneno dissolvente, & sua acritate veluti in cinerem redigente glutinosam sanguinis substantiam, quam reficere difficillimum est, & acre, ac corruptivum ejusmodi venenum retundere, ac debellare, penè impossibile; unde

unde tandem, fatiſcente corde, animal perire cogatur.

APHORISMUS XXXII.

Quibus autem in urinis biliosa ſedimina, ac ſupernè tenues ſunt, acutum morbum ſignificant.

APhoriſmus hic contrapoſitus videtur præcedenti, quoniam ſicut in illo ſedimenta furfuracea, vel farinacea, veluti à pituitoſis ſuccis pendentia, chronicam, & longam ægritudinem portendere dicta ſunt; ita in hoc à ſedimentis ſuſpenſis, & elatis, utpote à bilioſis humoribus exortis, acutus morbus prædicitur: & quamvis in priori, attenta potiùs videatur ſedimenti ſubſtantia, atque conditio, in hoc verò locus, & poſitus ejuſdem, ſi res tamen ipſa intimiùs penſitetur, idem omninò in utriſque, ſub diverſa licèt conſideratione, perpenſum animadvertemus, cùm ea, quæ farinę craſſioris ſimilitudinem referunt, fundum petant, quæ verò bilioſa ſunt in altum attolluntur; unde ſediminis ſubſtantia in præcedenti aphoriſmo conſiderata reipſa convenit cum ſitu hìc memorato.

Naturalis equidem ſediminis poſitus in urinis, ut ſalubritatis indicium ſit, medius planè eſſe debet inter ſublimem, & infimum, cùm is propriè pertineat ad hypoſtaſim, quam tantoperè Medici in urinarum inſpectionibus deſiderant, eo quòd peractam, abſolutamque in operibus Naturæ coctionem, ſecretionemque demonſtret, quæ mediocriter incraſſando procedere dicitur.

At verò variat plerumque ſedimentum à conditione varia humoris concoquendi, aut ſecernendi; unde qui craſſus, & lentus eſt, licet Naturæ concoquenti, ac expellenti ſubiiciatur, imum ſemper ſuo pondere in urina locum petit; tenuis verò in altum effertur, & eo magis, quò urina ipſa multo ſale ſatura eſt; quo ſanè pacto gallinaceum ovum experimur in catino aqua ſalita repleto, ſurſum magis, vel deorſum tendere, prout pauco, vel multò ſale marino imbuta illa fuerit.

Quoniam verò ſedimina bilioſa, præ cæteris tenujora ſunt, ut ex adverſo à phlegmaticis, & crudis humoribus procedentia, craſſiora, & compactiora; proinde fit, ut illa ſurſum attollantur, hæc deprimantur, & fundum matulæ petant: etenim illa volantis ſulfuris, iſta acidi coagulantis conditionem participant. Adjecit inſuper Hippocrates bilioſis hiſce ſediminibus, aliam in urinis conditionem, *ut ſupernè tenues ſint*: quæ verba, cui aptanda ſint, non ſatis liquet: & quidem non ſediminibus, quæ cùm bilioſa dicantur, planè tenuja quoque, ut dictum, eſſe debent; neque urinis, quoniam haudquaquam videntur poſſe ſimul eſſe bilioſæ, & tenues, præſertim juxta expoſitionem Galeni, qui tenues arbitratur ex mente Hippocratis intelligendas perpetuò aquoſas eſſe. Verùm rationabilius illa congruent urinis ipſis, tum ſecundùm propriam ſubſtantiam ſeroſam conſideratis, tum ſecundùm earumdem contenta, græcè hypoſtaſes; quoniam in ejuſmodi caſibus, ut acutiem morbi indicent, præter ſedimentum bilioſum, ſupernè tenues quoque eſſe ſolent; hac enim ratione neque multitudinem, neque craſſitiem, aut oleoſitatem bilis ſignificant; quippe fieri adhuc poteſt, ut cum ſediminibus bilioſis, urinarum ſubſtantia undequaque craſſa, & flavo colore plurimùm tincta copuletur;

tur; at verò, ut brevitatem, & acutiem morbi prænuncient, tanto humore flavo tinctæ, ac saturæ esse non debent, ut penè ictericæ videantur, cùm multitudo, crassities, & oleositas ejusdem longitudinem potiùs præsignaret. Attamen nec omninò tenues, seu decoloratæ esse debent; ita enim malæ quoque forent, ob symptomatum, & signorum disparitatem, sed supernè solùm, hoc est ea parte, qua sediminibus supernatant, & per comparationem ad infernam earundem partem, qua coloratiores, opaciores, crassioresq; erunt. Qua sanè ratione salino-sulphureus humor illas tingens, nedum tenuis, sed etiam modicus designatur, qui proptereà citò concoqui, secerni, atque expurgari possit, unde postmodùm morbi acuties, & brevitas. Quòd si fortasse tenuitas urinarum talis sit, ut flammeam conditionem referat, & illas reddat, quales alibi Hippocrates pellucidas appellavit, tum sanè non solùm acutus, sed etiam peracutus, & valde periculosus præsignabitur, veluti in delirantibus, ac phreneticis, detenta nimirùm parte salino-sulphurea crassiori, atque alicubi in partibus principalibus hærente. Verùm Galenus in *commentario*, *supernè tenues* non ad situm, sed ad tempus retulit, ut proinde voluerit eas tenues intelligendas fore inter initia, & cùm nondum coctio in illis relucere conspicitur, quoniam inter initia morborum omnia cruda sunt, adeoque tenuja, & coctio, ut dictum, incrassando procedit: At verò in eum, more suo, acriter invehitur Cardanus, quem adeat, qui velit, cùm id nostra nunc non intersit.

APHORISMUS XXXIII.

Quibuscumque urinæ divulsæ sunt, iis turbatio fortis in corpore fit.

QUod anteà de urinarum sediminibus, nunc de iisdem in universum secundùm totam substantiam, & contenta, consideratis, sermonem subiicit, aitque divulsas urinas fortem, seu vehementem turbationem in corpore significare.

Quid verò pro divulsis intelligat, licèt Galenus *in commentario* dubitare videatur, si tamen perpendantur, quæ ipsemet Hippocrates aliis in locis adnotavit, & in Epidemiorum ægrotantibus observasse meminit, proculdubiò minimè ambiget, divulsas, distractasque urinas dici, quæ sive in substantia serosa, sive in contentis, sive in utrisque sibi non cohærent, & inæquales, inconstantesque observantur, & modò tenues, modò crassæ, nunc uno, nunc alio colore tinctæ, & sedimenta disjuncta sursum, deorsum, aut ad latera, magis, minusve, concocta referunt, vel eodem tempore, vel diverso, quemadmodùm in Philisco, in Pythione, uxore Philini, aliisque.

Quamquam autem indicia ex urinis desumpta non raró fallacia sint, cùm pleræque malæ creditæ, quibusdam consuetæ sint, & naturales, immò variata in ætatibus constitutione, victus ratione, exercitatione, aliisque, sæpenumerò etiam variæ esse solent, & pro re nata etiam nunc bonæ, nunc malæ, nisi peculiares adhuc viscerum, præsertim naturalium, affectiones, specialiter quoque illas permutent, ut in hypochondriacis potissimùm, unde dubiæ prorsus conjecturæ deducantur; atten-

attenta nihilominùs æquabili corporis constitutione, ac nihilum prætereà permutata in suis ductibus urina, quæ à serosa sanguinis parte, & à lympha procedere putatur, proculdubiò fidelius indicabit, quæ in vasis sanguiferis gesta sunt, aut in ductibus reliquis corporis, quos pervadit; quamobrem visceribus, ac ductibus omnibus in sua naturali habitudine constitutis, quandocumque urinæ divulsæ, atque in suis partibus contentis discerptæ comparent, ingentem in sanguine commotionem attestantur: Tunc enim sic affectæ, ac distractæ minguntur, cùm inæqualiter partes inutiles à sanguine secernibiles, & fermentationi subjectæ, non totę simul repurgantur, sed prout à puriori parte sanguinis, tractu temporis secedunt, quare interruptim inutiles illæ impuritates in urinis observantur magis, minusve concoctæ, & compactæ; quò aliæ ab aliis meliùs per fermentationem subactæ fuerint. Ejusmodi itaque in urinis varietates indicant fortem, vehementemq; in sanguine commotionem, per quam partes inutiles ab utilibus sejungi necesse est; neque enim aliter istæ ab invicem secedunt, & separantur, quàm per fermentationem in præcipitationem desinente, quemadmodùm experimur in musto doliis incluso. Rectè ergo Hippocrates ab illorum sedimentis apparentibus distractis, ac divulsis, vehementem in corpore turbationem coniicit. Verumtamen commotio hæc, & turbatio non raro etiam fieri solet in hypochondriis, cæterisque visceribus naturalibus, è quibus sæpè urina per compendiarios meatus educitur, ut aliàs ostendimus; cùm jam satis Anatome compertum sit, adhuc breviori itinere urinæ materiam in renes percolari, ut propterea peculiales horum viscerum affectiones indicare soleat, ut de hypochondriacis dictum; quamobrem non immeritò Hippocrates indefinitè dixit: *fortem in corpore turbationem fieri*, comprehendens sub nomine corporis omnem, & quamcumque ejusdem cavitatem, ubi fermentatio, & heterogeneorum succorum comistio, & exagitatio haberi potest.

APHORISMUS XXXIV.

Quibus in urinarum summo bullæ insident, morbum renalem, & longum significant.

ERuit & in hoc aphorismo longi, & renalis morbi prognosticum Hippocrates ab his, quæ urinis insident, cujusmodi sunt bullæ parùm differentes à spuma, nisi quod hæc confertiorem, sed humiliorem inclusi halitus elationem in materia crassiori, illæ veluti à materia hærente quidem, sed magis expansibili sublimiorem, latioremq; tumefactionem referunt, non tamen adeò arctè inter se connexam. Insident autem istæ urinis, cùm in mictione sal universum, veluti ammoniacum volatile sali acido lymphico, & sero urinario commistum, mutua vicissim actione in tenues halitus elevantur, qui quoadusque extricari nequeunt à parte phlegmatica urinarum, supernatantes bullas, & perdurantes excitant; at verò postquam interno nisu, atque adigentis externi aeris impulsu extenuantur, rarefiunt, & discerpuntur, statim dissolvuntnr, & evanescunt.

Cùm igitur hæ insidentes urinis apparent, Renalem morbum significant;

ficant; quoniam arguunt porulos, tubuloſque renum, ac eorumdem filamenta in pelvim deſinentia, anfractuoſa, & implexa evaſiſſe, ut proinde non tam promptè transcolare ſinant ſerum urinarium ſuo ſale imbutum, à tartareis, acidis, viſcoſiſque ſuccis, per eas partes derivantibus, unde facilè, procedente tempore, tubuli ipſi, & cavum renum infarciri poſſint, & gravia calculorum, obſtructionum, tumorum, aliorumque ſimilium accidentium incommoda, ipſis inferre, ſi præſertim præter bullulas ſedimentum illæ referant ſabuloſum, craſſum, & fæculentum. Ab his enim planè conſtat ægritudinem Renalem futuram longam, ſiquidem vitio craſſorum humorum excitatæ ęgritudines longę ſunt, & pręſertim ſi acorem illi, ut plerumque fieri ſolet, ſimul unà contraxerint, quo craſſities, & aciditas humorum difficulter ſubigitur, & cedit.

APHORISMUS XXXV.

Quibus autem ſummum eſt pingue, & confertum: iis renum dolor, & morbus eſſe acutus ſignificatur.

QUod dixit de bullis inſidentibus, nunc de ſuperficie ejuſdem urinę pingui, & conferta pronunciat; ſed multò graviùs quàm anteà, quippe exinde ait non longum, ſed acutum morbum Renum ſignificari. Apparet autem ſumma urinę ſuperficies pinguis, ab adipoſa alicujus partis ſubſtantia diſſoluta, & liquefacta; atqui hęc non tam ingenti, exurentique calori renum, aliarumve partium circumſtantium tribuenda eſt, ut Interpretes exiſtimant, quàm ſali erodenti, ac exolventi, per eas partes, cum ſero urinario tranſcolato, quòd etſi adipem ipſum jam concretum minimè diluat, aut corrodat, ſi tamen glutinoſam ſubſtantiam alimentorum abradat, atque exolvat, poterit quoque adipoſam urinam reddere, & ſecundùm ſuperficiem pinguefacere, id quod plerumque fieri ſolet in febribus ęſtuoſis, aut inflammatoriis; quamobrem acutus morbus exinde ſignificatur. Nedùm autem pingue, ſed etiam confertum, coactum, & concretum eſſe oportere adiicitur, ut nimirùm non oleoſum, aut guttis adipis conſperſum urinę ſummum intelligatur, quo ſcilicet compacta ſubſtantia ſit ex partibus excerpta. At verò falluntur, qui putant acutum morbum hìc ab Hippocrate notatum Renibus ipſis inſidere, cùm is univerſaliter, atque indefinitè in aphoriſmo recenſeatur, ut etiam è quibuſcumque partibus, immò è toto corpore pendere poſſit; Renibus autem ſolus dolor adſcribatur, qui planè tum ab acuto morbo cum febre conjuncto, tum etiam ab urina erodente, multoque acri ſale, vim habente pungendi, & partium nexum ſolvendi, imbuta provenit. Hinc hallucinatos eos exiſtimaverim, qui, ut Galenus in commentario recenſet, pro nephriticis, phreneticos morbos expoſuerunt, coarctantes Hippocratis dictum ad hunc unum dumtaxat particularem affectum, & quidem à renibus remotiſſimum; cùm tamen urinæ, & urinarum contenta, ſi unquam probabiliùs quid ſignificant, planè Renum, & Veſicę affectiones ſpecialiùs oſtendunt, ut cunctis notum. Quòd ſi concretus adeps totus ſimul in urinis excernatur, nec iteratis vicibus appareat, ut confertim potiùs exeat, quã confertum, coacervatumq; tunc profectò à renibus, & partibus circumſtantibus ſpe-

ſpecialiter prodibit, eadem penitùs de cauſa, ab acri ſcilicet, erodentique humore ſalſo cum urinis excreto, vim habente reſecandi, & abradendi.

Unde autem fruſtulum adipis, vel adeps ipſe liquatus, deindeque in renibus concretus prodeat, non benè ex Anatome ab Interpretibus explicatur, quippe ex illa conſtat Renum ſubſtantiam in ſeipſa conſideratam adipoſam non eſſe, & canaliculos in ejus pelvim deſinentes, membranoſos, fibroſos, ac duriuſculos eſſe; ut nec tam facilè erodi, nec eroſos adipem æmulari, ſed potiùs ſtrigmenta membranacea, vel filamentoſa. Adeps autem, quo Renes circumvallantur, licèt multus ſit, & undequaque illos circumambiat, haudquaquam tamen in ejus ſubſtantiam, aut cavitatem patet; unde etiamſi liquetur, vel abſcindatur, nullatenùs poteſt in Renum pelvim deduci, & per urinas expurgari; quamobrem difficilè admodùm videtur, viam invenire, qua ipſe perduci, & cum urina permiſceri queat, ut ſupernatans in eadem compareat. Hinc veriſimiliùs exiſtimaverim, adipem in urinis apparentem, vel è glutinoſa ſanguinis portione prodire; vel è glandulis atrabilariis, & ſuccenturiatis dictis, quæ conſenſum cum renibus ineunt, illuc guttatim deduci, ac deinde vel in renum pelvi, vel in veſicæ cavo concreſcere, & fruſtulum adipis æmulari. Sed fieri quoq; poteſt, ut malè affectis renibus phlogoſi, inflammatione, tumore, tam in ſuis porulis amplificentur, & hient, ut poſſint attenuati, liquatique, ſaltem ex parte circumambientis adipis ſubſtantiam excipere, atque in pelvim deducere, attenta præſertim Recentiorum Anatomicorum obſervatione, qua univerſa renum ſubſtantia refertur innumeris tubulis pervia, ac fibris, glandulisque quaquaverſum intertexta, quæ ad pelvim undequaque patulam deſinant.

APHORISMUS XXXVI.

Quibus autem morbo renali laborantibus prædicta accidunt ſigna, doloreſque circà ſpinæ muſculos fiunt: ſiquidem circà loca exteriora fiant, abſceſſus quoque exteriùs futuros expecta: ſi verò dolores magis circà loca interiora fiant, etiam abſceſſus exſpecta futuros interiùs.

QUæ hactenus ab urinis deduxerat, nunc à doloribus poſticam renum partem occupantibus alia præſagit, & quidem futurum abſceſſum ad interiora, vel exteriora lumborum, prout illi internas, vel externas partes magis obſederint, aut pervaderint. Et quidem; quoniam Renes ad eas partes ſiti ſunt, quæ lumbos, & lumbares muſculos reſpiciunt, non raro proinde accidit, ut dolor unius partis, alterius dolorem mentiatur, & aliquando dolores lumborum, & muſculorum, tum ad ſpinam, tum ad abdomen pertinentium, præſertim cum tumefacti, ac inflammati fuerint, nephritidem referant; & è converſo, attentis ſolummodò ſitu, & doloris qualitate, quandoquidem ſe quoque deceptum fatetur Galenus in internoſcendo colico à nephritico dolore, ob earumdem partium vicinitatem; quin & dolor renum facillimè cum lumbis communicat, quemadmodùm experimentis innoteſcit, & edocet etiam Hippocrates

tes *lib. de internis affectionibus*; quamobrem plerique crediti nephritidem passi, inventi sunt subiisse abscessum in musculis lumborum, ut de quodam Medico Pisano fateturMercurialis, & in quibusdam aliis observatum memorat Bonetus; quamquam dolor in his, atque doloris sedes omninò differentes sint. Accuratiùs igitur hìc Hippocrates animadvertit, quibus jamdiu morbo Renali laborantibus prædicta accidunt signa, & ex urinis, earumque contentis, nihilum levantur, doloresque ad spinæ musculos protenduntur, facilè fore, ut circà ea loca abscessus fiant, interiùs, vel exteriùs prodituri, prout ad interiores, vel exteriores partes illi vergere videbuntur. Fiunt autem, perdurantque tamdiù ejusmodi dolores ab humoribus ad eas partes transfluxis, & non raro etiam paulatina congestione concretis, quamdiù nec exolvi, nec per renes, aut ureteres ad vesicam, nec per alios ductus ad alvum transferri, & evacuari possint, sed in tumorem, & abscessum coacerventur; unde si renum substantiam, aut alias circumjacentes partes cum renibus consentientes occupaverint, & fermentatione, suppurationeque sensim inducta, fluidiores redditi fuerint, aliò tandem decumbent, atque (Natura tamen existente valida) per diruptionem, atque evacuationem aliquam se prodeant; si verò lumbares musculos pertingant, ad extimas rerum partes, in illis abscessus fiet: procurante intereà Naturà, qua porta data possit illos exonerare. Hæc autem præter antedicta comitabuntur febres suppuratoriæ vocatæ, manifesta in lumbis elatio, ac tumefactio, itemque rubor, ac dolor, tactu longè sensibilior, quibus prudens, ac diligens Medicus, pro re nata, congruis remediis, vel internè, vel externè administratis, opportunè opitulabitur.

V. Hipp. 6. epid. sect. 1.

APHORISMUS XXXVII.

Quicumque evomunt sanguinem, si sine febre quidem, salutare: si verò cum febre, malum. Curare verò acerbis, & refrigerantibus.

VErbum, evomere, quamquam alibi videatur latiori significatione ab Hippocrate usurpatum pro quacumque sanguinis per os rejectatione; hìc nihilominùs strictè sumptum audiendum est pro ea dumtaxat, quæ è ventriculo procedit, cujus actio specialis est vomere. Eos igitur hoc loco considerat Hippocrates, qui sanguinem evomunt, idest ex ventriculo sanguinem eructant, seclusis iis, qui vel è pectore, vel è capite illum expuunt; quippe haud facilè foret febre exemptos eos inveniri, qui sanguinem tussi, atque ex pectore egerunt, saltem procedente tempore excreationis, vel ratione ipsius sanguinis multò anteà malè affecti, aut posteà alicubi stagnantis, & suppurati; qui verò simplici excreatione è faucibus, aliisque adjacentibus partibus illum expuunt, veluti rem nimis levem patientes, haudquaquam videntur sub tanta Aphoristicæ sententiæ contemplatione comprehensi, longè admodùm ab Hippocratis proposito, qui res graves, & notatu dignas solummodò in aphorismos redegit.

Sed unde est, quòd alibi *libr. 4. aphor. 25.* scripserit: *sanguinem, qualiscumque is sit, supraferri, malum*, hic verò, saltem sine febre, salutare esse dicat? Verùm compa-

ratè locutum animadverteret, qui distinguet, ibi contulisse supernam cum inferna sanguinis evacuatione: hìc verò modum expurgationis ejusdem, vomitu ne, an tussi; unde locus etiam valdè differens coniici possit sanguinis rejecti: siquidem ab his longè graviora, vel mitiora imminent mala, adeòque præsagia itidem deducuntur periculosiora, vel tutiora. Equidem sanguinem evacuari, nunquam bonum, quia talis evacuatio est de genere eorum, quæ nunquam debent excerni. Facta autem comparatione, si aliquando ipsum egeri contingat, pejus est supra, quàm infra evacuari; ex illis verò, quæ per supernas partes accidunt, sanguinis evacuationes, minùs malum est vomitu, graviùs planè tussi, levissimum simplici screatu illum rejectari, quoniam hic ex ore, & faucibus, ille ex ventriculo, medius inter utrosque è pectore, aut pulmone prodit.

Quoniam verò adhuc, qui sanguis vomitu eiicitur magis, vel minùs malus esse solet, hinc Hippocrates ab adjuncta febre illum discriminandum edocet; & quidem sine febre salutarem, cum febre verò malum esse ait; Atqui salutarem hìc subaudire decet, non quòd prosit, aut salutem inferat, sed quòd in salutem facilè terminetur; nisi etiam dicere velis, salutarem esse, quoniam exoneratur Natura sanguine illo, qui extra vasa si stagnaret, vitæ periculum afferret, & fortassis etiam mortem; quippe sanguis non tam obest egestus, quàm cùm extra vasa alicubi hærens coagulatur, & corrumpitur.

Cur autem salutaris dicatur, qui sine febre accidit, contra verò, qui cum febre fit; ratio facillimè deducetur, quia cum febre junctus vitium in sanguine arguit, qui salsa acritate venas, aut arterias erodat, & sibi exitum faciat; cùmq;non tam facilè sit vitium istiusmodi à sanguine delere, atque erosa vasa conglutinare, propterea malus omni ex parte existimandus est, attenta præsertim ventriculi structura membranacea, quæ corrosa difficillimè resarcitur; & si aliunde sanguis ille prodeat, atque in ventriculum exoneretur, adhuc malum prænunciat, veluti signum labefáctati, aut exoluti visceris, infectique sanguinis. Contrà verò, sine febre excretus sanguis, non tam malus est, quin potiùs in salutem facilè terminatur, cùm citrà sui vitium prodeat, & per solam, ut dicunt, anastomosim, apertis, dilatatisque osculis arteriarum, aut venarum, quæ plerumque sponte sua corrugari, & couniri solent, præsertim si aliunde is effluat, quàm è ventriculi cavo: qua sanè ratione evenit, quamobrem salutaris dici etiam possit, inducto in viscere ipso malè affecto levamine, quod neutiquam haberetur, nisi per vomitum sanguis fuisset excretus: Lib.4. id quod tamen adhuc accideret, si per alvum deponeretur, ut aliàs ostensum.

Nedum autem consistit Hippocrates in vomitus sanguinei prognostico, sed methodum quoque adiicit eundem curandi, indicatione nimirùm sumpta ab ejusdem exitu, qui planè tum ratione ipsiusmet sanguinis excreti, tum etiam partis laborantis, & evomentis, longè urgentior videtur, etiamsi febris adjungatur, quæ sæpenumerò symptomatica (ut dicitur) esse solet. Omisit autem indicationem à febre desumptam, vel quòd non semper cum sanguinis vomitu copuletur, vel quòd secundo loco consideranda sit, & subsequenti tempore, eoque longiori,

giori, adimplenda, quæ nimirùm directa sit ad vitium sanguinis adimendum; vel quòd demum, edomito sanguinis fluxu, ipsa sponte sua sit desitura, repurgante intereà, quod alienum in sanguine est, Natura, per convenientia corporis secernicula, quoties sanguis opportunis remediis promptè constiterit. Hęc autem fore subdit, acerba, seu adstringentia, & refrigerantia, quæ scilicet simul unà oscilla venarum, & arteriarum agglutinent, fibrosam, glutinosamque sanguinis portionem figant, & coarctent, ac denique sanguinem ipsum temperent, atque in suo motu aliquantulùm remorentur; quorum sylva magna est apud Practicos: pręcellunt autem, quæ ex chalybe, & vitriolo confecta sunt, cum succis plantarum, bistortæ, centinodii, pyrolę, aliarumque. Cæterùm vomitus sanguineus cum febre ab interna inflammatione nullus erit, vel simul unà purulentus observabitur, si nimirùm dirupta, ulcerataque illa fuerit, adeòque non multò posteà lethalis.

Erit tamen summoperè advertendum, an non sanguis è venis, aut ab arteriis egressus, atque conversus in grumos, ventriculi cavum occupet; tunc enim acerba ista, atque adstringentia medicamenta haudquaquam forent administranda; quippe quæ magis concretum sanguinem coagularent, ac figerent; quinimmò communicato inde illi acore, non solùm in fermentationem eundem adigerent præternaturalem, sed etiam infractis, depravatisque succis ventriculi digestivis, ventriculum ipsum labefactarent, & chylosim impensè admodùm vitiarent; quamobrem expediet tum primùm concretum sanguinem dissolvere, & educere, postmodùm oscula venarum, aut arteriarum occludere, & coarctare. Coniiciemus autem de grumis ventriculum occupantibus à pondere, laxitate, anxietate, & ciborum fastidio, sicut etiam ab assiduo vomendi conatu, aliisque symptomatibus epigastricam regionem molestantibus. Verumtamen utramque paginam adimplebit mistura illa Sylviana ad vomitum sanguineum compescendum peropportuna, pręter alia plurima dissolventia ex testaceis potissimùm petita. Atqui hæc conveniunt solùm in anastomosi, & in simplici reseratione vasorum; etenim in erosione, aut ulcere, alia omninò differentia essent adhibenda, ut proptereà hìc arguere liceat, Hippocratem non alium sanguinis exitum memorasse, quam ex sola aperitione venarum, & arteriarum, ut dictum.

Adnotare insuper convenit quanam ex parte probabiliùs suspicari fas sit sanguinem prodire, num scilicet ex ipsomet ventriculo, aut gula, an potiùs ex inferioribus, aut collateralibus visceribus; etenim pro earumdem partium varietate adhibere quoque conveniet varia, eaq; specialiora medicamenta, sine ipsius ventriculi incommodo, qui nonnisi ex consensu illarum sanguine oppletur, atque ad vomendum lacessitur. Hæc autem facilè erit internoscere ex eorummet viscerum affectorum læsione, tumore, dolore, excreti sanguinis quantitate, ac qualitate, aliisque symptomatibus adjunctis, & causis prægressis, de quibus latiùs in praxi.

Postremò vomitus sanguinis ex dirupto Aneurismate, adhuc sine febre lethalis est, quinimmò momento temporis interimit, ut pluries observatum.

APHORISMUS XXXVIII.

Distillationes in ventrem superiorem suppurantur intra viginti dies.

QUid nomine distillationum hìc intelligat Hippocrates, hallucinatos plerosque video, qui putant pituitosos humores in Cerebro collectos sensim per glandulam pituitariam dictam, in os, & guttur irruere, ac posteà per tracheam delabi in pectus, & pulmonem; ubi si diutiùs detineantur, fortè quia per tussim, & anacatharsim educi non potuerunt, putrefiunt, & in pus verum, vel aliud æquipollens commutantur: quamobrem distillationes hi ad catarrhos revocant, de quibus extant versiculi illi.

Si fluat ad pectus, dicatur Rheuma Catarrhus,
Ad fauces Branchos, ad Nares esto Coryza.

Quin insuper existimant illas potissimùm à vaporibus è visceribus naturalibus plus justo excalefactis exoriri, qui sua tenuitate ad Cerebrum elati, ibiq; concreti (quo pacto experimur in distillationibus arte promotis usu alembici) ac denuò in serosos humores redacti, sponte sua decidant in subjectas partes, & præsertim in pectus, & pulmonem; ubi, nisi citò expurgentur, maturationi subiiciantur, & suppurentur, ac proinde spurium empyema progignant, de quo hìc Hippocrates.

At hæc Recentioribus non arrisere, quippe qui figmenta dicunt, quæ de viscerum naturalium excalefactione illi commenti sunt, deque attenuatione, evaporatione, & concretione humorum, cùm & nec vias, per quas efferantur, nec meatus, per quos in pectus decumbant, patentes, hactenus Anatome detegere potuerit; quamobrem ad vasa lymphatica opportuniùs confugere coacti sunt, veluti, quæ majorem consensum cum partibus inferioribus tum gutturis, tum pectoris habere conspiciuntur. Verùm adhuc mihi superest animadvertendum, solere in gravedinibus Cerebrum exonerari per corticales suas glandulas in nares, aures, collum, tonsillas, cæterasque per guttur, & fauces dispersas; unde multoties affluenter serositates illę expurgantur, & quandoque etiam raucedines, anginæ, tusses, aliæque affectiones exoriuntur; quamobrem verisimile admodùm est per consentientes glandulas posse cerebrum, saltem secundùm exteriorem ambitum humoribus gravatum, in subjectas partes exonerari, licèt ductus, per quos illi deferuntur, lymphatici esse soleant, quorum interest exuperantem lympham, aliasque humiditates referre è glandulis exceptas, atque depositas. In quem sanè sensum audiendus Hippocrates, cùm dixit *primo de morbis*: *Pituita multa, cùm confertim è capite in ventrem superiorem fluxerit, putrescit, & pus evadit.*

Quandocumque igitur ejuscemodi humores lymphici, aut serosi, è capite, cerebroque in ventrem superiorem, sive in thoracem, decubitum fecerint, inquit Hippocrates, nisi citò aliò deferantur, atq; per urinas, vel per sudorem, exitum inveniant, infra viginti dies suppurari, ideſt maturari, concoqui, & puriformem conditionem adipisci, cùm reverà puris naturam subire nequeant, quod nonnisi à sanguine stagnante proficiscitur, ut aliàs dictum. Atqui necesse est, eos concoqui,

qui, & maturari, ut expelli poſſint; ſiquidem coctionis beneficio craſſeſcunt, & impulſum per tuſſim à pectore ſuſceptum ſuſtinent, & admittunt; nam tenues, & fluidi cùm ſunt, impellenti pectori cedunt, ac denuò in ejus cavum delabuntur, quemadmodùm in liquidis omnibus impulſis experimur: ſtatuit autem vigeſimum diem pro termino ejuſmodi maturationis, non quòd ad illum præcisè diem concoctio iſta, & maturatio perducenda ſit, cùm poſſit etiam in validioribus, & junioribus corporibus multò anteà promoveri, ſed quia infrà hoc ſpatium, in occluſo pectoris cavo, facilè ſtagnantes humores concoqui poſſunt, ac deinceps ad ſubſequentes dies, uſque ad quadrageſimum, expurgari, ut de pleuriticis aliàs edocuerat. Verumtamen, ut materia in pectore collecta reipſa maturationem, coctionemque ſubeat, intra hoc ſpatium viginti dierum, novam aliam defluentem admittere non debet, aliàs concoqui, ſeu ſuppurari illa non poſſet; quin & nec ab inſpirato frigido aere, aut ab epotis gelidis, crudiſque ſorbitionibus, recrudeſcere; frigidum enim pectori inimicum eſt, & coctioni officit, non proficit: quod profectò plerique nulla ratione ſervantes, catarrhos etſi leves, in longiſſimum tempus protrahunt, & multoties etiam exinde empyematici fiunt.

Haud denique in calce hujus aphoriſmi omiſerim, pilulas quaſdam plurimùm conferentes ad ejuſmodi deſtillationes reprimendas memorare, potiſſimùm ſi ſalſam, acremque conditionem referant: potenter enim illas temperant, ac ſiſtunt: conficiuntur autem ex *thuris maſculi, ſeu olibani, & maſtiches an. ſcr. I. myrrhæ, opii, & croci ſingulorum gr. VII. ſucc. liquiritiæ dr. I. & cum aqua roſarum f. pilulæ*, ad magnitudinem piſi, quarum una ſumatur tempore ſomni.

APHORISMUS XXXIX.

Si quis ſanguinem minxerint, & grumos, & ſtillicidio urinæ laboret, & dolor inciderit in imum ventrem, pectinem, & ad anum: circà veſicam morbus eſſe ſignificatur.

De hoc dictum ſatis *lib.* 4. unde quo pacto hìc iterùm ſit inſertus, non video; eum ergo locum adeat, qui velit.

APHORISMUS XL.

Si lingua repentè incontinens fiat, aut aliqua pars corporis ſtupida: tale eſt melancholicum.

Dictio græca ἀκρατὴς, qua hìc utitur Hipppocrates in linguæ vitio, ad melancholicos internoſcendos, magnam ſanè apud Interpretes excitavit diſſentionem; quippe Leonicenus incontinentiam, Cardanus procacitatem, alii immobilitatem expoſuerunt: Galenus verò *in commentario* eam vult eſſe, *quæ ita infirma eſt, ut non poſſit integrè vocem dearticulare, aut immobilem, & omninò reſolutam eſſe*: ex his autem, expoſitionem primam ſolùm retinet, & commendat Mercurialis, ut proinde verbum ἀκρατὴς ſignificet linguam, quæ difficulter firmatur, & quando non oportet ſiſtatur, ob ſui imbecillitatem; nam quæ penitùs, ſubdit, reſoluta eſt, comprehenditur ſub ſecunda aphoriſmi dictione, in qua dicitur, *aut aliqua*

pars corporis stupida; alioquin aut idem bis repeteretur, aut lingua non esset corporis pars. In hanc eandem sententiam concesserunt reliqui tum priores, tum posteriores Interpretes. Verùm Cardanus cūctos redarguens pro incontinenti lingua exponit, quæ plura loquitur, quàm deceat, ut propterea sensum Hippocratis eum esse dicat, melancholicum indicari, cùm quis repentè absurda, & turpia loquitur. Sed contrà observat idem Mercurialis, ejuscemodi linguæ incontinentiam, seu procacitatem esse potiùs, cujusvis alterius insaniæ indicium, quàm veræ melancholiæ. Et quidem attenta humoris melancholici conditione, haudquaquam accidit, ut incontinentes, ac loquaces melancholici sint, multoque minùs procaces, & lubrici, absurda, & turpia loquentes. Sed & de linguæ immobilitate haud omninò dici potest aphorismum esse intelligendum, nam etsi melancholici taciturni plerumque sint, solitarii, tristes, cogitabundi, non tamen prorsus stupidi observantur; modò immobilitas hæc cum stupiditate confunderetur, quam adjecit in aphorismo Hippocrates inquiens, *aut si aliqua pars corporis stupida*. Ex his ergo colligere planè est aliud quid per verbum ἀκρατὴς hìc illum voluisse subaudiendum, aliter idem bis repeteret per diversa.

Verisimiliùs itaque per verbum ἀκρατὴς ineptitudinem, impotentiam, hæsitationem, seu trepidationem interpretabimur, quæ certè accidentia sunt melancholicis familiaria, quæque, ut plurimùm, eosdem invadunt, & arripiunt, cùmq; non tantùm corpulentia, aut terrestreitate, sed potiùs halitu acido, & pontica conditione, per quam solent momento ferè temporis molestari, & stuporem, ac ecstasim, seu congelationem pati, ut in Catalepticis, propterea non absre adjectum in aphorismo adverbium illud *repentè*. Et quamvis Aristoteles *in problematibus* scriptum reliquerit melancholicos in Republica administranda, in carminibus pangendis, & in rebus philosophicis extitisse optimos; hi potiùs meditando, ac scribendo, quàm loquendo valere solent; quinimmò de melancholicis virtute, prudentia, ac moribus, veluti à natura, non autem à morbo, & causa morbosa aliàs sumus interpretati.

Adjectum est autem in aphorismo *repentè*, seu *subitò*, contractis, convulsisque musculis linguam componentibus, non quidem à corpulentia humoris melancholici, crassi, & tartarei, sed à qualitate ejusdem acida corrugante, ac figente: acidum enim, quod in eo prævalet, non raro oberrans, citò cunctos meatus corporis pervadit, & nervos potissimùm afficit, eorumque fibras coarctat.

Quòd si nedum vapore, aut halitu, verùm etiam crassitie, & lentore, capita, & oscilla nervorum obstruat, stupore, ac paralysi partes afficit; quamobrem in aphorismo dicitur, *aut aliqua pars corporis stupida fiat*; siquidem acidus humor, melancholicus dictus, corpulentia exolutionem, acore verò convulsionem inducit. Atque hinc etiam deducitur, quamobrem linguæ incontinentia ad impotentiam, & taciturnitatem, non verò ad loquacitatem referenda sit, ne scilicet Hippocratis mens in duo omninò disparata, ac veluti opposita symptomata, ab uno, eodemque humore provenientia, deducatur. Quamquam etiam fieri possit, ut ab eodem acido, vitiosoq; humore dege-

degenerato, ac vellicante fibras nervorum, non solùm linguæ loquacitas, & musculorum omnium commotio, sed impetuositas quoque corporis universi, excitari possit, veluti in Maniacis; unde idem Hippocrates 6. *aphoris.* 56. scribit: *in morbis melancholicis in hæc pericula inciditur, stuporem corporis, vel convulsionem, vel furorem, vel cæcitatem significant.*

Cùm hæc scriberem, contigit Romæ, ut vir quidam religiosus, & planè doctus, à perturbata vehementer imaginatione cum metu ex imminenti famæ periculo, adeò mente commotus est, ut attonitus fieret, & vocem articulare nequiret, quinimmò vix posset pedibus stare; post multos verò dies viribus, & animo refectus, convaluit, sed adhuc mente hebes perstitit, & in operibus animalibus imbecillus; quamobrem constat solere non raro melancholicos attonitos evadere, & lingua, ac voce titubantes fieri.

Unde autem id illis accidat, facilè quispiam deducet ex humore ipso melancholico acido, cujus maleficio spiritus animales, & nervi, qui plurimi in linguam confluunt pro ejusdem motu, & loquela, acore infecti, inefficaces fiunt, & nequeant pro indigentia linguam promptè ad varios motus peragendos sollicitare. Sed & quod linguæ accidit, sæpè etiam ad alios musculos extenditur, adeòque impotentes ad corporis pondus regendum observantur: quò profectò fit, quamobrem pusillanimes, repentinoque timore præhensi, aliquando repentè concidant, & nec pedibus stare, nec progredi possint. Notanter autem de linguæ trepidatione, titubationeque, mentionem hìc fecit Hippocrates, utpote, quæ proximior cerebro est; unde labes ista melancholicorum; cùmque ea musculis plurimis sit referta, quandocumque in suis motibus fatiscit, cæteras partes graviùs affici posse pari vitio demonstrat; proindeque subditur hoc eodem aphorismo, *aut pars aliqua corporis stupida fit, tale est melancholicum*, ideſt morbo melancholico affectum, cohærenter illi, ubi dicitur *si timor, atque mæstitia longo tempore perseverant, tale est melancholicum.*

APHORISMUS XLI.

Si senioribus supra modum purgatis, singultus supervenerit, non bonum.

Quod anteà indiscriminatim de cunctis à medicamento cathartico singultientibus dixerat, nunc mirum, cur idipsum repetat non bonum in senioribus, cùm hoc idem poterat ex antedictis facillimè deduci; quamobrem sana ratione à plerisque factum, ut aphorismum hunc è medio sustulerint, veluti inutiliter ab aliis, quàm ab Hippocrate, hoc loco insertum: id quod & nos pariter agentes, ad utiliora transeamus.

APHORISMUS XLII.

Si febris non ex bile fit, multa aqua calida capiti superinfusa solutio fit febris.

Febres omnes ex bile fieri aliàs expressè docuit Hippocrates, præsertim verò *lib. de Natura humana*, & 2. *ac* 4. *de morbis*: eas autem intelligere oportet, quæ ab humoribus vitiatis progenitæ dicuntur, quales sunt, quæ Antiquis putridæ, & humo-

humorales appellantur, tertianæ, quartanæ, quotidianæ, exceptis hecticis, atque ephemeris; unde febres omnes hic ab Hippocrate memoratas humorales dumtaxat interpretari licebit, contrà id, quod arbitratur Galenus *in commentario:* Et quamvis quotidianæ, ac quartanæ febres iisdem fieri credantur à pituita, vel melancholia putrescentibus, non autem à bile, benè tamen juxta mentem ejusdem Hippocratis, adnotat Prosper Martianus in commentariis ejusdem, & ante ipsum Mercurialis, *hoc loco*, adhuc in ipsis bilem causam esse, cujus scilicet maleficio, instar sulphuris, cæteri humores effervescant, & inflammentur; ut propterea rectè scriptum sit ab eodem Hippocrate, febres omnes ex bile fieri; quod scilicet ab hac solummodò reliqui humores in motum, commotionemq; febrilem adigantur. Et sanè, quandoquidem etiam à Recentioribus dicitur nuspiam sanguinem, lympham, succum pancreaticum, aut alium quemcumque humorem febrem parere posse, nisi per alteriùs acrioris humoris, qui biliosi, ac fellei conditionem referat, mistionem, in motum fermentativum adigatur, & sanguinem ad celeriùs circulandum provocet, & commoveat: id quod communissimum fuit Vetustioribus omnibus, etiam ante Hippocratis tempora, ut deducitur ex eodem citatis locis.

Itaque de iis solummodò febribus scriptus videtur hic aphorismus, qui hecticarum, & ephemerarum naturam sapiunt, ad redarguendos scilicit Medicos illos, qui cunctis indiscriminatim febrientibus, capitis, & totius corporis ablutionem commendabant, quemadmodùm refert Celsus de Cleophanto *lib. 3. cap.* 14. Quamobrem ejuscemodi lotionem convenire solùm docet in ephemeris, & hecticis (potissimùm ex laboribus, lassitudinibus, cutis constipationibus, cæterisque) minimè verò in putridis dictis, & humoralibus febribus. Sed & advertit quoque, per quam optimè Mercurialis, ex doctrina ejusdem Hippocratis 2. *epidem. sect. 6.* nec febrim propriè, ac strictè acceptam, sed calorem dumtaxat excedentem, qualis in febri levissima, hic intelligendum, documento etiam Galeni *primo epidem.* ægr. 12. & 3. *ejusdem operis* ægro 2. quemadmodùm idemmet in *libris methodi medendi*, pro curatione ephemerarum; & hecticarum febrium, ex Veterum more latiùs prosequitur, & proponit. Sed & num Hippocrates propria, an potiùs aliorum prædecessorum sententia, id protulerit, adhuc plerique non irrationabiliter abdubitant; cùm aliter ipse de febrium natura, & causis videatur opinatus. Cæterùm etsi calidam aquam capiti solummodò superaffusam, febrem solvere fateatur, non tamen exinde colligere est, ut reliquum Corporis excludat; siquidem Antiqui de more habebant, nedum caput, sed etiam totum corpus abluere, ac detergere.

APHORISMUS XLIII.

Mulier ambidextera non fit.

JAmdiù mente revolvi, quomodò unquam potuerit Hippocrati in mentem cadere, sententiam hanc inter aphoristicas collocare, quę nec doctrinæ gravitate, nec sententiæ pondere, nec ad rem Medicam faciendam utilitate, videtur tantò Viro digna; quæque si usquam inter

apho-

aphoriſmos recenſenda viſa fuiſſet, certè ſermonis analogia, inter eos, qui libro quinto continentur, ubi multa de fœminis referuntur, reponenda foret. Sed &, cùm Galenus *in commentario*, ex quibuſdam Authoribus exponat, ambidexterum hominem intelligi, qui ambabus manibus pro dextris utitur, quemadmodùm fertur Homero fuiſſe Ariſtopœum; ſi idipſum fœminis adſcribere vellemus, planè conſtaret, non undequaque verum eſſe; cùm licèt nonnullæ fuerint, quæ dextræ manus opera ad ſiniſtram etiam transtulérint, non æquè tamen benè, nec cuncta manuum miniſteria, pari dexteritate, vi, atque vigore, illa peragere potuiſſe, ambigere valdè eſt. Pleraſque equidem novi, quæ acum, forficem, glomum, (atque adeò ſuere, incidere, glomerare, nere) ſiniſtra manu expeditè nimis, & agiliter tractarent, alia verò munia nequaquam, & nonniſi dextra ſolùm, nec è converſo: quamobrem etſi nonnulla manualia exercitia mulieres plurimæ ſiniſtra manu agant, non tamen illa eadem, nec reliqua omnia, æquabiliter dextera peragunt.

Sed nec mares ipſi, qui lævi dextri referuntur, æquè viriliter, ac pari robore, ſiniſtra, ac dextra utuntur, cùm plerique ſtrenuè admodùm ſiniſtra digladiari viſi ſint, ſclopum verò, aliaque inſtrumenta bellica, nonniſi dextra ſolùm, prout una, vel altera manu ad iſtiuſmodi opera peragenda uſum aſſiduitate contraxerunt. Ruſtici, & Agricolæ ingentia, & ponderoſa nimis inſtrumenta promptiſſimè tractantes, calamum tamen in ſcribendo vix regere valent. Eſt apud nos Citharædus, qui læva mirabiliter fides pulſat, nullatenùs autem dextra valet; ætque in his, aliiſque ſimilibus, alii, alia. Quocircà rari admodùm erunt, quæ æquè benè utraque manu omnia perſolvant, aut æquali dexteritate, vi, ac promptitudine, præſertim, quæ majus robur, firmumque exigunt. Hinc non irrationabiliter factum crediderim, quamobrem iſti italicè *Mancini* vocitentur, veluti mancam, ac deficientem alterutram manum habentes, ut propterea, prout uſus, & frequentior alterutrius manus exercitatio prævaluerit, aut lævi, aut dextri magis, minùſve præpotentes evadant; unde licet Plato *3. de legibus*, paucos viros, nullas verò fœminas ambidexteras fieri dixerit, id tamen non ad virtutis imbecillitatem, & caloris inopiam, quæ ſiniſtro lateri ineſſe creditur, ſed ad defectum exercitationis ejuſdem, cauſam retulit, exemplo à pedibus deſumpto, qui pares, & æquipotentes in ſuis operibus obſervantur, quia parem in ſtando, & incedendo uſum, & exercitationem ab ortu ſubiere. Et quidem plurimùm in his valet aſſiduus exercitationis uſus temporis diuturnitate comparatus. Hac quippe arte Amazonidas, Sauromatas, & Scythicas mulieres in ſagittis jaculandis, & bellicis inſtrumentis tractandis excelluiſſe refert Hippocrates *lib. de aere, aquis, & locis*, quoniam à pueritia ea exercere conſueviſſent. Experimur pariter Artifices omnes, qui ab ineunte prima ætate ſiniſtra ſimul, & dextra manu, malleum, aſciam, ſerram, terebram, aliaque Artium inſtrumenta æquabiliter tractare conſueverunt, utraque manu deinceps, pro arbitrio uti ſolere, & ſi fortaſſis ſiniſtram potiùs, quàm dexteram exercere conſueſcant, illa potiùs quàm iſta prævaleant. Fuit aliquan-

V. etiam Ariſt. 2. de hiſt. animal. c. 1. & 31. ſ. probl. 12.

quandò, qui tam benè usum scribendi sinistra manu sibi comparavit, ut non meliùs dextera characteres efformaret, non alia planè industria, quàm assuetudine perpetim à prima ætate puerili acquisita. Non multis ab hinc annis per Italiam prodigiosa quædam mulier vagata est, quæ pedibus peragebat quidquid à cæteris sola dextra manu perfici solet: tantùm valet contractus ab initio vitæ usus, ac frequens, & iterata eorundem actuum exercitatio.

Cùm igitur hæc ita sint, non absre verendum videtur, ab alio prorsùs, quàm ab Hippocrate sententiam hanc hoc loco fuisse interfertam, ut propterea si alius unquam inter adjectos aphorismos dicendus est, de isto planè suspicari omninò licebit, ex nuper allatis.

Cæterùm, qui ambidexteras dictas volunt (ut memorat Galenus in hoc commentario) *quæ parte uteri dextra genitæ sint*; adeòque ambidexteras fœminas, non fieri, quòd in utraque uteri parte minimè generentur: tam longè à veritate declinant, & ob Anatomes inscitiam falluntur, ut nullius penitùs mereantur assensum, cùm non minùs in dextra, quàm in sinistra uteri parte progigni fęmellæ visæ sint. *His adhuc magis à ratione alienum* (subdit in eodem commentario Galenus) *alii ajunt de iis, qui hermaphroditi nominantur, Hippocratem esse locutum, quasi dicat mari quidem pudendum accrevisse muliebre, mulieri verò virile, minimè.* Quandoquidem id remotissimum est ab Hippocratis mente, nec ullatenùs aptari potest huic aphorismo, in quo de utriusque manus dexteritate sermo fit; quin & fœminis virile membrum, aut quid simile, ex elongata clitoride, succrevisse, ac foras prodiisse, non semel observatum; maribus verò muliebria pudenda nequaquam.

APHORISMUS XLIV.

Quicumque suppurati uruntur, vel secantur, si pus purum fluxerit, & album, evadunt: si verò subcruentum, & fæculentum, ac fætidum, pereunt.

Alibi edocuit Empyicos ustos, vel sectos à pure affatim exeunte periclitari, nunc à qualitate puris exeuntis, bonum, vel malum eventum præsagit; aitque, si pus album, purumque exeat, bonum, si verò subcruentum, fæculentum, & fætidum, exitium portendi. Cùm enim pus album, & purum prodit, neq; materiam in pectore collectam pravam, & deleteriam, neque ulcus sordidum, aut malignum designatur; quamobrem facilè fit, ut ab illius exitu, nulla in pectoris cavo relicta noxa, revalescant ægrotantes; quod secùs accidit, si pus inde prodiens fęculentum, & fętidum comparuerit, unde de ulceris pravitate, & de humoris ibidem collecti, ac suppurati malitia judicare est. Subcruentum autem pus rebellem, contumacemque humorem, non satis coctioni substantem indicat, qui & sanguinis è vasis pulmonis profusionem facilem, ac subitaneam pertimescendam arguit; unde periculosior eventus. Idipsum habet idem Hippocrates *in Coacis prænotionibus*. Verùm quod in empyicis tempore Hippocratis frequentissimè, sectionis, aut ustionis opera peragebatur, nunc penitùs exolevit.

Quoniam verò indiscriminatim Hippocrates dixit *suppuratos*, ansam indè plerique arripuerunt, ut

etiam Galenus meminit, de quibuslibet suppurationibus in quavis alia Corporis parte habitis intelligendum. Nihilominus rectè idem Galenus advertit propriè suppuratos ab Hippocrate nominari eos, quibus inter thoracem, & pulmonem acervatum pus est, quos urere consuevisse Veteres adiicit ex Platone comico: Quin & sequens Aphorismus de suppurato Hepate scriptus, clarè etiam designat speciales hic memorare voluisse suppurationes, ut consideranti patet.

APHORISMUS XLV.

Quorum Hepar suppuratum aduritur; si pus purum fluxerit, & album, evadunt; in tunica enim his pus continetur: si verò qualis amurca fluat, pereunt.

SImul hic Hippocrates aphorismum prognosticum ab inustione suppurati Jecinoris proponit, & rationem boni, vel mali eventus superaddit: inquit enim ita affectos evadere, si purum, & album pus fluxerit; quoniam in his pus continetur in tunica, seu membrana exteriori jecinoris; secus verò, si qualis amurca prodeat; quoniam è converso pus internam jecoris substantiam pervasit, illiusque parenchyma collæsit. Idipsum habet *in Coacis prænotionibus*, ubi de variis hepatis affectionibus agens, speciatim de inustis inquit: *Quibus secundùm iecur inustis veluti amurca exit, mortale*. Non etenim fieri potest, quin jecoris substantia intimiùs computruerit, si pus exinde prodiens putridum, & concretum instar amurcæ, seu fæcis olei, appareat, eo quòd pravum ulcus ibidem genitum designet: ulcera autem in jecoris parenchymate excitata lethalia omninò sunt.

APHORISMUS XLVI.

Dolores oculorum post meri potionem, & aquæ calidæ balneum venæ sectione curato.

HIc aphorismus non cohæret ei, qui scriptus est 31. *sexti*, quæ enim hoc loco unum post aliud proponuntur, disjunctim ibi, ad dolores oculorum arcendos, commendantur, & quidem rationabiliùs. Hinc non immeritò Galenus interfertum, atque adjectitium hunc, adeòque expungendum opinatur. Neque præterea congruenter videtur venæ sectio, post meri potionem, & balneum instituenda in quocumque oculorum dolore, qualibet ex causa indifferenter proveniente, ut consideranti patet.

APHORISMUS XLVII.

Aqua inter cutem laborans, si tussi corripiatur, desperatus est.

DE hoc pariter dictum satis supra est *in commentario aphorismi 35. sexti libri*, ut proinde opus non sit illa eadem hic repetere; eum igitur locum adeat, qui hujus expositionem desiderat.

APHORISMUS XLVIII.

Urinæ stillicidium, & mingendi difficultatem vini potio, & venæ sectio solvit, incidere autem interiores.

PLerumque urinæ stillicidium fit à crassis, lentisque succi meatum

tum urinarium occupantibus, atque urinæ exitum impedientibus, sive isti cum ipsamet urina permisti sint, sive janitori musculo impacti; cùmque præter viscositatem, acorem etiam referant, quoniam facillime fit, ut qui viscosi sunt, acidi fiant, & è converso, propterea accidit, ut simul unà urinæ exitum retardent, ac stillicidium inferant, atque etiam musculum ipsum vellicent; & proritent, unde postmodùm stranguria, vel dysuria. Hac eadem de causa evenit, ut in horum ægrotantium urinis sedimenta observentur perpetuò fere mucosa, cænosa, & crassa. His ergo, ad diluendas ejuscemodi viscositates, summè confert vinum meracum, vel largiùs, & semel epotum, vel parciùs, sed iteratum: eo enim crassi succi geniti diluuntur, ac extenuantur, & forte in posterum gignendi impediuntur, ne fiant, si præsertim in reliquis victus ratio, & usus sex rerum nonnaturalium in idipsum concurrens consulatur. Desumptus est hìc aphorismus ex 2. *epidem.* & scriptus quoque invenitur 6. *aphoris.* 36. quare hìc ab aliis denuò interjectus putandus est.

Cæterùm quod spectat ad venæ sectionem, & ad selectionem venarum interiorum, non tanti est, ut indifferenter prodesse possit in omni urinæ stillicidio, nisi solùm indirectè, ad deplendam seri copiam, vel ad impediendam vesicæ inflammationem, si tamen id commodè fieri possit.

APHORISMUS XLIX.

Ab Angina correpto tumor, & rubur in pectore superveniens, bonum: extra enim vertitur morbus.

ET hic pariter aphorismus repetitus hoc loco invenitur (ut & alii) industria forsitan librariorum, ut anteà dictum; cùm & 6. & 4. *lib. aphorismorum* de eo scriptum sit.

APHORISMUS L.

Quibus Cerebrum sphacelatum est, in tribus diebus pereunt: si verò hos evaserint, sani fiunt.

VErbum istud *sphacelari* cunctis Interpretibus non modicè fuit offensioni. Attenta siquidem pressa illius significatione, *sphacelari*, idem vertunt, ac syderari, & corrumpi. Cùm benè noscerent non posse id aphoristicæ huic sententiæ commodè adaptari, quoniam ex cerebro sphacelato impossibile est patientem revalescere, cùm à corruptione interitus inevitabiliter subsequatur; propterea Galenus primum, mox alii deinceps, sphacelismum hìc, veluti dispositionem tantummodò ad sphacelum, & corruptionem, sunt interpretati, ut accidit ex intemperie, aut inflammatione, quæ gangrænam, ac sphacelum præcedere solet. At isti minimè animadverterunt difficulter admodùm, immò nullatenùs internosci posse internam hanc Cerebri corruptionem, ut exinde quisquis, etiam oculatissimus, vaticinari queat de interitu intra triduum, vel de convalescentia, atque salute, ipso transacto,

facto, subsequutura, quemadmodùm ex hoc aphorismo deducendum consulit Hippocrates: Nam quis unquam, etsi lynceus, id introspiciet? Sed nec insuper facilè est, cerebrum inflammatione affectum tam subitò, transacto scilicet triduo, consanescere posse, quin potiùs contra facillimum sit, ut sola inflammatione, immò etiam sola phlogosi succumbat, inducta phrenitide cum acuta febre, uti documento Hippocratis, attestante quoque experimento, passim observatur.

A causis prætereà internis inductam istiusmodi siderationem, quomodò fieri poterit, ut quis probabiliter coniiciat, fuisse ex innumeris potiùs inflammationem, & non aliàs, quæ cæteroqui plures, & variæ esse possunt; cùm tamen rarissimè, vel nunquam cerebrum sua substantia inflammationi subiiciatur, & in phrenitide potiùs meninges, quàm cerebrum ipsum, inflammentur? Hinc factum, quamobrem Cardanus illud concussum, ideſt à causis externis, contusum, vulneratum, commotum, interpretetur, unde cerebrum interiùs læsum magis patere poteſt sensibus, tumore, rubore, vel etiam livore, & corruptione. Et quamvis de cerebro concusso alibi verba faciat Hippocrates, nil tamen obstat, quin utrobique in eundem finem idem consideraverit; ut in uno causam externam, & signa, in alio prognosim advertat: Siquidem ab ictu, vulnere, & concussione aphonia primùm, mox, si corruptio subsequatur, mors sit intra triduum successura. Verùm quę in Cerebri sphacelismo contingunt latiùs idem Hippocrates memoravit 2. & 3. *de morbis* pluribus in locis. Faciunt ad hoc idem, quæ ipsemet *in Coacis prænotionibus*, Celsus *lib.* 8. *cap.* 9. & Galenus 2. *de locis affect.* *cap.* 7. de Cerebri sphacelo edocent, quos vide. Cæterùm, sphacelato Cerebro, interitus imminet ob affectæ partis dignitatem; & quidem infra triduum, cùm diutinum tempus lęsa Cerebri substantia ferre non possit: Post hoc tempus verò ægri evadunt, non quòd illud gangræna liberetur, sed quòd concussio tanta non fuerit, ut gangrænam, & sphacelum intulerit.

APHORISMUS LI.

Sternutamentum fit ex capite, calefacto cerebro, aut humectato eo, quòd in capite inani. Aer enim intus contentus extra erumpit: sonat autem, quoniam per angustum ipsi est exitus.

Considerat hìc Hippocrates sternutamentum veluti malè affecti cerebri symptoma, per quod & qualitas ægritudinis ejusdem internosci possit, & exuperantis humoris locus, & modus excretionis. Cunctis enim notum, non tantùm hac de causa, sed ex multis aliis, tùm internis, tum externis excitari sternutamentum, ut proptereà quæcumque aut irritando, aut gravando, tum Nares, & Olfactus sensoria, tum etiam, quæ Cerebri meninges vellicant, & compungunt, valeant ad sternuendum lacessere, de qua re latissimè Galenus 2. *de symptomat. causis cap. primo*, aliique Doctores passim. Quoties ergo Caput, Cerebrumque secundùm corticem serosis, lymphicisque superfluitatibus gravatur, atque ad organa olfactus per sensientes meninges illos protrudere potis est, ex angustis, occlusisque meatibus in paten-

tentiores propellens, sternutamentum inducit, & sonum edit. Quare ex illo cerebrum indicatur superfluitatibus istiusmodi gravari, atque ad earundem expulsionem impelli, non sine manifesto plerumque juvamento. Accidere autem illud dicitur ex calefacto cerebro, aut humectato inani spatio, quod partem cerebri anteriorem, & cranium interest, siquidem nisi humor lymphicus, ac serosus exinde extillans concalescat, & acritatem, vellicationemque contrahat, proculdubiò sternutamentum non fit, quemadmodùm experimur in gravedinibus, & coryzis, quæ tunc sternutamentis sociantur, cùm materia per nares effluens acris, & mordax est: quod etiam palàm fit, cum in imminentibus catharris ab humefacto capite, aerem calidiorem inspiramus, & halitus odoriferos, aut solares radios affatim excipimus. Cæterùm sonitus in sternuentibus fit, erumpente cum impetu è naribus, veluti ex angustis loculis, in apertum aere, sive flatu, aeri analogo, concurrente in idipsum motu thoracis vehementiùs expirantis; in multis enim similitudinem magnam referunt sternutatio, & tussis, ut benè explicat hìc Scholiastes Hollerii. Denique sternutamentum, ut salutare sit, & levamen Cerebro, immò etiam pectori afferat, cum exitu fluitantis humoris, aut crassioris muci esse debet; nam si inaniter contingat, & iteratò, sine ulla humoris eductione, malum omen esse consuevit, ut in pestilentiis: tunc enim, vel à maligno, irritanteque miasmate fit, vel si quis humor inest, sternutamenti concussione, ob aeris exsuctionem internam potiùs Cerebri substantiam pervadit, & Apoplexiam infert.

APHORISMUS LII.

Quibus Hepar vehementer dolet, iis febris superveniens solvit dolorem.

SExto libro *aphorismo* 40. dixerat, dolorem in hypochondriis febre superveniente sedari; unde de dextro solùm meminit, ubi Jecur jacet. Sed num reverà de dolore jecoris substantiam occupante, an potiùs partes eidem adnexas, hoc loco intelligat, dubitari potest; Etenim non tam facile quis sibi persuadebit, superveniente febri dolorem in Jecore inductum exsolvi, si ipsius parenchyma affectum fuerit, tumore præsertim inflammatorio, qui per febrim potiùs exasperaretur, vel in suppurationem vergeret. Hinc non absre putavit Mercurialis legendum, *circumdolet*, non *dolet*, ut partes dolentes jecori circumpositas potiùs designaret, non proprias ejusdem. Verùm si dolor jecur afficiens ex obstructione fit, quemadmodùm ex sensu gravante, vel attollente solùm, ut ex tenui materia coniicere licet; proculdubiò tunc etiam febris superveniens juvamento esse poterit, quippe per febrim impactus ibidem humor crassus, & hærens diluitur, meatus aperiuntur, & aliò, puta ad intestina, vel ad renes, & vesicam ille deducitur; ac si fortasse ex adverso tenuis fuerit, facillime dissolvitur, & evanescit. Febris autem debet non præcedere, sed supervenire; si enim dolorem præcederet, vel comitaretur, illum veluti ab inflammatione, vel phlogosi dependentem argueret; ita neque eumdem solveret, sed potiùs augeret, & mali morbi indicium foret, adeòque periculo non vacaret.

APHO-

APHORISMUS LIII.

Quibus à venis sanguinem mittere confert, iis Vere venam oportet secare.

SImilis aphorismus scriptus est *lib. 6. textu* 47. propterea ejus expositionem omittimus, & ad illum locum lectorem amandamus.

APHORISMUS LIV.

Quibus inter ventriculum, & septum transversum pituita reposita est, & dolorem affert, non habens viam ad alterum ventrem: iis per venas in vesicam pituita versa, solvitur morbus.

QUinam sit istiusmodi locus inter ventriculum, & septum transversum, qui pituitam collectam continere valeat, illamque deinde ad vesicam deducere, ex Anatome nondum patuit. Sunt tamen ex Hypochondriacis nonnulli, qui passim de fluctuante aqua, veluti in utre conclusa, per eas partes, conqueruntur, ac perpetim illam undantem, & sursum, deorsumque vergentem exaudiunt, atque aliis manu commotam, exaudiendam præbent: sed num reverà illa aqua sit, vel aqueus, & flatuosus liquor, & ubi includatur, perspectum non est. Vivit adhuc Nobilis quidam Vir, qui adeò se hoc symptomate molestari ait, ut nil pejus se pati existimet, ac multùm in ejusmodi fluctuatione verecundetur. Fatetur tamen ad plures hebdomadas illam aliquando quiescere solere, reddita nimirùm per id tempus urina copiosiori.

Hinc suspicari fas est, ut quemadmodùm in Hydropicis non rarò serum ad vias urinæ deducitur, & quidem salubriter: ita quoque in his pituita, sive lympha crassa, inter ventriculum, & lienem collecta, ac postmodùm dissoluta in vesicam delabi possit, & cum profectu patientis, siquidem ea parte, qua ventriculi fundum lienem respicit, & colon intestinum, humores in hypochondriacis colligi solent, sibi locum facientes. Quod autem Hipp. dixit *per venas*, intelligendum vel de arteriis, vel de lymphaticis vasis, cùm passim apud Veteres, canales omnes corporis, venæ appellari consueverint, ut aliàs quoque dictum. De reliquo cùm dolorem affert collecta illic pituita, in vias urinæ efferri potest; quoniam tunc per fermentationem, suiq; dissolutionem, fluidior reddita vasa illa subire potest, & foras educi, præsertim si lienem ipsum pervadat, indeque per renes egeratur.

APHORISMUS LV.

Quibus Hepar aqua plenum in Omentum eruperit, iis venter aqua repletur, & moriuntur.

QUi per Omentum, atque Omenti meatus, in Renes, & Vesicam pituitam in antecedenti aphorismo memoratam deduci posse explicant, non incongruenter moventur ex his, quæ in hoc aphorismo ab Hippocrate, de aqua in hepate collecta, atque per vias urinæ excreta referuntur: Nam qua ratione jecur aqua repletum potest per Omentum exonerari, pariformiter quoque poterit collecta inter septum transversum, & ventriculum per eosdem ductus in vesicam deferri. Porrò id experimentis frequenter comprobatur, sed per

quos

quos ductus huc usque nescitur. Sagax autem, & perita Natura scit mille sibi parare vias, per quas seipsam exoneret.

Repletur hepar aqua ex vasis lymphaticis illuc confluentibus, & plerumque hydatides innumeras excitantibus, quæ ubi nimiùm distentæ, ampliùs expandi non possunt, & aquam stagnantem continere, in omentum, quod hepati, & ventriculo superincumbit, illam exonerant: unde Omentum ipsum sua natura adiposum, ab ejusdem salsilagine acri, & erodente dirumpitur, atque universam aquam in ventrem, idest in abdominis cavum effundit, & hydropē, Ascitem dictum, excitat. Exinde autem sequitur ægrotantis interitus, tum à gravi jecinoris læsione, atque hydatidum eruptione, tum ab omenti erosione, ubi ulcus insanabile exoritur, tum denique à mala ejusdem lymphici humoris qualitate, salsa, & erodente, quæ diuturna ibidem mora, reliqua adjacentia viscera, præsertim verò intestina labefacit, & mortificat; cùm potissimùm nullo aditu remeare is possit, aut per patentes ductus foras educi. Hinc Antiquis in usu fuit Paracentesis, quæ cum non minoris periculi fuerit observata, quàm morbus ipse, à Recentioribus nunc tandem omissa est.

APHORISMUS LVI.

Anxietudo, oscitatio, horror, vinum, æquale æquali potum, solvit ægritudinem.

Idem refertur 2. epid. 5.6.

QUàm in multis conferat vinum, præsertim moderatè sumptum, non est, ut diutiùs hìc suadeam, cùm cæteroqui cunctis notum sit summum esse medicamentum, immò medicamentorum omnium maximum, de quo pluries Hippocrates verba facit, illiusque utilitates magnoperè commendat. Speciatim autem hoc loco docet medelam esse anxietudini, oscitationi, & horrori, quæ licèt sæpenumerò ægritudines periculosę non sint, solent tamen non raro esse nimiùm molestæ, & sæpesæpiùs stomachi, atque ventriculi malè affecti symptomata, contumacem, hærentemque causam, nervos proritantem indicantia, quæ nisi citò detergatur, dissolvaturque, pejora planè incommoda solet afferre. Est autem Anxietudo fastidium illud in imo ventre, quo patientes huc, illucque se jactare coguntur, cùm situm commodum quiescendi non inveniant, etiamsi lecto decumbant. Id verò illis accidit ab hærente, glutinosoque succo, plerumque acido, & austero, qui simul vellicando, & transitum reliquis humoribus impediendo, quandoque etiam per flatus distendendo, ingentem molestiam excitat, ut patientes loco stare non sinat. Non dissimiliter Oscitatio fit, cùm in ipsa nervi quoque per ventriculum dispersi, atq; in intestina transfusi, pariformiter lacessiti, alios, & alios sibi respondentes commovent, & musculos faucium, oris, & mandibularum, ad se retrahendum proritant: quod plerumque accidit, cùm insomnes, dissolutionem exactam ciborum minimè peregimus, nec vapores per cerebrum, & nervos diffusos, convenienti somno, discussimus. Horror denique, ut aliàs à nobis dictum, à crassis, acidisq; succis in fermentationem indebitam adactis, quemadmodùm in Quartanis febribus, provenit. Porrò his omnibus vinum, & quidem meracum summoperè conferre potest, dissolutis nimirùm, detractisque succis illis crassis, & tenacibus, quorum causa ventriculus,

culus, atq; intestina lacessuntur. Atqui subdit Hippocrates, pari aquę portione commistum potandum esse, tum ut acidum illorum succorum retundatur, & tenacitas eorumdem meliùs diluatur; tum denique, ne totum in vapores exolutum, caput petat, & crassitiem illam succorum minùs efficaciter detergat. Mistio autem variari potest, pro varia vinorum conditione, ac virtute. Postremò inquit ægritudinem solvere, idest non solùm symptomata ista delere, verùm etiam causam eorumdem abstergere, concoquere, & superare.

APHORISMUS LVII.

Quibus in urinario meatu tubercula fiunt: iis suppuratione facta, & eruptione, solvitur dolor.

HIc etiam aphorismus alibi scriptus est 4. *lib. aphor.* atque ibidem à nobis expositus; quare ad eum locum lectorem remittimus.

APHORISMUS LVIII.

Quibus Cerebrum aliqua ex causa concussum fuerit, necesse est statim mutos fieri.

V. etiam 1. de morbis.

HAnc eandem sententiam, & latiori quidem sermone exaratam, habet Hippocrates *in Coacis prænotionibus*, ubi, *quibus cerebrum*, inquit *concussum fuerit, & doluerit, percussis, aut aliàs lapsis, hi statim voce privantur, & neque vident, neque audiunt, & plerumq; moriuntur*. Experimentis quoque confirmatam eandem proponit 5. & 7. *epid.* in fęmina quadam palma manus ab alia percussa, & in eo, qui à Macedone lapide ictus fuit. Quamobrem ab externis causis concussionem hanc induci oportere manifestè liquet, ut anteà etiam adnotavimus. Istos autem aphonos fieri necesse subdit; quoniam à cerebri concussione nedum spiritus tumultuariè commoventur, & confunduntur, verùm etiam mole sua cerebrum conturbatur, & qua parte nervis originem tribuit, vel potiùs in illis elongatur, ingentem patitur perturbationem, ut propterea loquelæ, auditioni, ac visui impedimento fiat, cùm nervi ad loquelam, auditum, & visum præsertim pertinentes, proximè à cerebro ipso dimanent. Contingit tandem hos plerumque mori, si non statim, vel intrà triduum, quod summum, resipiscant; siquidem ultrà hoc tempus, neque cerebri læsionem gravem fuisse argumento est, neque nervorum originem, stuporem, vel corruptionem subiisse, ut de corrupto cerebro anteà dictum.

APHORISMUS LIX.

Corporibus carnes habentibus humidas, famem adhibere convenit: Fames enim corpora siccat.

NOn de qualibet humida Corporum constitutione aphorismus hic intelligendus, sed de excedenti, extranea, & præternaturali: quippe moderatè humidi, atque innata, primigenia, & radicali, ut vocant, humiditate præditi, sicuti in siccam constitutionem deflectendi non sunt; ita neque fame diuturna macerandi: id enim esset illos haudquaquam in salubritate tutari, sed potiùs in ægritudines, & quidem perniciosissimas, transferre. Corpora itaque excedenter humida, & excrementis scatentia serosis, seu pituitosis dictis, ut in meliorem constitutionem reducantur, exsiccatione

ne

ne egent, adeòque fame, ne in morbos humefacientes labantur, præservanda sunt.

Debent pariter istiusmodi corpora, in carnibus, immò in cunctis partibus, humidis superfluitatibus scatere; nam si in una tantùm, aut in altera parte humida comparerent, haudquaquam fame, veluti re universum corpus exsiccante, tractanda forent; quamobrem jure optimo ab Hippocrate dictum; *Carnes habentibus humidas*, & quidem non solùm musculares, & externas, sed & internas quoque, immò etiam parenchymata viscerum, ut ex illis superfluæ undequaque humiditates absumantur. Quin & ab articulis easdem exolvendas esse, docuit idem Hippocrates *lib. de Articulis*. Hinc rheumatici, tussiculosi, podagrici, hydropici, aliique, plurimùm ab illa juvari solent.. Famem autem his dixit adhibendam, non omnem, seu à quocumque cibo abstinentiam, sed moderatam solummodò ciborum subtractionem, præsertim eorum, qui humores adiiciunt; nam qui illos potiùs detrahunt, atque absumunt, commendari possunt. Sub nomine famis, sitim quoque comprehensam intelligere licet; etenim proportionabiliter, ad salutem conservandam, qui modicè edunt, parcè etiam bibere debent; unde quibus detrahenda indicitur ciborum copia, diminuta quoque censetur potulentorum assumptio. Atqui proposuit hìc ad exsiccanda humida corpora Hippocrates famem potiùs, quàm cætera alia, sive alimenta, sive medicamenta, quippe illa insensibiliter, & citrà viscerum noxam, æqualiter Corpus universum in meliorem statum revocare potest: reliqua verò omnia tam ex Prophylaxi, quàm ex Therapeja, desumpta, ut sunt exercitia, vigiliæ; diuretica, diaphoretica, & cathartica medicamenta, vel non æquè cunctis partibus opitulantur, vel magis officiunt, quàm proficiant, ut benè etiam advertit Cardanus.

APHORISMUS LX.

Si febre correpto, tumore non existente in faucibus, suffocatio repentè superveniat, & non possit devorare, nisi vix, lethale.

APHORISMUS LXI.

Si febre correpto collum pervertatur, & devorare non possit, tumore non existente in collo, lethale.

APHORISMUS LXII.

Ubi in toto corpore fiunt mutationes, & corpus refrigeratur, & rursus calefit, aut calorem alium ex alio commutat, longitudo morbi significatur.

INveniuntur quoque supradicti tres aphorismi descripti in 4. *libro*, propterea non est, ut hoc loco repetantur. Ut moles hujus libri pluralitate aphorismorum excresceret, ab aliis adjectos credere est, ut & plurimos alios inferiùs appositos.

APHORISMUS LXIII.

Sudor multus calidus, vel frigidus semper fluens, repletionem humoris esse significat; abducere igitur oportet, robusto quidem supernè, debili verò infernè.

ET hìc etiam ibidem est notatus, atque expositus; nisi solùm quòd hìc adjecta est sudoris istius curatio per humoris nimirùm superabundantis

dantis evacuationem, & quidem in robuftis corporibus per fuperiora, ideft per vomitum, in debilioribus verò per dejectionem, habito fcilicet refpectu ad tolerantiam patientis.

APHORISMUS LXIV.

Febres quæcumque non intermittentes, fi tertia die fortiores fiunt, periculofæ: quocumque autem modo fe remiferint, fignificant, quòd non funt periculofæ.

APHORISMUS LXV.

Quibufcumque febres funt longæ: iis vel tubercula, vel ad articulos dolores decumbunt.

APHORISMUS LXVI.

Quibufcumque tubercula diutina, aut in articulos dolores ex febre decumbunt: ii cibo pleniore utuntur.

ALibi quoque appofiti, & explanati funt 4.*lib. aphorifmorum.*

APHORISMUS LXVII.

Si quis cibum febricitanti dederit: fano quidem, robur, laboranti verò morbus.

HAdquaquam de cibo cuicumque ægrotanti exhibito, fed dumtaxat febricitantibus, & quidem acutè, fcriptus eft hic aphorifmus; nam in his femper gravior noxa pertimefcenda eft à cumulatis excrementis, & à Naturæ diftractione; nec infuper de quocumque cibo, fed folùm de eo, qui fanis offerri folet, unde proculdubiò damnum majus, graviùfque fequitur, fi fortafsè febrientibus offeratur; quippe ficuti fanis corporibus is converfus in alimentum robur addit, ita febricitantibus, aut fimili alia ægritudine affectis in malos humores transmutatus, morbum fovet. Quod fanè cunctis notum.

Id tamen peculiariter adnotandum, carnium efum fortiores reddere animantes, ut funt Lupi, Urfi, Leones, Accipitres, Aquilæ, aliæque carnivoræ; contrà verò, quæ herbis vefcuntur, ut pecudes, debiliores funt. Et licèt Cameli, Elephantes, Equi, plantis nutriti fortes etiam obferventur; illæ tamen exarefactæ funt, & fubftantiæ longè folidioris, ac vegetioris, ut cardui ficcati, fchœnanthi, fimilefque: Boves denique promifcui paftus, cùm fœnu vefcuntur, aridifque herbis, fortiores obfervantur, cùm verò virentibus utuntur, imbecilliores, quamquam & iftæ folidioris quoque fubftantiæ fint, ut Lupini, Rapa, &c. Quo autem tempore virentibus herbis tum Boves, tum Equi pafcuntur, licet pinguefiant, non tamen æquè vigorantur. Hinc commodùm animalibus pro rata, & ufu propriæ paftionis, dentes, mandibulas, mufculos temporales, aliaque inftrumenta ad atterendos, & conficiendos cibos magna, & valida, vel minora, & laxiora providit Natura, ut confideranti palam fieri poteft. V. Gal. 11. de ufu par. c. 2.

APHORISMUS LXVIII.

Quæ per vesicam excernuntur inspicere oportet, si talia sunt, qualia sanis excernuntur. Quæ igitur minimè similia sunt his, hæc morbosiora. Quæ verò sunt sanis similia, hæc minimè morbosa.

ET hunc pariter aphorismum suspicatur Galenus Hippocratis non esse, cùm non habeat elocutionem Hippocratis stylo convenientem. Sed & neque magnum quid, aut in Arte reconditum, continere videtur, immò potiùs cunctis obvium, atque manifestum. Verumtamen habet quoque quidpiam, quod cautum reddat Medicũ in judicandis excrementis è morbosis corporibus prodeuntibus: Nam si ea ipsis congruant, dum benè valebant, non solùm morbosa dici non poterunt, sed non magnum eadem corpora recessum à naturali statu fecisse demonstrant. Sic plerisque in usu est, cùm benè valent, urinas mingere perpetuò crudas, ac decolores; si in statu morboso tales quoque inspiciantur, meliores planè erunt, quàm si ab illo consueto statu recesserint. Sic contrà alii aliis urinarum egestionibus sunt natura affecti, ut eo modò benè, contrà verò malè se habeant. De ejusdemodi autem similitudine, atque dissimilitudine excretorum in statu sano, & morboso meminit quoque idem Hippocrates *lib. de officina Medici*, & *initio prognosticorum*, & Galenus ex mente Platonis 9. *de plac. Hipp. & Plat. cap.* 1. Conferri huc quoque possunt, quæ idem Hippocrates protulit 6. *epid. sect.* 7. ubi quæ à Medico sint in ægrotantibus consideranda, pluribus edocet, sed præsertim, *quæ, & ex qualibus qualia fiant, &c.*

APHORISMUS LXIX.

Et quibus dejectiones, si stare permiseris, & non moveris, veluti strigmenta subsistunt: & si pauca sint, paucus est morbus: quòd si multa, multus: iis confert alvi purgatio; quòd si alvo non purgata dederis sorbitiones, quanto plures dederis, tanto magis nocebis.

SI quis unquam alius aphorismus, certè hìc non levem sui suspicionem præbet, fuisse ab alio, quam ab Hippocrate hìc interfertum, cùm præter nimiam prolixitatem, & verborum incompositionem, nil quidpiam novi, utilis, aut commendabilis in Arte contineat, ut propterea merito à Galeno, cæterisque Commentatoribus adjectitiùs reputetur. Et quidem, si strigmenta, seu ramenta in excretis, sive per urinam, sive per fæcès considerat, quę modica modicum morbum, vel potiùs modicam morbi causam, & multa copiosiorem significant, cur est, ut substantia, aut superstantia observanda proponat, illaque stare, non autem movere præcipiat? forte quia sub his conditionibus malitiam minuant, vel adaugeant, & morbum leviorem, vel deteriorem prænuncient? Planè si ab illorum præsentia, & copia, morbus gravior portenditur, parùm, vel nihil referet, si stare, vel moveri permiseris, atque ea, vel superstare, vel subsistere observentur; sed & neque consonat, quod pro curatione subiicitur, conferre his alvi purgationem, si præsertim strigmenta, aut ramenta intestinorum hìc notata intelligantur, quippe hæc nonnisi in ferina, ac protracta dysenteria com-

parere

parere solent, in qua alvi purgatio tuta non est, quæ cæteroqui à multitudine ramentorum valida, & copiosa desideraretur, ut illa penitùs depellerentur. Denique, quòd à sorbitionibus alvo non purgata majus damnum sit subsequuturum, jam dictum generaliori sermone 2. *aphoris. text.* 10. *Impura corpora quanto plus nutries, tanto magis lædes*; unde nil novi videtur hìc adjectum: quamvis & hoc suam quoque patiatur limitationem, ut ibidem, & alibi, à nobis est animadversum. Quin & Galenus in commentario scitè admonet, neque omnes ab hujusmodi sorbitionibus lædi, neque priùs eos purgare necessarium esse, atque adhuc minùs, quibus aliquid urinis infertum est, quod strigmenta referat; sed legatur idem Galenus.

APHORISMUS LXX.

Quibuscumque cruda infra deiiciuntur, atra bilis inest: si plura, major: si pauciora, minor est morbus.

ET hìc pariter aphorismus adjectitius creditur, quippe qui à plerisque Commentatoribus penitùs omissus, ab aliis inexpositus refer atur. Continet enim sententiam vel nunquam praxi respondentem, vel falsitatis ream. Si tamen unquam id expertum, aliam planè causam recognoscit cruditas excrementorum deorsum apparens, quàm atra bilis dejectio. De qua Nos alibi latiorem sermonem instituimus.

APHORISMUS LXXI.

Excreationes in febribus non intermittentibus lividæ, sanguineæ, biliosæ, & fœtidæ, omnes malæ. Cùm verò excernuntur, bonum est, & per ventrem, & per vesicam: & ubi aliquid secedens steterit non purgatum, malum.

APHORISMUS LXXII.

Corpora oportet ubi quis purgare voluerit, fluida facere; & si supra velis fluida facere, sistere alvum; si verò infrà, humectare.

APHORISMUS LXXIII.

Somnus, vigiliæ, utraque modum excedentia, morbus.

APHORISMUS LXXIV.

In febribus non intermittentibus si exteriora frigent, interiora utuntur, & febris habeat, lethale.

APHORISMUS LXXV.

In febre non intermittente, si labrum, aut nasus, aut oculus, aut supercilium pervertitur, si non videat, si non audiat, & jam debilis sit; quidquid horum fuerit, lethale est.

APHORISMUS LXXVI.

A pituita alba, aqua intercutem supervenit.

APHORISMUS LXXVII.

Ab alvi profluvio difficultas intestinorum.

APHORISMUS LXXVIII.

A difficultate intestinorum levitas intestinorum supervenit.

APHORISMUS LXXIX.

A corruptione, abscessus ossis.

APHORISMUS LXXX.

A sanguinis vomitu, tabes, & puris purgatio supra.

APHORISMUS LXXXI.

Qualia fuerint vesicæ, aut alvi excrementa, & ex carnibus, & sicubi alibi à Natura Corpus exierit, si parum, paucus est morbus; si multum, multus, si valdè multum, letbale est.

Reliqui isti X. Aphorismi hic adjecti alibi sparsim in aliis superioribus libris descripti inveniuntur, ibique pariter à nobis expositi, ut propterea opus non sit denuò, ac inutiliter illos repetere, ac explicare. Hinc clarum, ac manifestum est, librariorum, aut quorumvis aliorum opera, peractum, ut majorem fortassis in molem VII. hic liber excresceret; quòd ex his X. ultimis, satis superque patere possit. Quare hìc esto finis.

Cæterùm plurimas alias Hippocratis sententias, & quidem ad Rem Medicam utilissimas, nostris temporibus selegit accuratissimus Vir Jacobus Sponius, atque in unum volumen redegit, suisque commentationibus adeò illustravit, ut alius non egeant explanatione. Sub tit. Aphor. Novi.

APHO-

APHORISMUS
UNICUS, ET SINGULARIS, EX VIII. LIBRO DEPROMPTUS.

Quoscumque morbos medicamenta non sanant, ferrum sanat: quos ferrum non sanat, ignis sanat: quos verò ignis non sanat, hos sanari non posse putato; vel hos incurabiles existimari oportet.



T si Aphorismus hic in classem reliquorum redactus non inveniatur, sed inter aliquot alios VIII. libri relatus, proindeque adjectitius, & spurius simul cum iisdem creditus sit; placuit tamen nobis singulariter præ cæteris seligere, utpotè qui supra reliquos (sive Hippocrates, sive alius quispiam ejus Author sit) quiddam memorabile magis, magisque commendabile complectatur. Etenim, quæ hactenus ad morborum ferè omnium curationem explanata sunt, hoc unico, veluti per epitomen, admirabili sanè peroratione, videntur comprehensa, ut hinc saltem noscant Medici, per quæ rerum medicinalium genera vagari debeant, ut Therapejam universam expleant, & absolvant, quæque fortassis uno Remediorum genere mala cedere non observaverint, alio, aliove subigere adnitantur; quod primum, ac supremum est totius rei Medicæ opificium: Quòd si neque his morborum contumacia, ac nequitia subiiciatur, immedicabiles illi censendi sint, utpote Artis ministerio non subigibiles, & Naturam omnimodè impotentem, abjectamque arguentes. Et quamvis hic partem solummodò Medicinæ Chirurgicam amplexari, atque ad ejus classis morbos curandos pertinere videatur, cùm Ferrum, ac Ignis nonnisi in vulneribus, ulceribus, tumoribus, aliisque similibus, adhiberi soleant; si tamen res exactiùs pensitetur, ad universam Medicinam faciendam eundem spectare non incongruè existimabit, qui perpenderit cum Hippocrate omnem morbum ulcus esse, aut ulceris conditionem præseferre, sive præsens, aut imminens, sive apparens, ac conspicuum, sive latens, & inconspicuum illud sit. Accedit, quòd gravis sententia hæc ad plurimos, innumerosque ferè morbos valdè conducibilis est; quin & statuta per ipsum series, ac methodus applicabilium medicamentorum, adhuc ex Ferro, & Igne, ac igneis, & ignitis rebus, veluti extremis, summisque Medicinæ præsidiis, desumptorum, non poterit non esse plurimùm cunctis Medicis fructuosa.

Et quidem primò ex medicamentis extrinsecùs admotis, puta lituris, inunctionibus, cataplasmatibus, cerotis, emplastris, aliisque similibus; mox etiam ab interiùs assumptis, catharticis, tum vomitum, tum dejectionem moventibus; itemque diureticis, diaphoreticis, incidentibus, attenuantibus, aperientibus, dissolventibus, temperantibus, corrigentibus, roborantibus, cæterisque & tum

tum cephalicis, tum cardiacis, tum stomachicis, tum thoracicis, tum hystericis, idque genus aliis, plurimi, ac innumerabiles morbi tolluntur, ut ex praxi therapeutica, & pharmaceutica. Itemque Ferro tum simplici, tum candenti, diversimodè incidente, secante, terebrante, abradente, scalpente: ut in tumoribus, apostematibus, abscessibus, gangrenis, sphacelis, fracturis, contusionibus, &c. Tandem igne tum actuali, ut vocant, tum potentiali, igneis, ac ignitis rebus, & ignea vi ustionem, rubificationem, vesiculas, escharam, aliudve simile excitantibus; itemque thermis, hypocaustis, laconicis, tam naturalibus, quàm artificialibus, ex sulphure, mercurio, sale ammoniaco, camphora, gummi quocumque, ac spiritu vini, vel simplici, vel medicato, aliisque, ferè omnes humani corporis affectiones indiscriminatim abiguntur.

Sed posthabitis iis, quæ ad Medicamenta, & Ferrum attinet: de iis enim aliàs dictum; & aliunde

Ovid. 1. Metamorph. .... *immedicabile vulnus*
Ense recidendum est, ne pars sincera trahatur.

Profectò ignis in usum Medicum adhiberi solet, ac potest, leni, blandoque calore, ad rarefaciendam cutim solummodò, aut calore vehementiori ad attenuandum, dissolvendum, & sudorem promovendum, atque ad cutis, & partium subjectarum rubificationem; poros à propria figura immutando, humores substratos figendo, & cutim corrugando: itemque ad crustam ibidem, & escharam inducendam: ad ambustionem, & ulcerationem sive cutaneam solùm, sive etiam muscularem, ac profundiorem, ut in ustionibus.

Unde autem noster hic ignis tantam vim, atque supra reliqua omnia agentia naturalia insignem potentiam, & efficaciam nactus sit, ut cunctis primum dissolvens, summumque consumens esse dicatur; & unde ortum sumpserit, curiosum est quæsitum.

Et sanè crediderim ab incomparabili ignea Solis activitate originem sumpsisse, ut quemadmodùm æthereæ naturæ Sol est, ita quoque vis, & efficacia nostri ignis, qui ejus conditionem participat, longè præcellentior statuenda sit quacumque alia sublunaris cujusvis Agentis virtute, ut proinde quam vim, facultatemq; apud nos hic exerit, illam planè à Sole, Agente supremo, mutuatus est; eo quòd non aliunde ignem hunc nostratem apud homines invectum, excitatumque putare est, quàm à mutuata per Solis radios ignea communicatione; unde non absre fabulam Promethei ortam suspicari licet, de facula è Solis globo, Minervæ consilio, erepta, ut Mythologi commenti sunt, & Horat. 1. *Carmin.* cecinit:

Audax Japeti genus
Ignem fraude mala gentibus intulit.

Etenim Sol ingens, & vasta solidi, conglobatique Ignis moles est, ex tenuissimis, purissimis, atque summè mobilibus particulis compacta, quæ cùm circa proprium axem assiduè revolvatur, ac motu rapidissimo cieatur, prortereà fit, ut ignea in orbem spicula (æthereram simul, & aeream regionem sibi proximè attiguas, veluti per rectas lineas, commovendo, & agitando) quæ radios appellamus, quaquaversum videatur ejaculari, communicata intereà Orbi universo, calefaciendi, urendi, atque illuminandi virtute. Cùmque Aer nobis circumfluus modò crassior, & opacior, modò tenujor, ac pu-

purior, pro varietate halituum, & vaporum per ipsum intersperforum, fieri soleat; proinde etiam evenit, ut calor in terris urgentior, intensiorque quandoque persentiatur; aliquando verò ab eorundem crassitie, constipationeque plurimùm infringatur, & hebetetur, & prout directè, reflexè, vel refractè radii ipsi in terram incidunt. Atque hinc etiam fit, cur radii solares, quò Sol ipse vertici nostro proximiùs accedit, potentiores, efficacioresq; persentiantur, quoniam tunc perpendiculariter ferè incidentes, recta penè quoque reflectuntur, atque pluribus, & geminatis irradiationibus aerem alterant, & calefaciunt, attenuatis simul unà discussisque magis vaporibus per illum dispersis, Quamquam & in hoc considerabilis plurimùm est Terræ habitabilis varia habitudo: nam campestria loca, ad Meridiem, & Austrum exposita, sulphureis, aut aluminosis mineris referta, longè calidiora observantur; contrà verò montana, aut ad Boream posita, etiamsi illa intra Zonam temperatam jaceant. Sic apud nos, ad oras Amalphis, & Surrenti sitæ urbes, & oppida inter montes, ingens, & intolerabile frigus subeunt, adhuc Æstate media, cùm aliarum in plano sitarum urbium incolæ æstum exurentissimum patiuntur.

Igneum autem globum esse Solem testantur quoq; plurimi Veterum SS. Patrum, quos recollegit P. Scheinerus, cohæretque Sacer textus *Ecclesiast. cap.* 43. ubi dicitur: *Vas admirabile* (quod Sol est) *opus Excelsi, in meridiano exurit terram, fornacem custodiens in operibus ardoris*: & in sacris hymnis canit Orthodoxa, & Catholica Ecclesia. (In Ros. Urs.)

Jam Sol recedit igneus.

Et alibi:

Quarto die, qui flammeam
Dum Solis accendis rotam.

Idipsum ostendunt apertissimè specula ustoria, per quæ radii Solis, quò plures, & confertiores diffunduntur, eò quoque ustiones in rebus accidunt citiores, vehementioresque, immò & in longius, remotiusque spatium pro ratione, & pro figurarum, seu sectionum conicarum, si quæ fiant, varietate.

Ab igneo igitur Solaris corporis globo ignem nostrum culinarem mutuatum fateri oportet; nam cùm non aliunde constet in usum hominum ignem hunc ad nos venisse; proculdubiò inficiari nemo poterit illum à Sole profectum; idque mea sententia putandum, quod Prometheo fabulosè tributum, Adamo primo hominum parenti adscribendum esse, qui cùm rerum omnium naturalium scientia à Deo conditore fuisset instructus adeòque omniscius factus, atque ex Sacris literis aliunde pateat, adusque illa priora tempora Sacrificia succensa, & immolata fuisse, ut à Caino, & Abele aliàm inter Mundi primordia satis constat; proinde credere decet, tunc etiam Terris in usum hominum Ignem invectum: & quidem, vel beneficio eorumdem Solarium radiorum, per confrictum ferularum, aliorumve lignorum Sole exarefactorum, ut ex hedera, & lauro vehementer affrictis; itemque ex silicibus attritis, potissimùm sulphure, aut bitumine oblitis experimur; vel spontanea semisiccatarum plantarum, & herbarum præsertim capillarium, simul congestarum fermentatione; vel ex fimo putri, & excalefacto, potissimùm columbino, quo Galenus 3. *de Temperam. cap.* 2. ligneam fenestram nuper resina illitam, mox etiam domum integram succensam fuisse testatur;

(Ignis à Sole ex Terra est: unde Vestalis ignis; nã Terra Vesta vocatur. Ovid.)

ftatur; vel Calcis, Nitri, Sulfuris, Bituminis, cæterorumque foffilium miftura, quæ multoties fponte fua Ignem concipiunt; ut in Ætna, ac Vefevo monte; aut alio fimili artificio huc ufque nobis ignoto: nam quod ope chalybis, & filicis paffim peragitur, non tam vetuftum inventum eft à Pyrode Cilicis filio, ex teftimonio Plinii, & Polydori Virgilii; idque exiftimaverim cafu potiùs ab attritu vehementi filicis, five lapidis illius, qui pyrites Græcis appellatur, aliufve fimilis, cum ferro aliove denfo, fortique metallo, quorum fanè ufus per priora illa Mundi Caini, & Abelis tempora nondum innotuerat.

De Inventor. Rer. lib. 2. cap 19. ex Plin. l 7. cap. 56. V. etiam Cæl. Rhodig. l. 15. cap. 15. & 16.

Si ergo nofter ignis igneam Solis naturam præferre videtur, nil mirum, fi deinde vires in nobis exerat, velut ille, validiffimas, maximèque fupra reliqua omnia præpotentes: is quippe & calefacit, & attenuat, & fcindit, & diffolvit, confumitque quidquid eidem objectatur: cùm ex Platone particulis conftet valdè tenuibus, mobilibus, ac pyramidum figuram referentibus, quibus veluti tot cuneis moleculas corporum adhuc denfiffimas diffecat, incidit, divellit, disjungit, atque minimas partes atterit, & extenuat. Accedit, quòd in Igne vis præpotentiffima acidi diffolventis viget, cujus virtute urit fimul, & urendo conftipat, cruftamque inducit, necnon incidendo dilaniat, ac difcerpit, cùm nimirùm proximè, ac immediatè partibus admovetur; in reliquis verò, vires fuas exerit pro ratione diftantiæ majoris, vel minoris, & prout aerem circumftantem magis, minufve alterat, fuifque particulis afficit, & five vapore, five halitu diffunditur, aut tenujoribus, craffioribus, denfioribus, vel rarioribus corporibus commifcetur, ut ex praxi ipfa clariffimè patet. Quòd fi non igne, & igneis particulis, fed medicamentis, five fimplicibus, five compofitis, igneam conditionem, ac vim participantibus, utamur, ardorem, ruborem, veficulas, plagas, idque genus alia partibus inferre folemus; quin & vaporibus, ac halitibus, in conclufo præfertim aere exceptis, attenuationes, rarefactiones, fudores, pro re nata excitamus.

V. Oth. Tachen. cl. Hipp.

Atque hinc ignis juvamento effe folet ad abfumendam quamcumque ex aere malitiam, ut in peftilentiis, qua ratione Hippocrates à pefte Græciam præfervaffe traditur; quin & in morbofis caufis coagulare valentibus, ufus fuit inuftionibus, & ignitis auxiliis, præfertim in morbis à materia craffa, lenta, & frigefaciente, itemque ad plagas putridas, fordidas, liventes, ac malignas. Sed & præfentaneum præfidium eft ad puftulas, & bubones, abfceffus, anthraces, furunculos, parotidas; ad tumores omnes ex frigidis, terreftribufque humoribus progenitos: ad hydropem, & empyema, ad ambufta, & membra mortificata, ac fphacelata, ad fiftendum, cohibendumque fanguinem, ad membra amputata, & refciffa, ad fiftulas callofas, ad paralyfim, & ifchiadem, verrucas, condylomata, varices, hæmorrhoides, exoftofes, dolores articulorùm, luem Veneream, ad ægritudines ftupore, ac narcofi afficientes, ad morfus venenatorum animalium, atque ad ictus ex venenatis inftrumentis inflictos, cæterafque innumerabiles ægritudines, quarum feriem (ut erat in animo) figillatim referre

non gravarer, niſi ab aliis jam actum foret. Cùm autem præ cæteris de his latè nimis nuperrimè egerit noſter Marcus Aurelius Severinus *lib. de efficaci medic. p. 3.* & ex pluribus graviſſimis Authoribus, ſingulorum morborum per ignea præſidia curationes retulerit, ac examinaverit: id quod etiam multò anteà inſinuaverat Joannes Coſtæus Primarius Medicinæ Profeſſor apud Bononienſes, peculiari tractatu, cui titulum fecit *de Igneis Medicinæ præſidiis*; idcircò, ne ab aliis actum agam, ab illis deſcribendis, & enarrandis ſuperſedeo, cùm eos adire poſſit, qui velit, contentus ipſe hæc breviter tantummodò memoraſſe.

FINIS.

INDEX

INDEX
RERUM NOTABILIUM.

Apo-

Car-

Hæmor-

I

Inte-

N

O

Odoræ

P

Q

R

S

San-

T

Tabi-

V

FINIS.

LUCÆ TOZZI NEAPOLITANI

In Librum Artis Medicinalis GALENI

ΠΑΡΑΦΡΑΣΤΙΚΗ ΑΝΑΚΕΦΑΛΑΙΩΣΙΣ

IN QUA

UNIVERSA MEDICINA, ETIAM CHIRURGICA, in ſuos Canones diſtributa, & juxtà Veterum, ac Recentiorum inventa, quàm dilucidè enucleata continetur.

Huic adjectum eſt Practicum Opuſculum

DE RECTO USU SEX RERUM NONNATURALIUM,

cunctis Rei Medicæ Profeſſoribus perutile ſimul, & neceſſarium.

TOMUS QUINTUS.



PATAVII, Ex Typographia Seminarii M. DCC. XI.
Apud Joannem Manfrè.
Superiorum Permiſſu, ac Privilegio.

TYPOGRAPHUS
LECTORI CANDIDO.



Uamplurimi fortassè erunt qui Libri hujus vix titulo inspecto, ex eo solùm quod Galeni nomen præseferat, illum tanquàm inutilem, & tantumnon perniciosum, prorsùs rejiciendum esse existiment. Eò enim juniorum mentes incessit novarum rerum, præsertim in Medicina, cupido, ut quidquid novitatem non sapiat, inter inepta vulgò reponatur, & vetustiora omnia Antiquorum virorum monumenta, tanquam rancida, frivola, & nullius frugis, subsannatione, & risu excipiantur. Verùm quamvis non inficier innumera esse in Recentiorum Medecina præclarissima inventa; haud tamen negari potest non pauca quoque legi apud Veteres ejusdem Artis Professores, admiratione maximè digna, quæque ipsis Neotericis facem veluti prætulisse videantur. Unus sanè sufficeret apud Medicos accuratissimus, isque antiquissimus Practicus Hippocrates, cujus Aphoristicas sententias per tot retrò secula receptas, & ratio ipsa, & quotidiana experientia solidissimas esse luculentissimè confirmavit. Sed & in Galeno ipso ii, quos novitatis nimium studium transversos non egerit, permulta sanè, quibus erudito Medico carere non liceat, certocertiùs admirabuntur. Quum itaque Clarissimus Vir Lucas Tozzi, ut antiquissimo inclytæ hujus Neapolitanæ Accademiæ instituto obtemperaret, in Hippocratis Aphorismos, atque Galeni Artem Medicam locupletissima Commentaria digessisset, eaque multis ab hinc annis frequentissimos auditores, qui undique ad illum confluebant, publicè docuisset; (a) ope-

a 2 ræ

(*) Ab usq; Anno 1680.

ræ pretium se facturum esse existimavit, si eadem exactiori lima perpolita typis traderet, atque Reipublicæ Medicæ perlegenda communicaret: Præsertim quum non solùm inter horum Authorum monumenta selectiores, atque inconcussas doctrinas excerpserit, verùm etiam illorum asserta Recentiorum Medicorum inventis, & saniori Philosophiæ semper accommodaverit. Hoc consilio septendecim ferè ab hinc annis in priores quatuor Aphorismorum Hippocratis Libros Commentarios publici juris fecit, reliquos successivè editurus, nisi ab INNOCENTIO XII. Pontif. Max. à cubiculo Medicus Romam accitus fuisset, atque eo in extrema senectute è vivis sublato, Hispaniam versus, rigidissima hyeme, pro CAROLI II. reparanda salute quàm citissimè iter arripuisset. At quum in Italiæ finibus pientissimi Regis præmaturum obitum, Europæ universæ funestissimum, accepisset, de reditu consilium cœpit: quare post tot exantlatos labores domum tandem concessit, ut in suorum, amicorumque complexu lætam, pacatamque senectutem traduceret. Itaque non solùm in tres reliquos Aphorismorum Libros Commentaria, ut datam fidem liberaret, edidit; sed etiam Interpretationem, quam Paraphrasticam Anacephalæosin appellat, in Galeni Artem Medicam Medicorum manibus nunc tandem tradendam cogitavit. Hæc igitur manuscripta cum blattis, & tineis pugnantia nactus emendavit, auxit, atque in concinniorem formam redegit: scilicet ut quæ fortassè in Galeno sunt effœta, excucca, & prorsùs insipida, tot condimentorum suavitate præparata, gratissimum saporem etiam nauseabundis stomachis afferre possint. Fruere igitur, Lector Candide, celeberrimi Operis omnibus numeris absoluta Interpretatione: quòd si Operis Author ad captandum impotentem animum nullas habet illecebras; Authoris Paraphrastes non pelliciet modò, sed trahet. Vale.

G A L E N U S.

Anagr. pur.

A N G E L U S.

D I S T I C H O N.

GALENUS nomen præfert, mihi crede, verendum

ANGELUS, inverso nomine, nomen erit.

IN LAUDEM AUTHORIS.

Ob ſuam Illuſtrem, atque elegantem Paraphraſim, & Additionem ad ARTEM MEDICAM Galeni.

OCTASTICHON.

Luca, Galeni MEDICÆ quod deficit ARTI,
Arte, & Natura ſufficis ipſe tua.
Iliadem Medicam nucis arcto in cortice claudis.
Atque nova illuſtras Iliade Iliadem.
ANGELUS, & GALENUS, idem eſt. Hunc inſtruis. Ergò
Angelicum ſuperas ingenio ingenium.
Ille priùs te informavit: Nunc perficis illum.
Sic Ars Galeni vincitur Arte ſua.

Amicus Addictiſſimus
Franciſcus Coccioli.

EJUSDEM.

DISTICHON.

Arti Galeni Medicæ ſi cætera deſint,
Luce tua LUCA, luceat; hoc ſatis eſt.

NOI REFORMATORI

Dello Studio di Padoa.

HAvendo veduto per la Fede di Reviſione, & Approbatione del P. Fr. Ambroſio Liſotti Inquiſitore di Padoa nel Libro intitolato *Lucæ Tozzi Neapolitani in Librum Artis Medicinalis Galeni* non v' eſſer cos' alcuna contro la Santa Fede Cattolica, & parimente per Atteſtato del Segretario Noſtro; niente contro Prencipi, & buoni coſtumi, concedemo Licenza à Zuanne Manfrè Stampatore, che poſſi eſſer ſtampato, oſſervando gl' ordini in materia di Stampe, & preſéntando le ſolite copie alle Publiche Librarie di Venetia, & di Padoa.

Dat. 16. Aprile 1710.

(*Carlo Ruzini K. Proc. Refor.*
(
(*Alviſe Piſani K. Refor.*

Agoſtino Gadaldini Segr.

IN LIBRUM ARTIS MEDICINALIS GALENI

PROŒMIUM.

HÆrebit statim aliquis in ipso primo limine Tituli, & dolenter secum immurmurans, simul unà demirabitur, quàm malè tempus insumamus in Re pervetusta nimis, & plurimum rancida; quàmque inutiliter opera, ac studio abutamur, nostra hac præsertim ætate, in exponenda Arte Medicinali Galeni, quam ipse, vel Senex, & obliviosus, vel Ephebus, inexpertus, & ineruditus, tumultuariè, ac minùs physicè *compilavit. At sileat is, quicumque sit, nec audeat talia comminisci, aut de Galeni diligentia, ac sedulitate tam perperam opinari. Equidem in hoc Opere universam ille Medicinam, Methodo sanè compendiaria, faciliqué, accuratissimè contractam, ob oculos Tyronibus exhibuit, atque Sanitatis, Morbique Naturam, & Differentias; itemque Signa, & Causas, quemcumque statum Corporis Humani Conservantes, Præservantes, Curantes, cum congruenti Auxiliorum. Syntaxi, exactissimè retulit, & disertissimè examinavit; ut proinde nemo se Medicum haberi posse credat, nec quidquam aliqua laude dignum, in Medicina facienda, consequi posse speret, qui non omnem operam in hujus Operis lucubrationem impenderit. Neque verò, pro mea virili deerit, quin omni ex parte sim Vobis gratificaturus, curiosiora seligendo, minùsque in Scholis hucusque memorata, prout occasio tulerit, declarando, atque ad Praxim Medicam conferentiora, ex Recentiorum inventis, suo cuique loco adaptata, copulando, ac denique vetustiora, & infructifera, in meliorem frugem convertendo, logicalibus quæstiunculis resectis, atque omissis. Satagite igitur, Jatrophili studiosissimi, quibus scilicet Medicina ritè perdiscenda cordi est: Certè his allaborasse non pigebit.*

Antequam autem Rem ipsam attingamus, haud inutile existimavi, nonnulla breviter præmittere, veluti totius Operis Prolegomena.

Inscribitur opus hoc in Græcis exemplaribus Τέχνη ἰατρική, *id-est, Ars Medicinalis: Ab Arabibus verò, & Latino-barbaris, deducto pariter à Græcis nomine, appellatur* Μικροτεχνή, *seu Ars Parva, eò quòd Universa Medicina, veluti per Epitomen, in hoc opere sit contracta.*

Ejus Authbor Claudius Galenus est, natione Græco-Asiaticus, patria Pergamenus, (a) qui acri ingenio præditus, & in cunctis naturalibus Disciplinis versatissimus, in philosophando nulli addictus, sed in omnibus liber fuit. Hanc autem libertatem sparsim in suis operibus profitetur, adeò ut nulli sectæ inhærens, omnes Antiquiores impugnaverit. Sic Platoni, Aristoteli, Chrysippo, Erasistrato, Archigeni, Asclepiadi, Thessalo, aliisque infinities contradicit; imò neque ipsi Hippocrati, quem cæteroqui summoperè veneratur, uspiam parcit. Adversus sectarios insuper vehementer invehitur, eosque vocat servos, & libertinos, atque ejuscemodi doctrinam Tyrannicam, & confusionis plenam: quamobrem, 8. de compos. Medicam. per loca, *sub initio habet*: Quod semper dico, etiam nunc proloquar, nimirum persuasum me habere, quòd difficillimum sit ad veritatem revocare eos, qui sectæ alicujus servituti se addixerunt: etenim falsæ opiniones, animos Hominum præoccupantes, non solùm surdos, sed & cæcos faciunt, itaut videre nequeant, quæ aliis conspicuè apparent. *Et* 6. epidem. comm. 2. t. 25. Neque in Hippocratis solùm scriptis, sed & in aliis omnibus Antiquorum libris observo, ut non temerè quæ quisque ipsorum dixerit, approbem; sed experientia, & ratione, verum ne, an falsum sit, quod scripserunt, examino. *Se liberum quoque profitetur* lib. 2. de Simplicibus, *& veritatem omnibus rebus prætulisse ait. Idem etiam confirmat* lib. de libris propriis 2. Meth. cap. 5. 3. de loc. affect. cap. 2. *& alibi pluries. Attamen jactabundus aliquando gloriatur, se posse ex tempore, pro re nata, de quacumque Secta dicere, nec rationum penuria posse convinci, ut præsertim fatetur* cit. lib.

(a) Qui Galeni Vitam fusè descriptam desiderat, legat illam præ cæteris per Jo: Martinum Eustachium Gambatensanum Medicum collectam, & editam Neap. 1577.

lib. 3. de loc. aff. cap. 2., *ubi hæc habet*: Ego verò reipsa, & publicè, & privatim, apud eos videlicet, qui Sectam quamlibet à me discere cupiebant, ostendi in omnium Sectarum scientia (ne majus quidquam dixero) me esse posthabendum nemini: Quòd si uni Sectarum patrocinium ferre velim, quamvis ex tempore, ac pro re nata dicendum fuerit, haud tamen facilè ab aliquo convinci me rationum penuria patiar. *Se quoque in omni secta instructum, non solùm* citato loco, *sed alibi pluries confitetur*, *potissimùm verò* lib. de sectis ad eos, qui introducuntur, lib. de opt. sect. ad Thrasybulum, *&* lib. de Plenitudine cap. 9. *&* lib. 8. Meth. cap. 3.; *quin imò de his multa volumina se composuisse testatur* lib. de libris propriis. *Hinc discant veri Galeni Sectatores, quomodò in Rebus Medicis se gerant.*

Num autem prima, vel ultima vitæ suæ ætate, Librum hunc conscripserit, controverti solet. Et quamvis aliquibus visum sit fuisse illum, cum primùm Rei Medicæ ipse operam navaret, adeoque in Juventute compositum; verisimilius tamen est, ab eodem jam Sene, fuisse memoriæ gratia, compilatum. Cum enim senes immemores evadant eorum, quæ per anteriores ætates didicere, consultum proinde visum Galeno fuit, per id temporis compendiariam Medicinam describere, ut faciliùs secundùm capita eorum, quæ alibi fusissimè edocuerat, recordaretur. Ni quoque dicere velimus, hunc Librum in gratiam potiùs Tyronum fuisse ab eodem jam Sene, & post alia numerosiora volumina editum, ut nimirum veluti Prodromus ad penitiora Medicæ facultatis penetralia subeunda, & faciliùs perlustranda deserviret. (a)

Unicus hic Liber est, sed ab Interpretibus, atque Expositoribus potissimùm à Turisano, in tres, non incongrua divisione, dissectus est. Siquidem in primo Corpora Salubria, Insalubria, & Neutra in suis differentiis explicantur. In secundo, Signa ad eadem internoscenda referuntur. In Tertio demum, Causæ, tum Salubria Corpora conservantes, tum Neutra præservantes, vel in meliorem Statum reducentes, tum denique Insalubria, seu Morbòsa curantes, latissimè enarrantur; cùm Salubre, Insalubre, & Neutrum, de Corpore, de Signo, & de Causa dici possit, ut ex Logicis deducitur.

(a) In fine hujus Operis recenset Galenus, quæ ante istius libri lectionem prænosci debeant, unde videtur hic in ultima ætate compositus.

Hinc nedum Tyronibus , sed & in Re Medica diù exercitatis , magnò usui , maximoque emolumento esse , Commentaria super eos tradere , cunctis bonarum literarum Academiis hucusque creditum est : & gravissimi sanè Doctores in eisdem exponendis insudarunt , cùm exinde Universa Medicina , tum Theoretica , tum Practica enucleata recolligatur . His ergo prælibatis , singula nunc singulorum librorum Capita percurramus , sua cuique adjecta Paraphrasi , Leoniceni versionem prosequentes .

LU-

LUCÆ TOZZI IN ARTEM MEDICINALEM GALENI

ΠΑΡΑΦΡΑΣΤΙΚΗ' Α'ΝΑΚΕΦΑΛΑΕ'ΩΣΙΣ.

LIBER PRIMUS.

CAP. I.

Quot numero Doctrinæ, ac de Definitivæ dignitate.

TEXTUS.

Tex.1. Res sunt omnes Doctrinæ, quæ ordini inhærent. (T.2.) Prima quidem ex notione finis, quæ per resolutionem fit: Secunda ex compositione constat eorum, quæ ex resolutione fuerunt inventa: Tertia ex definitionis dissolutione, cui nunc incumbimus. (T.3.) Licet autem hujuscemodi doctrinam appellare, non tantùm definitionis dissolutionem, sed & explicationem, ut nonnulli vocarunt, vel resolutionem, vel divisionem, vel (ut nonnulli alii) explanationem, vel expositionem, ut alii. (T.4.) Conati sunt & Herophiliorum quidam talem facere doctrinam, quemadmodum Heraclides Erythræus: Conati sunt, & eam, quæ per compositionem & ipsi Herophilii, & quidam Erasistrati sectatores, & Athenæus Attaleus. Neminem tamen ante nos eam, quæ oritur à notione finis, scripsisse comperimus, ex qua omnes artes via quadam, atque ordine, constituuntur: sed illam quidem alio pertractavimus loco. (T.5.) Hìc verò Definitivam faciemus doctrinam, quæ quantum ab ea, quæ ex resolutione consistit, & dignitate, & ipso docendi ordine linquitur; tantum & ad totius compendium, & ad singulorum memoriam præstare invenietur: sufficienter enim facillimè memoriæ commendantur ex Definitionis dissolutione universa; quoniam totius Artis capita in se optima Definitio complectitur; quam quidam substantialem vocant, ex adverso distinguentes aliis, quæ notionales appellantur; illæ siquidem ab his, quæ accidunt rebus definitis, hæ verò ab ipsa essentia constituuntur. (T.6.) Elaborata autem est à nobis particulatim, & in pluribus conscripta tractatibus totius Medicinæ contemplatio, quibus uti quis possit ad triplicem doctrinam. Nunc verò Definitivam aggrediemur, hoc unum apponentes, quòd solùm Capita, & quædam veluti Conclusiones eorum, quæ alibi latiùs sunt demonstrata, nunc à nobis dicentur.

PARAPHRASIS.

SEx capita priori huic Libro attribuuntur. Et in primo quidem totius Operis proœmium continetur, quo Galenus Doctrinarum ordine procedentium numerum Trinum esse ait, illasque mox enumerans, subdit: Primam esse ex notione finis, quæ per Resolutionem fit: Secundam ex Compositione eorum, quæ ex resolutione fuerunt inventa: Tertiam ex Definitionis explicatione, ejusque membrorum dissolutione; atque huic tanquam reliquis compendiosiori, & ad singulorum memoriam maximè conferenti in præsentiarum incumbere pollicetur. Pro tribus autem Doctrinis, tres Methodos intelligit, quibus tradi, addiscique solent universæ disciplinæ, quarum prima Resolutiva, græcè Analytica appellatur, atque in ea, supposita finis notione, inquiruntur simul, & declarantur ea, quæ ad finem ipsum consequendum requiruntur. Qua methodo usus est idem Galenus *lib. de Constit. Artis Medicæ*, ubi præsupposita notione finis Medicinæ, qui est Sanitas, ea deinde inquirit, quæ ad Sanitatem consequendam sunt necessaria. Secunda Methodus vocatur Compositiva, græcè Synthetica, & hæc opposito procedit ordine; nam quemadmodum (inquit hoc loco Manardus) Resolvere est à Compositis ad Simplicia ire, ità Componere est à Simplicibus, retrogradò gressu, ad Composita ferri: Quam Compositivam Methodum servavit Aristoteles in tradenda Naturali Philosophia; siquidem à primis, & simplicibus Principiis ad principiata, & composita procedit, ut in suis Libris de Physico Auditu. Tertia Methodus Definitiva nuncupatur, græcè Horistica, atque hæc ex Definitionis in sua membra dissolutione, sive particularum Definitionem constituentium explicatione, divisioneque, eousque procedit, ut tandem perveniat in totius rei propositæ cognitionem.

Cùm præterea singulas Disciplinarum Methodos, ex tribus enarratis doctrinis declarasset, subdit, Definitiva ante ipsum usos esse Herophiliorum nonnullos, ideſt Herophili sectatores, inter quos potissimùm Heraclides Erythræus. Compositivam verò fuisse aggressos ipsos etiam Herophilios, & quosdam ex Erasistrateis, atque Athenæum Attaleum, qui Princeps fuit eorum Sectæ, qui Pneumatici vocabantur, eò quòd universa pulsibus contingentia ad Spirituum plenitudinem, aut vacuitatem retulerint, quorum meminit idem Galenus 4. *de differ. Pulsuum cap.* 14. Nullum autem ante ipsum, Medicinam, per Methodum Resolutivam, quæ oritur ex notione Finis, scripsisse concludit, *tex.* 4.

Jam nunc Definitiva Methodo se usurum pollicetur, ea motus ratione, quam textu 5. affert, quoniam tametsi Definitiva Methodus à Resolutiva dignitate superetur, cum ex doctrina Platonis *in Philebo*, is, qui benè scit dividere, seu resolvere, similis sit Deo, & Divisio ab aliquo Numine inventa sit: cui subscribens idem Galenus 1. *de Arte Cur. ad Glauc. cap.* 1. Veteres inquit Medicos ob Methodi Divisivæ inscitiam turpiter in errores incidisse; (a) illam tamen longè admodum brevitate præcellit, atque ad singulorum memoriam, superat: siquidem Definitiva Methodus ad totius Medicinæ comprehensionem, particulariumque recordationem valde commendabilior est, & ut ipse inquit, *totius Artis capita optima Definitio* (sive Essentialis sit, sive etiam Expositi-

(a) *Laudat in hoc Galenus Mnesitheum Atheniensem, atque ob id nemini peritia secundum vocat, eod. loco.*

ſitiva, ut vult Turiſanus) *in ſe complectitur*. Hinc rectè concludit Vallesius, Methodum Reſolutivam, ad inveniendum, Compoſitivam, ad docendum, & Definitivam, ad memorandum eſſe optimam.

Claudit poſtremò Procemium, primumque Caput Galenus, inquiens, fuſiores tractatus Medicinæ, atque elaboratam, elucubratamque ejus contemplationem in aliis ſuis Operibus abſolviſſe; hìc verò ſolùm Capita, & quaſdam veluti Concluſiones eorum omnium, quæ alibi latiùs demonſtrata fuere, referre velle. Et hactenus de primo Capite.

CAPUT II.

Quid ſit Medicina.

TEXTUS.

(T.7.) *MEdicina eſt Scientia Salubrium, & Inſalubrium, & Neutrorum. Nihil verò differt, & ſi quis loco inſalubrium, ægrorum dixerit.* (T.8.) *Nomen verò ſcientiæ communiùs, non autem propriè accipere oportet.* (T.9.) *Salubre autem, & Inſalubre, & Neutrum, unumquodque tripliciter dicitur: hoc quidem ut Corpus, hoc autem ut Cauſa, hoc verò ut Signum. Etenim Corpus, quod ſanitatem natura ſuſcipere aptum eſt, & Cauſam, quæ eamdem efficere, vel conſervare, & Signum, quod poteſt indicare: hæc omnia Salubria Græci appellaverunt. Eadem ratione & ſuſceptiva morborum Corpora, & eoſdem efficientes, conſervanteſque Cauſas, & Signa indicantia, Inſalubria vocant: Nec aliter Corpora Neutra, Cauſas, Signave dixerunt.* (T. 10.) *Et ſecundùm quidem primam rationem, atque præcipuam Cauſarum ſalubrium, eſt Medicina Scientia, propter eas autem, & aliarum ſecundo quidem loco inſalubrium, & tertio neutrarum. Et poſt has eodem modo Corporum primo quidem, & hic ſalubrium: ſecundo loco inſalubrium: tertio neutrorum. Itidem de Signis dicendum. In actionibus autem prima quidem eſt Corporum cognitio, quæ habetur ex Signis, poſt hæc earum, quæ in ipſis ſunt, inventio Cauſarum.*

PARAPHRASIS.

CUm in tradenda Medicina Definitivam Methodum ſervaturum ſe Galenus antecedenti Capite ſpopondiſſet, nunc ut ſtaret promiſſis, Medicinæ Definitionem aſſignans, inquit: *Medicina eſt Scientia Salubrium, Inſalubrium, & Neutrorum*. Quæ Definitio, ſive ipſius Galeni ſit, ſive potiùs Herophili, ut refert idem Galenus tum *libro Introductorii cap.* 6. (a), tum *libro de Sectis cap.* 1., tum demum 6. *de ſan. tuend. cap.* 2. videtur tradita per Genus, & Differentiam; unde teſte eodem *c. libro Introduct.* cunctis ferè poſt Hippocratem proba viſa eſt. Genus enim continetur ſub *Scientia*, quoniam per hoc convenit Medicina cum reliquis Scientiis, ſeu Diſciplinis. Differentia verò deſignatur ſub verbis illis: *Salubrium, Inſalubrium, & Neutrorum*, quorum conſideratio ad ſolam Medicinam pertinet.

Verùm ex hac Definitione tres majoris momenti difficultates emergunt enucleandæ. Prima proponitur à Cardano *lib.* 1. *Medicar. Contradict. tract.* 1. *contrad.* 4., nimirum ratione Galenus in hujus Operis titulo [illegible] dixerit Medicinam, hoc autem Capite eamdem Scientiam definierit. At ab eodem Cardano ſolvitur:

 quia

(a) *Licèt hic falsò Galeno adſcribatur.*

quia Titulus à majori; Definitio verò à præstantiori parte desumitur: Constat autem Medicam Disciplinam secundùm majorem sui partem Practicam esse; Unde motus etiam Hippocrates 1. *aphor.* 1. Artem longam illam appellavit. Secunda difficultas ab Expositoribus proponitur super hoc textu, præsertim autem à Manardo, Sclano, & Vallesio, eaque est, quòd Galenus videatur sibi ipsi contradicere: vix enim dixerat, Medicinam esse Scientiam, cùm deinde statim subdat, Scientiæ nomen, non propriè, sed communiter accipere oportere. Cui difficultati (omissis aliorum responsionibus) congruenter respondet Sanctacrucius *Opusc. de Natura Medicinæ cap.* 2., quòd Medicina non propriè Scientia dicatur, comparata Naturali Philosophiæ, cùm quodammodò per experientias, & singularium observationes perficiatur, reductis universalibus Principiis ad particularia; quin universa Medicina complectitur duas partes, Theoricam scilicet, & Practicam; unde licèt secundùm partem Theoricam verissima Scientia dici possit, secundùm partem Practicam tamen à puritate scientifica declinat: quamobrem non propriè Scientiam Galenus eum intelligi oportere dixit: atque hinc Aristoteles 3. *Cæli t.* 61. omnes Artes, Scientias vocat effectivas. Tertia difficultas proponitur ab Averroe 1. & 6. *Collect. cap.* 1., quòd assignata Definitio minimè congruat Medicinæ, cùm careat Differentia; quippe consideratio Salubrium, Insalubrium, & Neutrorum ad Naturalem Philosophum, non ad Medicum pertineat. Sed eidem occurrit idem Sanctacrucius *eodem opusc. cap.* 3. quòd Philosophus consideret quidem sanitatem in abstracto, Medicus verò, ut naturalem passionem Corporis humani, vel conservandam, vel restaurandam.

Post traditam Medicinæ Definitionem prosequitur Galenus propostæ Definitionis membra in alias, & alias partes, divisionis ope, discindere: aitque Salubre, Insalubre, & Neutrum, quæ tres erant partes Herophileæ Definitionis, alia in membra dissecari; atque unumquodque eorum trifariam intelligi, videlicet de Corpore, de Signo, & de Causa, adeout in universum novem Capita resultent, Corpus nempe Salubre, Insalubre, & Neutrum: Signum Salubre, Insalubre, & Neutrum: Causa Salubris, Insalubris, & Neutra; cum hoc tamen discrimine, quòd Corpus dicatur Salubre, quia Sanitatem natura suscipere aptum est: Salubre Signum, quòd ejusdem Sanitatis sit indicativum: Salubris demum Causa, quòd eandem efficere, vel conservare valeat: Eademque ratione Insalubritas, & Neutralitas, alio modo de Corpore, alio de Signo, & alio de Causa prædicentur: de Corpore, ut susceptivo: de Signo, ut indicante, seu indicativo: & de Causa, ut Effectiva, vel Custoditiva. Hinc, ut notat Sclanus *hoc loco*, allata divisio Salubris, Insalubris, & Neutrius, in Corpus, Signum, & Causam, est Analogi in sua significata, cùm Salubre, Insalubre, & Neutrum analogicè de Corpore, Causa, & Signo prædicentur; quia non dicuntur de uno, sed ad unum, per attributionem, nempe ad Corpus, quod est principale Analogatum, cùm ipsum propriè dicatur salubre; Causa verò, & Signum, salubria vocentur, quatenus Salubritatem in Corpore efficiendi, demonstrandique vim habeant. (a) Verum hæc ad Logicos demandentur.

Horum autem tractandorum ordinem ità statuit: in prima quidem ratione, seu in

(a) *Salubre se habet ut Bonum, quod prædicatur de omni ente ex Arist.* 5. *metaph.; & Gal. etiam salubre, insalubre, & neutrum æquivocè prædicari de his ait.*

in intentione, locum primum esse Causarum, secundum Corporum, tertium Signorum; in actione verò, seu exequutione, primum locum esse Corporum, quæ nosci debent, deinde Signorum, quibus illa dignoscuntur, ultimum locum esse Causarum, seu Remediorum inveniendorum, quorum ope illa conservantur, vel reficiuntur; idque juxta commune effatum Philosophorum: *Quod est primum in intentione, est ultimum in exequutione*. Atque hic ordo servandus proponitur à Galeno in hoc Opere, ut superiùs est notatum. Quæ verò hìc ab Expositoribus disceptantur de mente Galeni, quid voluerit per *primam rationem*, & quid per *actionem*, seu *exequutionem* intelligere, cùm supervacanea, & inutilia penitus existimem, nihilque prorsus conferant ad rem nostram medicam, consultò prætermittimus, ne tempus inutiliter teramus in Logicis, aut Metaphysicis speculationibus, quarum nullus fructus in Medicina. Et hæc quoad Secundum Caput.

CAPUT III.

Quot modis dicatur Effectivum, Indicativum, & Susceptivum.

TEXTUS.

(T. 11.) *SEd quoniam & Effectivum, & Indicativum, & Susceptivum, dupliciter unumquodque dicitur, hoc quidem simpliciter, hoc verò ut nunc, nosse oportet amborum esse Medicinæ Scientiam. Ipsum verò simpliciter duobus dicitur modis, & quod semper, & quod ut plurimum, de quorum utroque Medicina pertractat.* (T. 12.) *Neutra verò, & Causa, & Corpus, & Signum, & quod simpliciter dicitur, & quod ut nunc, tripliciter unumquodque appellatur, hoc quidem, quia neutrius contrariorum est particeps, hoc verò, quia utriusque, hoc verò, quia aliquando hujus, aliquando illius. Horum autem ipsorum secundum rursus duobus dicitur modis, aut quia utrumque contrariorum ex æquo participat, aut quia aliquando plus alterum.* (T. 13.) *Est verò & in tota Definitione, si verba animadvertimus, ambiguitas quædam, quam & ipsam dissolvere oportet. Cùm enim dicitur Medicinam esse Scientiam & Salubrium, & Insalubrium, & Neutrorum, significatur, & quòd omnium particularium, & quòd quorumdam, & quòd qualium. Sed omnium quidem indefinitum quoddam est, atque impossibile; quorumdam diminutum, atque artificio carens: Qualium verò artificiosum pariter, atque sufficiens ad omnia Artis particularia, quod etiam dicimus in Medicinæ definitione comprehendi.* (T. 14.) *Primùm igitur de Corporibus dicere aggrediemur, qualianam sint, & Salubria, & Insalubria, & Neutra: post hæc de Signis, & Causis differemus.*

PARAPHRASIS.

PRæsens Caput quatuor in Textus ab Expositoribus dividitur, quoniam in eo quatuor edocet Galenus. Primum, quod effectivum, indicativum, & susceptivum; hoc est, Causa Salubris, Insalubris, & Neutra: Signum Salubre, Insalubre, & Neutrum: Corpus Salubre, Insalubre, & Neutrum, aut sunt Simpliciter talia, aut talia ut Nunc, & sub utraque differentia à Medicina considerari debent, quæ ut sanitatem custodire, & Morbum, quoad possibile est, abigere melius possit, omnem Corporis constitutionem, & absolutam, & secundum quid pervestigare debet; ipsumque sive Corpus, sive Signum, sive

ve Causa, quibus Salubritas, Insalubritas, aut Neutralitas competit, dupliciter quoque, alia divisione, intelligi possit. Vel enim semper est tale, hoc est simpliciter Salubre, Insalubre, & Neutrum; vel ut plurimum. De quibus Differentiis inferiùs agemus.

Quid autem significet particula *Simpliciter*, & *ut Nunc*, dubitari hoc loco solet. Et quidem Aristoteles 1. *Elenchor. cap.* 4. *&* 2. *Topicor. in fine*, *simpliciter* inquit illud intelligi, quod absolutè, & sine ulla additione, vel conditione, tale est: quemadmodùm de Cygno absolutè dicimus, quòd sit simpliciter albus; de Æthiope verò, solùm secundùm dentes. Unde Simpliciter salubre erit, quod sine adjectione tale est; & salubre ut Nunc, sive secundum quid, illud ex eodem Aristotele dicetur, quod tale est cum adjectione, seu determinatione. At verò juxta doctrinam Galeni tum *cap. sequenti*, tum 1. *de Temperam. cap.6.* ex animadversione Sclani, 1. *Artis Medicæ comm.* 11., Simpliciter dicitur, quod absolutè, & à Natura salubre est; ut Nunc verò, vel secundum quid, quod propter adscititias causas salubre fit. Vel meliùs dicas cohærenter eidem Galeno, quòd Simpliciter salubre sit, quod nedum absolutè, & à Natura est, verum etiam quod comprehendit actum, & aptitudinem ad sanitatem: actum quidem, seu perfectam sanitatem; aptitudinem verò non solùm ad salubriter operandum, sed etiam ad persistendum, ac perseverandum in sanitate, ob naturale robur, quod à radice Nativitatis nactum est, resistendi scilicet Causis ægrotare facientibus. Salubre verò ut Nunc, seu secundum quid, licèt actu sanum sit, quia tamen ejus sanitas non est absolutè perfecta, neque cum robore à radice Nativitatis; adeoque non habet efficacem vim resistendi Causis insalubribus, propterea non habet aptitudinem ad persistendum in sanitate, sed ab illis facilè superatum infirmatur.

Docet insuper Galenus, *Simpliciter* dici pariter duobus modis: *Semper* scilicet, & *ut Multum*, seu *ut Plurimum*, quæ in græco Codice notantur per διαπαντὸς, & ἐπὶ τὸ πολύ: (a) Et quamvis ferè communiter explicent *Diapantos* per *Semper* tale, quod toto Vitæ tempore, & *Epitopoly* per *Multum*, quod majori ex parte ejusdem Vitæ tale perseveret; Forolivienfis tamen, Argenterius, Sclanus, & Sanctorius rationabiliùs contendunt, per *Diapantos*, & *Epitopoly*, nil aliud intellexisse Galenum, nisi gradus quosdam perfectionis, aut imperfectionis, in eadem ratione Salubris, Insalubris, & Neutrius simpliciter; itaut *Diapantos* non *semper*, sed *omninò*, ac prorsus tale, in quacumque temporis differentia, significet; *Epitopoly* verò, non *multum*, sed *magna ex parte*, seu ferè tale sonet; Unde Corpus simpliciter salubre *Diapantos* erit optimè temperatum, optimèque constructum; *Epitopoly* verò salubre, quod ab optima tum temperie, tum structura parùm recedit; quamobrem illud fortiter resistet Causis ægrotare facientibus; hoc verò non tam fortiter. Moventur hi Authores ex eo potissimùm, quia differentiæ divisivæ non destruunt rationem generis, sed eamdem retinent, ac perficiunt; atqui *Diapantos*, & *Epitopoly* sunt differentiæ Salubris, Insalubris, & Neutrius simpliciter; igitur retinere debent, & non destruere naturam ipsius; sed Salubre, Insalubre, & Neutrum simpliciter illud est, quod absolutè, & seclusa omni temporis determinatione tale est; ergo differentiæ illius, nempè *Diapantos*, & *Epitopoly*, non

(a) *Diapantos, Epitopoly.*

non possunt tempus determinare, vel ut semper, vel ut multùm.

Affert secundò Galenus differentias Neutrius Corporis, Causæ, & Signi, aitque Neutra tum Simpliciter, tum ut Nunc, tripliciter dici posse. Primò ut Neutrum sit, quod Neutrius contrariorum est particeps, sive per negationem utriusque extremi. Secundò quod utraque extrema participet, sive per participationem utriusque extremi. Tertiò, quod aliquando est particeps unius, aliquando alterius.

Ampliùs subdividit Neutrum, quod particeps est utriusque extremi, in alterum, quod ex æquo extrema participat, & alterum, quod aliquando plus unius, quàm alterius extremorum.

Sed hìc grave litigium exoritur inter Aristotelicos, & Galenicos. Illi enim cum Aristotele omninò negant Corpora Neutra. Isti contrà cum Galeno firmiter affirmant. Nos utrosque conciliantes dicimus, Aristotelem considerasse Sanitatem in abstracto, quatenus forma putatur distincta à Corpore, atque adeò indivisibilis non suscipiens magis, & minus, & ut mera æqualitas est, referens contradictionem cum ægritudine, tanquam inæquali. Galenus verò consideravit Sanitatem in concreto, sive in individuis, illamque non punctualem, & insectilem, sed latitudinis capacem, adeoque magis, & minus susceptivam. Cùmque non omnia individua saluberrima sint, aut insaluberrima, sed in medio latitudinis Sanitatis versentur; idcircò Neutra illa appellavit, qualia præsertim esse dixit Corpora imbecillia, convalescentia, senilia, atque ad ægritudinem contrahendam proclivia, ut docet *libro ad Thrasybulum cap. 4. & 5. de san. tuend. cap. 3.* Sed de hac re fusiùs infra.

Hinc non temerè quis putet, inutilem omninò futuram ejuscemodi Neutrorum considerationem; nam cùm ex alibi dicendis, Medicina tota ferè quanta est, correctiva sit, nec eodem modo Corpora tractari debeant, propterea oportebit exactè perpendere dispositiones, constitutionesque Corporum corrigendorum, & sive recessus sensibiles sint, sive insensibiles, à salubritate; & ubi conservatio, aut præservatio, ubi verò curatio exercenda sit; sicut pariter in quibus detrahere, reficere, aut adjicere oporteat.

Solvit tertiò Galenus ambiguitatem quandam, quæ in assignata definitione occurrere poterat: Num scilicet Medicina, quæ dicitur Scientia salubrium, insalubrium, & neutrorum, intelligenda sit omnium salubrium, aliquorum, an qualium: aitque non esse Scientiam omnium particularium salubrium, cùm hæc sit indefinita, & indeterminata, adeoque impossibile sit posse singula percurri: neque esse Scientiam aliquorum, aliter esset diminuta, & inartificiosa, cùm Scientia de omnibus in universali agere debeat: Erit igitur Scientia qualium. At quid per qualia ipse intelligat, multi multa commentantur, ut legere est apud Argenterium, & Sanctorium. Verùm omissis aliorum responsionibus, duæ videntur probabiliores. Prima est Turisani *in Commentario hujus loci*, asserentis Galenum per qualia intelligere universalia, cùm Scientia sit universalium; quocirca idem Galenus subdit, Scientiam qualium esse artificiosam simul, & sufficientem ad omnia Artis particularia, sub ea tamen ratione, qua talia sunt. Altera est Sanctorii, qui inhærens doctrinæ Aristotelis *5. metaph. cap. 14. de Quali*, putat qualia à Galeno intelligi differentias omnium Prædicamentorum, cùm nullum detur Prædicamentum, quod non sit particeps Salubris,

Insa-

Insalubris, & Neutrius status: Modò Differentia ab Aristotele, & Porphyrio definitur id, *quod prædicatur in Quale quid*.

Quartò demum eum ordinem Galenus inquit se servaturum, ut de Corporibus primùm, deinde de Signis, & ultimo loco de Causis edisserendum sit: quod in posterum exactissimè præstabit.

CAPUT IV.

De Corpore Salubri.

TEXTUS.

(T. 15.) *Salubre Simpliciter Corpus est, quod ab ipso Naturæ ortu bonam habet temperaturam in Simplicibus, & primis particulis, atque in his, quæ ex illis componuntur, Instrumentis, est commensuratum. Salubre verò Nunc est Corpus, quod in præsenti est sanum: est verò & hoc, eo tempore, quo sanum existit, bonam habens temperaturam, & commensurationem, non tamen optimam, at sibi propriam. Ipsius verò Salubris simpliciter corporis tale quidem est semper id, quod est optima temperie præditum, ac maximè est commensuratum: ut multum autem, quod à constitutione optima non valde admodum deficit.*

PARAPHRASIS.

Assignatis Corporum differentiis, incipit nunc Galenus de Corpore Salubri, ejusque differentiis pertractare: cùmque superiùs illud diviserit in Salubre Simpliciter, ut Nunc, ut Semper, sive omninò, & ut Multum, sive magna ex parte, singulorum propterea Naturam in hoc Capite declarat.

Primùm inquit, Corpus Simpliciter Salubre illud esse, quod ab ipso Naturæ ortu, seu ab ipsis generationis principiis bonam habet temperaturam in Simplicibus, & primis particulis, atque in his, quæ ex illis componuntur, Instrumentis, seu partibus organicis, est commensuratum. Et quidem ut Sanitas sit optima, & Corpus Simpliciter Salubre dicatur, debet à naturali, insitoque principio tale esse, quod potentia, & aptitudine valeat sanas, & salutares operationes exercere, ad differentiam ejus Salubritatis, quæ adventitia, & acquisititia vi talis observatur in Corpore Salubri, ut Nunc. Hanc autem optimam, insitamque Sanitatem in duobus consistere ait, nempe in bona temperatura Simplicium, primarumque Corporis partium, & in commensuratione, compositione, seu structura Instrumentorum, sive partium organicarum, quæ ex eisdem similaribus particulis componuntur: qua in re contradicit Aristoteli, qui 5. *Physicorum tex.* 17. Sanitatem in sola quatuor qualitatum symmetria reponere videtur. Ostendit autem Galenus tum 1. *de San. tuenda cap.* 5., tum *lib. de optima Corporis constitutione*, hanc solam temperaturam ad Sanitatem constituendam non sufficere, quia Corpus potest esse benè temperatum, & tamen ægrotare ob vitium formationis, aut in magnitudine, aut in numero, aut in situ partium, & similibus. Sed nec revera Aristoteles putavit Sanitatem solummodò consistere in temperatione primarum qualitatum; quandoquidem *in Problemat.* ut etiam adnotat hoc loco Sanctorius, meminit alterius conditionis requisitæ ad Sanitatem, nempè structuræ, atque ibidem memorat ægritudines partium organicarum: quod confirmat pariter ejus Commentator Averroes 5. *Physicor. tex.* 57. & 5. *Metaph. t.* 10.

At hìc dubitare contingit, cur Galenus

nus omiserit tertiam conditionem alibi à seipso memoratam perfectæ Sanitatis, nempe Continuitatem; cùm Corpus, ut sanum sit, non solùm benè temperatum, meliùsque constructum esse oporteat, sed etiam optimè in suis partibus unitum, continuatumque: de qua continuitate ne quidem verbum hìc facit Galenus; unde videtur in docendo diminutus. Verùm huic difficultati plenè satisfaciunt Turisanus, & Manardus; siquidem Corpus ab ortu Naturæ benè temperatum, benèque constructum, necessariò erit quoque exactè unitum; nam impossibile est infantes oriri cum unitate partium soluta, sine aliqua intemperie, aut mala compositione.

Dubitari ulteriùs potest, num Galenus ad perfectam Sanitatem, & ad Corpus simpliciter Salubre requirat Temperiem, quam juxta illius hypotheses nuncupant in Scholis Ponderalem: an verò solùm Justitialem. At unicuique vestrum perspectum esse puto, Justitialem solùm ab eo exigi, cùm Ponderalem Temperiem Galenus non agnoverit; inquit enim 1. *de San. tuenda cap. 5. in fine*: *Qui Ponderalem Temperiem admittunt, disputant de re vel nunquam planè visa in Animalis Corpore, aut si aliquando visa est, ne minimum quidem tempus durante.* Itaque juxta mentem illius Justitialis intelligenda est, cujus tantùm naturaliter similares partes capaces sunt, utpotè quæ illarum exigentiæ maximè conformatur.

Quoniam verò hoc loco Galenus Sanitatis, ejusque conditionum, & præsertim Temperiei, meminit; solent, arrepta hinc occasione, Interpretes latissimè de his agere. At cùm unusquisque Vestrum, ex nostris Thesibus, ut reor, hæc optimè calleat, solùm generaliora quædam hìc ex illis memoria repetam, in cognitionem Temperierum, quantum scilicet ad eorum, quæ inferius dicturi sumus, intelligentiam satis esse poterit.

Primarum Particularum Similarium inter sese ritè, rectèque contextarum, pro suis quibusque operationibus obeundis, debitam, convenientemque constitutionem, primævam Salubritatis, & congruæ Temperaturæ basim esse, perque eas irriguo Sanguinis, aliorumque liquorum Corporis accessu, quo particulæ ipsæ primæ turgeant, vigorentur, & nutriantur, perfectam Sanitatem constitui, alibi à Nobis dictum est. Qua enim ratione primæva illa stamina, & rudimenta partium Corporis, in ovariis fœminarum præjacta sunt, & masculeo deinde semine fœcundata, fermentationi, & motui subjiciuntur, mox etiam circumfluente Sanguine vigorantur, & adolescunt; ita planè Temperies in Animalibus, eorumque Salubritas emergit, firma nimirum, ac valida, vel contra debilis, & lubrica, pro varietate prædictarum conditionum, ad earumdem particularum constitutionem concurrentium: Unde ex complexu, & combinatione illarum bona, vel mala, validiori, aut languidiori, Corpora exurgunt benè, vel malè complexa, temperata, & constructa, fortia, & robusta, vel contra languida, & debilia: calida, vel frigida, laxa, & mollia, seu humida, stricta, fixa, ac dura, seu sicca dicta. Hæc autem omnia varia esse possunt, ac multiplicia, pro vario statu Corporum generationem ipsam promoventium, & nedum secundùm totum, sed etiam secundùm partes principaliora viscera potissimùm componentes, quo nimirum tempore ova in fœminis progignuntur, perficiuntur, & maturescunt, aut cùm à semine masculeo fœcundantur, atque in motum fermentativum, pro vita, & operationibus vitalibus disponuntur. Sic non raro accidit, à Parentibus cætero-

qui

qui in habitu validiſſimis, filios gigni debiles, molles, & valetudinarios; quia nimirum, quo tempore ſtamina illa prima, & rudimenta Corporis prædiſponuntur, languorem, laxitatem, ac ineptitudinem aliquam ex parte alterutrius generantis, forte fortuna implicari, & commiſceri contingit: ità quoque Parentum infectiones, & hæreditariorum morborum luem in filios transfundi experimur.

Sed & in idipſum valde conferre ſolet ſanguinis pro nutricatione fœtus in Utero, in partes ejuſdem affluentis, bona, vel mala diſpoſitio, qua deinceps etiam vigere magis, vel ex adverſo labefieri illas toto tempore geſtationis evenit; unde compertum utero gerentes, prava victus ratione uſas, plerumque filios progignere imbecilles, & facilè lapſuros in ægritudines, licèt hi in meliorem ſtatum non rarò reducantur à lactis conditione meliori, ſalubriorique, ut propterea adſcititiam ſaltem ſalubritatem deinceps nanciſcantur, facta nimirum in primæva illa partium habitudine non levi exinde emendatione, correctioneque. Atque hinc, inſitam, innatam, ac primævam illam partium conſtitutionem, irriguo, ac influente ſanguine fotam, Temperaturam, à primo Naturæ ortu habitam appellabimus; ab adſcititiis, & adventitiis Cauſis, alimentis ſcilicet, potibus, aeris incolatu, exercitiis, cæteriſque ſimilibus inductam, nuncupabimus Adventitiam, & per ætatum mutationes acquiſitam: & quidem calidam, vel frigidam, humidam, aut ſiccam pro Sanguinis habitudine varia, & in ſuis partibus vivifica, & auctifica, magis, minuſve præpollente: quam ſi fortem, ac robuſtam, debilem, & languidam, laxam, & mollem, firmam, labilem, aut aliter nuncupare quis velit, per nos licebit. Salubritates autem, aut Inſalubritates exinde provenientes, Modos appellabimus, quibus ſcilicet quo pacto partes Corporis, totumque Corpus ipſum, ſe habeant, & num benè, vel malè, in ſuis operationibus ſe gerant, & ſive in uno, ſive in alio genere deficiant, ut in ægritudinibus evenit, de Oeconomia Corporis, ejuſque Statu, Naturali, aut Morboſo, judicium faciemus. Quare Sanitas dicetur Modus Corporis benè ſe habentis in prædicta partium Conſtitutione; Morbus verò ex adverſo, Modus ejuſdem malè ſe habentis in eadem, ſive ſecundùm unam, ſive ſecundùm plures prædictarum conditionum: quia Bonum ex integra cauſa, Malum ex ſingulis defectibus. Hac profectò ratione ambages illas, & Scholaſticorum tricas in exponendis Temperierum Naturis facili negotio evitamus, quippe qui ex qualitatibus elementaribus dictis, quas vocant primas, inter ſe invicem commiſtis, illas eruere adnituntur; proindeque innumerabilibus difficultatibus circumventi, eaſdem implicant potiùs, quàm explicent.

Neque verò hinc quis Nos temeritatis inſimulet, quòd Veterum dogmatum doctrinam deſerentes, novam, in temperamentis enucleandis, rationem proſequi, atque in medium proferre auſi ſimus, cùm cæteroqui ſupremos reconditæ Philoſophiæ apices illi fuerint aſſecuti, & quidquid boni in naturalibus diſciplinis apud nos perveſtigatum exſtat, ab Antiquis ſit derivatum. Nam in rerum naturalium perveſtigatione, quò tempora à primæva Mundi ætate magis receſſerunt, eò quoque pervetuſtiora, ac proinde ſapientiora, dicenda ſunt; veluti novis, noviſque continenter inventis locupletata, cum longiori, diuturniorique variorum experimentorum auxilio: eò quòd ſemper, ſemperque Veterum excogitatis alia, & alia innumerabilia experimenta, improbo labore, aſſiduoque ſtudio, in cunctis diſciplinis elaborata, atque elu-

cu-

cubrata, Rationi magis conformia, & in Veri cognitionem deducentia, succedentibus ætatibus, à Recentioribus adjecta sint.

Sed liceat hìc transcribere, quæ jamdudum in Prælectione habita Anno 1694., cùm in publico Archigymnasii Neapolitani Agone, de probandis, stabiliendisque Medicæ facultatis Professoribus, à Regiis Senatoribus, ac studiorum Moderatoribus consuleretur, ut eosdem ad Recentiorum inventa, & excogitata, grato supercilio suscipienda, persuaderem, in medium post alia protuli: *Isti quippè* (nempè Recentiores) ajebam, *Medicinam non contraxerunt, sed amplificarunt, non deturparunt, sed illustrarunt: Et si cæteræ Facultates omnes non exiguum incrementum nostra ætate à Recentioribus susceperunt, cur est, quòd Medicam Facultatem ejuscemodi beneficio defraudari patiamur? Sic Pictura, & Sculptura quantum profecerint nostris temporibus, & à Recentioribus sint expolitæ, nemo est, qui nesciat. Optica, Dioptrica, & Catoptrica in conficiendis, & poliendis conspiciliis, mirum quantum excreverint; undè factum, ut remotissima quæque, & inconspicua, vicinissima, & magnæ molis videantur, aliaque innumera in speculis planè admirabilia. Architectura Nova Militaris longè admodum antecellit Antiquam, ut propterea munimenta Recentiorum præstantiora sint munimentis Veterum. Geometria beneficio Analyseos, seu Algebræ, quam vocant Speciosam, ea invenit, quę impossibilia Veteribus credebantur. Astronomia penitùs innovata est; nam orbes Planetarum, qui solidi à Veteribus ponebantur, à Recentioribus fluidi observati sunt. Venus, & Mercurius, qui circa Tellurem volutari credebantur, nunc observantur circa Solem revolvi, easdemque phases pati, quas Luna, ut proinde falcati, dimidiati, & gibbosi subindè compareant. Ante Solis faciem Maculæ detectæ sunt Veteribus ignotæ, quæ spatio quatuordecim dierum totum discum solarem percurrunt: Mars, qui Concentricus putabatur, adeò à nobis quandoque recedit, ut ferè invisibilis evadat. Ita quoque Satellites Jovis, & Comites Saturni, qui nulli erant apud Antiquos, jam nunc beneficio Telescopii à Recentioribus sunt detecti. Sed de Geographia quid dicam? in ea Novus Orbis detectus est: Zona Torrida, quæ inhabitabilis putabatur, jam habitabilis inventa est: Antipodes, qui imaginarii dicebantur, nunc revera sunt: & alia sexcenta. Sed neque solùm in cæteris disciplinis Novitates admirandæ invectæ sunt, sed in ipsamet facultate Medica, præsertim ex structura Humani Corporis, in quo nuper detecta est Sanguinis circulatio Veteribus Medicis ignota: inventa sunt Vasa lactea, & lymphica, Glandulæ lumbares, intestinales, subcutaneæ, usus Fellis, & Cystis felleæ, Ovaria in Uteris Feminarum, textura varia Pulmonum, Renum, Cerebri, Testium, & alia plurima, quæ longum satis foret hìc singulatim enarrare. Unde Thomas Bartholinus insignis nostri temporis Anatomicus, postquàm ter Anatomen suam reformasset, coactus fuit nunc postremò illam penitus renovare. Idipsum etiam factum, non sine summo humanorum Corporum beneficio, in usu Medicamentorum, quę undequaque perfectiora, quàntoperè Medicinam illustraverint, non est quod multis suadeam. Quàm minus sanè temporis, & laboris impendisset Galenus, si scivißet ex Vino Spiritum elicere: Agnovit ille quidem latere in Vino substantiam quandam tenuem, volatilem, & spiritalem, sed illam extrahere nescivit: cùm tamen nostra ætate non solùm à Pharmacopœis, verùm etiam à Femellis quibuscumque, nedum ex Vino, sed à cæteris quibuslibet liquoribus, immò etiam ex rebus durissimis, extrahantur spiritus,*

tincturæ, *olea*, *&* *similia*. Quamobrem jure optimo dixit Seneca *Epist.* 64. *Multum egerunt*, *qui ante nos fuerunt*, *sed non peregerunt*. Et scitè admodum Lactantius *lib.*2. *divin. instit. cap.*7. sua tempora cum vetustioribus comparans, scriptum reliquit: *Nec quia nos illi*, (id est Veteres) *temporibus antecesserunt*, *sapientia prævalent*, *quę si omnibus æqualiter datur*, *occupari ab antecedentibus non potest*. *Quare cùm sapere*, *idest veritatem quærere*, *omnibus sit innatum*, *sapientiam sibi adimunt*, *qui sine ullo judicio inventa majorum probant*, *&* *ab aliis*, *pecudum more*, *ducuntur*. *Sed hoc eos fallit*, *quòd Majorum nomine posito*, *non putant fieri posse*, *ut aut ipsi plus sapiant*, *quia minores vocantur*, *aut illi desipuerint*, *quia Majores nominantur*. Facit in hoc idem, quod Martialis cecinit *lib.* 5. *suorum Epigrammatum*, *epigr.* 10. *ad Regulum*, de Poesi veterum suæ tempestati comparata.

Esse quid hoc dicam, *vivis quòd fama negatur?*
Et sua quòd rarus tempora lector amat?
Hi sunt invidiæ nimirum, *Regule*, *mores*,
Præferat Antiquos semper ut illa novis.
Sic veterem ingrati Pompeji quærimus umbram,
Et laudant Catuli Julia templa Senes.
Ennius est lectus, *salvo tibi*, *Roma*, *Marone*,
Et sua riserunt secula Męoniden.
Rara coronato plausere theatra Menandro,
Norat Nasonem sola Corinna suum.
Vos tamen, *ò nostri non festinate libelli*.
Si post fata venit gloria, *non propero*.

Libet etiam hìc referre, quod idem Martialis in Vacerram quendam, qui Martialem in numero laudatorum Poetarum ponere recusabat, quia mortuus non esset, argutè scripsit:

Miraris Veteres, *Vacerra*, *solos*,
Nec laudas, *nisi mortuos Poetas*.
Ignoscas, *petimus*, *Vacerra*; *tanti*
Non est, *ut placeam tibi*, *perire*.

lib. 8. *epigr.* 69.

Et multò antea Horatius, de poesi sui temporis cum poesi Antiquorum collata, scripsit, *Epist.* 1. *lib.*2.

Si quia Græcorum sunt Antiquissima quæque
Scripta, *vel optima*; *Romani pensantur eadem*
Scriptores trutina, *non est quod multa loquamur*;
Nil intra est Oleam, *nil extra est in Nuce duri*.
Venimus ad summum fortunę: *pingimus*, *atque*
Psallimus, *&* *luctamur Achivis doctiùs unctis*.
Si meliora dies, *ut vina*, *poemata reddit*,
Scire velim, *pretium chartis quotus arroget annus*.
Scriptor, *abhinc annos centum qui decidit*, *inter*
Perfectos, *veteresque referri debet? an inter*
Viles, *atque novos? excludat jurgia finis*.
Est vetus, *atque probus*, *centum qui perficit annos*.
Quid? qui deperiit minor uno mense, *vel anno*,
Inter quos referendus erit? veteresne poetas?
An quos & *pręsens*, *&* *postera respuet ętas?*
Iste quidem veteres inter ponetur honestè,
Qui vel mense brevi, *vel toto est junior anno*.

Utor

Utor permisso; caudæque pilos ut equinæ
Paulatim vello, & demo unum, demo etiam unum;
Dum cadat elusus ratione ruentis acervi,
Qui redit ad fastos, & virtutem æstimat annis:
Miraturque nihil, nisi quod Libitina sacravit.

Convenit & his Plinius junior, *epist.* 21., *lib.6.* ubi: *Sum ex iis, inquit, qui mirer Antiquos, non tamen, ut quidam, temporum nostrorum ingenia despicio: neque enim quasi lassa, & effœta Natura est, ut nihil jam laudabile pariat.*

Quare sapienter apud Græcos in proverbium ductum est: *Secundæ cogitationes primis sunt Sapientiores*. Veruntamen nil proinde fit, ut Veteribus, vel minimum, hac in re derogemus. Hi namque divinum hoc Medicinæ opus, veluti magnum Deitatis simulacrum, præjactis primùm fundamentis, ad æthera postmodum evexere. Recentiores verò multigena armillarum, gemmarum, & torquium varietate, mirificè subinde exornarunt, ut propterea utrisque simul ingens laus tribuenda sit, quoniam unam, eandemque Medicinam illustrare, & plurimùm locupletare conati sunt, Chymiæ scilicet, & Anatomes beneficio. Non est igitur ut in Recentiores tam dirè Nostrates invehantur.

Esto autem hæc ita se habere opinemur, quia tamen ex sanguine, aut vigente, aut deficiente, promoto, vel præpedito, in suo motu, fermentativo, vel locali, calor, aut frigus in Animalibus exoritur; ut in posterum in verbis Galeni, pro expositione Temperierum, confusionem evitemus, retinebimus inveteratum, & jam pridem receptum in Scholis loquendi usum, de calido, frigido, humido, vel sicco Corporis, & Partium temperamento, dummodo illud emergere intelligamus ex varia sanguinis irrigantis, & circumfluentis conditione, tam secundùm partem illius vivificam, quàm per auctificam, vitam, & nutricationem in Corpore promoventis, de quibus alibi dictum. Quamobrem adnotare hìc operæ pretium existimavi, me in his dumtaxat Authoris mentem fideliter exponere voluisse, & ubi melius visum fuerit, in saniorem sensum revocare, licèt in plerisque aliis modò à propria, modò ab illius sententia, declinaverim.

Quoniam verò indicia Simplicium Temperierum inferius ex Galeno erimus relaturi, hìc breviter etiam animadvertendum putavimus, nullibi ipsum simplices Temperies rebus assignasse, sed perpetuò compositas. Voluisse autem hoc loco Simplicium Temperierum notitiam præmittere, ut ex istarum cognitione faciliùs Tyrones in Compositarum agnitionem deducerentur, combinatis simul duarum qualitatum inter se invicem commistarum indiciis; cùm cæteroqui impossibile videatur, unam tantummodò simplicem qualitatem in compositis Corporibus exuperantem invenire, non statim alia simul in consortium contracta.

Sed & neque Temperamenta Corporum, ex prævio solùm qualitatum, vicissim refractarum, complexu, aut commistione, re ipsa exoriri putavit, sed illa ab humoribus in sanguine prædominantibus deduxit; unde Cholerica, Sanguinea, Phlegmatica, & Melancholica sæpissimè nominat. Quin & nos alibi, deductis undequaque argumentis ex saniori philosophia, ejuscemodi combinationes refutavimus, quæ nunc referre supersedeo, ne sermo hic in longius, quàm par sit, protrahatur. Sat solùm erit memorare, cuncta, quæ ad temperamenta ex combinationibus primarum, ut vocant, qualitatum, referuntur, à va-

varia ſanguinis, & partium Corporis conditione, atque textura, conſtitutionem, ac habitudinem variam, pro ipſarum operationibus, efficiente, facillimè deduci poſſe; & quidem calidum, vel frigidum, humidum, aut ſiccum temperamentum, prout Sanguis, vel magis, vel minus vividus, floriduſque erit, atque ex diverſa partium ſolidarum conſtitutione, ac textura, benè, vel malè repurgatus, itemque à ſuis impuritatibus, fortaſſe ex cibo contractis, ſecretus: Quamobrem calor, frigus, ſiccitas, humiditas; vel potius magis, minuſve calidum, magis, minuſve humidum Corpus, in ſuis partibus exurget. Hæc enim veluti effectus ſunt noſtris ſenſibus manifeſtiores, per quos corporum habitudines, & conſtitutiones faciliùs innoteſcunt: quin & à Sanguine ipſo vegeto, ſuaque parte vivida, floridaque præpollente, cunctaſque partes corporis convenienter irrigante, vivificanteque, calidum illud appellamus; ab eodem verò minùs vivido, & à parte ſui glutinoſa aliquantulum refracto, nominamus frigidum, ſeu minus calidum: Sic quoque humidus, ac mollius, ſiccius, ac durius, à ſero ejuſdem exuperante, vel deficiente, aut etiam conſtipato. Atqui iſta omnia progreſſu etiam ætatum variari contingit, vel ſponte Naturæ, ab ipſo ſanguinis circulantis diſpendio, vel à fermentis viſcerum attenuatis, aut infractis; ut pariter ex incolatu vario, diverſoque alimentorum, & potuum uſu, exercitiis, aliiſque ſimilibus, in ipſo vitæ decurſu permutantur; ut patet.

Sed & aliud quid inſuper præadvertendum hoc loco ſupereſt, quòd qui me ad hæc ſcribenda impulerunt, ſe præſertim exoptare ſunt profeſſi, ut locutione Medicis magis familiari, in hiſce Expoſitionibus uterer, nulla tam exacta purarum dictionum ratione habita, ſatiſque eſſe, ſi quæ adhibentur docendi formulæ, apud Commentatores Galeni, Avicennæ, aliorumque, reperirentur; propterea, ut illis ſatisfacerem, qui rem hanc ornatiùs, quàm deceat tractari nolunt, ceu torrentis impetu, me quoque rapi, permittere ſum coactus.

Sed revertamur unde digreſſi ſumus. Quandoquidem Galenus ſuperiùs in *textu* 15. dixerat, Salubre Simpliciter Corpus eſſe illud, quod ab ipſo Naturæ ortu bonam habet temperaturam in Simplicibus, & primis particulis, atque in Inſtrumentariis eſt benè commenſuratum, difficultas non levis exinde oritur, num revera Corpus Simpliciter Salubre ab ipſo Naturæ ortu tale eſſe debeat. Et dubitandi occaſionem præbuere nonnulli, non levibus argumentis permoti. Inquiunt enim, ad conſtituendum Corpus Simpliciter Salubre ſufficit bona temperies partium ſimilarium, & melior organicarum ſtructura, ſive hæ ab ipſo naturæ ortu fuerint, ſive progreſſu temporis acquirantur. Inſuper poteſt Corpus ex generatione non ſanum ſimpliciter, mutatione temporis, & ætatis evadere ſimpliciter ſanum, potiſſimùm ſi congrua utatur victus ratione, ad meliorem, & ſalubriorem ſtatum ſeipſum reducens, quemadmodum pluribus etiam inſinuat Galenus 3. *l. hujus Operis*. Denique Corpus non optimè ſanum leviter ſi ægrotaverit, poteſt curationis ope, non ſolùm ſanari, ſed etiam ad optimam ſanitatem reduci, quæ ſanitas non erit à primo naturæ ortu, cum inducatur in tempore; igitur Galeni aſſertio non erit univerſaliter vera.

Verùm his non obſtantibus, dicendum, Salubre ſimpliciter ab ipſo naturæ ortu tale eſſe debere, quia id non denotat ſolùm circumſtantiam temporis, ſed potiùs modum inhærendi in ſubjecto; hoc eſt firmam inhæſionem, perfectamque Sanitatis habitudinem: ſiquidem Salu-

lubre simpliciter, ut superiùs notavimus, & ostendit latè hoc loco præ cæteris Forolivienfis *quæst. 6.* debet habere sanitatem fixam, stabilem, & exquisitè perfectam, quæ nimirum vim habeat plurimùm resistendi causis ægrotare facientibus, imò persistendi in salubritate, optimarum operationum radice: Cùmque hæc optima Corporis constitutio opus Naturæ sit, non Artis, propterea Galenus illam expressurus dixit, ab ipso ortu, sive ex generatione esse.

Hinc modò facilè fit satis objectionibus mox propositis. Et quidem primò impossibile videtur, quòd Corpus benè temperatum, optimèque constructum, à nativitate tale non sit, cùm salubritas ista perfectissimum inhærendi modum in subjecto dicat, qui neutiquam ab Arte, sed omninò à Natura proficisci potest, præsertim quia Ars resarcit, non efficit, aut producit sanitatem; quare jure optimo Corpus absolutè, seu simpliciter Salubre, ex generatione, sive à Naturæ ortu esse dicitur. Quod præterea subditur, Corpus Simpliciter non sanum mutatione ætatis, & adhibitis convenientibus remediis, absolutè sanum fieri, falsum omninò est; quoniam nunquam poterit introduci in eo Sanitas cum habituali aptitudine ad persistendum in sanitate, & ad fortiter resistendum causis ægrotare facientibus; unde si fortasse in meliorem, salubrioremque statum reducatur, acquiret solummodò sanitatem actualem, & meliorem respectivè, non absolutè: id quod docet *sequenti lib.* 3. Galenus, & Nos suo etiam loco probabimus: Postremò Sanitas, quæ curationis ope restituitur, dicitur resarcita, non ingenita; siquidem Sanitatis absolutæ productio, non Artis, sed Naturæ opus est. Concedimus tamen usu medicamentorum Corpora quandoque in ægritudinem lapsa, postquàm convaluerint, meliorem statum acquirere, nunquam verò absolutè salubrem, sed solùm respectivè salubriorem ad tempus progressum, vel ad præcedentem ætatem: quin morbi ex conformatione, malaque structura orti, vel nihilum, vel leviter adhuc post longum tempus, & per ætatum mutationem tolluntur, ut patet in iis, qui malam pectoris, aurium, aut oculorum conformationem à nativitate contraxerunt.

Docet secundò in hoc Capite Galenus, Corpus Salubre ut Nunc, esse illud, quod in præsenti sanum est, atque per id temporis, quo sanum existit, bonam habet temperaturam, & commensurationem, non tamen optimam, at sibi propriam. Quibus verbis ostendit, duas in universum conditiones requiri ad Salubre Corpus, ut Nunc: primam quidem, ut in præsenti sanum sit, sive quòd habeat solum actum, seu Sanitatem, non tamen perfectam, hoc est cum aptitudine ad persistendum in illa, & cum resistentia ad causas ægrotare facientes; alteram verò, quòd prædicta Sanitas, licèt optima non sit, est tamen propria, seu accommodata tali individuo. Hinc experimur plerosque, etiam à nativitate, languidam constitutionem, lubricamque sanitatem sortitos, cum ea tamen citrà ægritudinem, toto vitæ tempore, perseverare; servata scilicet exacta in sex rebus non naturalibus ratione: cujus Constitutionis fatetur Galenus seipsum fuisse *quinto de san. tuend. cap.* 1.

Tertiò, quoniam Salubre simpliciter diviserat in διαπαντὸς, sive, *omninò*, & ἐπιτοπολὺ, sive *magna ex parte*, idcircò considerans Salubre *Diapantos*, illud esse inquit, quod omninò, seu exquisitè tale est, quodque optima temperie est præditum, optimèque commensuratum. Salubre verò *Epitopoly*, quod à constitutione optima non admodum recedit, deficit tamen aliquantulum ab ea. Unde

patet, etiam ex Galeni mente, Salubre *Diapantos*, & Salubre *Epitopoly* differre perfectione, & majori, vel minori vi, in resistendo causis ægrotare facientibus, non verò tempore; ut superiùs dictum.

CAP. V.

De Corpore Insalubri.

TEXTUS.

(T.16.) *INsalubre verò Simpliciter est Corpus, quod ab ipso ortu Naturæ, vel in consimilibus partibus malam habet temperaturam, vel in instrumentariis incommensurationem, vel utrumque vitium. Insalubre verò Nunc est Corpus, quod eo tempore, quo tale dicitur, ægrotat; neque obscurum est, quòd & hoc ipsum eo, quo dicitur tempore ægrotans, vel in consimilibus malam habet temperaturam, vel in instrumentariis incommensurationem, vel utrumque. Est verò & semper Insalubre, quod ex ipso Naturæ ortu, vel pessimam habet temperaturam in simplicibus, & primis particulis omnibus, vel aliquibus, vel his, quæ obtinent principatum, vel in instrumentariis incommensuratissimum existit. Similiter autem in his, vel omnibus, vel in aliquibus, vel illis, quæ obtinent principatum. Ut multum verò Insalubre est Corpus, quod ab hujus quidem vitio recedit, nondum tamen mediocritatem attingit.*

PARAPHRASIS.

EXplicata Natura Salubris Corporis cum suis differentiis, progreditur Galenus ad expositionem Corporis Insalubris, & illud quidem Insalubre Simpliciter esse inquit, quod ab ipso Naturæ ortu, vel in Similaribus partibus malam habet temperaturam, vel in organicis malam commensurationem, seu structuram; vel etiam utrumque vitium patitur: ubi tria specialiùs notanda occurrunt.

Primum, quemadmodum in definienda Natura Corporis Salubris *Simpliciter* dictum fuit, illud ab ortu Naturæ tale esse debere; ita quoque Insalubre *Simpliciter* ab ortu Naturæ insalubritatem contrahere oportere, cùm oppositorum eadem sit ratio.

Secundum, quòd Insalubre *Simpliciter*, ut tale sit, necesse non est, ut utrumque vitium, nimirum malam temperiem in similaribus partibus, malamque structuram in organicis unà simul patiatur, sed satis est, si alterutrum horum subeat: in quo differt Natura Salubris Corporis ab Insalubri: Salubre enim convenit cum recto, & bono, ex Aristotele 5. *metaph. tex.* 10. Bonum autem, & rectum ex integra causa est, Malum verò ex singulis defectibus; ita pariter Salubre tum bonam temperiem in Similaribus, tum optimam commensurationem in Organicis partibus exquirit, cum ex aggregato ambarum exoriatur; at Insalubre congruens cum malo, ad singulos harum conditionum defectus emergit: cujus rei non ignarus Galenus, usus est particula disjunctiva, *vel*, ut patet ex textu.

Tertium, quòd licèt Insalubre *Simpliciter* Corpus utrumque dictarum conditionum vitium referre possit, & quòd sit intemperatum, sitque etiam incommensuratum; hoc tamen si daretur, esset omnium Insalubrium pessimum. At verò sicut Salubre *Simpliciter*, & omninò, vix mente concipi potest, ita Insalubre *Simpliciter*, & omninò, inter viventia erit irreperibile. Atqui hoc Insalubre Corpus utrumque vitium involvens à Sanctorio

In-

Insalubre *Simpliciter Diapantos* dicitur; Insalubre verò, vel in similaribus solùm, vel in organicis partibus deficiens, appellatur Insalubre *Multum*, sive *Epitopoly*.

Animadversione autem dignum est, quòd sicuti Salubre Corpus *Simpliciter* illud dicitur, quod firmam, stabilemque Sanitatem possidet, cum aptitudine resistendi causis ægrotare facientibus; ita è converso, Insalubre *Simpliciter* Corpus intelligetur illud, quod à nativitate perexiguam, vel nullam habet potentiam resistendi causis prædictis, ita ut ex quacumque, etiam levissima causa, in ægritudinem incidat; fiatque Insalubre *Nunc*, seu actu ægrotans.

Exempla vitiorum, quæ hoc loco memorantur in contemperatione partium Similarium, notissima sunt: si nimirum plus justo incalescant, tepeant, algeant, obrigescant, mollescant, obdurentur, laxentur, contrahantur: quamvis vix fieri possit, ut ipsæ solùm afficiantur, & lædantur, illæsis, & non affectis unà simul Organicis, quæ ex illis componuntur; nec à calore, aut frigore, aliave Simplici intemperie offendi possint; sine vitio alicujus causæ materialis, undè Intemperies illa proveniat, ut speculanti patebit. Vitiorum verò ex mala conformatione Organicarum ab eodem Galeno recensentur: si quis cum magno capite oriatur; si porus felleus non ad jejunum intestinum, sed ad ventriculum pertingat; si ventriculus rotundus sit, septi transversi motum impediens, & respirationem interturbans, atque alia hujus generis.

Transit ulteriùs Galenus ad explicandum Corpus Insalubre *ut Nunc*, illudque esse inquit, quod eo tempore, quo tale dicitur, ægrotat; idest, vel malam subit in similaribus partibus contemperationem, vel malam structuram in organicis, vel utrumque; ut propterea, quod est Insalubre *Simpliciter*, hoc est habet ineptitudinem ad diutiùs resistendum causis ægrotare facientibus, si præter ejusmodi ineptitudinem, actualem ægritudinem incurrat, fiat Insalubre *ut Nunc*: ægrotare autem dicetur; vel quia in similaribus particulis sensibilem intemperiem patitur; vel quia in organicis incommensuratum, seu malè constructum evadit, puta in quantitate, numero, situ, figura; vel etiam quia utrumque vitium subit, juxta ea, quæ nuper dicta sunt.

Insalubre præterea *Diapantos*, sive *semper*, & *omninò* est, quod ex ipso Naturæ ortu, vel pessimam habet temperaturam in simplicibus, & primis particulis, aut omnibus, aut aliquibus, & præsertim principalibus dictis: vel in organicis est pari ratione incommensuratum, pessimèque constructum. *Ut multum* verò, seu *magna ex parte*, *Epitopoly* Insalubre est, quod ab hujus quidem vitio recedit, sive non adeò vitiosum est, ut *Insalubre Diapantos*, mediocritatem tamen nondum attingit, idest non pervenit ad statum *Neutrius simpliciter*, quod est Medium inter Salubre *Simpliciter*, & *Simpliciter* Insalubre.

CAPUT VI.

De Corpore Neutro.

TEXTUS.

(T.17.) *Quoniam verò & Neutrum Corpus tripliciter dicebatur, unum quidem, quod neutrius erat extremæ dispositionis particeps, aliud autem, quoniam utriusque, aliud, quoniam aliquando hujus, aliquando verò illius, Juxtà primum significatum, Neutrum erit Corpus, quod exquisitè medium est & Salu-*

luberrimi, & Insaluberrimi Corporis, & hujus hoc quidem Simpliciter tale, quod ab ipso ortu Naturæ ita est constitutum: hoc verò ut Nunc, quod in præsenti tempore medium exquisitè existit Saluberrimi, atque insaluberrimi Corporis. Ipsius autem Simpliciter, Semper quidem tale est id, quod in omnibus ætatibus tale perdurat, ut Multum autem, quod nonnullas recipit mutationes. (T. 18.) *Juxta verò secundum significatum Neutrum erit Corpus, quod ab ipso ortu Naturæ contrariarum simul est particeps dispositionum, aut scilicet in una parte, aut in duabus differentibus. In una quidem, si secundùm alteram oppositionem effectivarum qualitatum bonam habuerit temperaturam, vel etiam secundùm utramque, sed in formatione, vel magnitudine, vel numero partium, vel situ delinquat: aut contrà in his quidem rectè se habeat, vel omnibus, vel quibusdam, peccet autem in temperatura. In differentibus verò partibus, & juxtà omnes oppositiones potest quicquam simul particeps esse contrariorum. Et Semper quidem tale, quod per omnes ætates in eodem perseverat; ut Multum verò, quod aliqua ex parte evariat; ita verò & Nunc Neutrum erit Corpus, juxtà secundum significatum, quia vel in parte una hæc quidem sibi Salubria existunt, illa verò Insalubria, vel in differentibus ita afficitur partibus.* (T. 19.) *Juxta verò tertium significatum Neutrum erit Corpus, quod aliquando quidem Salubre, aliquando verò Insalubre per vices existit, ut nonnullis accidit, qui in pueritia Salubritate corporis vigent, cùm verò ad juventutem pervenerint, Insalubres evadunt, aut contra. In uno autem tempore, quod ita est Neutrum exquisitè consistere nequit: latiùs verò si accipiatur, contingit. Novimus autem, quod Nunc dupliciter dicitur.* (T. 20.) *Salubre igitur, & Insalubre, & Neutrum Corpus quot modis dicatur, & quale unumquodque sit, sufficienter explicavimus. De Signis verò deinceps dicendum.*

PARAPHRASIS.

POst definitiones Corporũ Salubrium, & Insalubrium, cum adjunctis differentiis, naturas Corporum Neutrorum tandem assignat, atque cohærenter divisioni superiùs allatæ, inquit primò, Neutrum Corpus Primi Significati, ideſt per negationem utriusque extremi, esse illud, quod exquisitè Medium est, & Saluberrimi, & Insaluberrimi Corporis, nempè ejus, quod in latitudine sanitatis perfectissimum est, & ejus, quod è converso omnium est imperfectissimum. Secundò hujus significati Neutrum *Simpliciter* tale inquit esse, quod ab ipso ortu Naturæ ita est constitutum, ut scilicet ejusmodi neutralitatem in medio positam exactè possideat, habeatque aptitudinem ad persistendum in eadem. Ut *Nunc* verò Neutrum subdit esse, quòd in præsenti tempore medium exquisitè existit Saluberrimi, & Insaluberrimi Corporis; at facilè ab hoc medio declinare potest. Tertiò, Neutrum *Simpliciter*, *semper*, seu *omninò*, dicitur illud, quod in omnibus ætatibus tale perdurat, propter aptitudinem in eadem Neutralitate perdurandi, licèt aliquando ob aliquam externam causam ab hac neutralitate declinare possit, & in ægritudinem incidere. Ut *multum* denique, seu *magna ex parte* Neutrum Corpus dicetur, quod nonnullas alternè recipit mutationes, non valdè tamen remotas à prædicta Neutralitate, eò quòd ad eam facilè redeat. Atque hæc sunt Neutra propriissimè sumpta.

Neutrum verò Secundi Significati, seu quod particeps est utriusque extremi, *Simpliciter* tale quidem est, quod ab ortu Naturæ contrariarum simul est particeps dispositionum, aut scilicet in una par-

parte, aut in duabus differentibus; in una quidem, si particulæ primæ temperaturam Corporis constituentes, non inter se mutuò congruant, nec se vicissim coadjuvent pro bona Corporis constitutione, seu temperatura; vel si per qualitates temperiem illam constituentes non se mutuò contemperent, aut in operationibus conformentur; vel si bonam habuerit temperiem, malè tamen Corporis totius constitutio constructa sit; vel è contra in differentibus partibus, si una nimirum sit disposita ad unam habitudinem, altera ad alteram, & oppositam. Neutrum *semper* secundi significati est, quod per omnes ætates in eodem statu perseverat. Neutrum *ut multum*, quod aliqua ex parte variat, hoc est, quod magna ex parte est tale, Neutram scilicet dispositionem participans, sed magis inclinantem ad alterum extremorum. Neutrum denique *Nunc* juxta Secundum significatum, esse dicitur, quod vel in una parte, vel in pluribus partibus varias participat dispositiones. At clariùs Neutrum *ut Nunc* dicetur, quod in præsenti tempore habet dispositiones insalubres in una parte, ex mala primarum particularum combinatione, in aliis salubres; vel etiam in una parte adest Salubritas, in alia verò Insalubritas; vel denique una pars sana est, alia morbosa, vel quod ad temperiem, vel quod ad organorum compositionem. Et quidem hoc Neutrum *ut Nunc* frequentius esse solet Medium inter Sanitatem, & Morbum.

Postremò Neutrum Tertii Significati, quod scilicet aliquando unius, & aliquando alterius extremi particeps fit, definitur illud, quod aliquando Salubre, quandoque verò Insalubre est. Dat exemplum Galenus eorum, qui in Pueritia Salubritate fruuntur, ad Juventutem verò pervenientes Insalubres evadunt, aut contrà. Debet autem ejusmodi Insalubritas, ut scitè advertit hoc loco Sanctorius, non ab externis causis provenire, sed ex mala dispositione naturali, puta ob morbos hæreditarios; quia, ut supra notatum est, Corpora prædicta considerantur secundùm habitudinem, & potentiam ab ortu Naturę contractam. Sic namque observamus plerosque ad virilitatem usque sanissimos vivere, post hanc ętatem obnoxios fieri Podagrę, Nephritidi, Tussi, & similibus, adhuc ob contractam consimilis luis hęreditatem ab affectis Parentibus. Prętereà, si æquè per vitę cursum mutationes istas Corpus subeat, aut si plus Salubritatis, quàm Insalubritatis participet, vel viceversa, aliarum differentiarum Neutrum fiet; sicut pariter, si vicissim modò salubritatem, modò insalubritatem per ętatum mutationem nanciscatur, de quibus non est ut fusiùs agamus, cùm facillimè ex dictis pateant.

Ex hactenus dictis de Neutrorum Corporum differentiis, unica gravior difficultas solvenda remanet, atque illa est, ad quamnam differentiam referenda sint Neutra Convalescentię, & Decidentię. Quoniam enim exempla Neutrorum frequentiora apud Medicos sunt illorum Corporum, quę mox sunt in Morbum lapsura, aut nuper à Morbo evasere, quę revera neque ęgra, neque sana dici merentur; propterea dubitatur apud Expositores, cujus generis illa sint, & ad quam classem revocari debeant. Turisanus inhęrens Avicennæ 2. *prim. doctr.* 1. *cap.* 2. arbitratur Corpora Convalescentia, & Decidentia referenda esse ad Neutra *primi significati*, ideft per exclusionem utriusque extremi; quia, inquit, ejusmodi Corpora mediam formam habent inter eas, quæ Sanis, & Ægrotis conveniunt; atqui hæc videtur competere Neutris *primi significati*. Sed revera omnia Neutra tum *Primi*, tum *Secundi*,

di, & *Tertii significati*, mediam quandam formam habent, ob id enim Neutra vocantur, quia Media sunt inter extrema. Rectiùs idcircò dicendum, pertinere illa ad Neutra *secundi significati*, quia prędicta Corpora Convalescentia, & Decidentia participant de utroque extremo, authoritate Galeni *lib. de constitut. Art. cap.* 19. *&* 20. ubi Corpora Decidentia, & Convalescentia aliquid causæ morbificę participare ait; quod latiùs ostendit hoc eodem *lib. Artis Medicæ cap.* 82. , *&* 5. *de sanit. tuend. cap.* 4. ; quibus in locis, etiam Senes ad Neutra *secundi significati* revocat, tanquam aliquid participantes de Sanitate, & de Morbo; nam Convalescentiam, & Senectutem vocat ipse Morbos quosdam, vel Sanitates quasdam lubricas: Et Hippocrates *de Convalescentibus*, 2. *aphor. text.* 12. dixit: *Quæ relinquuntur ex morbis post judicationem, recidivas facere consueverunt*. Ex neutris autem *secundi significati*, videntur eadem reducenda potiùs ad Neutra *Nunc*, quàm ad alia, ut præ cæteris inculcat Sanctorius *hoc loco*.

Peroratione tandem concludit Galenus Sextum Caput, & Ultimum Primi Libri, inquiens, se sufficienter explicasse Salubre, Insalubre, & Neutrum Corpus, & quale unumquodque sit. Deinceps verò de Signis dicendum. Et hactenus de Primo Libro.



LIBER SECUNDUS.

CAPUT I.

Quod est VII. in Galeno.

De Signis Salubribus.

TEXTUS.

(T.1.) *Sunt autem & ex his Salubria quidem, quæcumque præsentem indicant sanitatem, & futuram prænunciant, & præteritam memoriæ subjiciunt. Insalubria verò, quæ & præsentem indicant ægritudinem, & futuram prænunciant, atque præteritam memoriæ subjiciunt. Eadem ratione Neutra dicuntur, quæ neutram dispositionem ostendunt, prænunciant, & memoriæ subjiciunt, & quæ nihil omnino de dispositionibus indicant, vel nihilo magis Salubrem, quàm Insalubrem dispositionem ostendunt, & quæ partim quidem Salubrem; partim verò Insalubrem indicant dispositionem; & quæ aliquando quidem Salubrem, aliquando verò Insalubrem, & hæc quoque secundùm tria tempora veluti Salubria, & Insalubria appellantur. Vocantur autem nonnunquam à Vetustioribus Medicis hæc omnia, Signa Prænunciativa, quamvis præsentium, ac præteritorum sint indicativa: usus verò non parvus ex Prænunciativis, atque Indicativis, minor autem ex his, quæ memoriæ subjiciunt.* (T.2.) *Cùm verò sint Salubria Corpora, hæc quidem Simpliciter, hæc verò ut Nunc, quæ & benè valentia dicuntur, Salubrium Simpliciter Corporum duplicem diximus esse differentiam: quoniam nonnulla quidem Semper, nonnulla verò ut Multum essent talia. Et Semper quidem, quæ optimam constitutionem sortita sunt: Ut Multum verò, quæ non magnoperè ab illa recedunt.*

PARAPHRASIS.

A Corporibus ad Signa transit, atque illa, non secus ac Corpora, dividit in Salubria, Insalubria, ac Neutra. Ex Salubribus autem alia præsentem indicant Sanitatem, & dicuntur Diagnostica; alia futuram prænunciant, & vocantur Prognostica; & alia demum præteritam in memoriam revocant, atque Anamnestica nominantur. Insalubria pariter vel præsentem indicant ægritudinem, vel futuram prænunciant, vel præteritam memoriæ subjiciunt. Quòd si simul Signa indicent præsentia, prænuncient futura, & ad memoriam revocent præterita, Tritemporea appellantur; quia simul tria Tempora demonstrant. Non dissimili ratione, Neutra subdit dici, quæ Neutram dispositionem ostendunt, prænunciant, aut in memoriam reducunt. Cùmque Neutra Signa per ordinem ad Neutra Corpora sint directa, adeoque Primi, Secundi, & Tertii significati, propterea Neutra Signa juxtà Primum significatum esse docet, quæ nihil omninò de dispositionibus extremis indicant, cùm Neutrum Primi significati sit per negationem utriusque extremi; vel etiam esse illa, quæ non magis Salubrem, quàm Insalubrem Constitutionem ostendunt. Neutra verò Signa juxta Secundum significatum inquit esse, quæ partim Salubrem, partim etiam Insalubrem dispositionem significant. Demum Signa Neutra juxtà Tertium significatum esse, quæ aliquando Salubrem, aliquando Insalu-

brem

brem demonstrant dispositionem. Horum signorum exempla ex inferiùs dicendis patebunt.

Præterea edocet Galenus, quòd antedicta Signa tam Prognostica, quàm Diagnostica, & Anamnestica, indiscriminatim à Vetustioribus Medicis Prænunciativa fuerint appellata, quamvis non omnia futurorum, sed præsentium, & præteritorum sint indicativa: quod etiam confirmat *lib.* 1. *de præsagitione ex pulsibus initio*, ubi inquit: *Non esse futurorum tantùm Præscientiam, sed præsentium etiam, & præteritorum, satis id olim demonstravit Hippocrates*; quemadmodùm colligi posse videtur *ex primo prognosticorum* 2. ubi *Medicus præsentiens, & prædicens coram ægro præsentia, præterita, & futura, quæque Infirmi omittunt, enarrans, creditur agnoscere magis ægri conditionem; Hinc audent homines magis se concredere Medico*. Hæc Hippocrates. Et quidem præterita, vel præsentia, antequàm ab Infirmo referantur, si à Medico prænotentur, certè præsciri sana ratione dici possunt, quoniam prædicuntur, antequàm ab aliis memorentur.

Ampliùs utilitatem horum Signorum Galenus insinuat, atque ex iis majorem à Prænunciativis, & Indicativis, minorem verò à Rememorativis futuram ait; quoniam illa futurum eventum vel salutarem, vel lethalem prædemonstrant; unde non parum gloriæ inde Medicis accedit, eaque præsentem quoque ægritudinem notam faciunt, qua fortasse ignorata, curatio nulla institui posset. Rememorativa verò conferunt solùm ad confirmanda ea, quæ per signa Diagnostica cognita sunt; quin aliquando solùm Causas procatarcticas, seu Occasiones, unde quis ægrotare cœperit, patefaciunt.

Denique juxta superiùs traditas Corporum, & præcipuè Salubrium, differentias, Signa relaturus, repetit, Corpora alia esse Salubria *Simpliciter*, alia *ut Nunc*, alia *ut Semper*, seu *Omninò*, alia *ut Multum*, seu *Magna ex parte*. Et *Semper* quidem, quæ optimam constitutionem sortita sunt, *ut Multum* verò, quæ nòn magnopere ab illa recedunt; atque de horum Signis deinceps latissimè agit; & primò de Signis optimæ constitutionis.

CAPUT II.

VIII. in Galenò.

De Signis optimæ Constitutionis.

TEXTUS.

Horum autem dignotiones sumendæ sunt ab iis, quæ secundùm essentiæ rationem ipsis insunt, & ab iis, quæ ex necessitate consequuntur, operationibus, symptomatibúsque, idest casibus, qui propriè accidentia vocantur. (T.3.) *Ab essentia quidem ipsa, eorum, quæ optimam habent constitutionem: commensuratione Consimilium quidem, in caliditate, frigiditate, humiditate, & siccitate: Instrumentalium verò, in quantitate, ac numero eorum, ex quibus componuntur, ac præterea formatione, situ partium singularum, ac totius instrumenti. Ex his verò, quæ ex necessitate consequuntur Consimilia, quantum quidem attinet ad tactum, à mediocritate, quæ in mollitie, ac duritie consistit: quantum verò ad aspectum, à colore optimo, & lævitatis, atque hispiditatis mediocritate. In Operationibus, à perfectione, quam & ipsarum virtutem appellamus. Ab his verò, quæ Instrumentarias partes consequuntur, à commensuratione, & pulchritudine omnium totius Corporis instrumentorum, ac præterea ab earum, quæ ipsis insunt, virtute operationum. Optimæ igitur constitutionis Corporum Signa indicativa*

tiva sunt hæc. (T.4.) *Eorum autem, quæ ab ipsa deficiunt, & adhuc tamen Salubria existunt, nonnulla quidem in Consimilium temperatura vitium aliquod parvum habent; nonnulla verò in Instrumentariorum commensuratione, & hoc quoque perexiguum. Accidit autem hoc vel in omnibus, vel in aliquibus, aut in utrisque. Vitiorum verò genera eadem sunt cum his, quæ virtutem perficiunt, temperatura quidem in Consimilibus, numerus autem, & formatio, & magnitudo, & situs in Instrumentariis, utrisque verò communis Unitas; quam & ipsorum Continuitatem appellamus.* (T. 5.) *In his autem ipsis generibus sunt Corporum Insalubrium vitia secundùm utrumque Insalubritatis significatum. Terminus autem, qui utrumque distinguit, est operationum læsio sensibilis.* (T.6.) *Quæ verò ab optima Corporum constitutione breve aliquid deficiunt, revera quidem & ipsa in aliquo sunt offensa, non tamen id sensu comprehenditur. Distinguuntur verò ex eo, quod magis, minusve in operationibus existit, & quia Causis, quæ ægritudinem pariunt, non æquè resistunt. Quæ autem simpliciter Insalubria sunt Corpora, distinguuntur ob id, quòd facilè à causis Insalubribus superantur; & quoniam in vigore operationum plurimùm deficiunt. In medio autem amborum collocantur Neutra, tum quæ exquisitè appellantur, tum quæ cum latitudine quadam.* (T.7.) *Quo fit, ut tota Sanitatis latitudo in tres partes, quarum singulæ latitudinem habent non parvam, dividatur. Erit autem prima quidem Salubrium Corporum, secunda Neutrorum, tertia Insalubrium. Post quæ deinceps sequuntur, quæ jam ægrotant Corpora, quæ sensibilibus operationum læsionibus distinguuntur.* (T.8.) *Quæ igitur dolore infestantur, & quorum motus sunt depravati, aut omninò interierunt, manifestas habent determinationes. Quæ verò imbecilles edunt operationes, in magnis quidem distantiis, facilè discernuntur, in parvis verò ambigua sunt; atque idcircò in eo genere noxæ collocatur dispositio, quę Neutrius contrariorum est particeps, quam & ipsam Neutram diximus appellari: Ita tamen ut horum omnium sensus sit Judex, non ipsa Natura rerum inspiciatur, ne periculum sit in dogma perpetuę passibilitatis incidere.* (T. 9.) *Et quidem Signa Sanorum Corporum, sed quę aut Insalubria, aut Salubria, aut Neutra existunt, quantitate distantię differunt, duobus invicem contrariis terminis à nobis statutis, optima videlicet constitutione corporis, & nuper facta ęgritudine, ac deinceps considerantibus, utri eorum viciniora sint ea, quę ad examen Corpora veniunt: quę enim proximiora sunt optimę constitutioni, Salubria: quę verò ab hac longiùs distant, atque ad ea, quę jam ęgrotant, magis accedunt, Insalubria: quę autem intermedia, atque ęqualiter ab utrisque distare videntur, Neutra erunt.* (T. 10.) *Optimę igitur Constitutionis Corporis indicia explicavimus. Eorum verò, quę ab ipsa deficiunt, totidem sunt numero genera, quę in magis, & minus secari possunt.* (T. 11.) *Cùm autem in tres latitudines divisa sint, Corporis Insalubris simpliciter indicia trademus: ex his enim & reliquę duę latitudines innotescent. Generaliter igitur priùs à nobis in eo, quem de optima constitutione sermonem habuimus, dictum est. Specialiter autem nunc dicetur, si priùs partes diviserimus.*

PARAPHRASIS.

PLura docet in hoc Capite Galenus; & primò, postquàm Salubrium Corporum differentias retulit, ut fortasse ostenderet, ab illorum, utpotè perfectissimornm, diagnosi se incepturum, mox subdit: horum, idest Salubrium Corporum, dignotiones in universum ex tribus fon-

fontibus sumendas esse; videlicet ab his, quæ secundùm essentiæ rationem ipsis insunt, sive à substantialiter inhærentibus: ab his, quæ ex necessitate consequuntur, operationibus, sive ex necessariò consequentibus, actionibus, & effectibus: & demùm à Casibus, qui propriè Accidentia dicuntur. Substantialiter inhærentia appellantur ab eodem, Temperamentum partium similarium, & organicarum Structura, seu Compositio. Et quidem Temperamentum dicitur apta dispositio necessaria ad esse, & conservari mixtorum; quin ab eodem Galeno 1. *de usu partium cap. 9.*, 1. *method. cap. 6., & alibi,* dicitur Natura, seu Proprietas in quarto modo dicendi per se mixtorum. Compositio pariter, seu Structura partium organicarum, constitutionem ipsarum, & essentiam constituit; neque enim per aliud pars organica, seu dissimilaris talis est, quàm per Compositionem. Quæ ex necessitate consequuntur operationes, ita intimam partium Naturam comitantur, ut ab earumdem partium sive Simplicium, sive Compositarum constitutione inseparabiles sint; unde Signa desumpta ab operationibus longè fideliora cæteris esse solent. Hinc fallitur Turisanus existimans operationes separari posse à Sano, vel ægro Corpore, puta dormire, concoquere, nutriri, &c.: nam sumpsit operationes in actu secundo, seu in exercitio, non autem in habitudine, ac in subjecto; quemadmodum, licèt Risus, seu actus ridendi sit separabilis ab Homine, non tamen ab illo sejungi potest Risus, ut est habitudo ridendi, tanquam proprietas essentialis illius; quamobrem Galenus 1. *de differ. morb. cap.* 1., considerans, quòd dum quis dormit, licèt nulla ipsius pars moveatur, aut operetur, sanus tamen est: quoniam scilicet non ab exercitio operationum, sed ab habitudine, seu potentia ad operandum, bonas, vel malas Corporis affectiones deducere oportet; proinde inquit: *Quoniam & dormientes, aut alioquin in tenebris, & otio degentes, aut sæpè discumbentes, neque ulla Corporis parte movemur, neque alicujus rei extrinsecæ sensum habemus, nihilominùs sani sumus: Hinc perspicuum est, quòd Sanitas non operatione, sed potentia potiùs est diffinienda.* Hæc ille.

At quid pro Casibus, propriè Accidentibus dictis, ipse intellexerit, gravior est hujus loci difficultas. Omissis autem aliorum expositionibus, rectiùs dicendum cum Sclano *lib.* 2. *Art. med. comment.* 2. in græco Codice Symptomata, pro Casibus legi, quæ tamen non propriè sumenda pro iis, quæ sequuntur morbum, ut umbra Corpus, sicuti habet idem Galenus *lib. de different. Syptomat. cap.* 2.; neque communiter accipienda, prout omne id significant, quod præternaturam est, quemadmodùm accipi posse docetur ab eodem Galeno *eod. lib. cap.* 1.: hoc enim pacto Symptomata non possent esse unum ex tribus principalibus Signis, quæ optimam Salubrium Corporum constitutionem attestantur: sed communissimè sunt intelligenda, prout non solùm significant, quæ præter naturam sunt, verùm etiam quæ sanis accidunt, sicuti usurpantur à Galeno 1. *methodi cap.* 8. *&* 9., ubi quæ sanis sunt Accidentia, ægrotis dicuntur Symptomata; quin ex Græco Codice in hoc textu legitur: *quæ propriè in Sanis* συμβεβηκότα, idest Accidentia dicuntur.

Secundò, ab his tribus fontibus particularia Signa deducit, & explanat, proindeque ait, Salubre Corpus dignosci ex optima temperie, seu contemperatione primarum qualitatum in partibus similaribus, & ex bona structura, seu conformatione, consistente in debita Magnitudine, determinato Numero, convenienti Situ, naturali Figura, & Ductibus expeditis par-

partium, organicarũ: quæ sunt conditiones eorũ, quę dicuntur essentialiter inhærentia.

Dignosci insuper subdit ex necessariò consequentibus, tum partium similarium bonam temperiem, tum partium organicarum meliorem structuram; nempe, ut interpretatur Sclanus *hoc loco*, ex robore, & excellentia virtutum in suis operationibus, videlicet si benè ratiocinetur, ac imaginetur, si acutè videat, & audiat, si perfectè concoquat, & appetat, &c.

Præterea, per ea, quæ sensibus subjiciuntur, præsertim Tactui, & Visui, illa colligit. Et quidem Tactum in Corpore Salubri percipere mediocritatem in mollitie, ac duritie; Visum verò observare colorem optimum, atque moderantiam lenitatis, hispiditatis in pilis, & in partibus Organicis rectam commensurationem, ac pulchritudinem omnium totius Corporis Instrumentorum.

Verùm, non hinc quis existimet ab his solùm Signis optimam salubris Corporis constitutionem esse deducendam; sed à pluribus aliis, de quibus fusè agitur ab eodem Galeno *in libris de Temperamentis*, *de Naturalibus Facultatibus*, & alibi: Meminit autem hìc dumtaxat præcipuorum, quoniam Methodus Definitiva expostulat brevitatem, qua summa rerum Capita tanguntur, & memorantur.

Tertiò, à modico recessu ab his enarratis Signis Corporis perfectè Salubris, recolligit Signa Corporis Salubris, *ut Multum*, atque inquit, illud parum deficere à præcedenti, adeoque leve aliquod vitium habere, vel in temperie partium similarium, vel in commensuratione organicarum, & vel in omnibus, vel in aliquibus, vel in utrisque. Hinc vel partes Similares parum intemperatæ erunt, vel Organicæ aliquod vitium patientur, aut in magnitudine, aut in numero, aut in situ &c., vel Unitas utrisque communis leviter soluta observabitur. Distinguitur itaque Corpus Salubre *ut Multum* à Salubri *ut Semper*, per aliquod parvum, ac perexiguum vitium in temperatura, aut in compositione; Unde fit, ut quemadmodum Saluberrimum Corpus *Semper*, seu *omninò*, omni vitio carens, vix in Natura reperibile sit; ita è converso, omnia ferè Corpora, quæ Salubria judicantur, ad Salubria *ut Multum* reducenda sint.

Quartò, quoniam Salubria *ut Multum* aliquod exiguum vitium admittunt, ut illa distinguat Galenus à corporibus Insalubribus, docet terminum, qui utraque distinguit, esse sensibilem operationum læsionem. Hinc Insalubrium Corporum vitia in universum, vel in Temperie, vel in Compositione, vel in Unitate consistere, adeoque Signa illorum ab his pariter derivare. Oportet autem, ut Corpus Insalubre *actu* ægrotet, sensibile vitium pati, quod nonnisi à sensibili operationum læsione dignoscetur. Cæterùm si Operationes læderentur insensibiliter, Insalubre *Nunc*, seu *actu* morbosum Corpus non constituerent, cùm sanitas latitudinem habeat, & tunc dicitur extra limites naturales divagari, cum operationes sensibiliter sunt læsæ. Atque hinc Galenus I. *de diebus decretoriis*, initium ægritudinis stabilivit faciendum esse à sensibili operationum læsione: & Avicenna, postquàm febrim definivit per calorem adauctum, subdit, non à qualicumque calore, qualis est ebriorum, & irascentium, febrem constitui, sed illum debere esse excedentem, & extra limites naturalitatis adauctum.

Quintò declarat Galenus, quibus Signis distingui debeat Corpus Salubre *ut Multum* à Corpore Salubri *ut Semper*, atque ait, Corpus Salubre *ut Semper* à Salubri *ut Multum* adeò parum differre, ut eorum differentia sensu minimè percipi queat; etenim salubre *ut Multum*, eodem modo tactu apparere temperatum in-

inquit, ac Salubre *ut Semper*, & visu æquè coloratum, obesum, aut gracile, sicut illud; solùm verò differentia aliqua sumi poterit à perfectione operationum; nam perfectiores erunt in Salubri ut *Semper*, quàm sint in Salubri *ut Multum*; quin efficacior erit potentia resistendi causis ægrotare facientibus in illo, quàm in isto. *Simpliciter* verò *Insalubria* Corpora internoscentur ex eo, quòd facilè à causis, quæ morbos inferre valent, superantur, & à perfectione operationum plurimùm deficiunt. Inter hæc denique collocabuntur, quæ Neutra exquisitè, seu *Simpliciter* appellantur, tanquam media Salubrium, & Insalubrium Corporum.

Sextò, ex his omnibus deducit totam Sanitatis latitudinem tres in partes dividi: Primam esse Salubrium: Secundam Neutrorum: Tertiam Insalubrium Corporum. Post hæc deinceps sequi subdit Corpora, quæ jam ægrotant, sensibilibus operationum læsionibus à superioribus distincta, & in latitudine Morborum posita.

Septimò, ut commodiùs distingui possent Corpora Insalubria, & Ægra, à Salubribus, & Sanis, in latitudine Sanitatis positis, necnon Salubria inter sese; dat Signa desumpta à triplici genere operationum læsarum. Hæ namque lædi possunt *abolitè*, *depravatè*, *&* *diminutè*, ex doctrina ejusdem *lib. de differ. Sympt.*: modò Sana, & Salubria Corpora distinguuntur ab Ægris, & Insalubribus per actiones abolitas, & depravatas, quæ inveniuntur quidem in Ægris, minimè verò in Sanis. Ubi per actiones abolitas non solùm simpliciter extinctæ intelligendæ sunt, sed quæ ad sensum abolitæ, & extinctæ videntur, sive in genere operationum Animalium, sive in genere operationum Vitalium, & Naturalium. In Sanis autem, & Salubribus Corporibus inveniri possunt actiones diminutæ, dummodò non multum à mediocritate recesserint, nam aliàs sensibilem læsionem paterentur. Itaque (ut optimè exponit Turisanus) intentio Galeni in hoc textu est declarare, quænam sint sensibiles operationum læsiones, quibus Ægra à Sanis, & Sana inter se invicem internoscantur: nam Sana ab Ægris per actiones abolitas, vel depravatas; Sana verò inter sese per actiones diminutas, sed absque multo recessu à mediocritate, & intra Sanitatis limites. Hinc qui de Visus acutie E. g. aliquantulum hebetata conqueritur, Sanus dicitur, licèt diminutam actionem patiatur, quia scilicet diminuta hæc actio videndi non tanta est, ut extra limites Sanitatis extendatur. In his autem distinguendis, ait Galenus, sensum judicem esse debere, non verò ipsam rerum Naturam, quia si natura judex statueretur, incideremus in Dogma ἀειπαθείας, seu perpetuæ passibilitatis: idest oporteret asserere, Corpora perpetuò ægrotare, neque posse in Natura inveniri Corpus propriè sanum, quod est maximum inconveniens. (a) Unde dicebat idem Galenus 3. *libro hujus operis*, *text.* 31. *Nisi operationis læsio sensibilis sanitatem ab ægritudine separet, sed qualitatem tantummodò dispositionis introspiciamus, perpetuæ passibilitatis dogma necessariò recipiemus, cùm nullus sit, qui omnes operationes optimas habeat.* Hæc ibi.

Octavò docet, quòd Signa dicantur Salubria, Insalubria, & Neutra ex eo, quia magis, vel minus accedunt ad optimam constitutionem, vel ad oppositam, nempè ægritudinem; ut propterea, quæ viciniora sunt saluberrimæ constitutioni, dicantur Salubria; quæ verò ad ægritudi-

---

(a) *Et quidem Corpus Adæ à Deo constructum oportuit esse* Simpliciter *Salubre: Itemque Corpus Christi Domini.*

dinem magis accedunt, Inſalubria: quæ demum in medio poſita, non minùs ad hanc, quàm ad illam inclinant, Neutra vocantur: & prout operationes perfectiores, vel imperfectiores fuerint, ſtatum vel Salubrem, vel Inſalubrem, vel Neutrum demonſtrabunt.

Tandem concludit hoc Caput Galenus inquiens, in poſterum ſe traditurum Signa Inſalubris Corporis; nam Cognitis Signis Salubrium mox memoratis, nec non Signis Inſalubrium Corporum infrà referendis, facilè quoque internoſcentur Signa Neutrorum, quæ media ſunt inter Salubria, & Inſalubria. Verùm antequàm Signa Inſalubrium Corporum proponat, de generali partium Corporis diviſione verba facit, de qua ſequenti Capite.

CAPUT III.

IX. In Galeno.

Quot ſint Differentiæ partium.

TEXTUS.

(T. 12.) *Sunt verò earum quatuor univerſæ differentiæ, quoniam nonnullæ earum principia quædam exiſtunt: aliquæ verò ab ipſis originem habent: aliquæ nec aliarum gubernationi præſunt, neque ab aliis gubernantur, cùm inſitas habeant à Natura potentias, à quibus reguntur: quædam verò ſunt, quæ inſitas ſimul, & aliunde emanantes habent. Principia igitur ſunt Cerebrum, Cor, Hepar, Teſticuli. Ab his verò ortum habent, atque eiſdem ſubminiſtrant; Nervi quidem, & Spinalis Medulla Cerebro: Cordi verò Arteriæ: Hepati Venæ: ipſa verò Seminaria vaſa Teſticulis. Quæ autem à ſeipſis gubernantur ſunt Cartilago, Os, Copula, ſeu Ligamentum, Membrana, Adenes, Adeps, Caro ſimplex. Reliquæ verò partes cùm unà cum iſtis habeant ex ſeipſis regimen, arteriis, nervis, & venis inſuper egent. Capillorum autem, atque Unguium neque regimen ullum eſt, ſed generatio tantummodò. Hæ igitur ſunt partium differentiæ.*

PARAPHRASIS.

UT meliùs Signa Inſalubrium Corporum percipiantur, proponit hoc loco Galenus partium humanum Corpus componentium præcipuas quaſdam differentias; earum ſcilicet, à quibus ultimò diſponuntur ad actiones peragendas, & à quibus perturbatis, alteratiſque, cæteræ quoque turbantur, alteranturque; propterea totus eſt in hoc Capite, ut explicet, enarretque partes tum Principes, tum Subjectas. Primùm autem quatuor differentias partium proponit, mox verò eaſdem exemplificat, & determinat.

Inquit itaque, ex partibus humanum Corpus componentibus alias eſſe Principales, quas ipſe Principia vocat, & alias, quæ ab illis originem habent. Nonnullas præterea eſſe independentes, quæque à ſeipſis reguntur, nec aliarum dominio ſubjacent, aut ab illis aliquid exigunt; quaſdam denique, quæ inſitas quidem operandi potentias habent, ſed tamen egent influxu à ſuperioribus delato. Primi generis ponuntur Cerebrum, Cor, Hepar, & Teſtes. Secundi generis Nervi, Arteriæ, & Venæ. Tertii generis Oſſa, Ligamenta, Cartilagines. Ultimi denique generis reliqua viſcera, nempe Pulmo, Ventriculus, Lien, Renes. Cùmque de Capillis, & Unguibus quis dubitare potuiſſet, in fine Capitis addit, illis nullum regimen competere, ſed generationem ſolùm, ideſt non eſſe partes viventes Corporis, adeoque præſtare ſolùm uſum, non verò actionem exercere.

re. Verùm singulá perpendamus, & examinemus.

De Principátu Partium vetusta nimis apud Medicos quæstio est, & frequenter in Scholis agitata, potissimùm inter Aristotelicos, & Galenicos, quorum primi solum Cor, secundi verò etiam Cerebrum, & Hepar, atque ex hoc Galeni loco, Testes adhuc admiserunt, quibus alii addidere Ventriculum, Pulmonem, & Lienem. At verò quid in hoc sit à nobis determinandum, absque eo, quòd à Galeno recedamus, breviter aperiemus, examinata in primis Natura, cum necessariis conditionibus, ad Partis principatum requisitis.

Principem partem Galenus nedum hoc locò, sed alibi etiam passim expressurus, aliquantulùm varius sanè visus est. *Lib.* etenim *6. de usu partium cap. 7.* partem Principem docet triplicis generis statui posse: aut relatam ad vitam *Simpliciter*, aut ad vitam commodiòrem, aut ad utriusque conservationem, & speciei pariter propagationem. Ad vivendum *Simpliciter* subdit, *14. ejusdem operis cap. 1.* partes necessarias esse, Cerebrum, Cor, & Hepar: Ad commodiùs vivendum Oculos, Nares, Aures; Ad ambarum conservationem, Ventriculum: Atque ad Speciei propagationem Testes, Pudenda, & Uterum. Sed clariùs *lib. 6. de placit. Hipp. & Platon. cap. 4. & 6.* Principem partem dicit esse, quæ iis, quæ ex se oriuntur, vim, vel materiam saltem suppeditat, atque impartitur. Hinc ferê communiter deducunt, tres præcipuas conditiones ad Partis principatum requiri: Primam, ut subjectas partes gubernet, ab illis non gubernata, ideoque influxum eisdem communicet, eundem influxum non recipiendo. Secundam, ut vim, vel materiam saltem toti corpori transmittat. Tertiam, ut sit simpliciter ad individui vitam necessaria.

At his pòsitis, pleráque haud facilè sustineri poterunt pro Galeno, præsertim si res ad Autopsiam, & ad Anatomen referatur. Quamvis enim Cerebrum, & Cor partes Corporis principales statuere velimus, eò quòd istæ influere videantur in Corpus, sintque simpliciter ad vitam necessariæ; si tamen vitæ commodum, & diuturnam ejusdem conservationem attendamus, profectò etiam Ventriculus, Organa sensuum, Pulmo, aliæque partes plurimæ inter Principes referendæ erunt; cùm sine illis vel diuturnam vitam ducere nequeamus, vel saltem infelicem admodùm vivamus. Prætereà Hepar in consortium Principalium partium collocare repugnat Anatomiæ, qua jam satis superque constat, omninò ab assignatis conditionibus illud deficere: neque enim vim, neque materiam toti Corpori communicat, cùm potiùs recipiat Sanguinem, qui nutritioni partium superfuit, per venas remeantem. Facta siquidem ligatura in quacumque vena, (præter cavæ ascendentis truncum Cor pertingentem,) tumor conspicitur in parte extremum Corporis respiciente, inanitus ex adverso, qua parte Jecur spectat: quin & valvulæ per longitudinem venarum dispositæ id ipsum quoque manifestè attestantur; admittunt namque illæ refluentem sanguinem, admissum verò versus Jecur, omninò prohibent, ne relabatur. Ulteriùs Chylum Antiquioribus creditum in Hepar tendere, potiùs per thoracicos tubulos Cor adire, nuperrimè observationibus innumeris demonstrarunt Pecquetus, Van-Horne, Thomas Bartholinus, Blasius, Stenonius, aliique plures, ut propterea de re hac ampliùs dubitare stultitiæ sit argumentum. Et quamvis Harveo aliquando visum sit, aliqualem saltem portionem Chyli, venas Meseraicas subire, ac venam Portam, & Jecur ingredi; contrarium tamen evicit Thomas Bartholinus *in* *Spi-*

Spicilegiis Anatomicis, *dissertatione de Hepate Exauthorato*, *& Tumulato*. Hæc porrò si innotuissent Galeno, procul dubio à consortio Principalium partium Hepar eliminasset, quemadmodùm de Naturali Spiritu in Jecore genito valdè dubitat 12. *meth. cap.* 5. Ni tamen in gratiam Galeni dicere velimus, hìc eum de principiis, seu origine solùm quarumdam partium mentionem facere voluisse, qua ratione Cerebrum Principium, & Origo Nervorum est, Cor verò Arteriarum, & Hepar Venarum; cùm observemus ductus istos, qua parte majores, & latiores sunt, in ipsis implantari.

Testes insuper, quamvis hoc loco inter Principes partes Galenus connumeret, alibi tamen excludit, & tres tantùm enumerat partes Principales, Cerebrum, Cor, & Hepar, ut legere est 7. *de usu part. c.* 21., 12. *method. cap.* 5., 7. *de placit. Hipp.*, *& Platonis cap.* 4., *&* 6. *& alibi pluries*; quin, si Principia hoc loco dixit esse, ex quibus reliquæ partes originem ducunt, quænam quæso partes, quive ductus ex Testibus pronascuntur? Certè nulli patent ex Anatome. At dices, unde igitur est, ut castrata animalia hebetiora evadant, licèt pinguescant? proculdubio è resectis Testibus masculeum robur deperiisse fatendum. Omissa Aristotelis responsione, pinguescere dicam castrata animalia ex abundantiori glutine sanguini ingenito, & plurimùm partibus applicito, quod cæteroqui per vasa seminalia in Sperma transire debebat: à copiosiori autem substantia glutinosa vigor Sanguinis, indeque robur corporis obtunditur; unde sicut Sanguis nutritioni aptior evadit; sic è converso vivificandis partibus fit ineptior. Sed & idem Galenus 1. *de semine cap.* 15. Testes dixit principia dumtaxat esse benè vivendi. Et quamvis Testes ejusmodi sint, ut nedum Corpori vigorem conferant, sed etiam fœcundum semen reddant, non tamen sunt simpliciter ad vitam necessarii: quæ conditio omninò necessaria videtur esse partium Principatui: Jure ergo ferè communiter munus hoc illis denegatur. Verùm si eorum, quæ superiùs ex Galeno retulimus, meminerimus, erunt tamen Testes ad Speciei propagationem necessarii. Non minus enim vivens quodlibet ex insita Natura sibi ipsi consulere debet, quàm propriæ speciei propagationi, documento Aristotelis 8. *de histor. Animal. cap.* 1. ejusdemque Galeni 14. *de usu partium cap.* 1. Atqui hoc loco Galenus latiori significatione Principia, seu Principes partes sumpsit, ex dictis. Unde autem Semini fœcunditas, & generandi vis accedat, alibi à nobis explicatum, in Parte Medicinæ Theoretica.

CAPUT IV.

X. in Gal.

De Signis Cerebri.

TEXTUS.

(T. 13.) INdicia autem singularum temperaturæ, sumpto à Cerebro initio, deinceps dicemus: Sunt verò quinque universa genera, quæ ipsius naturam ostendunt. Primum quidem totius Capitis dispositio: secundum verò sensibilium operationum virtus, & vitium: & tertium activarum: quartum earum, quæ tenent principatum: & quintum naturalium. Aliud verò genus, præter hæc omnia, est ea, quæ ab extrinsecus occursantibus advenit alteratio. Et quidem totius Capitis dispositio ex magnitudine, & figura sumitur, atque capillis.*

PARAPHRASIS.

CUm dixiſſet ſuperiori Capite Galenus, à partibus Principalibus reliquas ſubjectas partes, imò & totum corpus affici poſſe, eò quòd vis quædam, ſeu influxus, aut materia exinde ſuggeratur; propterea hoc Capite Cerebri temperierum indicia primum refert, quibus ſcilicet dignoſci poſſit, num illud ad calidum, vel ad frigidum inclinet, ſubindeque dijudicetur de reliquarum partium ſubjectarum temperatura. Antequàm autem ſingulatim intemperierum Signa afferat, proponit quinque generales fontes ſignorum, unde ſinguli defectus, eorumque indicia deduci queant, ad internoſcendas quaſcumque Cerebri intemperies, intra Sanitatis tamen limites. Nam Intemperies, ſeu Dyſcraſia ex doctrina ejuſdem Galeni tum *hic*, tum in *libris de temperamentis*, *& alibi*, duplex eſſe poteſt: altera Naturalis, quæ in latitudine ſanitatis ponitur: altera omninò Præternaturalis, delapſa nimirum in morbi confinia. Inquit idcircò, quinque eſſe genera Signorum, quæ Cerebri naturam oſtendunt. Primum deſumitur à totius Capitis diſpoſitione. Secundum ex Senſilium operationum ad Cerebrum pertinentium virtute, ſeu robore, & vitio, ſeu defectu. Tertium à bona, vel mala operationum activarum affectione. Quartum à vi, & habitudine operationum, quæ principatum poſſident. Quintum denique ab operationibus naturalibus. His quinque fontibus, tanquam præcipuis, & principalioribus, adjicit alium ab extrinſecis deſumptum; puta à juvantibus, & nocentibus. Sed ſingula clariùs explicemus.

Primò, quod ad Capitis diſpoſitionem, hæc ut idem Galenus explicat, comprehendit Magnitudinem, Figuram, & Capillos, quibus Caput ipſum obtegitur. A magnitudine enim, vel parvitate Capitis, ſicut etiam ab ejuſdem figura, arguitur Formatricis virtutis robur, aut languor, in prima membrorum formatione; necnon materiæ ſeminalis conformitas, vel difformitas; aptitudo, vel ineptitudo, de qua infra. A Capillis verò, caloris, & temperiei naturalis conſtitutio; ac materiei, unde illi progignuntur, conditio, ut propterea ab his colligere liceat an totius Capitis, & Cerebri valetudo bona ſit, vel mala.

Secundò, quod ad virtutem, vel vitium Senſilium operationum, obſervandum, an illæ validæ, vel imbecilles ſint. Pro ſenſibilibus autem operationibus intelliguntur quinque ſenſus externi, cum ſenſu interno, qui ponitur communis judex illorum. Quamobrem ab horum ſenſum perſpicacitate, colligitur pariter caloris robur, & bona temperiei diſpoſitio, contrà verò, ex contraria eorundem habitudine.

Tertiò, quod ad operationes activas; pro illis intelligendi ſunt motus omnes præſertim arbitrarii, qui ad actiones reducuntur, juxta Doctrinam Ariſtotelis 2. *de Anima*: ubi movere quoddam agere dicitur, ſentire verò quoddam pati: quare qui motum velociorem, & validiorem exercent, calidi dicuntur, qui verò tardum, ac debilem, frigidi.

Quartò, quod ad operationes Principatum obtinentes, ponuntur iſtæ quæcumque procedunt ab Imaginatrice, Ratiocinatrice, & Memoratrice; nam quemadmodùm iſtæ benè, vel malè ſe gerunt, ſic pariter variam deſignant Cerebri conſtitutionem; undè acutiori judicio præditi, calidiores obſervantur; & ex Galeno *Commentario ſuper librum de Natura Humana*, ubi viget acuta, & velox Ratiocinatio, ibi quoque calor vegetior indicatur: contra Senes immemores fiunt,

quia

quia cerebro labefactantur. Dicuntur autem hæ facultates Principatum habentes, græcè ἡγεμονικαὶ Hegemonicæ, quia cæteris nobiliores, superioresque sunt, atque in omnes sensus externos, & in motus corporis imperium sustinent, si cum arbitrio conjungantur.

Quintò, ex facultatibus naturalibus Signa quoque Cerebri desumuntur; siquidem Cerebrum, ut pars vivens, eget nutrimento, quo increscat, vigeat, & operetur: illudque debet apponi, atque in ejus substantiam converti: indeque excrementa, quæ emergunt, convenienter repurgari; Quamobrem, si hæc perperam fiant, debile Cerebrum indicatur, quemadmodum experimur in Senibus, aliisque Capite imbecillibus; unde Hippocrates 6. *aphorism. 2.* dixit, eos, qui natura nares nacti sunt humidiores; minùs sana frui constitutione.

Denique à Juvantibus, & Nocentibus indicia quoque desumuntur; puta si à calefacientibus, Aere, Cibo, Potu, cæterisque Caput, Cerebrumque incalescat, ad calidum illud inclinare judicabitur; & si à frigefacientibus frigefiat, ad frigidum. Ita de aliis. Sic contra si frigorifica alterantia prosint, illud ad calidum esse intemperatum designabitur; ad frigidum verò, si à calorificis foveatur.

CAPUT V.

XI. in Galeno.

De parvitate, & magnitudine Capitis.

TEXTUS.

(T. 14.) *Parvum igitur Caput vitiosæ constitutionis Cerebri proprium est indicium; magnum verè non necessariò indicat bonā Cerebri constitutionem: Sed si quidem ob insitæ virtutis robur, quæ multam, atque optimam materiam efformaverit, eveniat, optimum est signum; at si ob materiæ tantùm multitudinem, haudquaquam bonum. Distinguenda verò sunt hæc & ex figura ipsa, & ex his, quæ ab eo habent ortum. A figura quidem ipsa, si concinna: semper enim hoc bonum est signum. Ex his autem, quæ ab eo ortum habent, si valida est cervix, & si aliis ossibus optimè constet, atque omnis prætereà nervosa substantia boni sit habitus, ac robur habeat intentum. Propria autem Capitis figura est, veluti si excogitares sphæram exquisitè rotundam ex cera constructam, leviter utrinque depressam. In hac enim necesse est, ut posteriores, prioresve partes magis gibbæ fiant, quàm sphæræ conveniant: quæ verò utrinque consistunt, magis rectæ.* (T. 15.) *Quòd si ea, quæ secundùm occiput eminentia, aliquatenus minuatur, simul intueri oportet nervos, atque cervicem unà cum ossibus aliis. Nam si secundùm naturam constiterint, materiæ defectu, non virtutis imbecillitate hoc contingit: illis verò non rectè se habentibus, principium est debile. Sed magna ex parte defectus, qui occipiti eveniunt, consequitur eorum, quæ ante diximus, imbecillitas, rarissimèque aliter evenire consuevit. Caput etiam, quod secundùm occiput in acutiem tendit; animadvertere oportet, iisdem adhibitis distinguendi rationibus, quibus anteà in Capite grandiori facto utebamur. Ut plurimum verò & hic optimum est signum, figura concinna Cerebelli, quod nonnulli Medici posterius Cerebrum appellare consueverunt, quemadmodùm & posterius existit ea futura, quæ græcę literę Δ formam habet distinctam: Est verò hujusmodi pars spinalis medullę principium, & ejus ratione nervorum omnium, qui in toto animali sunt activi. Ipsa autem pars posterior per se ipsam paucos admodum sensitivos obti-*

obtinet nervos, plurimos verò activos. Sicuti & anterior sensitivos quidem plurimos, paucos admodum activos. Quare ubi bene fuerit affecta utraque pars, robustas habebunt propagines. (T.16.) *Eędem quoque distinctiones adhibendę sunt ad partes Capitis anteriores, ad frontem attinentes, quę etiam ad posteriores; earumdemque & parvitatem, & magnitudinem inspicere oportet, atque itidem figuram, & sensus ibi collocatos, Visum, Gustum, atque Odoratum. Hęc enim se invicem indicant, atque testantur, & quę à principiis oriuntur, principii virtutem, & vitium: & principium ea, quę ab ipso nascuntur.*

PARAPHRASIS.

ENarratis generibus Signorum, pro Cerebri temperierum dignotione, incipit nunc singula examinare. Et quoniam Capitis dispositionem ex magnitudine, & figura, atque capillis, sumendam esse dixit, proinde à magnitudine, & parvitate Capitis exordium facit. Et quidem neque parvum, neque magnum Caput probat, ea tamen differentia, quòd parvum vitiosæ constitutionis Cerebri proprium sit indicium; magnum verò, non necessariò bonam constitutionem indicet; posse tamen hanc optimam designare, si nimirùm in prima generatione à robore formatricis virtutis magnum constructum sit. At verò si solùm à copia materiei tale formatum sit, citrà virtutis formatricis vigorem, haudquaquam bonum magnum Caput esse prænunciat. Ut autem hæc duo internoscantur, num scilicet à formatrice valida, an verò à copia materiei solùm, magnum Caput ortum sit, prospiciendam subdit esse figuram, & ea, quæ ab ipso Capite ortum habent; unde si figura Capitis concinna sit, bonum erit indicium; sicut pariter si Cervix valida, atque alia ossa capiti adjacentia sint optimè constructa; & demum si Nervi inde prodeuntes, validi fuerint, adeoque in sensu, & motu robur ostendant. Quænam autem debeat esse Capitis figura, ut concinna dici possit, indicetque bonam Cerebri constitutionem, declarat his verbis; *Veluti si excogitares sphęram exquisitè rotundam ex cera constructam, paulatim utrinque depressam.* Et rationem affert, quia *in tali figura necesse est, ut posteriores, & anteriores partes plus gibbæ fiant, quàm sphærę conveniat; quę verò utrinque consistunt, magis rectę.* Et sensus est, quòd Caput ita figuratum, cùm non sit perfectè globosum, sed quodammodo oblongum, adeoque aliquantulum in lateribus, seu temporibus depressum, fit, ut in anteriori, & posteriori parte exuberans evadat pro operationibus sensitivis, ac motivis, valdè conferens, & accommodum. Idipsum confirmat 9. *de usu partium cap.* 17., ubi docet, debere Caput oblongum esse, ratione eorum, quæ à cerebro exoriuntur, nervorum nempe, mammillarium caruncularum, spinatæque medullæ, quæ per Capitis longitudinem ante, retroque liberiùs procedant. Decuit præterea Caput globosam figuram aliquantisper referre, tum ut cerebrum, ob sphæricæ figuræ capacitatem, commodiùs complecteretur, tum etiam, ut illud ab externarum ærumnarum incursionibus securiùs tutaretur, cùm apud omnes exploratissimum sit, ovales figuras adversus hostiles insultus tutissimum esse munimentum. Verùm licèt in lateribus expediens fuerit Caput aliquantisper deprimi, non tamen hujusmodi depressio tanta esse debuit, ut si profundior foret, Cerebri ventres, aliosque meatus angustiores redderet, non sine gravi Cerebri læsione.

Cur autem Caput magnum, præsertim à robusta formatrice constructum, bonum sit, ratio est, quia continet magnam Cerebri molem: ubi verò Cerebrum

brùm mole majus eſt, ibi quoque operationes animales efficaciores ſunt, ob abundantiores ſpiritus, ſolidioremque nervorum conſtitutionem, ac medullaris ſubſtantiæ quantitatem. Atque hinc etiam patet, cur parvum Caput malum dicatur, quia ventriculi in eo anguſtiores, Spiritus parciores. Nervi valdè exiles, & medullaris ſubſtantia modica eſt.

Verùm, quæ de magnitudine, & parvitate Capitis à Galeno dicta ſunt, magnam peperere apud Authores, & præſertim Phyſiognomiæ, & Anatomes peritos, diſſenſionem: cuinam ſcilicet Capiti, magno ne, an parvo laus tribuenda ſit. Ariſtoteles enim 30. *ſect.* problem. 3. parvum Caput commendare videtur; ſiquidem inquit, prudentiſſimum animantium eſſe Hominem, quia Capite minimo eſt: ſubditque, inter Homines ipſos, qui minori ſunt Capite, prudentiores eſſe, quàm qui ſunt grandiori. At verò *in Phyſiognomicis cap. 9. text. penult.* contrarium videtur affirmare, dùm ait, quòd qui habent magnum Caput, ſenſati ſint, & referantur ad Canes, puta Venaticos; qui verò parvum, inſenſati, & referantur ad Aſinos. Galenus verò tum hìc, tum alibi, & præſertim *6. epidem coment. 1. tex.* 3. parvum Caput nullo modo probat, commendatque magnum.

Conati ſunt plerique contradicentes hos Authores conciliare. Et quidem nonnulli dixerunt, Ariſtotelem *in Problemat.* loquutum eſſe de parvitate humani Capitis, facta comparatione ad Capita cæterorum Animalium; Galenum verò egiſſe de parvitate Capitis inter homines ſolum conſiderata. Attamen Ariſtoteles ibidem, adhuc inter homines, prudentiores eſſe ait, qui parvo ſunt Capite, quàm qui grandiori; unde non ſolùm comparat Caput humanum cum Capitibus Brutorum, ſed Capita Hominum inter ſeſe: quod etiam notàvit Septalius *ſuper expoſitione prædictorum Problematum*.

Exiſtimarunt alii, Ariſtotelem pro parvo Capite excarne, & macilentum intellexiſſe: Galenum verò, quod, ob calvariæ modicam capacitatem, paucam Cerebri molem continet: Ita præ cæteris exponunt Conciliator, & Forolivienſis, atque ex his Laurentius 10. *Anatomes cap.* 1., itemque Jo. Baptiſta Porta in ſua Phyſiognomia *lib.* 2. *cap.* 1. Sed & hos rejicit quoque relatus Septalius, quia quæ ſenſum effugiunt, dignoſci non poſſunt, ex eodem Galeno *hoc eodem opere, cap.* 75.

Aliter diſſenſionem hanc conciliat Sanctorius *hoc loco*. Ait enim, Galenum pro parvo Capite intelligere parvum improportionatum; per magnum verò optimæ conſtitutionis intelligere proportionatum; proportionem autem iſtam conferendam eſſe ad reliquas adjunctas partes Capitis, & Cervicis, imò totius Corporis. Sed ſuam quoque patitur difficultatem, nam Galenus agit de parvo, & magno Capite naturali, non monſtruoſo: modò ſi parvum conſideraſſet improportionatum, profectò illud monſtruoſum eſſet.

Septalius *loco citato* Ariſtotelem inquit commendaſſe parvum Caput cum minimo receſſu à mediocritate, Galenum verò non probaſſe illud cum magno receſſu ab eadem: laudaſſe è converſo magnum, non quidem nimiæ molis, ſed ad mediocritatem accedens; unde ſubdit, utrumque commendaſſe Caput mediocre. At hoc gratis fingit, cùm Galenus revera oppoſuerit magno Capiti parvum, nulla facta mentione de mediocri, de quo nulla poterat eſſe difficultas, quia, quod in cunctis rebus medium, & moderatum eſt, optimum pariter ſtatuitur.

Meliùs igitur, & magis cohærenter Galeno, dicamus, magnitudinem, &

parvitatem Capitis considerari posse cum duplici vitio, altero quidem materiei, ex qua Caput efformatur, & altero virtutis formatricis. Si parvum Caput sit, tum ex defectu virtutis, tum ex defectu materiei, proculdubio malum semper est, & in hoc sensu improbat illud hoc loco Galenus. Si verò parvum sit ex defectu materiei, non autem ex defectu formatricis, tunc reprobandum minimè erit, præsertim si deficiat solùm in ossibus, non autem in substantia medullari Cerebri. Magnum è contra, si referat tantummodò magnitudinem materiei sine robore formatricis virtutis, similiter malum est; at si molem exhibeat cum robore virtutis, quod dignoscetur ex concinna figura, & ex soliditate, firmitudineque ossium adjunctorum, optimum planè judicabitur. Quamobrem ea solùm Capita vitiosa sunt, quæ inconcinnam constitutionem, difformemque structuram sortiuntur, quoniam arguunt languorem formatricis virtutis, nequeuntis partes Capitis exactè conformare. Vel breviùs dicas, quòd Aristoteles improbat Caput magnum magnitudine ossium, quale est Brutorum; Galenus verò commendat magnum mole Cerebri, quale humanum esse debet, quod ex observatione Anatomicorum sextuplo ferè exuperat reliquorum Animalium Cerebella.

Sed liceat nunc, arrepta hinc occasione ex magnitudine, & figura Capitis, quidquid Physiognomici collegerunt, ad mores, & naturas Corporum dignoscendas breviter referre, cùm ex Galeno animi mores Corporis temperaturam sequantur: quod sanè valde utile existimandum cunctis Medicinæ Professoribus. Et quidem parvissimum Caput omninò malum, & indecens existimatur, documento Aristotelis *citato cap.* 9. *suæ Physiognomiæ*: Stolidorum enim proprium est indicium; Bubalo namque, Camelo, Struthioni, Pantheræ, Anseri, aliisque stolidis Animalibus Caput admodùm parvum inest, Cerebrumque minimæ molis. Addit pariter D. Thomas *Comm. in lib. Aristotelis de sensu, & sensili lectione* 5. parvissimi Capitis homines secundùm aliorum membrorum proportiones, impetuosos esse, iracundos, indociles, ac violentos; quod etiam confirmant Porta, Claramontius, & Honoratus Nicquetius, ex eo potissimùm, quia in parvo Capite minimum Cerebrum invenitur, adeoque ductus omnes angustissimi; quamobrem spiritus, halitus, & vapores, ac sanguis ipse, facili negotio incalescunt, & Cerebri operationes promptè admodùm turbantur, atque ad violentas actiones commoventur, & impelluntur. Hujus Cerebri parvitatis participes sunt fœminæ.

Acutum Caput, seu Pineatum, ex eodem Aristotele ibidem, inverecundi signum est: igneam enim arguit temperiem, quippe ignis motum, & conditionem imitatur, ad formam pyramidis, seu coni assurgentis: tales enim audaces sunt, & temerarii, adeòque inverecundi; de qua Capitis figura mentionem fecit Hippocrates 6. *epid. sect.* 1. *text.* 3.

Caput plus justo magnum pessimum quoque est, si potissimùm ad cætera membra improportionem habeat: arguit enim nimium humoris in ejus formatione collectum esse, ac illius meatus quodammodò gravari, & obstrui; unde ex quacumque causa facilè novis humoribus, & vaporibus oppletur, & lethargicas affectiones contrahit. Designat etiam sensuum hebetudinem, & mentis stoliditatem exemplo Capitatorum Animalium, ut sunt Asini, Noctuæ Aves, Cephali, Uranoscopi, aliaque Animalia relata à Jo: Baptista Porta *in sua Physiognomia naturali*, quæ stolidissima sunt. Quòd si Caput maximum appareat, sed Cerebrum in eo contentum minimum sit, pejus erit: nam tanta ossium moles Cerebrum gravat, estque hoc

ejus

ejus oneri ferendo, atque operationibus Animalibus rite peragendis insufficiens. Juxtà quem sensum intelligendus Aristoteles, qui homines parvo Capite retulit ad Asinos; non quòd hi magno Capite non sint præditi, sed quòd in magno Capite minimum Cerebrum contineant. Hic fertur Vitellium maximi Capitis Imperatorem, stultum, & ignavum fuisse.

Non adeò magnum Caput, imò aliquantisper ad parvum inclinans, parvitate ossium, non Cerebri, cum concinna figura, prudentiæ, fidelitatis, calliditatis, & versutiæ signum ponitur, ut in Cane, Vulpe, Simia: cujus magnitudinis fuisse fertur Caput Aristotelis; in his enim prævalet calor, cum naturali formatricis virtutis vigore, adjunctus tamen siccitati, cujus caussa partes externæ, & ossa extenuantur; internæ verò, & præsertim Spiritus, & Sanguis exacuuntur.

Aliquando demum majus Caput, Cerebri potiùs mole, quàm ossibus, & carnibus, omnium optimum observatur: Sicut enim virtutis robur, caloris vigorem, & aptam materiam arguit; sic pariter denotat sensuum internorum, & externorum perspicacitatem, animique constantiam, ac fortitudinem. Aristoteles, & Jo: Baptista Porta comparant ejuscemodi capite præditos Canibus sagacibus, venaticis, & Vertagis dictis, quibus Caput amplius, & frons latior inest. Hujus Capitis genere præditos Platonem, & Hippocratem fuisse ajunt, ut etiam testatur idem Jo: Baptista Porta. Et de his satis.

Præter totius Capitis magnitudinem, & figuram, considerat quoque Galenus anteriorem, & posteriorem illius partem, Sinciput scilicet, & Occiput, atque ait, Occiput non secùs, ac totum Caput, vel debito minus, vel solito majus esse posse. Et quidem si Occipitis eminentia longè solito minor sit, oportebit observare ea, quæ ab Occipitio oriuntur, nempè Cervicem, Spinatam medullam, & Nervos, quæ si secundùm naturam constiterint, hoc est, si rectè se habuerint in duritie, & mole, prædictus in diminutione defectus erit ob solam materiei deficientiam, neutiquam verò ob formatricis imbecillitatem, ideòque minus malum erit: contrà verò illis non rectè se habentibus, principium eorum, nempè Cerebrum, debile designabitur, simulque inferetur, tum materiæ inopia, tum formatricis virtutis languor; quare longè majus malum est. Adjicit præterea magna ex parte defectus, qui Occipiti eveniunt, consequi imbecillitatem Cervicis, Spinatæ medullæ, & Nervorum; rarissimè verò contingere, quòd cum Occipitis defectu robur conjungatur eorum, quæ ab ipso exoriuntur.

Quod autem spectat ad vitium in augmento: Caput secundùm Occiput in acutiem tendens, adeò ut turbinatum videatur, si pari modo adjacentia Ossa, Spinam, & Nervos benè se habentia obtinuerit, bonum; malum è contra, si prædicta hæc malè se habeant. At cujus partis, cujusve mali generis indicium sit, docet inferiùs Galenus, ejusmodi bonitatem, vel malitiam ad Cerebellum pertinere, quod à Sutura Lambdoidea comprehenditur; necnon ad operationes, quæ à Cerebello potissimùm proficiscuntur, quales sunt operationes motivæ, cùm Nervi à Cerebello provenientes ad motus potiùs conferre videantur; (a) sicut è converso procedentes à Cerebro potiùs ad sensus perficiendos inservire. Quid autem de Nervis, eorumque Origine, differentiis, & usu dicendum sit, ab Anatomicis petendum.

Quod denique dixerat de Occipite ad dignoscendam Cerebelli constitutionem, id

(a) *V. super hoc Willis in Cerebri, & Nervorum.*

ipsum intelligendum ait de Syncipite, pro Cerebri temperaturæ dignotione, num scilicet solito eminentius, aut depressius fuerit; & quemadmodùm in Occipite considerandà proposuit *Exorta*, & *Adjacentia*, nempè Nervos, Spinatam medullam, & Cervicem; ita in Syncipite subdit, observandos esse Sensus, quorum organa anteriorem Capitis partem occupant, videlicet Visum, Gustum, & Olfactum, in quæ anteriores Nervi per Cerebrum delati diffunduntur: si namque sensus isti rectè se habeant, depressio illa minùs mala erit, cùm solius materiei defectum arguat, non verò formatricis languorem; pejor autem erit, si ob sensuum imbecillitatem virtutis languor designetur. At si Syncipùt plus justo excreverit, tunc inspiciendum, an cum tali eminentia concinna figura conjungatur, cum exortis validioribus; his enim benè se habentibus, incrementum illud bonum, & laudabile erit; sin secus, contrà. Ex utroque autem incremento, Occipitis scilicet, & Syncipitis, magis esse commendandum idem Galenus inquit 6. *epidem. sect.* 1. *comm.* 3. incrementum Occipitis, quàm Syncipitis, fortè quia Occiput postremum Cerebri ventriculum contineat, qui putabatur ab eodem ultimus Spirituum animalium elaborator, atque Spinalis medullæ principium. Contrarium tamen arbitratur Vallesius *in comm. ejusdem loci*, qui vult præstare Syncipùt esse eminentius, ob Sensum communem, & Ingenium, quod potissimùm vigere videtur in Syncipite; sed & neque Spinalem medullam cum Nervis à Cerebello pendere, nec revera sinum ibidem contineri subdit.

At cur Galenus ad cognoscendam Cerebri constitutionem indicia non sumpserit ab Auditu, & Tactu, qui etiam per Nervos perficiuntur, & à Cerebro procedunt? Respondet Turisanus, pro dignoscenda anteriori Cerebri parte Galenum illis dumtaxat Sensibus usum esse, qui ab eadem anteriori parte originem ducunt, quales sunt prædicti tres; Auditus verò, cùm potiùs à laterali, & media regione oriatur, tanta virtute minimè pollet, ut significet partis Cerebri anterioris constitutionem. Tactus insuper cùm per totum corpus sit diffusus, non majorem vim significandi habet, quæ pertinent ad Syncipùt, quàm quæ ad Occiput, reliquasque Corporis partes.

At verò animadvertere decet, ex eodem Galeno, quòd licèt Principio benè se habente, nempè Cerebro, exorta, idest Nervi, & sensus inde dependentes, benè quoque se habere soleant; possunt tamen ob aliquam adscititiam causam exorta ipsa vitiari, illæso tamen principio, seu Cerebro; unde non valebit illatio ad convertentiam. Patet hoc evidenter in Cæcis, & Surdis, in quibus licèt Nervi visivi, & auditivi non rectè se gerant; principium tamen, seu Cerebrum quàm optimè se habebit, ut colligere erit ex Ratiocinio, Memoria, Judicio, aliisque animalibus operationibus; nam hi Sensus externi, illorumque Nervi poterunt offendi ab aliqua externa causa, citra Cerebri læsionem.

Pro coronide hujus Capitis, adjiciamus etiam indicia ex Physiognomicis petita pro depresso, vel eminenti Syncipite, & Occipite. Quibus itaque Syncipùt depressum est, ex Alberto Magno, insidiæ sunt familiares; sed rationabiliùs putat Porta hos Imaginativa destitui, nec tam facilè apprehendere, quàm memoria tenere. Expertus sum & Ego esse vaniloquos, & ignavos, facilèque sibi omnia fingere, atque quacumque de causa in utramque partem prospera, & adversa, facilia, aut difficilia persuadere, cujusmodi sunt fœminæ. Quibus verò depressum est Occiput, hebescit robur in motu musculorum, & solent esse obliviosi, duri, obstina-

ſtinati, atque in ſuis opinionibus pertinaces.

Sinciput è contra plus juſto elatum, duræ cervicis homines denotat, non facilè à præconcepta ſententia amovibiles; ſicut pariter Occiput eminens, niſi quòd in hoc robur aderit in motu, & ſenſu Tactus, præcipuè in partibus priores Spinatæ medullæ nervos obtinentibus.

De Fronte etiam lata ad inſtar Bovis, ſcribit Ariſtoteles, tarditatis, & pigritiæ indicium eſſe, atque obtuſioris ingenii notam: idemque fatetur Galenus *lib. quod Animi mores Corporis temperiem ſequantur*, confirmatque Rhaſis ad Almanſorem. Frons parva, & anguſta arguit mobilitatem ex eodem Galeno, & ſi anguſta quidem ſit, ſed aliquanto longior, præter mentis inquietudinem, Corporis etiam immunditiem portendit. Frons quadrata, inſtar Leonis, fortitudinem, & magnanimitatem denunciat. Rotunda verò, & circularis facilem ſignificat Animi iracundiam, & furorem, & maximam ad inſaniam contrahendam proclivitatem; ſicut pariter ſi plurimùm rugoſa fuerit. Tempora denique plus juſto concava ex Galeno *cit. libro*, deceptorem, & crudelem arguunt: id quod ſiccitati idem Author attribuit: ſiccitas autem calori juncta, ſicut calvitium ante tempus afferre ſolet, documento Hippocratis *6. epidem.* ità pariter callidum, aſtutum, & fraude plenum prænunciat. Verumtamen hæc omnia intelligenda ſunt juxta Naturæ, & ſenſitivæ Animæ inclinationem, cùm cæteroqui Ratione, Judicio, & Prudentia corrigi, mutari, atque etiam aboleri omninò poſſint. Et de his ſatis.

CAPUT VI.

XII. in Galeno.

De Operationibus obtinentibus principatum.

TEXTUS.

(T. 17.) *Earum autem operationum, quæ obtinent Principatum, virtus, ac vitium ſunt ipſius principii ſeorſum tantummodò indicia. Voco autem operationes principatum obtinentes, hoc eſt* Ἡγεμονικὰς, *quæ à ſolo principio proveniunt. Ingenium quidem igitur græcè* Ἀγχίνοια *ſubtilem Cerebri ſubſtantiam indicat: tarditas verò intellectus, craſſam: diſcendi verò facilitas, formarum facilè ſuſceptivam, memoria autem ſtabilem, ac firmam: ſicuti & diſcendi difficultas, formarum non facilè ſuſceptivam: & oblivio, fluidam; mobilitas quoque in opinionibus, calidam: ſtabilitas autem, frigidam.* (T. 18.) *Adhuc autem duo indiciorum genera mihi videor prætermiſiſſe, de quibus ſum ab initio me dicturum pollicitus: quorum alterum ad operationes attinet naturales, alterum verò ad ea, quæ extrinſecùs occurſant. Erit autem in utriſque Sermo communis.*

PARAPHRASIS.

Cum explicuiſſet ſuperiùs Galenus, quo pacto ex Capitis diſpoſitione, & ex functionibus ſenſitivis, ac motivis Cerebri temperatura eſſet dignoſcenda; declarat in præſenti, quomodò eadem ab actionibus principatum obtinentibus cognoſci quoque poſſit. Primùm autem docet, virtutem, ac vitium, ſive perfectionem, & imperfectionem principalium Cerebri operationum, ejuſdem dumtaxat indicia

dicia esse, quoniam operationes principatum obtinentes à solo principio, ideſt Cerebro, dependent, atque ab eo immediatè peraguntur, ideoque vim habent immediatiùs ſignificandi Cerebri conſtitutionem. Ità enim Imaginatio, Ratiocinatio, & Memoratio à Cerebro ſolùm proficiſcuntur, ut propterea nullius alterius ſenſus adminiculo egeant; ad differentiam operationum ſenſuum externorum, quæ licèt in organis fiant, perfici tamen nequeunt, niſi dependenter à Cerebro; Siquidem licèt viſio E. g. in Oculo fiat, non tamen independenter à Cerebro fieri poteſt, à quo Spiritus animales, & Nervos Oculus recipit: quin & non deſunt, qui haud irrationabiliter contendant, omnes ſenſiones in Cerebro fieri, quamvis per ſenſus externos, tanquam per feneſtras habeantur, inter quos eſt Manardus *in ſuis Epiſtolis*. De qua re alibi.

Subdit inſuper Ingenium ſubtilem Cerebri ſubſtantiam indicare; Intellectus verò tarditatem, craſſam oſtendere. Præterea diſcendi facilitatem indicium eſſe, quòd eadem Cerebri ſubſtantia formarum ſit facilè ſuſceptiva; contrà verò diſcendi difficultatem, quòd illa difficilimè formas ſuſcipiat. Memoriam ulteriùs eandem ſtabilem, ac firmam deſignare; oblivionem verò mollem, ac fluidam. Denique concludit mobilitatem in opinionibus calidam Cerebri ſubſtantiam; & ſtabilitatem, frigidam ſignificare. Verùm in his parumper immoremur.

Et quidem dubitare primò contingit, quid hic pro Ingenio intellexerit Galenus, quidve pro ſubtili, craſſaque Cerebri ſubſtantia; atque unde Ingenium, ſubtilem, intelligendi verò tarditas, craſſam ejus ſubſtantiam ſortiatur.

Argenterius, & Sclanus *in commentario hujus loci* exponunt pro Ingenio (græcè ἀγχίνοια Anchinœa) intellexiſſe Galenum promptitudinem quandam cogitativæ facultatis, ſive potius cogitativam ipſam celerem, & velocem: id quod deducunt ex eo, quia idem Galenus hoc eodem loco *Anchinœæ* contrapoſuit διάνοιαν *Dianœam*, hoc eſt Intellectus, ſive potentiæ Ratiocinativæ tarditatem, ut hinc patere poſſet, pro Anchinœa, vel Ingenio, celerem, & velocem Ratiocinatricem voluiſſe intelligere. Sanctorius verò explicat Anchinœam, per Solertiam; de qua Ariſtoteles 1. *Poſter. cap. ult.* habet, quòd ille Solers eſt, qui citiſſimè medium invenit ad concluſionem, & cauſam dantem propter quid. At Themiſtius ibidem, illum eſſe ſolertem ait, qui citò, & faciliter reſolvit concluſionem in ſua principia: videtur conſentire Plato *in Theeteto*, ubi docet, Solertes velociter omnia diſtinguere. (a)

Verùm pro dubii ſolutione adnotandum hìc primò eſt, quòd Ingenium propriè competit ſolis Hominibus, cùm ſolùm Homines dicantur pollere, vel non pollere Ingenio; proptereàque fiet, quòd ad Appetitum ſenſitivum, & Imaginativam pertinere non poſſit, quoniam hæ duæ Potentiæ ſenſibus egent, ſuntque communes etiam Brutis; quin plerique valent ſenſibus, Ingenio tamen haudquaquam: & complures alii Imaginativa pollent, cùm nihilominus Ingenioſi non ſint, quia carent Judicio, à quo Ingenium nullatenùs ſejungitur: Nonnulli demum inſignem habent Memoriam, ſed Ingenio deficiunt, quia judicio non pollent; imò raro

(a) *Tres ſunt partes docilitatis*, μνήμη, ὀξύτης, ἀγχίνοια: μνήμη, *ſeu Memoria eſt conſervatio eorum, quæ quis didicerit*: ὀξύτης, *ſeu Acumen eſt celeritas* διανοίας *h. e. Intellectus*: ἀγχίνοια *demùm eſt poteſtas ex iis, quæ quis didicerit, inveſtigandi, quæ non didicerit*. V. Lexic. Græc. Tuſani.

rarò evenit, ut qui plurimùm memoria valent, acri Ingenio sint præditi. Quare asserere oportebit Ingenium propriè Homini concessum, neutiquam ad facultates materiales reduci posse, sed ad solam virtutem Intellectivam, quæ est propria Hominis, ejusque solius. Pertinebit igitur Ingenium ad Intellectum, sed cum ejusdem summa perfectione, adeoque consistet in Vi celeriter apprehendendi, acriter judicandi, & subtiliter deducendi ex rebus apprehensis, & judicatis congruentes suas conclusiones. Vel breviùs: in Vi inveniendi media citissimè ducentia in cognitionem Causarum.

Quòd ad subtilitatem verò, & crassitiem Cerebri, diversimodè quoque illam Expositores interpretantur. Montanus, & Acachìas, nón ad Cerebri, sed ad Animalium spirituum substantiam, subtile, crassumque Cerebrum referunt. At hi manifestè contradicunt Galeno, de substantia solùm Cerebri mentionem facienti, neutiquam verò de Spiritibus. Nonnulli cum Haly, subtilem Cerebri substantiam exponunt, perviam, claram, & translucidam. Sed hos reprehendit Argenterius, & meritò; quia nulla claritas, vel pelluciditas in Cerebri Corpore denso, & opaco effingi potest, si septum tantùm excipias lucidum à transparentia sic appellatum, quo anteriores Cerebri ventriculi discriminantur; quamquam & hoc neque intùs tale videatur. Hinc idem Argenterius probabiliorem existimat illorum expositionem, qui subtile Cerebrum interpretantur syncerum, & non ex crassa, ac turbulenta, sed ex puriori materia constructum, inter quos est Salvus Sclanus *in commentario hujus loci*. Non desunt alii, qui pro subtili Cerebro, rarum, attenuatumque exponant; pro crasso verò densum, & constipatum. Sed verisimiliùs dicendum, subtile Cerebrum intelligi hìc à Galeno, quod tenujum partium est, atque in prima sui formatione molis non admodum profundæ constructum fuit, præsertim secundùm corticem; quinimò substantiam habeat porosam, facilèque transpirabilem; ad differentiam crassi, quod profunda nimis mole, & cortice denso, transpirabile admodùm non est; unde rorida illius substantia, spiritusque animales, ac meditullium à superincumbenti pondere oppressa, & constipata, nec libera, nec tenuia, nec spatiosa fiunt, pro expedita, ac prompta sensuum internorum operatione: quamobrem cùm Spiritus animales, & rorida medullaris substantia per meditullium liberè excurrunt, & halitus, seu vapores promptè per corticalem substantiam aditum sortiuntur, & evaporant, subtile Cerebrum appellabimus: crassum è contrà. Hac profectò ratione dicere solemus, tenuem esse Aerem, cùm vaporibus destituitur, & caret nebulis, atque è converso crassum, cùm vaporibus, & exhalationibus repletur, estque caliginosus: & sicut radii solares non æquè, ac ubertim, nec tam facilè per vitrum, quàm per crystallum, idque adhuc si crassius minus, quàm si tenujus; nec ità per aquam, ac per aerem, aut per aquam, & aerem fuscum, quàm per aquam limpidam, aeremque serenum diffunduntur; sic Ros ille, & Spiritus animales, non per quamlibet substantiam Cerebri æquabiliter trajiciuntur, liberèque transfluunt, & excurrunt; sed diversimodè, prout Cerebri substantia tenujor, vel crassior erit.

Ex his nunc deducimus, Ingenium non aliam ob causam subtilem Cerebri substantiam indicare, nisi quia ipsum acutum quoque est, documento Scaligeri *exercitat.* 1. asserentis, aliud non esse Ingenium, nisi Intellectus subtilitatem, & acumen; idest facilem, citam, ac promptam rerum apprehensarum exhibitionem, ac intelligentiam, quæ à Spiritibus summè tenuibus, ac mobilibus exoritur; quoniam isti cele-

celeriter tenuem Cerebri ſubſtantiam pervadunt, ac promptiſſimè ſimulacra rerum exhibent, atque Intellectui repræſentant; unde ſubita, ac velox intellectio ſuccedit, indeque Judicium in diſtinguendo, ſeligendo, & judicando ſubſequitur, in quibus omnibus conſiſtit Ingenium.

Præterea circa diſcendi facilitatem (quæ conſiſtit in facili imaginatione, & prompta rerum apprehenſione) inquit Galenus, quòd illa ſignificet Cerebri ſubſtantiam facilè ſuſceptivam formarum; diſcendi verò difficultas oſtendat ineptitudinem ejuſdem ad formas rerum ſuſcipiendas: pro quibus formis, rerum Imagines, & Simulacra intelligenda ſunt, quæ cùm faciliter, ac promptè in molli ſubſtantia ſuſcipiantur, & difficillimè in dura, idcircò idem erit dicere, diſcendi facilitatem indicare Cerebri ſubſtantiam facilè formarum ſuſceptivam, ac illam eſſe mollem; contrà verò difficilè formarum ſuſceptivam, ac duram, ſolidamque, exemplo à Pueris, & Senibus deſumpto. Pueri enim Cerebrum mòlle habentes, & aliquanto humidius, faciliùs addiſcunt, quia melius in illorum Cerebro rerum ſpecies, ſeu ſimulacra imprimuntur; ſecùs autem in Cerebro Senum ſicciori, durioríque: quamvis ad hoc plurimum quoque conferat attenta perceptio, ac fortis apprehenſio diſcendorum, quæ cùm potiùs vigeat in pueris, utpotè inexpertis, adeòque curioſioribus, minimè verò in ſenibus, propterea fit, ut illi vehementiùs apprehendant, detineant, & diſcant, quàm iſti.

Subdit inſuper idem Galenus, à Memoria ſtabilem, ac firmam Cerebri ſubſtantiam denotari; oblivionem ex adverſo, fluidam eandem oſtendere. Pro Memoria autem, ut benè advertit hoc loco Argenterius, minimè intelligenda Reminiſcentia, quæ cùm fiat per Ratiocinationem, ad Ingenium referri debet, de quo anteà dictum eſt; ſed ſolùm intelligenda ſimpliciter Memoria, quæ eſt Potentia magis inhærens ſubjecto, atque ad organi variam diſpoſitionem, in Hominibus quoque varia eſt.

At unde varietas hæc in Memoria habeatur, dubitari hìc ſolet ab Expoſitoribus. Et nonnulli apud Argenterium exiſtimarunt, in Senibus Cerebrum diminui, in Pueris augeri, ac propterea hos memores, immemores illos eſſe. Sed meliùs idem dicendum arbitratur, in Senibus Cerebrum duriuſculum fieri, quod in Pueris mollius eſt. Quemadmodùm enim omnes partes Corporis mutatione ætatum obdureſcunt, & conſtipantur; ità valdè credibile eſt, Cerebrum etiam aliquantiſper denſari, & obdureſcere in ſenectute. Verùm ob id ipſum, quòd ſenes ſiccius Cerebrum nanciſcuntur, dicere poſſumus, quòd oblivioſi evadant; quare adverſus nuper dicta ambigere contingit, quòd Memoria haudquaquam ſtabilem, firmamque Cerebri ſubſtantiam portendat; nam cæteroqui ſenes duriorem Cerebri conſtitutionem adepti valdè memores eſſe deberent. Ad quam difficultatem dicamus, oblivioſos evadere ſenes, vel quia Cerebri ſubſtantiam longè debito ſicciorem, conſtipatioremque acquirant, adeout multum à Cranio diſtare ſoleat; vel etiam quia nimia excrementorum congeries eorum Cerebrum adeò aggravat, & obtundit, ut nedum novas impreſſiones minimè excipiat, ſed & factas deleat; quin & aliquando ſtolidos, & mentecaptos reddat. Niſi tamen dicere velimus, oblivioſos fieri Senes eorum tàntùm, quæ nuper audierunt, quia nulla cum attentione illa percipiunt, nec apprehendunt, cùm aliunde Pueri attentiſſimè, quæ audiunt, excipiant, & excepta retineant, adeoque majori cum ſedulitate illa eadem perquirant, ſæpiùſque mente revolvant, proindeque tenaciùs retineant, ac diutiùs recordentur.

Nedum autem ex Ingenio, & Memoria,

na, sed etiam ex Opinione, quæ est altera Ratiocinatricis facultatis actio, licebit Medico circa Cerebri constitutionem philosophari; Unde Galenus inquit, Mobilitatem in opinionibus calidam Cerebri temperaturam significare; Stabilitatem verò in iisdem, frigidam. Pro Mobilitate in opinionibus, ut advertunt Argenterius, & Sclanus, non solùm intelligere debemus mutationem sententiarum, quæ habentur de vero, & falso; verùm etiam eorum, quæ volumus, aut nolumus, sive quòd bona, & proficua, sive quòd mala, & noxia videantur. Eos namque opinionem mutare dicimus, qui non solùm ex verisimili ad verisimilius, aut ex falso ad verum, vel viceversa mutantur; sed etiam qui rem aliquam nunc volunt, & appetunt, tanquam proficuam, aut utilem, nunc verò nolunt, ac respuunt, utpotè nocuam, aut inutilem. Contrà autem quicumque in re semel percepta, aut concupita, vel repudiata, cui scilicet assensum, vel dissensum præstiterunt, obstinatè, ac pertinaciter persistunt, stabiles in opinionibus dicuntur.

At cur mobilitas in opinionibus calidum Cerebrum arguat, & stabilitas frigidum, ratio potissima redditur, quia calidi proprietas est, agitare, ac movere; frigidi verò condensare, componere, & stabilire: quo fit, ut mutabiles calido temperamento, hoc est tenuiori sanguine præditi observentur, ac biliosi, seu cholerici dicti; stabiles verò frigidi, quales melancholici ex adverso.

Verùm si hæc vera sunt, unde est, ut fœminæ longè maribus frigidiores creditæ, opiniones tamen quàm facillimè mutent? Respondent aliqui, fœminas non ratione caliditatis, sed humiditatis, quæ in ipsarum Cerebro abundat, mobilissimas in opinionibus esse. Sed hæc responsio non satisfacit, quoniam humiditas ponitur qualitas passiva, cui movendi vis à Galeno denegatur 1. *de symptom. causis*, aliter obesi, & quibus inter mares Cerebrum inest solito humidius, ac destillationibus, & catarrhis obnoxium, mobiles quoque in opinionibus esse deberent. Probabilius ergo erit fœminas facilè mobiles asserere ob imperitiam potiùs, quàm ob humiditatem, vel caliditatem: Cùm enim imperitæ, & inexpertes sint rerum humanarum, maxima idcircò credulitate afficiuntur, ob quam facilè sibi persuadent, quicquid illarum menti objicitur, unde instabiles, ac mutabiles evadunt.

Postremò concludit præsens Caput Galenus inquiens, velle deinceps de duobus aliis indiciorum generibus agere, de quibus ab initio se dicturum pollicitus fuerat, & quæ fortasse vel prætermisisse, vel distulisse videri poterat; proptereà sermonem resumens ait, reliqua duo indiciorum genera esse, alterum quidem ad naturales operationes attinens, alterum verò ad ea, quæ extrinsecus occursant: atque de utrisque subdit, se inferiùs communem sermonem facturum, particularia signa referens cujusvis temperaturæ Cerebri. At quoniam ratio postulabat, ut primùm indicia temperatæ constitutionis Cerebri referret, qua cognita reliquæ facilè cognoscuntur, proinde sequenti Capite totus ipse est in tradendis signis moderatæ Cerebri temperiei, desumptis ab actionibus naturalibus, & à juvantibus, ac nocentibus, de quibus mox.

CAPUT VII.

XIII. in Galeno.

Signa bonæ temperaturæ Cerebri.

TEXTUS.

SIquidem Cerebrum sortiatur bonam quatuor primarum qualitatum temperaturam, omnia quæ diximus habebit moderata, & excrementa quæ vel per palatum, vel aures, vel nares, vel oculos expurgantur: hæc quoque modicè se habebunt: atque ab his, quæ extrinsecùs occursant, minimè lædetur, quæ scilicet vel calefaciunt, vel frigefaciunt, vel humectant, vel exsiccant. Talibus igitur Capilli Capitis, cùm adhuc sunt infantes, subrufi, cùm verò pueri, subflavi, cùm jam adoleverint, flavi fiunt, mediique quodammodò sunt inter eos, qui omninò sunt crispi, & simplices, non tamen facilè Calvitium patiuntur. (T. 19.) *Quæ verò dicuntur, ac posteriùs dicenda indicia sunt, accipere oportet, ut in bonam habentibus temperiem habitationibus. Quæ autem ad Capillos attinent, non ad locorum tantùm, sed ad humorum quoque temperaturam, qui Cerebri temperaturæ proportione respondent, sunt referenda.* (T. 20.) *Si verò Calidius sit quàm oporteat, in altera verò oppositione bonam habeat temperaturam: Si quidem in caliditate multum excesserit, omnia, quæ dicentur, validiora erunt indicia: Sed si parvus fuerit excessus, imbecillia. Communis autem hæc ratio statuatur in omnibus partibus, quarum in temperaturis universis indicia sumus tradituri.*

PARAPHRASIS.

NAturales operationes bonæ, vel malæ, à bona, vel mala primarum qualitatum contemperatione fieri ponuntur: hæc autem si moderata fuerit, omnia quoque ab illa dependentia, moderata erunt. Unde si Cerebrum bonam sortiatur primarum harum qualitatum temperaturam, nedum antedicta signa desumpta ex dispositione Capitis, ac sensitivis, & motivis operationibus, necnon ex actionibus principatum obtinentibus, mediocritatem participabunt: verùm etiam excrementa Cerebri, quæ per palatum, aures, nares, & oculos expurgantur, modicè quoque se habebunt, atque ab extrinsecis alterantibus illud vel minimùm, vel nullatenus lædetur.

At hìc illicò insurgit gravis in Galeno difficultas, eaque est, quid ipse intelligat per moderatam, bonamque Cerebri temperaturam, cùm cæteroqui idem Author 1. *de temperam. cap. ultim.* Cerebrum doceat frigidum, humidumque esse. Ad quam tamen dicimus, intellexisse Galenum justitialem, quæ nimirum talis est, qualis congruit exigentiæ Cerebri, cujus ope optimè ipsum operatur: vocasse autem Cerebrum frigidum, & humidum, non absolutè, sed respectivè ad cæteras partes Corporis longè calidiores. Cùm enim Cerebrum præ reliquis partibus debilius sit, propterea frigidum, ideft minùs calidum, quàm sint reliqua viscera, à Galeno appellatur; Vel etiam dicas, considerari hoc loco à Galeno moderatam Cerebri temperaturam, tanquam regulam, & exemplar cæterarum temperierum, cui quò magis accedunt, & conformantur, eò etiam meliores erunt; quò verò magis recedunt, & difformantur, eò pejores, insalubrioresque dicentur. Atque hinc idem Galenus *hoc eodem libro* temperatam, moderatamque temperaturam assimilat Statuæ Polycleti, in qua nullus excessus, aut defectus inerat.

Ulteriùs retulerat suprà, inter alia indicia Cerebri, Capillos, nunc illorum va-

variam habitudinem examinans, considerat primùm eos in temperatis, & inquit: talibus, ideſt temperato Cerebro prædi tis, Capilli accidunt in Infantia quidem ſubrufi, in Pueritia ſubflavi, in Adoleſcentia denique, & Juventute flavi fiunt, quique medii quoq; erunt inter Criſpos, & Simplices, nec demùm Calvitium facilè patiuntur.

Mutantur autem Capilli in ætatibus tres ob cauſas, quæ generationi Capillorum communiter attribuuntur, nempe ob temperiei, & præſertim caloris mutationem, cutis, & fuliginoſi excrementi variationem. Calor ſiquidem licèt in prima ætate multus ſit, non tamen eſt vegetus, eò quòd ab humiditate illius ætatis aliquantulùm retundatur: quia verò progreſſu ætatum partes corporis magis, magiſque conſolidantur, denſanturque, atque ideò tanta humiditas abſumitur; proptereà fit, ut calor vegetior obſervetur, atque adeo fuligo, quæ materia eſt Capillorum, conſiſtentior, & aduſtior fiat. His accedit cutis, quæ pari ratione propter ætatum mutationem, magis conſtipatur, denſatur, & ſiccior fit; unde non mirum, ſi Capilli ſimiliter tractu temporis mutentur, & qui primùm tenuiores, molliores, laxioreſque erant, ac ſubrufi, fiant deinde craſſi, duriuſculi, & ſubflavi. Poſtremò in juventute duriores, craſſiores, & flavi obſervantur, quoniam per ætatis mutationem calor auctior, cutis denſior, & fuligo craſſior evadit.

Sed hìc de Coloribus, eorumque origine, & natura nonnulla in medium afferamus. Vulgò in Scholis fertur, colores eſſe ſecundas qualitates, quæ ex primis emergunt. Sed nunquam ab his explicari potuit, quænam qualitas exuberet in albo, & quæ in nigro colore, cæteriſque. Dantur enim alba Corpora, ut Gypſum, Ceruſſa, Camphora, Nix, Margaritæ, Coralia, & tum quæ alba ſunt, tum quæ rubra in calcem, vel pollinem redacta, & alia hujus generis innumera, quæ communiter frigida dicuntur; alia verò plurima, tametſi alba ſint, calidiſſima obſervantur, ut Arſenicum, Sublimatum, Calx, Allium, Cepa, & ſimilia. Sic pariter multa nigrum colorem referentia exiſtimantur frigida, ut Caſſia, Succus Acaciæ, Pruna, Lutum, Lydius Lapis, Fæx ſanguinis, ſeu melancholia dicta, Capilli, & cætera plura: alia multa calida ponuntur, ut Opium, Piper, Caryophylli, Atramentum ſcriptorium, præcipitatum nigrum, atque inter humores Atra bilis. Eodem modo ex flavis recenſentur frigida, Santalum citrinum, Terra Armenia, flores Nymphçæ luteæ; itemque calida, ut Rhabarbarum, Aloe, Cortices Aurantiorum, & Citriorum, Sulphur, Bilis flava; Ex rubentibus demum (ut alios colores brevitatis cauſa omittam) calida ſunt, Ignis, Oſtrum, Sanguis, Cinnabaris; frigida ex adverſo, Coralia, Santalum rubrum, Roſæ, &c. Itaque velle ex primis qualitatibus colores deducere, vanum omninò putandum eſt.

Rationabiliùs exiſtimant Optici, & cordatiores Philoſophi, colores à lumine diverſimodè reflexo, vel refracto, adeoque cum umbris corporum intermiſto, ac modificato exoriri. Cujus ſententiæ ex Antiquioribus fuerunt Alhazenus in *ſua Optica*, Avicenna *lib. 6. naturalium part.* 3. *cap.* 1. Avempaces apud Averroem 2. *de anima comment.* 67., & Beatus Albertus Magnus *in ſumma de homine*, *peculiari quæſtione de natura colorum*. Hoc idem ſenſiſſe videtur Ariſtoteles *lib. de ſenſu, & ſenſili cap.* 3. ubi colorem definit, extremitatem perſpicui, ideſt luminis, in corpore terminati. Et *lib.* 2. *de anima text.* 67. colorem appellat motivum perſpicui in actu, quod nonniſi lumen eſt.

Suffragantur his experimenta. Vitreo namque Priſmate ante oculos appoſito, intuemur objecta diverſimodè colorata, prout

prout lumen in illo diversimodè infrangitur. Id ipsum etiam experimur in Iride, in collo Columbæ, in Mari, in Nubibus, in Eclypsibus luminarium, aliisque similibus, diversimodè à lumine intermista umbra illustratis. Sit insuper cubiculum aliquod undique occlusum, & obtenebratum, habeatque ex directo duorum parietum, vel duarum fenestrarum oppositarum, duo foramina, per quæ lumen Solare transeat, & qua ratione per unum foramen cubiculum ingreditur, eadem per alterum foramen egrediatur: Si oculus ex obliquo positus intra cubiculum respiciat objecta, illa minimè colorata videbit, etsi lumen Aërem in cubiculo contentum trajiciat, & illustrèt; videbit autem eadem, si lumen ex uno foramine admissum terminetur ad parietem, aliudve corpus intra cubiculum existens. Hinc motus ingeniosissimus Cartesius *in sua Dioptrica*, adhibito ad fenestræ foramen oculo Bovino, invenit qua ratione prætereuntia per viam corpora possint intra clausum cubiculum videri, cum iisdem omninò circumstantiis, motibus, coloribus, & similibus. His accedit, quòd oculus in tenebris positus videt objectum illuminatum; si verò sit in Aere illuminato, neutiquam videre poterit objectum in tenebris existens.

Sunt qui distinguunt colores in Reales, & Apparentes: hosque à lumine quidem haberi dicunt; illos autem rebus inesse. Sed nulla ratio suppetit, ut hanc diversitatem in coloribus re ipsa admittamus; cùm cæteroqui communis habitudo, & apparentia in utrisque sit. Sola autem differentia erit in eo, quòd in coloribus, Realibus dictis, diuturnior permansio, in Apparentibus verò brevior, seu fugacior habeatur: quod provenit ex dispositione partium, seu superficierum objectorum visibilium: si enim hæc uniformem, & æqualem superficierum habitudinem sortita sint, uniformem quoque luminis reflexionem efficient, adeoque eundem semper colorem exhibebunt; si verò difformem, & inæqualem, varietatem ostendent. Verùm ut res hæc meliùs intelligatur.

Sciendum, tria in universum requiri ad colorum varietatum efformandam, nimirum habitudinem, seu texturam variam corporum visibilium; diversam luminis reflexionem, & cum intermixtis umbris modificationem; & demum situm varium oculi videntis. Cùm corpora tersa sunt, ac polita, ut lumen intrà se non admittant, sed omninò ad eundem angulum reflectant, quia illud resiliens fulgorem veluti in Aere excitat, & multa luce oculum premit, specularem splendorem exhibent, ut in polito Clypeo est observare, etiamsi ob chalybis exiguorum pororum multitudinem videatur nigrorem præseferre. At si ea sit corporum superficies, ut radii luminis reflectantur quidem omnes, sed perturbatè, & non ad eundem angulum, albus color exurget. Demùm si corpora lævigata non sint, sed porosa multùm, aut excavata, ita ut lumen minimè resiliat, sed quodammodò intromissum poris illud excipiant, nullus color, sive nigror emerget, etiamsi albo corpore sint interiùs illita. Sic paries dealbatus, frequentioribus tamen foraminibus excavatus, candorem non manifestat: parietes ipsi licèt æqualiter dealbati, nisi à lumine æquè illustrentur, nec albi æqualiter apparebunt, sed alter altero albicantior, vel contrà ad fuscum magis inclinans, prout lumen vel directè magis, vel reflexè, subibit. Hoc idem ostendunt vestes sericæ diversorum colorum filamentis intertextæ, ac versicolores appellatæ: hæ namque ab uno situ spectatæ unum exhibent colorem, ab alio, alium, & quidem varium, à varia dispositione intertextorum filorum, atque incidentis, & deflectentis luminis. Idem est experiri in depictis telis varicoloribus, diversimodè ad lumen expositis. Ita quoque

que ligna E. g. quæ primò viridia, aut fuſca videbantur, aliter, aliterque colorata conſpiciuntur, cùm carbones fiunt, cùm comburuntur, & vertuntur in cineres.

Quæ igitur corpora viſibilia non tam facilè partium texturam mutant, difficilè etiam colorem variant, & è contrà. Quo fit, ut parietes, panni linei, lanei, ſerici aliaque ſimilia, quæ faciliùs in ſuperficie mutationem ſubeunt, promptiùs quoque in colore mutentur: lapides verò pretioſi, cryſtallus, vitrum, marmor, aliaque hujuſcemodi ſemper eundem colorem referunt, utpotè quorum ſuperficies immutari nequit, & ſi à ſupervenientibus quibuſcumque corporibus ea inficiatur, facilè ob lævorem detergitur. Et hæc breviter de Coloribus dicta ſunto.

Præter colorum varietatem addidit Galenus in textu, Capillos in temperato capite medios eſſe inter criſpos, & ſimplices, nec facilè calvitium ſubire. Hinc videamus pariter, unde Capillorum criſpitudo, & mollities, itemque calvitium contingat.

Capillorum criſpitudinem retulit Ariſtoteles 5. *de generatione Animalium cap.* 3. ad duo, videlicet ad meatuum tortuoſitatem, & ad ſiccitatem terreſtrem materiæ fuliginoſæ; cui conſentit Galenus 2. *de temperamentis cap.* 5., ubi ob ſiccitatem, pilos igni admotos ſtatim intorqueri exiſtimat; capilli enim cùm ab exhalationibus terreſtribus, & ſiccioribus generentur, ab ambiente calido contorquentur, quoniam modica humiditas, quæ in illis eſt, facilè abſumitur, ideòque Capilli inflectuntur, & criſpi fiunt; qua ratione Æthiopes criſpos capillos habent; Poloni verò, Novergi, aliique Zonam frigidam incolentes, tenues, longos, molles, & ſimplices geſtant. Unde deducitur, quòd quemadmodum criſpitudo capillorum ſiccitatem, caliditatemque arguit, ſic è converſo laxitas, & mollities frigiditatem, humiditatemque deſignat, ratione ſcilicet illius excrementi, ex quo progignuntur.

De Calvitio inſuper docet idem Ariſtoteles *citato* 5. *de generatione Animalium cap.* 3. quòd Capitis ſiccitatem indicet, ejuſque humiditatis defectum; exemplo à plantis deſumpto, quæ tunc defrondeſcunt, cùm humore privantur. Addit tamen Galenus 2. *de temperamentis cap.* 5. conferre ad Calvitium, duriorem cutis conſtitutionem, quæ nimirum intempeſtivè extenuetur, & areſcat, adeoque vaporoſa fuligo deficiat, porique conſtipentur. Atque hinc in plantis pedum, & volis manuum pili nullatenus enaſcuntur, quoniam ibi cutis denſior, & compactior eſt. At plures alias Calvitii cauſas addit Avicenna 7. 4. *tract.* 1. *cap.* 2. nempe materiæ defectum, cutis duritiem, & ſiccitatem, meatuum laxitudinem, & exhalationem acrem, ac erodentem; quamvis hæc ultima cauſa potiùs pertineat ad morbum, quàm ad ætatum mutationem. Veriùs tamen tot eſſe poſſunt Calvitii cauſæ, quot ſunt requiſita ad capillorum generationem. Tria autem in univerſum ad hanc requiruntur, videlicet calor, tanquam cauſa efficiens, ac extenuans humorem in capillos commutandum: fuligo ipſa excrementoſa, tanquam materia, & cutis poroſa, tanquam ſubjectum, & locus. Quotieſcumque igitur conditiones iſtæ vel deficiunt, vel depravantur, capilli vel non gignuntur, vel nati decidunt. Itaque ſi calor ſit urentior, vel debilior, cutis rarior, vel conſtipatior plus juſto, & fuliginoſa materia, vel debito tenuior, & acrior, vel ex adverſo craſſior, & compactior, Calvitium ſequitur, ut latiùs alibi oſtendimus.

Adjicit in textu Galenus, ſigna antedicta, atque inferiùs dicenda accipere oportere in habitationibus locorum temperatis: Etenim ſi quis moderata temperie gau-

gaudeat, sed regiones inhabitet calidiores, vel frigidiores, aut se exponat ambienti intemperato, procul dubio declinabit ab indiciis supra traditis de moderata temperatura. Plurimùm namque valet Cœli clementia, vel inclementia, variusque situs illius ad permutandas nedum temperaturas, verùm etiam mores, & corporum constitutiones; Atque hinc experimur albicante cute, & roseo colore decoros, si diutiùs Soli exponantur, nigrore cutis infici, cum duritie, & asperitate; contrà verò Rura incolentes, si deferantur in Urbes, ibique diutino tempore immorentur, albidiores, molliores, minùsque asperos evadere. Sed & præter bonam habitationem conferet quoque in idem ciborum delicatiorum usus, ut addit etiam *hoc eodem libro* Galenus, de qua re fusiùs infra.

Non tamen hinc quis deducat, supervacaneam esse humorum in Corpore prædominantium considerationem ad dignoscendas Cerebri temperaturas. Siquidem non solùm locorum temperiem, sed etiam humorum naturam, & conditionem, in Corpore prædominantium, ad eundem finem commemorat Galenus: etenim Capilli ex humorum fuliginibus oriuntur; ut propterea juxtà varietatem eorumdem, Capilli quoque varietatem subeant; cohærenter communi Medicorum assertioni ex Galeno desumptæ: *Qualis humor abundat in Corpore, talis color apparet in cute.*

Demùm claudit Caput hoc Galenus referens breviter cæterarum Cerebri temperierum à mediocritate recedentium indicia, & inquit, in Cerebro calidiori, cum magno recessu, allata indicia esse validiora; cum modico verò recessu, imbecilliora: quam regulam intelligendam quoque subdit in reliquis omnibus partibus, quarum temperaturarum indicia tradenda sunt; ut infra.

CAPUT VIII.

XIV. in Galeno.

Signa calidi Cerebri.

TEXTUS.

(T. 21.) *Deinceps igitur signa Caliditatis Cerebri præter ea, quæ nuper diximus, sunt, quòd ea, quæ circa Caput omnia rubicundiora, & calidiora, & quæ in oculis venæ magis sensui patent. Capilli quoque in his geniti celeriter in capite proveniunt, & cùm plurimùm in caliditate à mediocri temperatura recesserint, nigri, & robusti, & crispi fiunt: cùm verò non multùm, subflavi quidem ab initio fiunt, deinde nigricant, ac progredientibus ætatibus calvitium patiuntur, atque eò magis, qui plus modico sunt calidiores. Excrementa verò, quæ per palatum, & nares, & oculos, & aures pauca, & concocta ipsis existunt, cùm integram habuerint sanitatem. Cùm verò eis Caput repletur, continuò enim, ac tum præsertim cùm nullam victus servaverint rationem, tale quid eis accidit: plura quidem in ipsis excrementa, sed non incocta generantur, implenturque, atque aggravantur eorum Capita à calidis cibis, & potibus, odoribus, atque hisce omnibus, quæ extrinsecus occursant: in quorum numero est, & qui nobis circumfunditur aer. Sed prætereà magis, si non solùm natura calida, sed etiam humida Corpora extiterint. Brevibus autem somnis hujusmodi temperaturæ contentæ sunt, neque admodum profundis.*

PARAPHRASIS.

Postquam indicia temperatæ Cerebri constitutionis retulit Galenus, prosequitur calidioris Cerebri temperiei signa

signa recensere. Quoniam verò per recessum à moderamine, & ab optima temperatura, poterant omnes qualitates excedere, & tum Simplices, tum Compositæ, propterea memorat indicia primùm singularum qualitatum excedentium, deinde signa qualitatum compositarum: factoque initio ab excedente caliditate; tradit plura signa temperamenti calidioris. Primùm enim inquit, ea, quæ circa caput sunt, omnia rubicunda, & calida magis apparere. Secundò, venas in oculis, & facie patentiores esse. Tertiò, Capillos mox statim ab ortu generari. Quartò, eosdem fieri nigros, robustos, & crispos, si tamen calor plurimùm recesserit à mediocritate; si verò non multùm, primò subflavos, deinde nigricantes observari; ita tamen, ut majorem calorem ostendant Capilli nigri, quàm subflavi. Quintò, in progressu ætatum calvitium subire, & eò magis, ac citiùs, quò calor fuerit intensior. Sextò, excrementa ex palato, auribus, naribus, & oculis prodeuntia modica esse, quin etiam maximè concocta, si in cæteris tales homines integram sortiti fuerint sanitatem, sin secus non incocta, sed cruda apparebunt, & Caput excrementis implebitur: idque præsertim, si rectam vivendi rationem minimè servaverint. Septimò ex nimio cibo, vel potu, potissimùm calorifico facilè eorum Capita gravari, præcipuè verò ab odoribus acutis offendi, itemque ab iis; quæ extrinsecùs ad calidum alterare valent, ut & Aer calidus, æstivus, & austrinus, eòque magis, si calido humidum conjungatur. Denique in his somni erunt breves, nec admodum profundi. Allata autem indicia, non distributivè, & singulatim accipienda sunt, sed conjunctim, sive, ut Græci dicunt, in Sydromen; tum quia seorsim sumpta fallacia forent, tum quia multa ex enarratis, non magis Cerebri, quàm alterius cujusvis Visceris, calidam temperiem possent designare. Hinc rubor faciei, venarum ocularium inflatio, & Capillorum nigrities, Sanguinem solummodò calidiorem arguunt, quo non magis Cerebrum, quàm reliqua Viscera ad calidum alterari possunt.

At unde allata hæc indicia in Syndromen accepta calorem in Cerebro excedentem significent; Ratio diversa refertur, pro illorum varietate: licèt in universum faciliùs, & congruentiùs ad Sanguinis conditionem revocari debeant. Equidem facies, & ea, quæ circa Caput sunt, rubicunda apparebunt, quoniam Sanguis, unde rubor, & vigor exurgit, tenuior, ac floridior est, adeoque partes Capitis, & faciei cutim, roseo, sanguineoque colore perfundit. Eadem ratione circumjacentes Capitis partes calidæ magis observantur, quoniam universus calor in Animantibus, nonnisi à Sanguine promanat: cùmque hic per angustas, & exiles Meningum Cerebri venulas, atque arteriolas excurrens, præ sui volatilitate, floriditateque fermentescat magis, atque vi elastica turgeat, proindèque latius spatium exquirat, propterea non mirum, si per eas partes calorem solito majorem concitet, & inferat. Cur autem potiùs in his, quàm in aliis partibus Corporis calor iste manifestetur, ratio petenda erit ex propria, peculiarique Capitis, & Cerebri, eorumque partium constitutione: Siquidem licèt Sanguis universas partes Corporis irriget, foveat, & calefaciat, si tamen istæ aliqua ratione ipsum meliùs repurgent, vel ob latiores venas, arteriasque in ampliori spatio excipiant, atque in suis meatibus, ac poris admittant, aut aliter, aliterque propter alios liquores ibidem ingenitos, vel aliunde confluentes, quos fermenta partium vocant, temperent, aut infringant, temperatiorem calorem ostendent: quòd si contrà acuant, & in sensibiliorem fermentationem promoveant,

veant, intensiorem calorem subibunt. Sic hypochondriaci in seipsis experiuntur, Chylum, & Sanguinem præterfluentem per viscera imi ventris, veluti fervorem excitare, indeque totum Corpus æstuationibus cruciari: sic nonnulli alii de Renum, & Lumborum calore nimiùm fervente conqueruntur: alii de Stomachi ardore, & alii de Thoracis, & Cordis æstu. Contrà verò in aliis, quibus contraria contingunt. Eandem ob causam accidit, quòd venæ Oculorum, & Faciei patentiores sint, quoniam in his Sanguis fervidior cùm sit, facilèque fermentescens, Venas proinde, & Arterias eumdem continentes sorte natura latiores efficit: quas si fortasse angustiores, vel compressiores fieri contingat, circulans per ipsas Sanguis vim patitur, suique expansione easdem dilatans, & turgidas, conspicuasque reddens ruborem procreat, nisi tamen in apicibus, & oscillis aditum sibi faciat: Hinc pariter pulsus majores, ac validiores fiunt, cum manifesta arteriarum tumefactione. Quamobrem ubi Sanguis vegetior est, calor exuperat, & arteriæ, ac venæ necessariò latiores erunt, adeoque pulsationes, quæ exinde proficiscuntur, vehementiores observabuntur.

Capilli prætereà mox ab ortu generantur, quoniam ex superiùs dictis, utraque causa ad illorum generationem concurrens, efficiens scilicet, & materialis, statim à nativitate viget; proindeque non solùm promptè comparebunt, sed etiam nigri: siquidem fuligo, quæ materia illorum est, à vegeto calore uritur, & rarescit, eòque magis si conjungatur siccitati: hoc est, si humiditas, quæ alborem in illis infert, deficiat, aut absumatur. Addit tamen Galenus, calorem solito acutiorem nigritiem progignere, remissiorem verò flavedinem; quamobrem à Medicis nigrorum capillorum generatio ad humorem atrabilarium referri solet; flavescentium verò ad biliosum. Similiter robusti, & crispi fient à calore intensiori, qui à parte sanguinis floridiori exoritur, sicut ex adverso molles ab humiditate, seu à parte sanguinis glutinosiori, pari ratione, ut ex dictis patet.

A calore insuper excedente siccitati conjuncto accidet quoque Calvitium, tum quia fuligo plus justo extenuatur, & evanescit; tum etiam quia pori Cutis magis rari, & patuli fiunt; tum demum, quia acres humores ex tali temperamento designantur, unde sequitur veluti in eorumdem radicibus extenuatio, & erosio: eò autem citiùs, & efficaciùs ista evenient, quò calor acutior, atque intensior fuerit, à conditione Sanguini, & primis particulis insita.

Excrementa insuper palati, oculorum, aurium, nariumque modica erunt, & concocta, quoniam ob excedentem calorem exiccantur, & crassescunt, cùm ex Aristotele, coctio à calore procedat, propriumque caloris esse dicatur, attenuare, concoquere, atque superfluam humiditatem absumendo, reliqua cogere, & conterminare. Addit tamen Galenus, quòd hæc ità erunt, si integra sanitate homo de cætero fruatur; sin secùs, licèt modica sint, erunt tamen haudquaquam incocta, & caput excrementis implebitur, quoties præsertim errorem in victu ipse commiserit: siquidem tunc excrementa vitio Ventriculi cumulata, & majori ex parte in Caput translata, ejus venas, atque arterias opplent, & Cerebrum aggravant.

Idem etiam accidit à nimio cibo, potuque præsertim calidiori, aut ex aromatibus confecto, hæc enim facillimè Caput petunt, & Cerebrum conturbant. Ab odoribus quoque, eadem de causa, promptissimè offendetur, sicut pariter ab iis omnibus, quæ ad calidum alterare valebunt, ut Aer æstivus, & austrinus,

nus, documento Hippocratis 3. *aphor.* 5. ubi dicitur, *Austri Caput gravant*, *&c.*

Denique somni breves erunt, nec admodùm profundi, aut quia Somnus ex sententia Aristotelis, ejusdemque Galeni, fit refrigerato, & humectato primo sensiterio, idest Cerebro, quod cùm in his calidius sit, & siccius, nequibit longiori somno sopiri: aut quia potiùs ubi Sanguis acrior est, & tenuior, biliosus dictus, ibi somnus vel nullus, vel brevior fit: aut etiam, quia ex Sanguine tenuiori, spiritus tenuiores, agilioresque progignuntur, qui præ sua mobilitate Cerebrum undequaque pervadunt, nec sinunt ejus porositates rorida, humidaque substantia convenienter perfundi, & irrigari, atque adeò quiete sopiri, quæ somnus est. Hinc experimur vigiles eos omnes esse, qui calidi, gracilesque sunt; somnolentiores verò ex adverso, qui humidi, atque obesi. Sic pariter alimenta, quò vaporosiora sunt, eò promptiùs, & efficaciùs somnum afferunt.

Unum superest nunc discutiendum ad integram hujus Capitis explanationem, idque est: cur Galenus dicat Caput calidius facilè ab odoribus præsertim acutis, necnon à cibis, potibusque calidis gravari, sicut pariter ab aere, cæterisque caussis calefacientibus extrinsecis, cùm potiùs ab illis deberet, ex natura calidorum, dissolvi, & attenuari: quæ enim gravant, opplent; at calida non opplent, sed calefaciendo dissolvunt, & extenuant. Accedit, quòd odores sunt objecta olfactus, quare vix videntur nares prætergredi, potissimùm ex sententia Aristotelis 2. *de Anima text.* 97. *& libro de sensu, & sensili cap.* 5. Sed & odor consistit in exhalatione sicca, unde res odorabiles ad ignem expositæ statim extenuantur, atque in auras abeunt.

Ad quod tamen dicimus, alimenta calida, potum, & similia Cerebrum lædere, quia illud calore magis afficiunt: sub quo sensu intelligendus hoc loco Galenus memorans læsionem Cerebri à consimilis qualitatis alteratione. Quòd autem dicat, ab his etiam magna ex parte gravari, id accidit, quia ejusmodi cibi, & potus calorem præseferentes, vapores plurimos ad Caput per Sanguinem emittunt, unde illud gravari contingit. Quamvis insuper ex doctrina Aristotelis Nares dicantur sedes Olfactus, communior tamen sententia Anatomicorum processus mammillares statuit; quin Galenus *libro de olfactu*, etiam ad Cerebrum, & ad primores ventriculos extendit, argumento deducto ab exemplo cujusdam, qui assumpta per Nares nigella, Cerebrum vellicari, & morderi persentiit; unde haud perperam opinatus est etiam ad Cerebrum acutorum Corporum particulas, licèt crassiusculas, pertingere posse. At quamvis Cerebrum minimè pertingant, adhuc tamen gravare illud possunt halitu tenuissimarum particularum per processus mammillares ad Cerebrum delato: qua ratione comperimus plurimos à rebus odoris capite dolere, non alia sanè ratione, nisi quia acuti, & tenues halitus facillimè quamcumque substantiam pervadunt, præsertim verò Cerebrum sua natura molle, & porosum. Reliqua patent ex dictis.

CAPUT IX.

XV. in Galeno.

Signa frigidi Cerebri.

TEXTUS.

(T.22.) *FRigidioris verò, quàm oporteat Cerebri indicia sunt, plura in propriis meatibus excrementa, & capilli recti, & rufi, & stabiles, & qui longo post nativitatem tempore nascuntur, tenues, atque ab initio malè nutriti; & facilè à causis frigidis offenduntur, atque hoc ipso offensionis tempore distillationibus, & gravedinibus capiuntur: neque si tetigeris partes ad Caput attinentes, admodùm calidæ sentiuntur: neque si inspexeris, rubicundæ apparent, & oculorum venæ omninò visum effugiunt, & somnolentiores quodammodò sunt.*

PARAPHRASIS.

POst Calidioris Cerebri temperaturam, prosequitur Galenus referre indicia Temperiei Cerebri frigidioris, atque plura quoque ad illam dignoscendam affert, desumpta pariter ex iisdem fontibus, quorum in Cerebro calidiori meminerat. Primùm autem excrementa inquit, in propriis meatibus plura cumulari. Secundò, Capillos rectos, & rufos nasci, itemque stabiles, & qui longo post nativitatem tempore nascuntur, tenues, & ab initio, sive prima ætate malè nutriti. Tertiò, à frigidis alterantibus facilè offendi, adeòque distillationibus, & gravedinibus corripi. Quartò ad tactum partes externas Capitis minimè calidas persentiri, minimèque rubicundas apparere. Quintò oculorum, & faciei venas visum effugere, utpotè nimiùm exiles. Sextò somnolentiores quodammodò esse, qui eo temperamento sunt præditi. Quæ Signa ex superiùs probatis facilè rationibus consona ostendi possunt. Siquidem cùm Cerebrum ad frigidum inclinat, proculdubio excrementa narium, aurium, oculorum, & palati copiosiora erunt: nam quemadmodum calor extenuat, & dissolvit; ità frigus è contra condensat, & multiplicat, & ubi concoctio, ac nutritio calore fovetur, contrariis ex causis torpet, & languescit, cùm Cerebri temperies à Sanguine minùs vegeto procedit.

Capilli insuper recti, & rufi erunt; nec non stabiles, ac firmi, qui scilicet calvitio obnoxii non sint, quoniam effectus frigoris est fuligines delaxare, cutim in radice capillorum adstringere, ideoque calvitium impedire. Tardè autem capilli, & pili nascentur, quoniam causa efficiens, nempè calor, languidus est: eruntque tenues, & malè nutriti ob defectum fuliginosæ materiei.

A frigidis causis facillimè Caput offendetur, quia nulla, vel levis aderit resistentia ex parte caloris, ac vividæ Sanguinis substantiæ: unde quemadmodùm calidius Caput ab Aere, cæterisque calefacientibus offenditur, ità ex adverso frigidum à frigidis.

Eadem ratione, subdit, ex quacumque levi causa affectiones catarrhales patietur, quamobrem obnoxium erit distillationibus, & gravedinibus, ob facilem pituitosi, & increscentis humoris delapsum ad nares, & os.

Venæ, & Arteriæ, utpotè exiles, vix apparebunt, quoniam à frigore, seu inertiori sanguine, amplificari non possunt: rubicundus color, qui à vegeto Sanguine exoritur, nullus erit, quin potiùs albicans apparebit; Hinc partes externæ frigidæ etiam ad tactum observabuntur, vel cum minimò calore, præsertim in hyeme.

Po-

Postremò frigido Cerebro præditi, somnolentiores erunt, ob rationem superiori Capite allatam. Usus tamen est Galenus particula, *quodammodò*, ut nimirum designaret, non simpliciter, & gravi sopore illos tentari, quemadmodùm evenit frigidis, humidisque plus justo, videlicet à causa morbosa, sed solùm comparatè ad præcedentem Cerebri temperaturam calidiorem. Cæterùm, quæ pro calidiori Capite anteà dicta sunt, ex conditione, & diathesi Sanguinis vividioris, floridiorisque, ad frigidam ejusdem temperaturam explicandam, si ex adverso referantur, optimè, ac brevissimè, memorata signa in commodiorem sensum explanata intelligentur.

CAPUT X.

XVI. in Galeno.

Signa sicci Cerebri.

TEXTUS.

(T. 23.) *Siccioris autem Cerebri indicia sunt, meatus superfluitatibus carentes, & sensuum perspicacitas: sunt autem ad vigilias prompti, & capillos habent robustissimos, & qui celerrimè eis genitis innascuntur, crispi autem potiùs sunt, quàm recti; citò autem calvi fiunt.*

PARAPHRASIS.

Sicut calidioris, & frigidioris Cerebri indicia anteà retulerat Galenus, ita nunc Cerebri siccioris signa memorans, inquit illa esse, parcitatem affluentium superfluitatum, sensuum perspicacitatem, promptitudinem ad vigilandum, capillos robustos, celerem eorundem generationem, crispitudinem, & citam denique calvitiem.

Quòd excrementa in his pauca sint, patet; siquidem siccitas serosas superfluitates absumptas indicat. Sensuum perspicacitas aderit, quia ubi sensus ab excedenti humiditate hebetantur, istius penuria, seu siccitate, necesse est exacui, & perspicaces fieri; neque solùm in sensibus externis, sed etiam in internis. Vigilia potiùs vigebit, quoniam desunt humores, qui Cerebrum humefaciendo, & irrorando ad soporem disponant. Capilli robusti fient, ratione sicciores fuliginis, è qua illi progignuntur, & non secùs, ac mollities ab humiditate, ita durities, & crispitudo à siccitate provenire dicitur. Denique Calvitium citò apparebit, tum quia fuliginosa materia progressu ætatum magis attenuatur, & absumitur; tum ettiam, quia à nimia humoris inopia radices capillorum sterilescunt, ut in plantis experimur. Quæ omnia cùm ex supradictis clarissimè pateant, ulteriùs examinanda non sunt.

Solùm addam, siccitatem hoc loco memoratam revera non aliundè provenire, quàm à defectu humoris, seu serosæ humiditatis cum sanguine commixtæ, & per iteratas circulationes à sanguine in glandulis secretæ, quæ cùm multa fuerit, & excedens, humidiorem constitutionem ingenerabit; cùm verò parca, aut diminuta, sicciorem Corporis, & consistentiotiorem partium habitudinem efficiet. Nam, ut alibi ostensum est, vigent in sanguine plures particularum habitudines, illum vel ad hanc, vel ad aliam diathesim, seu constitutionem disponentes; potissimùm verò sensibilior, ac manifestior duplex in eodem observatur, altera vivificans, & partes roborans, adeòque calefaciens, altera nutrimentum, & augmentum præbens, proindèque auctifica appellata. Quò ergo una, vel altera ex his

in ſanguine prævaluerit, eò robur, & calor magis, vel contrà frigus, ſive potiùs calor minor, & remiſſior in partibus perſentietur; indeque nutritio, & humefactio à prævalente portione auctifica, ſicut etiam ſeroſa, & lymphica ſenſibilior obſervabitur: & qua ratione per ætatum mutationes, iſtæ aut prævaluerint, aut deficient, eadem mutationes in individuis exorientur, vel ad unam, vel ad aliam habitudinem inclinantes, ut ex traditis ſpeculanti palam fiunt. At verò mutationibus hiſce plerumque adjiciuntur aliæ ex adventitiis, atque extrinſecis cauſis fortè fortuna provenientes, & ex continuato earumdem cauſarum uſu œconomiam Corporis permutantes, de quibus non eſt hujus loci pertractare.

CAPUT IX.

XVII. In Galeno.

Humidi Cerebri indicia.

TEXTUS.

(T.24.) *Humidioris verò Cerebri indicia, Capilli plani, & nequaquam calvi fiunt, ſenſus autem turbulenti, & excrementorum multitudo, ſomni multi, atque profundi. Et hæ quidem ſimplices ſunt intemperaturæ.*

PARAPHRASIS.

Ponuntur hujus intemperiei ſigna, Capilli plani citrà calvitium, ſenſus turbulenti, excrementorum copia, ſomni multi, ac profundi: quæ ſanè ex nuper dictis clara ſunt. Alia plura indicia patebunt ex inferiùs dicendis, de reliquis Cerebri compoſitis intemperiebus.

CAPUT XII.

XVIII. In Galeno.

Signa calidi, ſiccique Cerebri.

TEXTUS.

(T.25.) *Compoſitæ autem primùm calida, & ſicca, ſecundùm quam & ſuperfluitatibus carent, & ſenſibus vigent, & plurimùm vigilant, & citò calvi fiunt. Et prima quidem Capillorum generatio celerrima eſt, ac plurimo abundans alimento. Capillos verò habent nigros, & criſpos, & tangentibus Caput calidi ſentiuntur, & ſunt rubicundi uſque ad ætatem conſiſtentiæ.*

PARAPHRASIS.

A Simplicibus Cerebri intemperiebus pergit Galenus ad compoſitas, & primùm calidioris, ac ſiccioris indicia tradit, ab eiſdem Capitibus deprompta, nempè à defectu ſuperfluitatum, ſeu excrementorum: à ſenſuum vigore, & acutie: ab immodica vigilia: à cito, & facili calvitio: à celerrima Capillorum generatione: à Capillis nigris, & criſpis: à ſenſu tactus calidiori in partibus Capiti adjacentibus; à rubore earundem, & præſertim faciei, uſque ad ætatem conſiſtentiæ, ſive, aut alii exponunt, uſque ad ſummum vigorem Juventutis, puta ad annum trigeſimum quintum, aut paulò ulteriùs, quo tempore homo perfectus evadit, tàm in incremento Corporis, quàm in operationum omnium præſtantia.

CA-

CAPUT XIII.

XIX. in Galeno.

Signa calidi, & humidi Cerebri.

TEXTUS.

(T.26.) *SI verò humiditas adjungatur caliditati parùm utriusque qualitatibus superantibus mediocritatem, color bonus, & calor, & oculorum venæ magnæ, & plura excrementa, & mediocriter cocta, & capilli recti, subflavi, & non facilè calvi fiunt. Implentur verò, atque aggravantur eorum Capita à calidis: at si humectentur, tunc multò magis excrementorum habent multitudinem: Et si plurimùm caliditas, atque humiditas creverit, his Caput ægritudinibus est obnoxium, atque excrementis abundans, & quod facilè à calefacientibus, atque humectantibus offendatur. Auster verò semper eis adversatur, atque optimè in Aquilone se habent: non tamen diu vigilare possunt, & cùm se ad somnum converterint, simul gravi somno, hoc est Comate, tentantur, & vigilant, & somnia habent imaginationibus plena; visus eis turbulenti, neque satis sensibus vigent. Quòd si multùm in caliditate Cerebrum à mediocritate recesserit, paululùm autem humidius extiterit, calidæ temperaturæ indicia quidem superabunt, cum quibus levia quædam humiditatis signa conjungentur: veluti si longè quidem humidius, paulò verò calidius, vehementia quidem erunt, ac manifesta humiditatis indicia, debilia autem caliditatis. Communis verò hæc ratio in omnibus compositis intemperaturis existit.*

PARAPHRASIS.

CAlidæ, humidæque temperiei indicia duplicia facit: & quidem si calor, & humiditas parùm à mediocritate recesserint, inquit, signa esse, bonum, & floridum colorem faciei, qui mixtus ex rubro, & albo est, ob sanguinis abundantiam, & floriditatem, ut idem Galenus docet *lib. de constitutione Artis*: Secundò, calorem sensibilem circa oculos, faciem, & tempora. Tertiò oculorum venas magnas, & latas apparere. Quartò excrementa esse aliquanto majora, quàm in calido, siccoque Cerebro, necnon mediocriter concocta. Quintò capillos rectos, ac subflavos esse: rectos quidem ex humiditate, cùm crispitudo à siccitate proveniat; subflavos verò à caliditate contemperata, propter adjunctam humiditatem, cùm ex superiùs dictis, tunc calor nigros capillos reddat, cùm urentior est, & siccitati conjunctus. Sextò, non facilè calvos fieri, retusa scilicet caliditate ab adjuncta humiditate, cùm calvitium ex doctrina Hippocratis *6. epid. 3. text. 1.* atque ex supra traditis, potiùs à siccitate dependeat. Septimò, lædi à causis calidis, humidisque, potissimùm ab Aere vaporoso, & Austrino.

Quòd si excessus caloris, & humiditatis supra mediocritatem multus sit, intra latitudinem tamen sanitatis, tunc Cerebrum obnoxium erit ægritudinibus, præcipuè verò distillationibus, & catarrhis; atque excrementis insuper ejusdem conditionis abundabit, facilèque lædetur à calefacientibus, & humectantibus, itemque ab Australibus ventis quàm maximè offendetur; juvabitur verò ab Aquilonaribus, consumpta nimirum superflua humiditate. Insuper qui calido, humidoque excedenter Cerebro sunt prædití, diu vigilare nequeunt, semelque in somnum prolapsi, gravi sopore capiuntur, & simul una vigilant, somnia patientes variis imaginationibus plena, hoc est, variis phantasmatibus turbata, quæ ab evaporationibus in Cerebrum per alimenta de-

latis, Imaginativam perturbant, & spiritus irrequietos reddunt. Demùm nec visus acie præcellunt, nec reliquis sensibus satis vigent.

At si Cerebrum in calore plurimùm à mediocritate recesserit, paululùm verò humidius extiterit, tunc indicia calorem attestantia manifestiora erunt; leviora verò, quæ humiditatem consequuntur. Et contrà, si humiditas fuerit abundantior, remissior verò caliditas, signa illius erunt sensibilia, & istius obscuriora. Id quod in cæteris temperaturis compositis, tum Cerebri, tum reliquorum viscerum, observandum esse docet, de quibus infrà.

CAPUT XIV.

XX. in Galeno.

Signa frigidi, & sicci Cerebri.

TEXTUS.

(T.27.) *Frigidæ verò, & siccæ Cerebri intemperaturæ, quantum ex se est, frigidum, & minimè coloratum caput reddunt: semper enim memoria repetenda, quæ à nobis ab initio est distinctio posita, ut præterea advertamus, quantum ex humorum temperatura alterentur, quæ circa ipsum consistunt. Protinùs autem hujuscemodi temperaturæ venis carentes habent oculos, & à causis frigidis facilè læduntur. Quare & inæquali sanitate fruuntur, quoniam nonnunquam levissima habent capita, & meatus, qui superfluitatibus careant: nonnunquam verò & gravedinibus, & distillationibus parva ex causa capiuntur.*

PARAPHRASIS.

NOn dissimili modo à supradictis dignoscetur Cerebrum frigidum, & siccum. Et quidem primò Caput ad tactum frigidum percipietur. Secundò cutis faciei non est colorata, idest non rubore, sed potiùs pallore fœdabitur. Tertiò venæ oculorum erunt adeò exiles, ut minimè appareant. Quartò a causis frigidis facilè lædetur. Quare eo præditi temperamento inæquali sanitate fruentur, quoniam, ut subdit Galenus, nonnunquam levissima habent capita, & excrementorum moderatos effluxus: nonnunquam verò & gravedinibus, & distillationibus quacumque ex causa corripientur. Verùm hujus signi quamvis mentio in hoc textu fiat, non tamen sufficienter illius ratio explicatur, præsertim quia ejusmodi discriminis causa nulla affertur, cur nimirum aliquando levissima habeant capita, aliquando verò distillationibus capiantur. Attamen si attendatur disjunctiva temporis particula, *nonnunquam*, facilè diversitatis ratio eruetur: etenim cùm Cerebrum simul frigore, & siccitate afficiatur, propter debilem, effœtamque sanguinis crassim, si ab externis causis frigefacientibus alteratio accidat, Caput gravedinibus, & distillationibus corripietur; si verò causæ extrinsecus alterantes siccæ fuerint, ut sunt venti Aquilonares, tunc ob intensiorem siccitatem ab extrinseco superadditam, excrementa adeò extenuabuntur, ut ferè Cerebrum deserant leve, & quodammodò vacuum, quia scilicet ubi Cerebrum ab excrementorum humidorum congerie opprimebatur, iisdem extenuatis, & absumptis, inanitum remanet, eorumque gravamine exoneratum.

CAPUT XV.

XXI. in Galeno.

De Sensibus. (a)

TEXTUS.

SEnsus autem eorum, in juventute quidem omnes vigent, atque omni vitio carent, sed progrediente ætate citò marcescunt: & ut summatim dicatur, omnes celerrimam circa Caput senectutem ostendunt; quare & citò cani fiunt; capilli verò ipsis quidem genitis, vix exeunt, & malè nutriuntur, & rufi sunt. In progressu autem ætatis, superante magis frigiditate caliditatem, quàm siccitate humiditatem, multùm non calvescunt. Contrà verò si contigerit, siccitatem quidem plurimùm dominari humiditati, frigiditatem verò caliditati, parùm calvi fiunt hi.

PARAPHRASIS.

PRæter antedicta Signa demonstrantia siccum, frigidumque Cerebrum, alia Galenus à sensibus deducit: unde inquit, sensus in his, cùm in juventute sunt, perspicaces esse; quamvis progressu ætatis citò marcescant, sive hebetentur. Et quidem in juventute sensus omnes vegeti, perspicaces, ac prævalentes sunt, tum quia per id temporis siccitas conjungitur cum caliditate, seu vigore juvenili, neque frigiditas à vegetiori sanguine multùm prævalet; tum quia Cerebrum excrementis minimè gravatur, adeoque Nervi, & organa sensuum inde dependentia, puriora sunt; tum etiam, quia Spiritus animalibus operationibus addicti, tenujores progignuntur, ac propterea efficaciores evadunt in peragendis functionibus hegemonicis; tum demum quia ipsamet Cerebri substantia in juvenili ætate purior semper, tenujorque fit comparata ad alias ætates. Valdè autem conferre, dictum est suprà, ad Ingenium tenuitatem substantiæ Cerebri medullaris. At verò procedente deinceps ætate, hebetantur sensus omnes, eòque magis, quò ad senium fiet accessus; siquidem per subsequentes ætates cumulari incipiunt excrementa, & calor, qui in ætate juvenili vegetior erat, plurimùm tractu temporis imminuitur, subindèque etiam spiritus deficiunt; unde postmodùm sensus, tum interni, tum externi impensè torpent. Quæ sanè omnia ob mutationem sanguinis perpetim succedentem in ætatibus, & in partibus primis eveniunt.

Addit ulteriùs, hoc celerrimam circa Caput senectutem ostendere. Sub quibus verbis quid intelligere voluerit, non benè ab Expositoribus explicatur. Melior tamen, & congruentior expositio videtur, quòd sensus quemadmodùm in Adolescentia, & Juventute plurimùm vigent, ità citò consenescant, & elangueant, ut proinde in Virilitate, vel cruda senectute, torpeat Visus, Auditus, & Olfactus. Solent & hi in ætate prima multùm judicio, consilio, ac prudentia præpollere; ad Senium verò perducti, stolidi, ac mente capti fiunt. Observat pariter Sanctorius, hos pati citam mutationem in facie, ut propterea adhuc Adolescentes vultum senilem exhibeant, aut emaciatum, signum evidentissimum languidæ Cerebri constitutionis, atque effœti sanguinis, unde intempestivè facies extenuatur, ac senilis, & rugosa redditur. Hinc etiam accidit, quòd immaturè quoque moriantur, vix sextum, aut septimum anno-

(a) *Caput hoc jungi deberet præcedenti ob materiæ affinitatem.*

annorum septenarium transgressi. Hac eadem de causa compertum; ægrotantes faciem, & aspectum suorum Parentum, aut Avorum in ægritudine repræsentantes, certò ex illa infirmitate diem ultimum obire. Canities insuper his est familiaris; quamobrem in textu adjicit Galenus, eos citò canos fieri, capillos tardè admodum in iis exoriri, & natos malè nutriri, ac rufos apparere. Canities namque accidit propter caloris languorem, quoniam ex Aristotele 5. *de generat. Animal. cap.* 4. & 5. & 3. *de historia eorumdem cap.* 11. Canities dicitur languor, & ægritudo capillorum, orta ob caloris imbecillitatem. Ob eandem causam capilli vix exeunt, & extra cutim distenduntur, quin etiam malè nutriuntur, & increscunt, quoniam calor exiguus est, impotens fuliginosam capillorum materiam, quæ adhuc inepta est, per poros cutis impellere, & extra protrudere: immò ipsamet fuligo ob cutis constipationem à frigida intemperie inductam vix egredi potest; unde sequitur, ut malè illi nutriantur, & crescant. Rufi verò observabuntur, nequeunte scilicet Sanguine præ sui lentore nigros, vel flavos illos progignere. Postremò, si progrediente ad senectutem ætate potiùs siccitas, quàm frigiditas, ob inopiam partis glutinosæ, prævalere videatur, calvitium magis accidet; si verò frigiditas prævaluerit, hoc est langueat magis florida, quàm glutinosa substantia, calvitium tardiùs apparebit, quoniam calvitium, ex dictis, provenit ab inopia partis glutinosæ.

CAPUT XVI.

XXII. in Galeno.

Signa Cerebri frigidi, & humidi.

TEXTUS.

(T. 28.) *Humidæ verò, & frigidæ Cerebri temperaturæ faciunt homines gravi somno tentari, & ad somnum facilè converti, sensibus quoque minimè vigentes, atque excrementis redundantes, & qui Caput frigiditati, ac repletioni habent obnoxium, ac distillationibus, & gravedinibus, facilè tentantur, neque tamen hi calvi fiunt.* (T. 29.) *Hæc igitur indicia sunt Cerebri temperaturæ, à quibus si progrediaris ad unumquodque sensorium dignotiones transferre licebit.*

PARAPHRASIS.

Indicia temperaturæ Cerebri frigidæ, humidæque referuntur. Primò, quòd ejusmodi temperamento præditi gravi somno tentantur, & experrecti facilè denuò in somnum relabuntur. Et quamvis in Cerebro calido, humidoque etiam dictum sit, homines facilè ad somnum inclinare, ibi tamen facilis in eisdem expergefactio adjungitur, quæ in his nulla est; nam in textu dicitur, quòd gravi somno tentantur, & ad somnum facilè convertuntur; quia ibi humida, seu glutinosa substantia sanguinis juncta est cum vegetiori cruore, hìc verò cum hebetiori copulatur. (*a*) Secundò, sensus istorum eandem ob causam vigentes non sunt, sed obtusi, quoniam

(a) *Quo pacto somnus fiat, & à quibus causis, alibi à nobis dictum.*

niam vigor à robore rutilantis sanguinis, hebetudo verò ab ejusdem defectu procedit; quinimò isti nedum obtusos sensus habent, verùm etiam stolidi, atque omninò inepti observantur. Tertiò, excrementis abundant, & præsertim pituitosis, & aqueis, unde illorum capita obnoxia sunt repletioni, gravedini, & distillationi. Quartò demùm, calvitium non subeunt, quoniam in ipsis humidum excedit: calvitium autem ab illius inopia proficiscitur.

Ab his modò Indiciorum generibus docet Galenus progredi posse ad dignoscendas reliquorum omnium sensuum à Cerebro dependentium temperaturas, consideratis nimirum in illis tum sensitivis, tum motivis operationibus, nec non partium magnitudine, conformatione, figura, itemque juvantibus, & nocentibus, aliisque, ut de Cerebro memoratum. Verùm, ut exemplum aliquod referret, adjicit indicia Temperiei oculorum, ut ab his reliqua sensoria dignoscenda deduci possint: de quibus nunc.

CAPUT XVII.

XXIII. in Galeno.

De Oculis.

TEXTUS.

Sed sufficiet de Oculis dumtaxat facere mentionem. (T. 30.) *Quicumque tangentibus quidem manifestè calidi existunt, & facili, ac crebro motu cientur, & venas latas habent, hi calidi omnes sunt; frigidi verò his contrarii. Et humidi quidem molles simul, & multa humiditate pleni; sicci verò duri simul, & aridi. A similibus autem suæ temperaturæ causis facilè offenduntur, juvantur autem à modico contrariorum usu: sed hoc quidem commune in omni cujuscumque partis temperaturæ dignotione oportet meminisse.*

PARAPHRASIS.

Et quidem ab iisdem fontibus signa temperierum Oculi deducit: aitque calidos esse Oculos, si ad tactum calidi percipiantur: si facili, & crebro motu cieantur: si venas latas habeant: & si à calefacientibus lædantur, juventur à frigefacientibus. Contrà verò frigidi erunt, si juventur à calidis, lædantur à frigidis. Sed & humidi, molles simul, & multa serositate scatentes: sicci verò, duri simul & aridi erunt. Ita in pueris, & fœminis facilis illacrymatio, nulla, vel difficilis in senibus.

Sed cur ab Aristotele 22. *sect. problem.* 20. facilis illacrymationis causa ponitur calor, & acritudo? Quoniam is ibi respexit ad causam effectivam, glandulas oculorum, unde lacrymæ profiliunt, poritantem. Atque hinc solvitur quoque Problema illud, cur à dolore simul, & à lætitia, quæ oppositæ passiones sunt, lacrymari contingat. Quia nimirum, ut docet Alexander Aphrodisæus 1. *sect. Problem.* 31., coarctantur musculi, & glandulæ oculares in dolore, quemadmodum experimur ex ambiente frigore comprimente; in lætitia verò laxantur, amplificanturque, ut propterea serositates lacrymarum continere nequeant, sicuti ex fumo, Sole, aliisque similibus. Hinc pariter nonnulli faciliùs ob lætitiam lacrymantur, quàm ob dolorem, ut sunt Senes, durioris texturæ Corpora, & Melancholica dicta, quoniam in his promptior, ac facilior est laxatio glandularum, quàm compressio.

Quemadmodùm ex humiditate mollities, & facilis illacrymatio, ita ex opposito ob illius penuriam, oculorum durities, & ploratus difficilis succedit: & si quæ

quæ unquam lacrymæ ab illis prosiliunt, aridæ sunt. Dicuntur autem lacrymæ aridæ, quæ cùm compareat, illicò exiccantur, & evanescunt, ob tenuem, facilèque evaporabilem illarum serositatem. Cæterùm signa desumpta à juvantibus, & nocentibus communia sunt cum reliquis cæterarum partium temperaturis; siquidem à similibus causis offenduntur, à contrariis verò juvantur; si tamen modicus sit earumdem usus: Unde obiter notandum: Conservationem hìc, ex mente Galeni, à contrariis, non à similibus memorari, cùm tamen de signis Temperierum Corporum, intra limites sanitatis contentorum, agat.

CAPUT XVIII.

XXIV. in Galeno.

De Magnitudine Oculorum.

TEXTUS.

(T. 31.) *Magnitudo oculorum quidem, ubi concinnitas adsit, & operationum virtus, multitudinem benè temperatæ substantiæ ostendit, ex qua sunt conformati: quæ si desint; multam quidem substantiam, non tamen benè temperatum, ostendunt.*

PARAPHRASIS.

A Magnitudine etiam Oculorum indicia desumit, atque inquit, Oculorum magnitudinem cum concinna figura, & videndi acutie conjunctam, ostendere bonam illorum temperiem, melioremque compositionem, quæ duæ sunt conditiones superiùs relatæ ad cujuscumque partis salubritatem denotandam requisitæ. At si contrà, Magnitudo Oculorum præseferat concinnitatem, at videndi acutie careat, tunc arguet quidem materiei copiam, sed debilem virtutem, adeoque Visionis organum non esse benè temperatum, aut convenienter constructum.

CAPUT XIX.

XXV. in Galeno.

De Parvitate Oculorum. (a)

TEXTUS.

Parvitas verò oculorum, adjuncta quidem concinnitate, ac operationum virtute, paucam quidem, sed benè temperatam substantiam ostendit, ex qua sunt conformati. Si verò sociam habuerint inconcinnitatem quandam, atque operationum vitium, tunc paucam simul, ac vitiosam materiam ostendunt.

PARAPHRASIS.

Quòd si Oculi parvi sint, sed concinnam figuram habent, cum vegeta virtute, seu videndi acutie, indicabitur modica materia, sed robusta virtus, adeòque perfecta conformatio, & temperata partium similarium oculum componentium constitutio. At si oculi parvi sint cum inconcinna figura, malam conformationem, & virtutis imbecillitatem designabunt. Si insuper accedat Visionis vitium, tunc paucam simul, & vitiosam materiam arguent, quemadmodùm de Magno, & Parvo Capite dictum est.

CA-

(a) *Hoc etiam Caput adjungi deberet præcedenti.*

CAPUT XX.

XXVI. in Galeno.

De Colore Oculorum.

TEXTUS.

(T. 32.) Q*Uæ verò ad Colores attinent, ità distinguere oportet. Glauci quidem Oculi, qui pura humiditate, ac non multa præfulgent, tales fiunt, ob splendidi luminis abundantiam. Contrà verò nigri, & qui intermediam naturam servant, causas quoque intermedias habent.*

PARAPHRASIS.

PRæter magnitudinem, & Parvitatem Oculorum, est quoque in illis considerandus Color, qui sanè varius in Oculis esse solet. Præcipui autem referuntur hic à Galeno Glaucus, Niger, & Medius. Glauci oculi dicuntur, qui pura humiditate, àt non multa præfulgent, & tales fiunt ob splendidi luminis abundantiam: Nigri è contrà: Medii demùm, qui intermediam naturam servant, & intermedias causas habent. At Aristoteles 5. *de generatione Animalium cap.* 1. quatuor colores oculis attribuit, scilicet Cæsium, Flavum, Nigrum, & Caprinum, quibus etiam viridem colorem addidit Albertus Magnus 19. *de Animalibus cap.* 3., aitque Oculos Puerorum in prima generatione virides apparere. Verùm Galenus consideravit solùm hìc Colores Oculorum in Hominibus, qui ad ætatem adultam pervenerunt, atque eos dumtaxat, qui frequentiores sunt; quin pro intermediis intelligit omnes alios, qui inter album, & nigrum reponuntur. In cæteris autem Animalibus, tot, & tam diversi Oculorum colores observantur, ut vix ad certam classem redigi possint, cùm penè differant pro diversitate specierum. Leones enim rubros, & flavos gestant, Feles fulgidos, & igneos, Noctuæ albicantes, & ad flavum vergentes: sic alios, & alios Lupi, Vulpes, Ursi, Canes, &c. Aves quoque diversimodè coloratos oculos habent juxtà varietatem luminis, ac Iridis oculorum, eorumque magnitudinem. Diversa quoque Regionum constitutio oculos in coloribus variat; & quidem Mauris nigricant, Gallis flavescunt, Polonis albicant.

Sed unde provenit hæc in Oculis colorum varietas? Quidquid alii putent, ex contemperatione primarum qualitatum, adeoque ex temperamento vario pendere; verisimiliùs crediderim ex varia superficiei exterioris tunicæ luminis radios reflectentis textura, nec non ex ocularium humorum diversimodè lucis radios refractos admittentium, & eadem ratione remittentium, dispositione, varios colores in oculis exoriri: quæ sanè variant pro varietate structuræ, & conformationis partium, & humorum, oculos componentium. Ità quoque Aristoteles 5. *de generatione Animalium cap.* 1. causam Nigredinis oculorum attribuit copiæ, & profunditati humoris Aquei; Glaucedinem verò inquit oriri ex ejusdem paucitate. Et 14. *sect. Problem.* 11. causas ocularium colorum refert ad conditionem tunicarum; quemadmodùm etiam insinuat 10. *sect. Probl.* 13. Galenus etiam expresse *sequenti Capite* has easdem ocularium colorum causas assignat: quod mox sumus explicaturi.

CAPUT XXI.

XXVII. in Galeno.

De Glaucedine, & Nigredine Oculorum. (a)

TEXTUS.

Glaucus igitur Oculus fit, vel propter magnitudinem, vel propter splendorem humoris, qui à Græcis Cryſtalloides nominatur, vel propter situm prominentem, aut propter tenuis, & aquei humoris, qui in pupilla exiſtit, paucitatem, & puritatem, atque omnibus quidem in unum convenientibus fit glaucissimus Oculus. Quòd si aliqua adsint, aliqua verò non, tunc major, minorve glaucedo contrahitur. Niger verò oculus fit, aut ob parvitatem Cryſtalloidis, aut propter profundum situm, vel quoniam splendidus, ac fulgidus exquiſitè non eſt, vel quoniam tenuis humor vel superabundat, vel purus non exiſtit, vel propter unam aliquam ex his causis, aut propter omnes fieri consuevit. In ipsis autem magis, & minus, (ut antè diximus) reperitur. (T. 33.) *Tenuis igitur humor, quò magis ad Aquæ naturam accedit, & superabundat, humidiorem Oculum oſtendit: quemadmodum si craſſior, ac minor fiat, ſicciorem. Cryſtalloides autem si quidem durior exiſtat, ſicciorem efficit Oculum: si verò mollior, humidiorem: sic, & si plus modico tenuem humorem exceſſerit, ſicciorem: si autem defecerit, contrarium.*

(a) *Hoc aliud Caput videtur priori quoque adnectendum.*

PARAPHRASIS.

Causas Glaucedinis Oculorum refert hoc Capite Galenus, easque ad quinque revocat, videlicet ad magnitudinem humoris Chryſtallini, splendorem ejusdem, situm prominentem, paucitatem humoris Aquei, & ejusdem humoris puritatem. Addit deinde, quòd si omnes iſtæ causæ in unum conſpiraverint, Oculi valdè Glauci fient; si verò aliquæ tantùm conveniant, aliæ non, minùs Glauci observabuntur: si denique his oppositæ causæ habeantur, niger color exorietur: Speciatim autem Niger Oculus fiet, aut ob parvitatem Cryſtalloidis, aut propter profundum ejusdem situm, aut quia splendidus, fulgidusque hic humor exquiſitè non eſt: aut quia tenuis humor, ideſt Aqueus, plus juſto superabundat, minimèque purus eſt; eò autem minùs, magisve niger erit, quò prædictæ causæ plures, paucioresve concurrent; quamobrem in diversis individuis pro varietate particularum Oculos componentium, varii colores exurgent, magis, minusve Glauci, vel Nigri.

Et quidem Glaucus color in plures gradus dividitur. Primus eſt valdè fulgidus, & luminosus, qui splendentes oculos reddit, & veluti fulgore coruscos; qui color in Cœlo sereno, ac luminoso observatur. Secundus ad Croceum inclinat, ut in Noctuis. Tertius ad Viridem accedit, ut plerumque in Equis generosioribus. Quartus ad Cœruleum, & Marinum vergit; unde non mirum, si Neptuno Marino Numini illum Mythologi attribuere, & Minervam Homerus Glaucopin vocat. Niger color licèt suscipere poſſit majorem, vel minorem nigroris gradum, non tamen adeò declinat, ut ſenſibiles differentias afferat: poteſt tamen ratione Animalium, in quibus aliquantisper variat, dici

dici Caprinus, Ovinus, Bovinus, &c.

Inter hos medii ponuntur Fulvi, Charopi, seu gratiosi, ut in Oculis Leonis, Aquilæ, & Vulturis: Rubei, ut in Panthera, Ceraste, Basilisco, Aspide: sic etiam Purpurei, Flavi, Rufi, & similes:

Colligit modò ex his omnibus Galenus, humidiores esse Oculos, cùm tenuis, seu Aqueus humor ad Aquæ naturam magis accedit, & aliquanto superabundat: Sicciores verò esse, cum is crassior, & minor fuerit. Sic quoque Crystalloides, si densior, & durior sit, sicciorem oculum ostendit; humidiorem verò, si mollior, & laxior. Facta autem comparatione cum Aqueo humore, si plus modico tenuem, & Aqueum humorem Crystallus superaverit, duriorem, & sicciorem Oculum efficere: at cùm defecerit, molliorem reddere docet. Ex Cornea etiam tunica magis minusve diaphana idipsum evenire potest. Num autem humores isti excedant, vel deficiant, ex colore vel Glauco, vel Nigro deducere licebit. Et de his hactenus.

Superesset hic tandem Indicia Physiognomica tradere ex habitudine totius Faciei desumpta, adjunctis simul unà Oculis, Naso, Auribus, Labiis, aliisque adjacentibus partibus. At cùm de his latè nimis egerit præ cæteris Jo. Baptista Porta peculiari volumine *de Physiognomia Naturali Hominis* inscripto, propterea Lectorem nostrum ad illum remittimus. Nobis autem sufficiet hæc breviter innuisse.

CAP. XXII.

XXVIII. in Galeno.

De Cordis Temperaturis.

TEXTUS.

(T. 34.) *De Cordis autem Temperaturis deinceps dicendum est; si priùs hæc in memoriam revocaverimus, quòd unamquamque partem seipsa vel calidiorem, vel frigidiorem, vel sicciorem, vel humidiorem dicimus factam, non alicui rei alteri comparantes, sed ad seipsam. Sic enim utcumque extiterit Cor natura frigidissimum, multò sanè calidiorem temperaturam possidebit calidissimo Cerebro.*

PARAPHRASIS.

Postquàm superioribus Capitibus latè egerit Galenus de Cerebri Temperaturis, ad Cordis Temperamentorum indicia explicanda se nunc convertit, quoniam sub Cerebro nullum aliud viscus præstantius Corde est. Antequàm autem varias illius temperaturas consideret, regulam quandam generalem præmittit, inquiens; Unamquamque partem seipsa vel calidiorem, vel frigidiorem, sicciorem, vel humidiorem, intelligi debere, non alicui alteri rei comparatam: *utcumque enim*, subdit, *Cor extiterit frigidius, multò sanè calidiorem temperaturam Cerebro adhuc calidissimo possidebit*. Quorum verborum sensus est, quòd Cor calidius, vel frigidius dicetur, non quidem comparatum ad reliquas partes Corporis, respectu quarum semper calidius erit, sed solùm in seipso consideratum, cum temperamento moderato, & medio; Unde cùm dicitur, Cor esse frigidum, minùs cali-

dum intelligi debet, quàm sit temperatissimum: sicut pariter, cùm dicitur calidum, magis calidum intelligendum erit, quàm sit moderatum, ac medium; siquidem hoc, Mensura ponitur omnium Temperamentorum.

CAPUT XXIII.

XXIX. in Galeno.

Signa Cordis Calidi.

TEXTUS.

(T. 35.) *Calidioris igitur Cordis, ut admodùm qui ei proprius est, atque conveniens, indicia quædam sunt inseparabilia, & propria, magnitudo respirationis, & pulsus velocitas, & frequentia, & audacia, & ad actiones natura prompta. Quòd si multùm in caliditate excesserit, tunc iræ præcipitatio est furibunda. Est autem his thorax hispidus, & præsertim pectus, & quæcumque hypochondriis partes proximiores. Magna verò ex parte calidi Cordis temperatura universum Corpus calidum reddit, nisi Hepar vehementiùs obstiterit. Dicemus autem paulo inferiùs totius Corporis indicia.* (T. 36.) *Est quidem & latitudo Thoracis caliditatis indicium, nisi & hìc quoque Cerebrum plurimùm obstiterit, quoniam ei magna ex parte spinalis medulla in magnitudine respondet: tantæ verò erunt magnitudine vertebræ, quanta & spinalis medulla, quare & spina universa. Configitur verò Thorax ad eam Spinæ partem, quæ Metaphrenum, idest Dorsum dicitur, tanquam ad Carinam Navis. Quare neceßariò ejus longitudo æquabitur dorso: latitudo verò erit pro vertebrarum ratione, quando ad proportionem earum craßitudinis fuerit confixus. Cùm verò cordis caliditas superans perflaverit, ac dilataverit in primo sui ortu thoracem, erit ejusdem caliditati proportione respondens. Quare cùm Caput parvum, thorax autem latus extiterit, maximum hoc tibi fuerit Cordis caliditatis indicium: cùm verò magno existente Capite parvus fuerit, propriißimum hoc erit Cordis frigidioris signum: si verò Capiti fuerit proportione respondens, tunc aliis signis de Corde distingues, ex ipsius thoracis amplitudine nihil aßumens.*

PARAPHRASIS.

QUemadmodũ in Temperaturis Cerebri distinxit Galenus Temperies in simplices, & compositas; pari nunc ratione, ut indicia singularum Cordis Temperierum exactè traderet, signa Temperamenti Calidioris primò proponit.

Illius autem Indicia ad quatuor in universum revocat: videlicet ad Magnitudinem Respirationis, ad Pulsuum velocitatem, ac frequentiam, ad Audaciam, & ad Promptitudinem actionum: atque hæc inquit Signa esse inseparabilia, & propria. Indicat Cordis caliditatem Magnitudo Respirationis dupliciter. Primò, quia Magna Respiratio magnum Thoracem exigit, adeòque organa, Respirationi necessaria, ampliora: modò amplitudo, & magnitudo partium spiritalium non nisi à calore potest haberi, adeòque in prima sui formatione demonstrat vim validam, ac efficacissimam fuisse. Secundò, ex amplitudine Thoracis arguitur calor vegetior in Corde, quoniam Vasa sanguinea Pulmonem perreptantia, lata quoque, & multo, floridoque Sanguine referta esse oportuit; unde Caloris vigor, & spirituosæ substantiæ copia manifestè colligitur. Pulsuum velocitas, ac frequentia calorem pariter excedentem attestantur; sive quòd ex his usus in Corde adauctus, ut putat Galenus, indicetur; sive rationabiliùs,

liùs, quia ubi velox, & creber pulſus fit, ibi quoque motum Sanguinis circumeuntis celeriorem fieri neceſſe eſt. Ex velocitate autem, & frequentia motus Sanguinis, & Cordis, tenuiores, puriores, & copioſiores Spiritus exurgunt, unde Calor vegetior fit, & viciſſim exinde robur maximum in Corde, & partibus vitalibus excitatur. Implicitè autem continetur in velocitate, & frequentia Pulſus, magnitudo, & robur ejuſdem, cùm ut plurimùm utraque ſimul obſervetur. Audacia pariter indicat Calorem Cordis, & vitalis regionis; quoniam illa à copia, puritate, & mobilitate Spirituum, è puro, & tenui Sanguine procedentium, dependet. Conjungit autem cum Audacia Galenus promptitudinem Actionum, ſiquidem Calor agiles efficit actiones, & nedum reddit Homines Audaces, ſed etiam citò exequentes, quæ ſibi, adhuc ſi difficilia ſint, agenda proponunt. Hinc Ariſtoteles 3. *Ethicor. cap.* 7. Audacem inquit eſſe, qui in terribilibus rebus excellit, vultque videri fortis: quòd ſi præter excellentiam in terribilibus; promptitudinem in exequendo habeat ſine timore, tunc nedum Audax, ſed Fortis etiam dicetur.

Si præterea multùm in caliditate Cor exceſſerit; ideſt ſi calidiſſimum fuerit, tunc ſigna excedentem hunc calorem atteſtantia, erunt, furioſa quædam Iracundia, ac Temeritas; Iracundia quidem, quæ cita, & facilis eſt ad iraſcendum propenſi; quoniam ex nimio calore Sanguis acerrimus, & qui dicitur bilioſus, evadit, adeòque promptè efferveſcens, & ex quacumque cauſa levi Iram concitans, quæ à Medicis definitur: *Ebullitio Sanguinis circa Cor*. Temeritas verò, quia citra formidinem; quodcumque terribile cum impetu irati aggrediuntur. Quamobrem Bilioſi fiunt Iracundi, & Iracundi ſunt bilioſi, ideſt acri ſanguine præditi.

Sed & ulteriùs his Thorax hiſpidus eſt, quoniam ubi calor abundat, ibi quoque fuligo, pilorum materia, multa elevatur, & in pilos extenditur, ſuggerentibus ſcilicet illam muſculis Pectoris. Partes quoque hypochondriis proximiores, & circa ſeptum tranſverſum ſitæ, idipſum oſtendent, utpote pilis pariter refertæ, veluti ſpiritalibus partibus attiguæ.

Advertit tamen, & ſana ratione, Galenus, à Cordis calida temperatura totum Corpus facilè in calidam conſtitutionem inclinare; ſiquidem calor totius Corporis à Sanguine, provenit, & ubi is vividus, ac rutilans, à Corde procedens; cunctas Corporis partes pervadit, pari ratione iſtæ vividæ, ac calidæ obſervabuntur. Verùm addit, *niſi Hepar vehementiùs obſtiterit*: Nam, cùm Hepar ex mente Galeni ponatur primum ſanguificationis organum, ſi fortaſſe vehementer obſiſteret; hoc eſt magna intemperie frigida afficeretur, poſſet illius fervorem plurimùm contemperare. Vel congruentiùs, (Galeni ſententiam in meliorem, & Anatomiæ accommodatiorem ſenſum reducendo) dicas, poſſe Jecur remeantem Sanguinem infringere, & à partibus acribus, ſulphureis, aut bilioſis dictis, peculiari ſua conſtitutione, ac textura non minimum repurgare, ac repurgando obtundere.

Poſtremò addit aliud caloris excedentis indicium Galenus, deſumptum à Thoracis amplitudine: etenim caloris eſt amplificare, & partes in prima ſui generatione latiores reddere, niſi tamen Cerebrum plurimùm obſtiterit: cujus rationem ipſemet deſumit à Spinatæ medullæ magnitudine, ac proportione: *Tantæ enim erunt magnitudine Vertebræ, quanta eſt Spinalis Medulla; quare & Spina univerſa. Configitur verò Thorax ad eam Spinæ partem, quæ Metaphrenum, ideſt Dorſum dicitur, tanquam ad Carinam Navis: quare neceſſariò ejus longitudo æquabitur Dorſo; latitudo verò erit pro Vertebrarum ratione*

quando ad proportionem earum craſſitudinis fuerit confixus. Hæc Galenus. Ex quibus verbis deducitur, in primo partium ortu, ex copia materiei, unde Cerebrum, Spina, Vertebræ, & Coſtæ formantur, Thoracem poſſe conſtrui latiorem, etiam ſi Cor caliditate minimè prævaleat; ſiquidem magno Cerebro, & Capiti magnæ Spina naturaliter reſpondere debet; huic verò & Dorſum, & Coſtæ proportionem ſimiliter ſervabunt, ideòque Pectus amplum Capiti magno naturaliter adjungetur. Dictum eſt, naturaliter, nam ſi Corpus monſtruoſum ſit, partes iſtæ poterunt non ſervare proportionem.

Ut inſuper diſtinguat Galenus, num à calore Cordis, an à magnitudine Capitis, Thorax latior habeatur, ſubdit: ſi calor Cordis exceſſerit, ac Thoracem amplificaverit in prima ſui formatione, ex ingenito, inſitoque vigore, tunc proportione reſpondebit calor Cordis Cerebri caliditati. Quare cùm Caput parvum, Thorax verò amplus extiterit, maximum hoc erit Cordis calidioris indicium. At contrà, cùm magnum fuerit Caput, Thorax verò parvus, erit hoc proprium Cordis frigidioris, ideſt minùs calidi, ſignum. Si denique Caput proportione reſpondeat Thoraci, ab aliis indiciis Cordis temperatura deducetur, cùm ex hoc fallax ſignum deſumatur.

Quamvis autem Argenterius Galenum reprehendat in eo, quòd dixerit, Caput eſſe poſſe parvum in magno Thorace, cùm nunquam id ipſe expertus ſit, nil penitùs evincit; id equidem impoſſibile non eſt: quinimò non raròaccidit Caput parvum latiori Thoraci ſuperincumbere, & è converſo; non tamen incongrua penitùs magnitudine, ac proportione, ſed ſolùm reſpectiva.

CAPUT XXIV.

XXX. in Galeno.

Signa Cordis Frigidi.

TEXTUS.

(T. 37.) *IN frigidiore verò Corde pulſus minores exiſtunt, quàm modo Naturæ conveniat: non tamen neceſſariò tardiores, vel rariores. Reſpiratio autem, ſi quidem tantò Thorax minor extiterit, quantò Cor frigidius, pulſibus erit proportionalis. Si verò major fuerit, quàm pro frigiditatis quantitate, non minor eſt tantùm, ſed etiam tardior, & rarior. Tales autem timidi natura ſunt, & ſine audacia, & ſegnes, & nudum pilis habent pectus. De ejus verò parvitate diſtinguendum, ut diximus priùs. Eodem modo & de totius Corporis caliditate.*

PARAPHRASIS.

OPpoſitis indiciis inquit dignoſci Cor à mediocri calore infrà recedens: Pulſus enim fiunt minores, quàm ſint in Corde temperatè calido, non tamen, ſubdit, neceſſariò eſſe tardiores, vel rariores, quoniam cum parvitate aliquando jungi poteſt tarditas, & raritas, quandoque verò celeritas, & frequentia, ut ex tractatu de Pulſibus. Inſuper ſi Thorax reſpondeat frigiditati Cordis, reſpiratio erit quoque proportionata pulſui, ideſt etiam parva. At ſi Thorax latior ſit, fortaſsè ob Cerebri, & Spinæ, cum ſuis vertebris, amplitudinem: Reſpiratio longè minor pulſu erit; quoniam amplitudo loci minuit indigentiam, ac uſum novi aeris: Præterea, hác Cordis temperie prædit, timidi natura ſunt, nec non ſegnes, & pectore glabri: quæ omnia à Sanguine hebe-

hebetiori, minùsque vivido, proveniunt. Atqui istiusmodi timor intelligitur illatus ex quacumque levi causa; etenim ex doctrina Aristotelis 3. *Ethicor. cap.* 2. *&* 6. (a). Timidus dicitur, qui metuit ea, quæ timere non decet; vel qui metuit, quæ non oportet, vel non sicut oportet, vel quando non oportet. Compertum autem est ex Anatome, Meticulosos corde solito grandiori, laxiorique esse præditos, Fortes verò, & generosos, parvo, sed solido: in hoc enim Sanguis vegetior; in illo dilutior, vapidusque fit. Non dissimili ratione isti observantur etiam Segnes, & Glabri; quoniam ab effœto Sanguine, fuliginosa materia pilorum, crassior, vel elevari, & extendi, vel poros cutis pervadere nequit; quin & cutis ipsa laxa nimis est, & mollis, adeòque glabra, ut in Fœminis, & Eunuchis. Pectus denique erit angustum, eadem de causa, nisi tamen ex Cerebri, & Capitis mole, ac Spinæ, vertebrarumque magnitudine, latius habeatur, modo superius relato.

CAPUT XXV.

XXXI. in Galeno.

Signa Cordis sicci.

TEXTUS.

(T. 38.) *Cor autem siccius, pulsus efficit duriores, & iram non promptam quidem, sed feram, & quæ non facilè sedari queat, magnaque ex parte universum Corpus siccius existit, nisi Hepar obstiterit.*

(a) *V. etiam Aristotelem lib. de juvent. & senect. cap.* 15.

PARAPHRASIS.

IN Corde sicciori pulsus fient duriores: Homines minùs iracundi erunt, nec tam facilè ad iracundiam concitantur, iram tamen semel conceptam diutiùs fovent, & ferinam ferè conditionem æmulantur. Totum Corpus siccius, ac durius ad tactum apparebit, unde Cutis, Fibræ, Carnes, asperæ, duræ, & siccæ observabuntur, nisi tamen aliunde, & præsertim ab Hepate moderentur, repurgata scilicet plurimùm parte illa sanguinis fellea; vel etiam inertiori reddita, aut segregata nimiùm parte ejusdem crassiori, melancholica dicta, relicta parte serosa, & lymphica.

CAPUT XXVI.

XXXII. in Galeno.

Signa Cordis humidi.

TEXTUS.

(T. 39.) *Cordis verò humidioris signa, pulsus molles, & mores ad iram quidem proclives, sed talem, quæ facilè sedari possit, & universum Corpus humidius existit, nisi Hepar obstiterit.* (T. 40.) *Secundùm verò conjugationem qualitatum primarum Cordis intemperaturæ ità se habent.*

PARAPHRASIS.

SIgna humidioris, & laxioris Cordis referuntur pulsus molles: propensio ad iram, sed talem, quæ facilè sedetur: universi Corporis humida, mollisque constitutio, nisi Hepar obstiterit, modis nuper explicatis.

Difficultas solùm esse potest in eo, quòd Galenus dicat, humidius Cor proclive esse ad iram; cùm contrarium Ratio suadere videatur. Unde Argenterius, tanquam gravis erroris culpam, in Galenum, ut sui moris est, illud impingit. Verùm pro Galeno responderi potest, in humidiori Corde, sed simul etiam calido, iram excitari quoque posse, sed talem, quæ facilè sedetur; quare sua natura licèt non concitetur ad iram, si tamen fortassè aliqua ex causa ad illam provocetur, facilè sedabile sit ad contra distinctionem antecedentis temperaturæ. Satis enim est ad iram promovendam sanguinis effervescentia, quæ ex prædicto calore juncto humiditati inferri potest, si præsertim à vehementi aliqua exteriori causa incitetur, & acuatur.

Tandem Compositas temperierum conjugationes deinceps se velle referre insinuat Galenus, quarum indicia, ex cognitis Simplicibus, facillimè deducentur, ut ex sequentibus Capitibus.

CAPUT XXVII.

XXXIII. in Galeno.

Signa Cordis calidi, & sicci.

TEXTUS.

Calidi, & sicci cordis pulsus duri sunt, & magni, & veloces, & frequentes, & respirationes magnæ, & veloces, & frequentes, & multò magis ad velocitatem, ac frequentiam vergunt, thorace Cordi non aucto proportionaliter. Hi verò præ cunctis pectus habent maximè hirsutum, & hypochondria. Ad actiones autem prompti sunt, & iracundi, & celeres, & impudentes, & mores tyrannicos habent: etenim sunt in iram præcipites, non facilè verò placabiles. De totius autem Corporis temperatura, & Thoracis amplitudine, his, quæ ante diximus, proportionaliter est distinguendum.

PARAPHRASIS.

Compositarum Cordis temperierum indicia in posterum relaturus Galenus, eodem, quo suprà ordine, initium facit à Temperamento calidiori, & sicciori; atque ad illius dignotionem sex genera signorum proponit, nempè pulsus duros, magnos, veloces, & frequentes: itemque respirationes magnas, veloces, & crebras: pectus, & hypochondria hirsuta: promptitudinem ad actiones, iracundiam, impudentiam, & mores tyrannicos: proclivitatem ad furorem, non facilè placabilem: denique totius Corporis calidam, siccamque constitutionem, cum Thoracis amplitudine; nisi tamen Jecur ex parte obstiterit, quo modo suprà dictum est.

Primò itaque Pulsus duri, magni, veloces, & frequentes Cor calidum siccum ostendunt: durities enim à siccitate; magnitudo verò, velocitas, & frequentia à caliditate provenit, eò quòd arguat Sanguinem floridum, tenuem, & spiritibus scatentem.

Secundò, Respiratio magna, velox, & crebra eadem ratione contingit, cùm Pulmo cogatur sæpiùs suas expansiones repetere, atque novi aeris ingressum, & veteris egressum admittere, juxtà thoracis amplitudinem.

Tertiò, Pectus, & Hypochondria sunt hirsuta, quoniam à Sanguine abundantiori, tenuiorique, multa fuliginosa materia elevatur, unde evenit hispiditas.

Quartò, Actionum promptitudo: si-

quidem ex superiùs traditis, calor actiones agiliores efficit, eòque magis, si cum siccitate conjunctus sit, ideſt si Sanguis acrior fuerit.

Quintò, tales ſunt iracundi, & impudentes: exacuitur enim, non retunditur calor, cùm ſanguis multo glutine non abundat, ſed potiùs acritate aliquatenùs inficitur, & exaſperatur: unde iſti nedum maxima cum audacia operantur, ſed impudenter etiam quodcumque adhuc arduum moliuntur. Habent pariter mores tyrannicos, ideſt ſunt crudeles, immiſericordes, audaces, impii, temerarii, & cunctorum contemptores; quamobrem faciles ſunt ad iram, & difficulter admodùm placabiles: Sanguis etenim in his acer, inflammabilis, & biliofus eſt, ideòque ad furorem proclives homines reddit.

Denique totum Corpus calidum, ſiccumque obſervabitur, quia tantus eſt in cunctas partes, Cordis, & Sanguinis inde profluentis delatus vigor, ut ad illius habitudinem Corpus univerſum pariformiter afficiatur, & excandeſcat, transfuſo nimirum quaquaverſum ſubinde ſanguine æquabiliter fervidiori. His plerumque Thoracis amplitudo eadem de cauſa jungitur, niſi Spinæ, & Dorſi vitio, aliter ex prima generatione contigerit, ut ſuperiùs dictum: quod tamen rariſſimum eſt, veluti ferè monſtruoſum.

CAPUT XXVIII.

XXXIV. in Galeno.

Signa Cordis calidi, & humidi.

TEXTUS.

(T.41.) *SI verò caliditas unà cum humiditate dominabitur minus quidem his, quos anteà diximus, hi ſunt hirſuti; ad actiones verò nihilominùs prompti, non tamen ferus eſt animus, ſed ad iram proclivis tantummodò. Pulſus verò magni, ac molles, veloces, & frequentes exiſtunt; & reſpiratio, cùm Thorax Cordi fuerit proportionalis, eandem pulſibus formam ſervabit. Si verò minor extiterit, tanto illis velocior erit, & frequentior, quanto & thorax minor extiterit. Si autem multa facta fuerit everſio in temperatura, ac ſi hoc præſertim in humiditate contigerit, præter ea, quæ diximus, contingent etiam ex putredine morbi his, qui in ipſis fuerint, humoribus corruptis, ac putrefactis. Expirationes autem majores ſunt, ac velociores inſpirationibus, & ſubmiſſio arteriæ in pulſibus velox.*

PARAPHRASIS.

QUoniam humiditas contraria qualitas ſiccitati ponitur, idcircò cùm jungitur calori, vires illius, & effectus aliquantulùm remittit, qui à ſiccitate plurimùm exacuuntur. Hinc Galenus hoc Capite omnia Signa in calido, & ſicco Corde memorata, mitiorem conditionem referre docet in calida, humidaque Cordis temperatura. Et quidem, qui ejuſmodi conſtitutione præditi ſunt, minùs hirſuti, & ad actiones minùs prompti obſervantur; Animus non tam ferus, & immitis eſt, licèt proclivis ad iram, cauſa caliditatis. Pulſus ſunt

quidem magni, sed non duri, quin potius molles respectivè. Respiratio item, si proportionem servet Cor cum thorace, erit pulsui proportionata; sin secùs, vel velocior, vel tardior pro ratione. Sunt præterea isti morbis ex putredine progigni creditis obnoxii: quoniam putredo à calore in humido excitari putatur; id quod potissimùm accidet, cùm humiditas prævalentior fuerit; tunc siquidem non benè à calore, vitalium operationum moderatore, dirigetur: quamobrem & expirationes majores erunt inspirationibus, & submissiones, seu Systolæ Arteriarum, pari ratione velociores, fuliginibus, seu vaporibus, ex sanguine elatis, ad id impellentibus. Atqui hæc juxta ea, quæ nuper dicta sunt, facillimè quoque patefiunt.

CAPUT XXIX.

XXXV. in Galeno.

Signa Cordis humidi, & frigidi.

T E X T U S.

(T. 42.) *Humidioris verò, & frigidioris Cordis, pulsus quidem molles: moribus autem nequaquam audaces, sed timidi, & segnes existunt. Tales etiam glabrum pectus habent, minimèque iram retinent, sicuti & ad iram non admodùm sunt prompti. Quæ verò ad Thoracem, & universum attinent Corpus, distinguere oportet, sicut ea, quæ antea diximus.*

P A R A P H R A S I S.

Huic intemperiei pulsus molles accidunt, in moribus timiditas, & segnities, in pectore glabrities, difficultas ad irascendum, & cætera ad Corpus pertinentia frigidam, humidamque habitudinem ostendent; unde tactus mollis, frigidus, humidusque erit: quæ omnia ex pluries repetitis manifestissima sunt.

CAPUT XXX.

XXXVI. in Galeno.

Signa Cordis frigidi, & sicci.

T E X T U S.

(T. 43.) *Frigidius verò Cor, & siccius, pulsus quidem duros reddit, & parvos, respirationem autem, si quidem thorax parvitatem Cordis frigiditati proportionalem habuerit, moderatam: si verò major extiterit, raram, ac tardam. Hi verò præ omnibus minimè ad irascendum prompti, cùm autem coacti fuerint irasci quibusdam, retinent iram. Habent autem maximè omnium nudum pilis pectus. De parvitate autem thoracis, ac præterea totius Corporis frigiditate similiter distinguendum Unum illud commune in hisce omnibus memoria repetentibus, quòd quæcumque de moribus sive nunc, sive quovis alio sermone explicata sunt, ad temperaturæ cognitionem, non de probis moribus, aut vitiosis, qui ex philosophia hominibus adveniunt, sed de insitis unicuique, ac naturalibus, à nobis sunt exposita.*

P A R A P H R A S I S.

Pulsus in his duri sunt, & parvi: duri quidem ratione siccitatis, seu penuriæ substantiæ glutinosæ sanguinis; parvi verò ratione frigiditatis, seu sanguinis hebetioris: Respiratio erit moderata, si Tho-

Thorax proportionatus fuerit; si verò major extiterit, tarda, parva, & rara erit: ad iram nulla, vel levissima aderit proclivitas repugnante scilicet Cordis, & Sanguinis habitudine; at verò ea semel concepta, poterit diutiùs perdurare, quoniam à consistentia sanguinis passiones tenacitatem adipiscuntur, & Cordi intimiùs inhærent. Pectus nudum pilis: nam deficiente parte vivida cruoris, nec fuligo, si qua est, extenuari potest, nec per poros cutis extendi. Denique Thorax parvus, & angustus erit, totumque Corpus frigidum tactui apparebit, ab effœti sanguinis conditione.

Ad calcem hujus Capitis advertit Galenus, signa hæc intelligenda esse naturaliter, & præsertim eorum, quæ ad mores pertinent; unde inquit, *quòd quæcumque de moribus, sive nunc, sive quovis alio sermone explicata sunt ad Temperaturæ cognitionem, non de probis moribus, aut vitiosis, qui ex Philosophia hominibus adveniunt, sed de insitis unicuique, ac naturalibus à nobis sunt exposita*. Ex quibus verbis colligitur, illos animi mores Temperaturas indicare, qui insiti à Natura sunt, & non ob bonam eam Philosophiæ partem, quæ Ethica dicitur, acquisiti, vel etiam ob consuetudinem, conversationemque assiduam cum hominibus morigeratis habitam. Sic plurimi natura iracundi, temerarii, & impudentes, ob Religionem, studium Philosophiæ, Sanctorum Patrum, & Moralium Librorum lectionem, mites, benigni, misericordes, & verecundi evaserunt; quemadmodùm inter Ethnicos, de Socrate, & Hippocrate referunt Historici. Et hactenus de temperamentis Cordis.

CAPUT XXXI.

XXXVII. in Galeno.

Signa calidi Hepatis.

TEXTUS.

(T. 44.) *Hepatis calidioris indicia, Venarum latitudo, flava bilis abundantior; in consistenti verò ætate etiam atra: calidior ipsis Sanguis, atque eadem ratione Corpus universum, nisi obstiterit Cor. His venter, & hypochondria hirsuta.*

PARAPHRASIS.

Quoniam superiùs inter partes Principes Hepar retulerat Galenus, illius propterea nunc naturales intemperaturas, cum excessu unius, vel duarum qualitatum, eodem ordine, ac de Corde dictum est, considerat, & examinat. Primum autem Signum calidioris Hepatis inquit esse venarum latitudinem: secundum rufæ bilis abundantiam, atque in ætate consistenti bilis atræ copiam: tertium, sanguinem calidiorem, ejusque ratione corpus universum ad calidum inclinare: ventrem denique, & hypochondria hirsuta fieri. Quæ signa licèt apud alios Expositores non leves patiantur difficultates, facillimè tamen à Nobis diluuntur. Et quidem primò venarum latitudo ex præjactis rudimentis, & partium primigeniarum staminibus oriunda, tractu temporis apparentior fit in Hepate, quod principium implantationis, seu radicationis illarum tantummodò est; quoniam ramuli omnes ex extimis ad intimas partes perreptantes, pro usu circulationis sanguinis, semper, ac semper versus Hepar tendentes amplificantur, ut ibidem Sanguis

guis à sulphureis, & àcrioribus partibus in cysti fellea collectis, repurgatus, in Cor vergat, diathesi, & crasi puriori potitus. Hinc secundò bilis rufa, seu flava, ex repurgamento Sanguinis in cysti colligitur, ut etiam ab eodem Galeno dicitur 2. *de natural. facult. cap. 9.*; quin aliquando etiam abundantior fit, citra caloris excessum, ut in puellis benè valentibus, & non raro in cadaveribus Cachexia, aut Hydrope defunctis compertum est: verumtamen repurgatio ista fellei humoris si non sufficienter, aut malè fiat, intemperies calida in Jecore exorietur. Tertiò, licèt Hepar sanguificationis organum non sit, quia tamen major, ac manifestior ejuscemodi impuritatum repurgatio in illo fit, propterea à mala, vel bona eorumdem secretione, totius etiam Corporis habitudo bona, vel mala proficisci potest, ut & Ventris, & hypochondriorum constitutio ex prompta, & facili, aut inepta, & difficili, iis in partibus, transpiratione. Quæ omnia rectè consideranti palam fient.

CAPUT XXXII.

XXXVIII. in Galeno.

Signa Hepatis frigidi.

TEXTUS.

(T. 45.) F*Rigidioris verò, angustia venarum, pituita abundantior, sanguis frigidior, & totius Corporis habitus, nisi à Corde calefiat. Venter illis glaber est, atque hypochondria.*

PARAPHRASIS.

AB opposito, frigidioris Hepatis signa sunt, angustia venarum, pituita abundantior, Sanguis frigidior, & totius Corporis habitus similiter ad frigidum inclinans, nisi tamen à Corde calorem æqui valentem suscipiat. Venter demum glaber est, unà cum hypochondriis. Et quidem omnium istorum ratio in promptu reddetur, quia à mala Hepatis constitutione repurgatio tum fellei humoris, tum cæterorum excrementorum conveniens secretio non fit, unde Sanguis minùs floridus, immò potiùs serosus, ac pituitosus emergit, totiusque etiam Corporis habitudo, ipsius sanguinis habitudinem, consequetur: cùmque fuliginosa materia pilorum, aut deficiat, aut inepta subinde reddita, extramitti, atque in pilos commutari nequeat, glaber venter cum hypochondriis observabitur.

CAPUT XXXIII.

XXXIX. in Galeno.

Signa Hepatis sicci.

TEXTUS.

(T. 46.) S*Iccioris autem, sanguis quidem crassior, & minimè abundans, venæ duriores, & totius Corporis habitus siccior.*

PARAPHRASIS.

SIccioris verò temperiei indicia erunt, sanguis crassior, & consistentior, qui nimirùm acorem aliquem contraxit; eritque modicus, cum angustia, & duritie venarum; unde etiam totius Corporis habitus in eamdem constitutionem inclinabit.

CA-

CAPUT XXXIV.

XL. in Galeno.

Signa Hepatis ficci.

TEXTUS.

(T. 47.) *HUmidioris autem, Sanguis quidem abundantior, atque humidior, venæ autem molliores. Ita vero & universum Corpus, nisi partes, ad Cor attinentes, obstiterint.*

PARAPHRASIS.

AT Sanguis in humidiori temperatura Jecoris, erit quidem abundantior, sed serosior: venæ exinde molliores observabuntur; quin & partes cunctæ Corporis nimia serositate scatentes, tumidæ, & obesæ fient, nisi ex adverso Cor obstiterit; ideſt nisi Cor præcellenti sua virtute tantam serositatem moderetur, & emendet, per iteratas sanguinis circuitiones, aut diaphoresi, aut diuresi promota.

CAPUT XXXV.

XLI. in Galeno.

Signa calidi, & ficci Hepatis.

TEXTUS.

(T. 48.) *CAlidioris vero simul, ac ficcioris Hepatis indicia, hypochondria plurimum hispida, Sanguis crassior simul, ac ficcior, (al. paucior,) flava bilis plurima est: consistente autem ætate, & atra: venarum autem latitudo, & durities. Sic vero & universum Corpus se habet: nam quæ ex corde caliditas originem habet, potest obtundere eam, quæ ab hepate nascitur, frigiditatem, sicuti & frigiditas caliditatem: ficcitatem vero non potest humidius Cor ad contrarium habitum transferre. Media vero inter has, quæ dictæ sunt, ea, quæ ab Hepate humiditas oritur. Magis enim à Cordis ficcitate superatur, quàm ficcitas ab humiditate: minùs autem à caliditate: adhuc vero multò minùs frigiditate; Hæc enim inter omnes qualitates, quæ ab Hepate eveniunt, facillimè vincitur. Liquet autem, quòd cùm in unum convenerint utriusque principii temperaturæ, totum exquisitè secundùm illas afficitur corpus, paulò vero inferiùs ipsius dicentur indicia.*

PARAPHRASIS.

CUm simul ficcitas calori jungitur, & utrumque in excessu est, hypochondria plurimùm hispida observabuntur, ob fuliginum inde prodeuntium multitudinem: crassior simul, & consistentior, seu fibrosior Sanguis fiet; quin & bilis flava multùm in illo exuperabit, à Sanguine pariter acriori reddito, præsertim in juventute; in ætate consistenti vero atra evadet, absumptis perpetim per circuitum Sanguinis serosioribus partibus. Venæ latæ apparebunt, eruntque ad tactum duræ, eandem ob causam. Et demùm Corpus universum consimilem patietur intemperaturam, nisi aliunde contemperetur, quod planè difficilius; siquidem à Corde nil tale quid suggeri poterit, quod Hepatis Temperaturam calidam siccam corrigere valeat, nisi solùm partes chyli nondùm exactè elaboratæ eo deferantur.

CAPUT XXXVI.

XLII. in Galeno.

Signa Hepatis calidi, & humidi.

TEXTUS.

(T. 49.) *HUmidius autem, acsimul calidius Hepar, minùs quidem quàm calidius, & siccius, hypochondria reddit hispida. Plurimum verò sanguinis, & venas amplas, habitumque calidiorem, atque humidiorem facit; nisi obstiterit Cor. Si verò ampliùs in ambabus qualitatibus à Naturæ modo recedat, à morbis, qui ex putredine, ac vitiosis humoribus fiunt, facillimè capitur. Adhuc autem magis, si plurimùm augeatur humiditas, caliditas verò non ita. Si autem contrà, parùm quidem humiditas crescat, plurimùm verò caliditas, minimè vitiosis humoribus laborant.*

PARAPHRASIS.

SUnt in his etiam hypochondria hispida, sed minùs, causa humiditatis, seu serosioris sanguinis. Sanguis item ipse ob eandem rationem abundantior, & venæ ampliores, mollioresque, totumque Corpus eodem pariter temperamento erit affectum, nisi Cor aliunde obstiterit, tenujorem, punioremque sanguinē reddendo. Erunt insuper tali temperie præditi obnoxii morbis ex putredine, quæ à calore in humido excitari dicitur, præsertim si humidum gluten in sanguine prævaluerit, quod sanè ex indebita fermentatione, aliqua de causa commotum, facillimè in corruptionem vergit. At verò calore humiditatem moderante, hoc est coercito glutine à parte sanguinis vividiori, secùs accidet.

CAPUT XXXVII.

XLIII. in Galeno.

Signa Hepatis humidi, & frigidi.

TEXTUS.

(T. 50.) *HUmidius autem, & frigidius Hepar habet hypochondria glabra, sanguinem verò ad pituitæ naturam accedentem generat, cum venarum angustia: sic & reliquum afficit Corpus, nisi à Corde ad contrariam naturam transferatur.*

PARAPHRASIS.

OB excessum humiditatis, & frigiditatis, seu texturæ laxioris in Jecore, hypochondria glabra erunt, sanguis pituitosus, multo scilicet sero repletus observabitur, à serosis hisce partibus non benè repurgatus. Venæ erunt angustæ, & universum Corpus ex præfatis causis ad frigidum, humidumque inclinabit, nisi Cor iteratis circuitionibus serosum sanguinem in meliorem crassim non reduxerit, ejusque defectui non opituletur. Singula patent ex dictis.

CAPUT XXXVIII.

XLIV. in Galeno.

Signa Hepatis frigidi, & sicci.

TEXTUS.

(T. 51.) *FRigidius autem, & siccius Hepar cum pauco sanguine, & venarum angustia efficit Corpus, atque frigidius, & hypochondria glabra, nisi & hic Cor dominetur.*

PA-

P A R A P H R A S I S.

Siccitas frigiditati consociata Sanguinem indicat parciorem, & venarum angustiam, totumque Corpus frigidius observabitur; immò ad tactum durius; quare & hypochondria glabra erunt, magis, minùsvè, prout alterutrum ex his prævaluerit; si tamen à præcellenti Cordis temperamento Jecoris imbecillitas correcta non fuerit; ut mox dictum.

CAPUT XXXIX.

XLV. in Galeno.

Signa calidæ, frigidæ, humidæ, & siccæ Temperaturæ Testiculorum.

T E X T U S.

(T.52.) *Temperatura verò Testiculorum, calida quidem ad Venerem proclivis, & masculorum generatrix, & fœcunda, celerrimèque genitales partes obsepit pilis; simul autem & circumjacentes attingit partes: frigidior verò contraria efficit. Et humida quidem multo, & humido semine abundat: sicca paucum, & modicè crassum generat semen.*

P A R A P H R A S I S.

Sicut de Cerebro, Corde, & Hepate, ità nunc de Testibus, eorumque temperaturis, primò simplicibus, deindè compositis, agere prosequitur Galenus. Et calidæ quidem Temperiei indicia esse ait, proclivitatem ad Venerem, vim Seminis masculorum generatricem, maximèque fœcundam: Celerrimè quoque genitales partes pilis circumsepiri, ut & alias partes circumjacentes. Si verò Testium Temperatura frigidior sit, prædicta signa opposito modo se habebunt; nam & Semen infœcundum, ineptum, ac impotens ad Venerem excitandam: & si quæ fortassis, generatio exinde habeatur, potiùs erit fœmellarum, & partuum imbecillium. Partes item circa pubem, & genitalia, vel omninò glabra apparebunt, vel tardè admodùm, & pauci pili generabuntur.

In humida Temperatura, semen multum quidem erit, sed fluidum, aquosum, & iners, generationique ineptum. In sicca demum paucum, & modicè consistens, aut crassum. Hæc namque laxam, mollem, ac debilem Testium texturam, & constitutionem consequuntur; vel exsuccam, siccam, spissam, & duram.

CAPUT XL.

XLVI. in Galeno.

Signa calidæ, & siccæ Temperaturæ Testiculorum.

T E X T U S.

(T.53.) *Calidior verò, ac siccior, & crassissimum semen habet, & fœcundissima est, ac celerrimè ab initio protinus ad coitum excitat animal. Sed & his genitales partes citissimè hispidæ fiunt, atque omnes, quæ circumstant, suprà quidem usque ad regiones, quæ ad umbilicum sunt: infrà verò usque ad media femora. Petulca igitur est, & ad libidinem prona hujuscemodi temperatura; statim verò satiatur, & si cogatur, offenditur.*

P A R A P H R A S I S.

In calidiori, & sicciori temperaturâ Testium; semen erit valdè crassum, ab-

absumpta nimirùm superflua humiditate: erit etiam fœcundissimum, quoniam tenujum, seu spirituosarum partium ferax; unde ad Venerem maxima proclivitas; atque ad coitum celerrima commotio. Genitalia citò pubescunt, nec non circumstantes partes ad umbilicum usque, & ad femora, pari modo pilis erunt obtectæ. At verò quamvis ejusmodi Corpora salaciora sint, non tamen repetitas seminis effusiones sufferre possunt, quinimò ab illis maximè læduntur; tum quia semen licèt fœcundum, acre, & spirituosum sit, paucum tamen est; tum quia in his spiritus, qui valdè tenues sunt, facili negotio resolvuntur, & evanescunt; unde languor universalis subsequitur.

CAPUT XLI.

XLVII. in Galeno.

Signa calidæ, & humidæ Temperaturæ Testiculorum.

T E X T U S.

(T.54.) *SI autem caliditas humiditati conjungatur, hirsuti quidem tales minùs, plus verò semine abundant, non tamen plus cæteris appetunt, sed minori detrimento præter modum Venereis indulgent. Quòd si satis excreverint, & caliditas, & humiditas, non sine detrimento à venereis abstinent.*

P A R A P H R A S I S.

HI erunt minùs in pudendis hirsuti, plurimo tamen Semine abundabunt, sed serosiori, unde non plus cæteris Venerem appetent, & si aliquando concubitus repetant, minùs offendentur. Si verò caliditas, & humiditas seminis multùm excedant, non sine detrimento poterunt ab usu Veneris abstinere. Detrimenta autem à nimia Veneris abstinentia retulit Galenus *6. de loc. aff. cap.* 5. Capitis gravitatem, cibi fastidium, febris periculum, diminutam Ventriculi coctionem, torporem corporis, & facilem timorem. His etiam addit in fœminis passiones hystericas, & perfocationes uterinas, & quandoque etiam furores.

CAPUT XLII.

XLVIII. in Galeno.

Signa frigidæ, & humidæ Temperaturæ Testiculorum.

T E X T U S.

(T.55.) *SI verò frigidiorem, & humidiorem temperaturam Testiculi habuerint, partes circumpositæ glabræ sunt, & tardè rem veneream exercere incipiunt, neque proni ad actum hujusmodi sunt. Aquosum verò, & tenue ipsis est semen, & parum fœcundum; & fœminarum generativum, vel omninò non generans.*

P A R A P H R A S I S.

PRævalente frigiditate, & humiditate in Testibus, ideſt Semine non tam vegeto existente; partes circumpositæ glabræ sunt, & tardè rem veneream persentiscunt; & nonnisi in Adolescentia, aut etiam Juventute, cùm jam semen spirituosius evaserit, ad eamdem concitantur; hebescunt pariter in venereis actibus, & aquosum, ac tenue, debileque semen gignunt, ideòque vel infœcundum, vel fœminarum generativum. Ratio petenda ex dictis.

CA-

CAPUT XLIII.

XLIX. In Galeno.

Signa frigidæ, & ſiccæ Temperaturæ Teſticulorum.

TEXTUS.

(T. 56.) *Frigidior verò, & ſiccior Temperatura ſimilis quidem in reliquis eſt antedictæ, craſſius verò in ipſa ſemen exiſtit, atque omninò paucum.*

PARAPHRASIS.

Conveniunt Signa hujus temperiei cum ſignis antecedentis; ſolùm differunt in duobus. Primò, quòd in ſicca, frigidaque temperie craſſius ſemen erit. Secundò, quòd omninò paucum. Cæterùm in utriſque pudendæ partes ſunt ſine pilis, tardè ſemen emittunt, & tardè ad coitum proritantur, ac denique ſi quæ generatio exinde ſequitur, fœminarum potiùs, quàm maſculorum erit. Verùm in hoc attendenda potiùs partium in Ovo muliebri præjacentium diſpoſitio: nam organorum prima veluti ſtamina, quæ maſculum præſertim à fęmina diſtinguunt, multo antea præjacta dici debent, ex alibi traditis. Et de temperamentis Teſtium hactenùs.

CAPUT XLIV.

L. in Galeno.

De habitu totius Corporis.

TEXTUS.

(T. 57.) *Totius autem Corporis habitus, diximus & ſuperiùs, quomodò & Hepatis, & Cordis naturam ſequatur, ei autem magis aſſimilatur, quod unam aliquam ex primis qualitatibus potentiorem habuit, quas & effectivas appellant. Totius verò Corporis habitus in illis maximè dicitur partibus, quæ primæ oculis ſubjiciuntur. Sunt verò hæ muſculi, qui omnia ambiunt oſſa, carnes quædam compoſitæ ex prima, & ſimplici carne, & præterea fibris, quibus innaſcuntur; Propria enim muſculorum ſubſtantia his duobus conſtat: quæ verò ad ipſos vaſa pertingunt, veluti rivi quidam ſunt, qui non eorum ſubſtantiam complent, ſed eis ſubminiſtrant, ut in vita permaneant.* (T. 58.) *Dicentur igitur & horum temperaturæ indicia in benè temperata habitatione: nam quæ malè temperatæ ſunt, cutem permutant ex ſeipſis formantes, & quædam ex indiciis corrumpunt. Ita & in benè temperata regione ſi quis ſe tempore æſtatis nudum Soli expoſuerit, permutabit indicia, quæ ex colore, & duritie, & mollitie ſumuntur. Si verò quemadmodùm bonam temperiem obtinet locus, ità & ipſe bene temperato victu uſus fuerit, ut qui neque ſe nudum ſingulis diebus in Sole plurimùm torrefaciat, neque ſicuti plerique more puellarum continuè in umbra degat; hic certa, atque exquiſita temperaturæ indicia præ ſe feret. Tanquam igitur de hoc futuro ſermone nunc ad ipſum accedemus.*

PA-

PARAPHRASIS.

Post Principalium partium Temperaturas per propria signa investigatas, pergit nunc Galenus tradere indicia, quibus dignoscere valeamus totius Corporis habitum, seu universalem Corporis constitutionem; atque unico Capite complectitur, tam quæ ad habitum Corporis constituendum necessaria sunt, quàm etiam documenta quædam quam maximè adnotanda, pro distinctione signorum diversum Corporis habitum attestantium.

Primùm autem repetit, quod anteà notaverat, nimirùm ex temperaturis partium principalium haberi quoque totius Corporis habitudinem, cum ex calido, vel frigido Corde, aut Jecore, subindeque simul Sanguine, pariformiter affecto, universum Corpus calidum pariter, vel frigidum exoriatur. Deinde verò edocet Corporis habitum in iis maximè partibus consistere, quæ primæ oculis subjiciuntur, ut sunt musculi ossibus circumpositi, & carnes quæcumque aliæ, sua peculiari substantia dotatæ, suisque fibris intertextæ: quæ duo propriè carnium, & musculorum substantiam efformant. Venæ verò, Arteriæ, & Nervi, ductus potiùs, seu, ut ipsemet Galenus loquitur, rivi sunt, unde alimentum, & spiritus illis communicatur, ut in vita persistant, & conserventur.

His in genere præanimadversis, admonet deinde, duas conditiones prærequiri ad internoscendas totius Corporis temperaturas, tam in seipsis consideratas, quàm ab aliis distinctas. Prima est, ut Habitatio temperata sit: nam plurimùm externa Cutis, atque adeo Corporis habitus, ab ambiente Aere permutari potest, ut proptereà pro vario Aeris incolatu, varius habitus, & cutis constitutio diversa habeatur, alba nimirum, rubra, vel nigra, & sive mollis, sive dura, & aspera. Hinc idem Galenus 2. *de Temperam. cap. 6.* & 3. *Aphoris. comment.* 14. inquit, Germanos, habitantes regiones Septentrionales, & frigidas, & Æthiopes incolentes regiones Meridionales calidissimas, partes extrinsecas, & cutaneas, dissimiles plurimùm partibus internis, & principalibus habere; quippè Germani albicant cute, & frigent exteriùs, cùm tamen interiùs æstuent, & rubeant: contrà Æthiopes, licèt exteriùs temperaturam calidissimam præ nigrore mentiantur, intrinsecùs tamen calor elanguet, & partes emollit, ut notavit etiam Aristoteles *lib. de longitudine, & brevitate vitæ*. Quamobrem nisi habitatio temperata sit, indicia, quæ hìc afferuntur, haud congruent veritati, cùm aliunde haberi possint, quàm à propria cujusque Corporis temperatura. Secunda conditio est, ut signa indicantia musculorum, & totius Corporis habitus intemperies, conformentur etiam Regioni. Cùm enim illa desumantur à duritie, mollitie, colore, & similibus, quæ valdè immutari solent à situ, & à peculiari quadam loci constitutione, montana, vel campestri, maritima, vel palustri; proptereà nisi Regiones ipsæ temperatæ sint, prædictorum signorum notitia confundetur. Hinc sub eodem climate habitantes plerumque variant in habitu corporis, & cute, non aliunde, nisi quia aliqui ad maris oras, alii ad montium cacumina, alii juxtà paludes, aut lacunas degunt. Sed & his adjici quoque possunt, usus in victu varius, expositio Corporis ambienti diverso, atque differens exercitatio, pro Artium factivarum diversitate: *Quemadmodùm*, subdit Galenus, *bonam temperiem obtinet locus, ità & ipse benè temperato victu usus fuerit, ut qui neque se nudum singulis diebus in Sole plurimùm torrefaciat, neque sicuti plerique, more puellarum, continuè in umbra degat, hic certa,*

ta; atque exquisita Temperaturæ indicia præseferet. Id equidem hìc Neapoli Nos experimur in his, qui loca ad oras maritimas incolunt, longè in habitu Corporis, & colore differentibus ab aliis, qui juxtà colles sunt, minùsque à Sole perculsi.

His conditionibus addit tertiam Sanctorius desumptam ab Hippocrate 1. *de Humoribus tex.* 1. quòd ab Humorum efflorescentia, atque ad cutim depositione, nulla alteratio habeatur: nam quando humores effervescunt, vel ad cutim deponuntur, non leviter turbantur indicia prædictarum temperierum. Sic flavescit cutis, cùm ad habitum Corporis bilis diffunditur, potissimùm ex Ira; pallet verò ex Amore, rubet ex Verecundia, livescit ex Timore, ac Mœstitia, & sic de aliis.

At quænam sint, aut dici possint, Temperatæ Regiones? Quisque propriam Patriam præfert, & miris laudibus extollit: Græci Græciam, & Quartum Clima pretulerunt, ut Aristoteles 2. *meteor. summ.* 2. *cap.* 2.: & Galenus 2. *de San. tuenda cap.* 7. inhærens Hippocrati. Averroes cum aliis Quintum Clima Temperatum esse dixit, sub quo illius Patria continebatur. Manardus verò, quia Ferrariensis, Sextum Clima, sub quo Ferraria est, temperatius arbitratur *lib.* 7. *epistol. epist.* 1. Albertus Magnus Septimum, quoniam sub illo Ratisbona ejus Patria. Unde quilibet proprias Regiones temperatas facit, non tam ratione, quàm affectu. At si Telluris divisioni ab Astronomis, & Geographis in Climata distributæ standum est, procul dubio temperatas Regiones eas appellabimus, quæ non multùm à Solis Circulo, seu Ecliptica Zodiaci, elongantur; quamobrem exceptis iis, quæ ad Polum Arcticum, aut Antarcticum proximè sitæ sunt, reliquas omnes pro rata sua, & comparatè ad Habitatores, Temperatas dicere non verebimur, dummodò Maria, Montes, Flumina, Stagna, Mephites, aut fossilium Fodinæ, illas non perturbent, & halitibus, aut vaporibus, per peculiares, aut irregulares ventos, non coinquinent. Et quamvis crediderit Aristoteles Regiones sub Zona torrida positas, non solùm intemperatissimas, & excedenter calidas, verùm etiam inhabitabiles esse; nuperis tamen observationibus illorum, qui eas partes perlustrarunt, innotuit, & maximè temperatas eas esse, & commodè etiam habitabiles: Ibi enim perpetuum ferè est Æquinoctium, quo æstus diei à noctibus duodecim circiter horarum, plurimùm temperatur: pluviæ etiam abundantissimæ fiunt, (si Ægypti partem tantummodò excipias) & irriguis fluviorum Aquis Tellus affluenter irrigatur, ventique frigidi, suaviter perflantes, Aerem quoque temperant, unde Solares radii adhuc perpendiculariter incidentes quammaximè infringuntur; quamobrem tantus calor, quantus ab Aristotele fingebatur, nullus ibi viget.

CAPUT XLV.

L I. in Galeno.

Signa moderatæ Temperaturæ.

TEXTUS.

(T. 59.) M*oderatæ temperaturæ indicia secundùm totum Animalis habitum: Color quidem ex rubro, & albo commixtus, capilli verò flavi, & ut plurimùm mediocriter crispi. Carnositatis autem mediocritas in qualitate, & quantitate: medium est enim exquisitè hujuscemodi Corpus inter omnes excessus, ut qui ad ipsum dicantur, & intelligantur: Nam, & crassum Corpus ad hoc comparatum*

tum dicitur craßum, & tenue ad hoc eodem modo, & carnosum, & macilentum, & pingue, & durum, & molle, & hispidum, & glabrum. Nullum igitur horum Corpus est mediocritatem habens, sed qualis Polycleti Regula ad summum totius pervenit mediocritatis, adeout neque tangentibus molle videatur, neque durum, neque calidum, neque frigidum, inspicientibus verò neque hirsutum, neque glabrum, neque crassum, neque tenue, aut aliquam aliam habens immoderationem.

PARAPHRASIS.

Indicia moderatam temperiem in habitu Corporis attestantia, tria hoc loco recensentur à Galeno. Primum, color Cutis ex albo, & rubro commistus, quoniam Cutis, sua natura, ex una parte albicat, quia membranacea, ex altera rubet à sanguine illam irrigante. Secundum est, Capillitium flavum, & ut plurimùm mediocriter crispum, de quo signo plura alibi retulimus. Tertium, carnositatis mediocritas in quantitate, & qualitate. Sed quid intelligat per *mediocritatem Carnositatis in qualitatc, & quantitate*? clarè deducitur ex 1. *de usu partium cap.* 9. & ex 1. *de natural. facult. cap.* 6. nam pro *Carnositate mediocriter quanta*, intelligit molem Carnium, & musculorum moderatam, & mediam inter gracilem, & obesam. Pro *Carnositate mediocriter quali*, moderatam intelligit mollitiem, densitatem, lævitatem, tenuitatemque, itaut in his, cæterisque conditionibus moderamen exhibeat, & mediocrem participet habitudinem.

Reliqua Corpora, in quibus aliquis excessus, aut defectus à mediocritate est, nonnisi ad prædictum Corpus temperatissimum, tanquam ad Medium, directa, comparabuntur. Quamobrem Corpora gracilia, vel pinguia, dura, vel mollia, hispida, vel glabra dicentur, habito respectu ad temperatissimum, quod Medium est, fingiturque à Medicis tanquam Exemplar cæterorum, atque à Galeno assimilatur Regulæ, seu Statuæ Polycleti, cui nullus excessus, aut defectus inerat.

Hinc postremò concludit, Temperatissimum Corpus definiri per negationem cujusvis extremi excedentis, vel deficientis, *esseque tangentibus neque molle, neque durum, neque calidum, neque frigidum; inspicientibus verò neque hirsutum, neque glabrum, neque crassum, neque tenue, aut aliquem alium habens exceßum, vel defectum, seu immoderationem.* Quod sanè vix mente concipi potest.

CAPUT XLVI.

LII. in Galenò.

De Corpore calidiore: seu signa calidæ Temperaturæ.

TEXTUS.

(T. 60.) *Quæcumque autem in caliditate à medio recedunt, non tamen in humiditate, vel siccitate, hæc quantum ad carnosum genus attinent, (de hoc enim præsens est sermo) videntur quidem tangentibus calidiora tantum, quantum & eorum temperatura calidior. Tantò verò magis hirsuta sunt, quantò & calidiora, & minus pinguedinis habent. Colorem autem rubrum, & capillos nigros habent.*

PA-

PARAPHRASIS.

CAlidioris habitus Corporis quatuor signa hoc Capite recensentur. Primò, quòd videantur Corpora tangentibus calidiora tantum, quantum & eorum temperatura calidior est. Secundò, quòd tantò magis hirsuta sint, quantò & calidiora. Tertiò, quòd minus pinguedinis habeant, quæ ex eodem Galeno 2. *de Temperam. c.* 4. à Sanguine frigidiori, & consistentiori pendere dicitur, sive potiùs ex glutine Sanguinis abundantiori. Quartò denique, quòd colorem rubrum, & capillos nigros referant. Quæ omnia ex superiùs explicatis facilè innotescunt.

CAPUT XLVII.

LIII. in Galeno.

De Corpore frigidiore: seu Signa frigidæ Temperaturæ.

TEXTUS.

(T. 61.) *FRigidioris autem temperaturæ indicia sunt, pilorum carentia, pinguedo, & frigiditas, quæ tangentibus obviat. Color autem unà cum capillis etiam rufior, & ubi multa frigiditas adfuerit, lividus quodammodò existit, quem nonnulli Medici colorem plumbeum appellant.*

PARAPHRASIS.

HUjus insuper temperaturæ indicia referuntur, pilorum carentia, pinguedo Corporis, ad tactum frigiditas, color cutis, & capillorum rufus: & si frigiditas multùm excesserit, ad lividum etiam vergens, quem idem Galenus ait, nonnullos Medicos plumbeum colorem appellare. Quæ profectò signa, qua ratione à frigida Temperie oriantur, satis patere potest ex supradictis, quoniam ubi frigus exuperat, humores insunt melancholici, & crassi, & Sanguis ipse acidior, ac terrestrior est, spiritibus effœtus; unde frigescit tactus, & color cutis plumbeus exoritur. De carentia pilorum, atque de pinguedinis abundantia, ratio etiam constat; siquidem ubi materia inepta est, & calor inefficax, pili non prodeunt; glutinositas enim sanguinis congelascens in membranis, vertitur potiùs in pinguedinem.

CAPUT XLVIII.

LIV. in Galeno.

Signa siccæ Temperaturæ.

TEXTUS.

(T. 62.) *SIccior autem temperatura tantò gracilior est, & durior bona temperatura, quantò major est siccitas. In reliquis autem eodem modo se habet.*

PARAPHRASIS.

PRæcipuum signum siccioris temperaturæ Corporis ponitur gracilitas, & durities cutis, atque eò major, quò illa intensior fuerit. In reliquis verò signis, inquit, eodem modo se habere Corpus, ac in frigidiori dictum est.

CAPUT XLIX.

LV. in Galeno.

Signa humidæ Temperaturæ.

TEXTUS.

Et humidior etiam in reliquis quidem eodem modo se habet; meliùs autem carnosa, & mollior. (T. 63.) *Et quidem secundùm conjugationem qualitatum primarum factæ intemperaturæ compositam habent indiciorum formam.*

PARAPHRASIS.

In humidiori Temperie, Corporis habitus erit carnosior, sive obesior, ut dicitur 2. *de Temperam. cap.* 4., itemque mollior ad tactum. Obesitas enim, & Mollities ab excedenti humore glutinoso provenit. De cætero in reliquis eodem modo se habet, ac in frigidiori. Concludit tandem Galenus indicia Temperierum simplicium, ex quibus facilè conjugatarum qualitatum, seu Temperierum compositarum signa desumi posse subdit, de quibus mox.

CAPUT L.

LVI. in Galeno.

Signa calidæ, & siccæ Temperaturæ. (a)

TEXTUS.

Calidior simul, ac siccior est hirsuta magis, ac calida, & dura existit, & pinguedine caret, gracilisque est, & capillos nigros habet. Si verò multùm in caliditate excedat, color quoque niger illi adest.

PARAPHRASIS.

Calidioris, & Siccioris Corporis quinque signa afferuntur, nempè habitus Corporis hirsutus, nedum secundum partes, sed etiam secundùm totum: Cutis calida, & dura ad tactum percipietur: Gracilitas aderit cum inopia pinguedinis: Capillitium erit nigrum: & si caliditas fuerit intensior, color Cutis niger, & valdè fuscus observabitur. Quorum omnium rationes non est, ut hìc inutiliter repetantur.

CAPUT LI.

LVII. in Galeno.

Signa calidæ, & humidæ Temperaturæ.

TEXTUS.

(T. 64.) *Calidior autem, & humidior Temperatura mollior, & calidior, & carnosior tanto est bona temperatura, quantum & utrisque qualitatibus aucta fuerit. Quòd si plurimùm augeatur, citò similiter à putredinis corripitur morbis, quoniam & humorum vitio promptè laborat: Si verò parùm quidem humidior sit, multò verò calidior, molliores quidem parùm hujuscemodi sunt his, qui bonam habent temperaturam; & magis carnosi, non parùm verò hirsutiores, & tangentibus non parùm calidiores. Nigri verò eis capilli; & caro pinguedine caret. Si verò paulo quidem calidior, multò verò humidior, mollis his caro est, & multa,*

(a) *Jungitur hoc Caput Textui præcedenti.*

ta, & color commistus est ex albo, & rubro, & tangentibus paulo calidiores. Et ut summatim dicatur, omnibus temperaturæ conjugationibus semper superexcedentis qualitatis indicia eminebunt.

PARAPHRASIS.

CAlorem humiditati sociatum attestantur, habitus Corporis mollior, & ad tactum calidior, atque utriusque ratione carnosior: quia ubi vigere ponitur calor, & humiditas, ibi Sanguis invenitur vegetus, & valdè aptus nutritioni, ac incremento carnium. Quoniam verò ejusmodi Corpora calida, húmidaque obnoxia putredini observantur, propterea addit Galenus, quòd si prædictæ qualitates plurimùm excesserint à mediocritate; putridis morbis facilè illa corripientur. Capilli insuper erunt nigri, si præsertim humiditas non admodùm augeatur, multùm tamen excedente calore. Caro pinguedinis expers erit, quandoquidem dissolvitur potiùs, quàm concrescat illius materia, documento ejusdem Galeni 2. *de Temperam. cap.* 4. At verò si humiditas calorem superaverit, carnes molles erunt potius, quàm duræ, & multæ quidem, non paucæ, quoniam ex Aristotele calido vivimus, humido nutrimur. Color cutis erit ex albo, & rubro mistus indicans sanguinem utraque sui parte scatentem. Demùm eadem de causa Corpus calidum ad tactum percipietur, si calor excedat; si verò humiditas, potiùs mollities, & obesitas, pro ratione.

CAPUT LII.

LVIII. in Galeno.

Signa frigidæ, & humidæ Temperaturæ.

TEXTUS.

(T. 65.) F*Rigidior autem, atque humidior Temperatura, si parum quidem utraque augeatur, capillis nuda est, & alba, & mollis, & crassa, & pinguis: Si verò magis excesserit, reliqua quidem sunt secundùm proportionem augmenti qualitatum; color autem unà cum capillis rufus; quemadmodùm, si plurimùm utraque augeatur, lividus; si verò qualitatum augmentum fuerit inæquale, ejus, quæ superexcesserit, indicia eminebunt.*

PARAPHRASIS.

PRæcipuum signum frigidioris, & humidioris temperaturæ ponitur cutis nuda pilis, colore alba, tactu mollis, crassa, & pinguis: quæ omnia satis manifestè arguunt caloris defectum, & frigiditatis excessum, ideft sanguinis inertiam. Si præterea frigiditas, & humiditas multùm prævaluerint, color cutis, & capillorum rufus fiet, ad pallorem, & squallorem inclinans, remisso nimirum valdè Sanguinis vigore.

CAPUT LIII.

LIX. in Galeno.

Signa frigidæ, & ſiccæ Temperaturæ.

TEXTUS.

(T. 66.) *SI autem frigiditas unà cum ſiccitate æqualiter augeatur, natura durum, ac tenue, & glabrum Corpus habent, & tangentibus frigidum, pinguedo tamen ipſis, etſi graciles ſint, per carnes diſperſa. Capilli autem, & color frigiditatis modum, ac proportionem ſequuntur.* (T. 67.) *Ubi verò calida, & ſicca temperatura in tempore decrementi in frigidam, & ſiccam labitur, tunc horum habitus gracilis quidem ſimiliter eſt, & durus; eſt verò etiam melancholicus, & ob id niger ſimul, & hirſutus. Ubi igitur altera qualitas multùm dominatur, altera verò parùm à mediocritate recedit, ſuperabunt ejus, quæ dominatur, exilia autem erunt alterius qualitatis indicia.* (T. 68.) *In omnibus verò, de quibus ſupra diximus, & poſteà dicemus, commune eſt temperaturæ indicium, ſi membrum facilè frigeſit, vel frigiditatis, vel raritatis: ſi verò non facilè, vel caliditatis, vel denſitatis: ſi verò à deſiccantibus offendatur, & aridum, & ſiccum, & non facilè mobile fiat, ſiccitatis, quemadmodùm, & ſi ab humectantibus pariter ſe habeat, humiditatis.* (T. 69.) *Inſpicere autem oportet, ſi eamdem omnes muſculi ſervant temperaturam, vel minimè eandem, atque in omnibus animadvertere ſubjectorum oſſium quantitatem. Nonnunquam enim gracile videtur membrum, cùm tamen non ſit gracile, quod ad muſculos attinet, ſed propter oſſium tenuitatem tale videtur. Sic & craſſius quibuſdam plerumque apparet, non ob oſſium amplitudinem, ſed ob multitudinem carnis, quæ vel aucta, vel imminuta, vel durior, vel mollior effecta, ſiccius, aut humidius membrum oſtendit. Pauca igitur, ac dura, ſiccius: multa autem, ac mollis, humidius. Sic & intermedia ſpatia ſimilarium Corporum, ut plus, vel minus humidæ ſubſtantiæ in ſeipſis continent, vel craſſius, vel tenuius, vel humidius, vel ſiccius membrum oſtendunt: humidius quidem, ubi ſubtilior, & copioſior eſt humiditas: ſiccius verò, ubi craſſior ſimul, & minor. Ipſæ enim ſolidæ Corporis partes, quæ verè ſolidæ ſunt, ac primæ, nullo modo effici poſſunt humidiores. At ſatis eſt, ſi quis eas celeriùs exiccari prohibeat. Intercepta autem in ipſis ſpatia hac, vel illa humiditate complere, poſſibile. Hoc verò eſt proprium partium ſimilarium alimentum, quod ex appoſitione fit, & non per vaſa attrahitur. Communis autem hæc ratio, & omnium partium exiſtit. Et iterum in ſalubrium, atque inſalubrium cauſarum doctrina repetetur. Nunc autem ea, quæ ordine ſequuntur, attingamus.*

PARAPHRASIS.

SI frigiditas, & ſiccitas unà ſimul æqualiter excedant, Corpus natura durum, tenue, & glabrum erit: ad tactum frigidum obſervabitur: Pinguedinem, ſi quæ eſt, per carnem diſperſam habebit, quippe quę modica erit, ob ſiccitatem: Demùm Capilli, & color Cutis ejuſdem frigiditatis proportionem ſervabunt: etenim vel albicabunt cum ſquallore, vel plumbeum colorem præſeferent, pro ratione.

At verò ſi Corpus anteà calidum, per ætatum mutationem in frigidum ſiccum abeat, tempore ſcilicet decrementi, ideſt in ætate ſenili, cùm ob Carnium manifeſtiorem conſumptionem extenuetur, habitus

tus Corporis evadet gracilis, & durus; ater sanguis in ea prævalebit, & eadem de causa, nigrum simul, & hirsutum Corpus fiet: magis autem, aut minus pro ratione excedentis alterutrius qualitatis. Id, quod ex hebetudine, & penuria eorum, quæ Sanguini conveniunt, proficiscitur. Nedum autem ab his, sed à juvantibus etiam, & à nocentibus prædictæ temperaturæ innotescent, ut proinde si facilè frigescat Corpus, aut potiùs ab exiccantibus offendatur, de unius, vel alterius excessu, judicium feratur.

Denique advertit Galenus, gracilitatem, vel carnositatem musculorum, comparandam esse ossibus subjectis, num æqualem inter se habitudinem in toto Corpore retineant, ne scilicet in dijudicanda Corporis constitutione decipiamur. *Nonnunquam enim* inquit *gracile videtur membrum, cum tamen gracile non sit, quod ad musculos attinet, sed propter ossium tenuitatem tale videtur, &c.* quemadmodum in hanc rem *textu* 69. plura alia accuratè nimis considerat Galenus, in circumstantiis partium nutriendarum, pro recta dignotione siccioris, aut humidioris habitus Corporis; ut apud eundem legere est.

CAPUT LIV.

LX. in Galeno.

Signa sicci Ventriculi.

TEXTUS.

(T. 70.) *Ventriculi indicia ejus quidem, qui natura siccior existit, si celeriter sitibundi fiant, & paucus eis sufficiat potus, à copiosiore autem aggraventur, fluctuationibus infestentur, aut superfluitet id, quod abundat, & cibis delectantur siccioribus.*

PARAPHRASIS.

Satis hucusque Galenus egerat de signis Temperierum tum totius Corporis, tum principalium ipsius Viscerum: Nunc, ne aliquid in re hac intentatum relinqueret, Ventriculi, & Pulmonis Temperaturas etiam disquirit; etenim licèt hæc duo viscera inter Principes partes minimè recensuerit, adeò tamen viventi necessaria illa cognovit, ut diù saltem, absque illorum opera, Vita prorogari nequeat.

Primùm autem Temperies Ventriculi pervestigat, atque inter eas, quæ siccitatem exuperantem referunt, quoniam gravior Ventriculi passio, videtur esse Sitis, quæ plurimùm siccitate, seu penuria humoris adaugetur: aitque Ventriculum sicciorem sitibundos homines reddere: Sitis etenim ex Aristotele 2. *de Anima tex.* 28., & ex eodem Galeno 1. *de Temperamentis*, & alibi, definitur, Appetitus frigidi, & humidi: quin clariùs idem Galenus *lib. de inæquali intemperie* Sitim, docet, ex defectu humidæ substantiæ exoriri. Verùm de hac re inferiùs.

At cur est quòd priùs esurire, posteà sitire soleamus, si per sitim humida substantia deficit, quæ longè resolubilior est substantia solida, quam, fame coacti, naturaliter reparare exoptamus?

Conciliator *diff.* 118. respondet, humiditatem in viventibus esse copiosiorem, præsertim eam, quæ ad ventriculum confluit, ubi fames, & sitis fit; ideò subdit priùs excitari famem, quàm sitim. Sed meliùs Vallesius 5. *controverſ. cap.*7., excitari priùs famem ait, quoniam potus ad nullius substantiæ corporeæ reparationem dirigitur, nisi tantùm indirectè, & ex accidenti: at cibus propriè, & directè dirigitur ad reparationem substantiæ consum-

ptæ; quin etiam in cibo semper humiditas aliqua invenitur: Potus autem simpliciter videtur potiùs inservire cibo, ut vehiculum, deferens nimirum substantiam alibilem ad partes nutriendas, ideòque fieri, ut potiùs indigeamus cibo, quàm potu, atque adeò priùs esurire, quàm sitire soleamus.

Insuper subdit Galenus, paucum potum his, qui sicciore ventriculo sunt præditi, sufficere: quod signum maximam videtur continere difficultatem. Siquidem si Ventriculus siccior est, certè ex vi istius excedentis siccitatis, necessariò exigit in ejus remissionem abundantem humiditatem, qua tanta siccitas contemperetur; unde falsò videtur à Galeno dictum, hos pauco potu egere. Verùm respondetur, Galenum hìc intelligere, paucum potum esse sufficientem in singulis vicibus, non verò in universum; siquidem qui sicco ventriculo sunt præditi, fibras habent, glandulas, & tunicas ejusdem adeò constipatas, corrugatasque, ut multam simul humiditatem excipere non possint; adeòque unica potatione modicam humiditatem sufferunt, ut subindè madefiant, licèt ob citam resolutionem mox iterum sitibundi fiant; quamobrem sæpiùs potare coguntur, sed in singulis vicibus parùm bibere. Cæterùm modicus hic potus intelligitur exigi ab intemperatis corporibus ad siccum, sed intra sanitatis latitudinem, cùm cæteroqui febricitantes, aliique ex morbo sicciores redditi præternaturaliter, nedum sæpiùs sitiant, sed etiam abundantiùs potent.

Prætereà addit Galenus, hos à plurimo potu gravari, fluctuationibus infestari, & superfluitatibus scatere: quoniam immodicus potus, cùm non possit à glandulis, & tunicis Ventriculi, propter ejusdem texturam duriorem, constipatioremque, excipi; proindè fit, ut superflua, & exuperans humiditas per ejus cavum fluctuet, aut aliò divagetur, atque adeò excrementa cruda, aquosa, & phlegmatica dicta cumulet. Accedit, quòd Ventriculus siccior redditus, ineptus evadit coctioni, & dissolutioni ciborum: quare, si potu impleatur, magis in concoctione lædetur, ac propterea cruditatibus gravabitur. Debent idcircò tali Ventriculo præditi, pauco, sed iterato potu irrorari, ut in meliorem statum sensim reducantur. Verùm ex inferiùs dicendis hæc omnia clariora fient.

Postremò concludit, quòd cibis delectentur siccioribus, vel quia isti conservari desiderant, & conservatio per similia fieri dicitur; vel potiùs quia cùm cruditatibus, & fluctuantibus serositatibus abundent, ad illas absumendas naturaliter appetunt sicciores, solidioresque cibos. Hinc non quidem in omni statu, sicciori Ventriculo præditi, siccioribus alimentis delectantur, sed solùm cùm ob languorem à superabundanti humiditate gravantur. Vel demùm dicas, eos hìc à Galeno considerari, qui à Nativitate sicciori ventriculo sunt affecti, ut propterea sponte Naturæ exigant, quæ similitudine substantiæ sunt dotata. Quamobrem hæc videtur intercedere differentia inter naturas intemperatas morbosas, & intemperatas intra sanitatis limites, atque à primordiis Naturæ ingenitas, quòd intemperatæ ex causis morbosis, contrariis delectentur; ex nativitate verò, similibus; nisi tamen egeant reductione, in statum scilicet meliorem.

CAPUT LV.

LXI. in Galeno.

Signa humidi Ventriculi.

TEXTUS.

H*Umidioris autem, si neque sitibundi fiant, & superabundans humidum facilè tolerent, & cibis gaudeant humidioribus.*

PARAPHRASIS.

SIgna humidioris Ventriculi ab opposito describuntur: Quòd isti nimirùm sitibundi non sint, ob humiditatis excessum: hunc autem facilè tolerant, utpote qui ab ortu Naturæ inductus usus, redditus jam satis, superque est Ventriculo familiaris, & limites salubritatis non excedit. Gaudent prætereà cibis humidioribus, veluti conformibus propriæ habitudini, atque ex indicto ejusdem Naturæ, à principio Vitæ usitatis. Atqui advertit, & scitè Sanctorius, humidiora alimenta hìc intelligi debere substantifica, quæ nimirùm foveant constitutionem ipsam Ventriculi humidam, atque insuper in aliti substantiam commodè transmutari possint; neutiquam verò excrementosa, laxantia, & aquea serositate partes opplentia, quæ sanè nedum his, sed aliis Corporibus proculdubio nocerent, in longius tempus præsertim assumpta.

CAPUT LVI.

LXII. in Galeno.

Signa calidi Ventriculi.

TEXTUS.

(T. 71.) C*Alidior verò natura Ventriculus meliùs quidem concoquit, quàm appetat, & multò magis quæcumque dura sunt, & non facilè alterationem suscipiant: nam quæ facilè alterantur, in ipso corrumpuntur; gaudetque calidis potibus, ac cibis, neque à frigidis ullam percipit noxam, si modicè ipsis utatur.*

PARAPHRASIS.

CAlidioris verò Ventrinculi indicia recensentur, quòd meliùs concoquat, quàm appetat, quoniam coctio ex Aristotele 4. *Meteor.* dicitur, perfectio à proprio, & naturali calore, adeoque solius caloris actio est. Quæ enim concoquuntur, per segregationem partium utilium ab inutilibus ad statum coctionis perducuntur: quod sanè nonnisi à calore haberi potest. Minùs verò appetere ponitur, quia ex eodem Galeno 5. *de Usu partium cap.* 4., & 5. *de Symptom. causis cap.* 7. Fames, & Appetitus fieri dicitur ab humore melancholico acido, quo frigidus Ventriculus potiùs, quàm calidus abundat. Sed & neque simpliciter dixit Galenus calidiorem Ventriculum nullatenùs appetere, sed solùm quòd magis, seu meliùs concoquat, quàm appetat; sive (sub meliori forma loquendi) quòd minus appetat, quàm concoquat; unde per comparationem solummodò loquutus est. Addit prætereà, quòd multò magis concoquat quæcumque dura sunt, & non facilè alterationi subjiciuntur; quæ verò facilè

lè alterantur, in ipso corrumpuntur. Rationem hujus affert idem Galenus 1. *de Alimentor. facult. cap.* 1., ubi quærens cùr nonnulli meliùs concoquant dura cibaria, puta carnem bubulam, quàm pisces saxatiles, inquit, quòd in his bilis adeò abundat in Jecore, & Cysti fellea, ut ad Ventriculum regurgitet, ibique duriora alimenta diluat, ac dissolvat; at verò si cibos inveniat labiles, quique facilè concoquuntur, eos in naturam biliosam transmutet, atque amarulentam cruditatem excitet. Verùm ex observationibus Anatomicis id faciliùs explicatur per succos acido-acres ad eundem Ventriculum confluentes ex glandulis ejusdem lenticularibus dictis, qui cùm aliquandò magis acredine, quàm aciditate vigeant, ut in his, qui calidiori temperamento præditi dicuntur, nidorem pariunt, cùm autem potiùs aciditate, quàm acrimonia præpollent; ut in frigidiori temperatura, ructus acidos, & acidam cruditatem excitant: de qua tamen re infrà.

Gaudet insuper calidis potibus, ac cibis: his enim, ex superiùs dictis, meliùs conservabitur; quoniam Corpora ab ortu Naturæ temperata consimilibus delectantur, iisque opus habent, ut in eodem statu conserventur, dummodò excessus talis, ac tantus non sit, ut correctione potiùs, reductioneque egeat, quàm conservatione. Denique à frigidis nullam noxam percipit, si modicè ipsis utatur; etenim per ea, quodammodò refracto calore, præservatur ab ægritudinibus, caloris excessum consequentibus; vel etiam reducitur in meliorem statum, qui magis accedat ad moderatum temperamentum, omnium optimum. His adnectitur in textu particula, *Modicè*, quæ idem sonat, ac convenienter, moderatè, & sensim, sive paulatim: nam *Omne nimium, Naturæ inimicum: & quod paulatim fit, tutum est*, 2. *aphor.* 51.

CAPUT LVII.

LXIII. in Galenò.

Signa frigidi Ventriculi.

TEXTUS.

F*Rigidus verò natura Ventriculus ad appetendum quidem plurimùm viget, ad concoquendum autem minimè, tales præsertim cibos, qui frigidi sunt, & non facilè alterationem suscipiunt. Citò itaque in ipso acescunt, atque ideò acidis eructationibus talis ventriculus plurimùm abundat, & gaudet quidem frigidis, sed ab eorum usu immodico facilè offenditur. Ità & ea, quæ extrinsecùs frigida occursant, nequit longiori tempore tolerare; quemadmodùm neque calidus, calida.* (T. 72.) *Malæ verò temperaturæ, quæ morbi ratione Ventriculum occupant, hoc differunt ab his, quæ naturales existunt, quoniam contraria, non autem similia appetunt, quemadmodum naturales.*

PARAPHRASIS.

FRigidus ex adverso Ventriculus ad appetendum quidem plurimùm viget, ad concoquendum autem minimè, & eos præsertim cibos, qui frigidi sunt, nec facilè alterationi, & coctioni subjiciuntur. Neque verò satis fuit dixisse frigidos cibos, sed oportuit addere difficulter concoquibiles: siquidem multi cibi, tametsi frigidi statuantur, quia tamen facilis sunt concoctionis, profectò à frigido ventriculo commodè dissolvi, & concoqui possunt, uti sunt fructus omnes, qui à Medicis horarii appellantur, præsertim Cerasa, Pruna, Mora, istiusque generis alia. Ratio autem, cur multùm appetat frigidus Ventriculus, sed parùm con-

concoquat, deducitur ex Capite præcedenti, & potissimùm ex eo, quia à succis acidioribus, Ventriculi frigiditatem comitantibus, aut consequentibus, coctio, seu dissolutio in his promovetur, quæ sine fermentatione non fit, ut alibi dictum.

Ampliùs, cùm cibis impletur frigidis, & difficulter concoquibilibus, facilè in acidam cruditatem incidit, & acidis eructationibus abundat: hæ enim frigiditatis, seu debilioris caloris notæ sunt.

Insuper gaudet hic Ventriculus frigidis alimentis, ob analogiam, sed ab iisdem immodicè sumptis facilè offenditur; quoniam per ea, quantitate, & qualitate excedentia, fit transitus ad statum præternaturalem, adeòque necessariò lædentem actiones; cùm sanitas intra certos limites concludatur.

Præterea, quæ extrinsecùs frigida occursant, nequit frigidus Ventriculus tolerare, quemadmodum neque calidus calida: per quæ verba Galenus videtur sibimet contradicere: siquidem suprà dixerat, frigidum Ventriculum frigidis gaudere; nunc verò subdit, frigida non posse Ventriculum frigidum diutiùs tolerare. At perpensis iisdem accuratiùs, nulla erit in Galeno contradictio, nam ibi mentionem fecerat de his, quæ intrinsecùs assumuntur; hìc verò de extrinsecùs applicandis: Cibi enim quamvis sint frigidi, quia tamen facilè concoquuntur, promptè admodùm dejiciuntur, ideòque citò desinunt agere, aut pati in Ventriculo. At verò frigida externa, si diutiùs persistant, Ventriculum necessariò lædent, cùm in illum agant citra passionem, aut sui alterationem, eò quòd sint de genere agentium externorum, quæ alterant, & vincunt; non autem alterantur, & vincuntur. Eadem ratione dicendum de Ventriculo calido, qui nec extrinsecùs calefacientia diuturno tempore sufferre potest, cùm ab iisdem summoperè alteretur, & calefiat, citra eorumdem remissionem: quamobrem appositè dixit, Ventriculum hæc longiori tempore tolerare non posse, quoniam exinde continua succedit, & permanens alteratio, cui Ventriculus imbecillis diù resistere nequit.

Ad calcem Capitis solvit quandam difficultatem Galenus, num scilicet Appetitus Ventriculi sit ad similia, an verò ad opposita: aitque malas temperaturas, seu intemperies morbosas, Ventriculum infestantes, contraria appetere; intemperies verò naturales appetere similia. Ratio est, quia intemperies naturales sunt in latitudine sanitatis, & modicum recessum habent à mediocritate, seu à temperie moderata, quæ est reliquarum regula, ideoque petunt conservari similibus, juxtà superiùs tradita. At intemperies morbosæ, cum sensibili operationum læsione conjunctæ, quoniam ad salutarem statum reduci debent, curatione egent, ac propterea contraria expostulant. Atque hinc modò deduci potest, ad mentem Galeni, cur in Pica, aut Malacia gravidarum, sicut etiam in cæteris appetitibus morbosis, ad opposita semper patientes concitentur. Verùm, quo pacto hæc intelligenda sint, alibi explicuimus.

At verò his obstare videtur Hydrophobia in demorsis à Cane rabido, cujus venenum siccitatem præsefert, & tamen Rabidi aquam abhorrent.

Verùm respondetur, Rabidos delirare, unde nil mirum, si aquam fugiant, cùm & multa alia deliri abhorreant, sive conformia, sive difformia illa sint Morbo, & causa morbificæ. Alias responsiones afferunt Sanctorius, & Rudius, apud quos leges.

Quoniam autem Galenus superioribus Capitibus præcipuum signum Temperierum Ventriculi à Fame, & Siti desumpsit, utpotè quæ propriæ illius passiones sunt, idcir-

idcircò, arrepta hinc occaſione, breviter de Fame, & Siti, earumque cauſis diſſeramus.

Digreſſio de Fame, & Siti.

IN Fame definienda non conveniunt Ariſtoteles, & Galenus. Ille enim 2. *de Anima tex.* 28. Famem definit, *Appetitum Calidi, & Sicci*: Hic verò 1. *de Symptom. Cauſis cap.* 7., *Triſtem eſſe dixit, ſeu moleſtam ſenſationem, ſeu ſuctionem, factam in orificio ſuperiori Ventriculi, cum ipſiuſmet corrugatione*. Quin ibidem aſſerit, quinque in univerſum requiri ad Famem, ſeu appetitum excitandum. Primò enim inquit præcedere conſumptionem in cunctis partibus Corporis: ſubſequi ſecundò attractionem, ſeu ſuctionem ſanguinis ab eiſdem: Tertiò, ſuctionem hanc protendi per venas omnes ad Jecur uſque. Quartò, ex Jecore per Venas Meſeraicas alimentum ſugi à Ventriculo: Quintò tandem ab hoc Stomachum laceſſiri, & ab ejuſmodi ſuctione corrugari, ſubindeque ad fameſcendum, atque ad appetendum cibos ſollicitari, ut ſeipſum ab ea moleſtia vindicet.

Sed in utraque non leves occurrunt difficultates. Et quidem in Ariſtotelea definitione, ſive pro calido ſicco, calidum ſiccum formaliter, (ut ajunt) intelligatur; ſive potiùs ſolidum, ut alii exponunt, erit ſemper quod objici poſſit: nam neque ſemper in Fame Appetitus fit calidi ſicci: neque ſemper quod ſolidum eſt, appetimus, nec quod ſolidum tantummodò eſt, cibos propriè dici poteſt, qui perpetuò ſolidus nec eſt, neque eſſe debet. In Definitione, ſeu Deſcriptione Galenica fingere tot tractiones, ſuctioneſque, parùm Rationi conſonum videtur. Obſtant pariter in Venis valvulæ, totaque Viſcerum naturalium Anatome, qua jam ſatis innotuit, nutritionem partium peragi per Arterias, non per Venas; unde ſi iſtæ ſuctione traherent, potiùs in Corde ſuctio hæc perſentiretur: ſed etſi in Ventriculo, neque ibi deſineret, ſed in Oeſophagum, & ad Fauces talis ſuctio perveniret, ibique potiùs Fames fieret. Cùm Stomachus præterea fameſcit, jam partes à præcedenti alimento, ſibi ipſis applicito, reſtauratæ, commodè ſatis conſuluere, quare cauſam trahendi nullam habent, eòque magis in Corporibus plethoricis, in quibus ſanguis, & alimentum Corporis, copia potiùs, quàm inopia peccat, ut propterea dixerit Hippocrates 1. *aphoriſ.* 3. detractionibus eadem egere, ne repentè à multitudine ſuffocentur, & pereant.

Faciliùs idcircò definiemus Famem, *Eſculentorum Appetitum, ſeu deſiderium proveniens à Stomachi vellicatione*. Vellicant autem Stomachum ſucci quidam eò confluentes, qui cùm acido-acres ſint, fibras, nervoſque plurimos, per illius ſubſtantiam diffuſos, quodammodò compungunt, & corrugare faciunt, atque ideò ad fameſcendum ſollicitant. Ingeſtis autem ad ſufficientiam cibis, vel aſſumptis juribus, præſertim pinguibus, & calidis, Fames deſinit; quia nimirùm ſucci acres illi, veluti infringuntur, obtunduntur-que, & ventriculus ipſe cibis oppletus ſimul illinitur, atque à corrugatione in fibris inducta ſolutus, vindicatur pariter à compungente ſuccorum acrium vellicatu.

Hinc oleoſa, butyroſa, pinguia, craſſa, atque hujus generis alia, Famem promptè ſedant, & momento fere temporis adimunt. Nec diſſimili ratione deficit Fames in Obſtructis, Crudis, & Adipoſis: vel quia glandulæ, ex quibus ſucci illi in Ventriculum extillant, glutinoſa materia ſunt oppletæ; vel quia iidem ſucci inertes evaſerunt, & ad proritandum penitùs inidonei.

Unde

Unde verò ſucci iſti acido-aeres in Ventriculum confluant, non apud omnes convenit. Galenus, P. Caſtellus, & Helmontius à Liene eos derivari ajunt, eſſeque portiones acidæ melancholiæ per Vas breve illuc delatas. Sennertus *lib.* 3. *Prax. p.* 1. *ſect.* 2. *cap.* 5. *q.* 1. acidum hunc humorem Ventriculo ingenitum arbitratur. P. Borrellus *centur.* 2. *obſer. medit.* 1. pro Melancholia Bilem ſubſtituit, ex cyſti fellea ad ventriculum confluentem, (de quâ antea Galenus) per ductum nondum Anatomicis detectum. Nonnulli reliquiis ciborum, ex præcedenti digeſtione remanſis idipſum attribuunt. Sylvius Deleboë *Diſput. Medic.* 2. è glandulis Salivariis illos evocat. At Ego crediderim potiùs ab Arteriis prodire, præſertim iis, quæ per Ventriculi tunicas, & per Pancreas diſſeminantur, atque per exiles ramulos in glandulas Ventriculi lenticulares deſinunt, ibique liquores iſtos deponunt, ut in Anatome meminimus. Non negaverim tamen in digeſtionis auxilium, ope fermentationis, & diſſolutionis ciborum abſolvendæ, multa alia pro exacta elaboratione concurrere, convenientem ſcilicet Ventriculi ſtructuram, volatilium ſpirituum è nervis prodeuntium energiam, & ſalivarii roris miſturam, ex antecedenti molitura dentium habitam: de quibus alibi.

Sicut Fames dicitur Eſculentorum deſiderium, ità Sitis, Potulentorum appetitus, dicenda erit, ex humidæ ſubſtantiæ defectu proveniens. Videtur enim humido potiſſimùm ſedari ſitis, ſive calidum, ſive frigidum illud ſit; (quemadmodùm ex lacte in lactentibus) ut propterea neceſſe non ſit, potum debere eſſe frigidum: nam & ignis ipſe, & calido, & frigido humore ſuperaffuſo, penitùs extinguitur. Sed & nec deſunt, qui Sitim potiùs calidis ſorbitionibus moderantur: quin & vino, aut aqua ardente, ſibi ſitim adimunt, quæ cæteroqui frigido potu non tam facilè ſedaretur. Refert de ſeipſo Gaſſendus *Tom.* 2. *lib.* 5. *cap.* 1., quòd cùm præ dolore dentium coactus fuerit aquam calidam bibere, ſedato poſtmodùm dolore, etiam per æſtatem frigida fuerit illi injucunda, & cùm poſt biennium quotidiana febre corriperetur, calida ſola, per paroxyſmos ardentiſſimos, delectarit. Apud Veteres etiam mos erat calidam potare, quæ in deliciis plurimùm habebatur, ſicut nunc conſuetudo invaluit apud Hiſpanos, Italos, & cunctos ferè Europeos, calidum Chocolaten, & decoctum Cooffe quavis hora ſorbere, ad ſitim potiſſimùm ſedandam: In hoc quippe multùm uſus prævalet.

Deficit autem ſeroſitas iſta nedum in Stomacho, & Ventriculo, verùm etiam in Oeſophago, faucibus, ore, larynge, pulmone, totoque penè Corpore, quia humida ſubſtantia, præſertim lymphica, ex cunctis partibus abſumitur, & vel per urinam, vel per ſudorem, vel per fæces, vel per ſputa, & ſalivam, vel per lacrymas, vel inſenſibiliter diſſolvitur, unde in illius defectum nova ſemper ſubrogari debet.

Nedum verò à deficiente ſalivario rore, ſed ab eodem craſſeſcente, & glutinoſiori reddito, acri, ſalſo, pontico, aliterve vitiato, Sitis oritur, ut in Hydropicis, & Hypochondriacis, imò etiam in ſanis, mox à paſtu ſaturis, experimur. Saliva ſiquidem fluida eſſe debet, nulloque vitio imbuta, ut partes irriget. Sed etſi in reliquis partibus ſeroſa iſta ſubſtantia minimè deficiat, ſi tamen in Ventriculo, faucibus, & gutture deſit, aut craſſeſcat, proculdubio ſitis perſentitur, quemadmodùm in Aſciticis, atque in his, qui anhelitu laborant, aut à paſtu plurimùm ſunt vociferati; unde & de organo Sitis pleriſque etiam ambigendi occaſio data eſt.

Hinc

Hinc modò satis apertè patet, quòd debuisset potiùs Aristoteles definire Sitim per appetitum humidi solùm, quàm frigidi, & humidi. Qua ratione experimur eos, qui vescuntur oleribus, fructibus, jusculis, lacte, & similibus, vel nihil, vel modicùm sitire. Quin etiam sunt, qui ad plures dies nunquam potant, cibariis solummodò contenti. In Actis Anglicis Anni 1667. refertur, quòd in Insulis Caribum Animalia, vel parum, vel nihil bibant, sicut pariter Equi in Guanaboa, ubi etiam Vaccæ, nonnisi spatio semestri, & Capræ semel in singulas hebdomadas, potare solent. (a) Præfatus Gassendus narrat, Virum quendam nunquam potasse, vel vix anno semel, ut amicis gratificaretur. Et nos jamdiù novimus Presbyterum sanæ alioqui constitutionis, at præ cæteris voracem, qui per hebdomadam integram abstineret à potu. Alii plures referuntur ab aliis.

At hic curiosè quæri potest, Fames ne, an Sitis Animantibus tolerabilior sit, & utram ex ipsis diutiùs sustinere valeamus; aut sine qua in longius vitam protrahere possimus. Et quidem in statu sano periculosior fames est, quàm sitis, graviusque damnum futurum ex illa, quàm ex ista: Quoniam per Famem cogimur reficere sanguinem jugiter absumptum, & restaurare robur vitale, ex cujus defectu proculdubio vita definit. Hinc cùm ex præcedente fame cibus congruenter non adjicitur, Bulimos, & Animi defectio sequitur, quam tandem comitatur Mors. Verum tamen est, quòd sæpiùs, longo tempore jejuni, & famelici, vitam nonnulli solo potu sunt tutati, quo nimirum jugis illa interna consumptio plurimùm infringi potest, & succi digestivi, ac dissolventes in stomacho, non leviter diluuntur, ne Bulimon inferant. Sed hoc ad multum tempus nil admodùm proficit, quemadmodùm ex cibo fit. In statu verò præternaturali, potissimùm in febrientibus intolerabilior sanè Sitis est, quàm Fames: Attamen per id temporis Fames vel omninò deficit, vel magna ex parte minuitur; quin & æstuantia viscera, & sanguis ipse acrior ex fermentatione redditus, potulentas serositates exigunt, quibus tantus ardor, vires enervans, & stomachum excrucians, compescatur, desinente intereà, vel multùm imminuta in partibus nutritione; cùm, alioqui Natura, pravis humoribus oppressa, omnes conatus in eorumdem coctionem, segregationemque adhibeat, ut tandem domitos, ac secretos expellat: quamobrem dicebat Hippocrates 2. *aphor. impura Corpora*, (qualia profectò sunt febricitantium) *quanto plus nutris, tanto magis lædis*. Itaque gravior Fames in statu sano, periculosior Sitis in statu morboso censenda est.

Hinc nunc ergo facilè colligi potest, causam Famis, cum sensu indigentiæ, in stomacho habitæ, esse vellicationem, à succis Ventriculi dissolventibus excitatam, ex præcedenti plerumque defectu substantiæ alibilis sanguinis in partibus nutriendis: Sitis verò causam, (habitæ similiter cum sensu indigentiæ) esse consumptionem serosæ substantiæ, præcipuè in Ventriculo, Oesophago, & faucibus, propter ejusdem exsolutionem, eductionemque per Renes, poros cutis, & partes glandulosas, quæ cum jugiter repurgetur, cogimur assiduò à Siti illam restaurare, ne præsertim sanguis in suo motu sero privatus, alicubi remoretur, & concrescat.

Sed curiosiùs inquirendum, quinam appetitus animantibus primùm accidat in statu sano, Famis ne, an Sitis. Et dicendum,

(a) *Idipsum referunt Historici de Dromedariis in Ægypto.*

dum, seclusa quacumque consuetudine, aut peculiari alicujus Corporis constitutione, præcedere Famem, subsequi Sitim: quoniam, ut benè Vallesius, in statu naturali prior est indigentia Cibi, quàm Potus, cùm nosmetipsos experiamur priùs famescere, deinde sitire. Cæterùm in statu morboso contrarium sæpè sæpius accidit, potissimùm in febrientibus, ut & in laboriosis, atque nimiùm exercitatis Corporibus, exsoluta nimirùm per copiosos sudores lymphica serositate.

At unde fit, ut plerumque potu, præsertim alibili, citiùs reficiamur, quàm cibo, licèt exquisito? Ratio deducitur ex faciliori transitu illius in supplementum absumpti sanguinis: quin & non raro, solo per linguam potabilis liquoris gustatu, illicò vires instaurantur, quemadmodùm passim ex vino, vinique spiritu dulcorato, evenit: quandoquidem per papillarum linguæ porulos, citissimè spiritus, tenuioresque illius partes in Corpus, per arterias, & nervos deferuntur: Porrò papillis istis meliùs, suaviùsque res assumptas degustare solemus, & salivario rore madefactis citiùs, salubriùsque cibos conficimus, ut ex Anatome. Sed & portiones ciborum, ac potuum tenuiores, per occultos Ventriculi meatus momento ferè temporis in sanguinem quoque transfunduntur; cum lipothymia affecti, ab assumptis alimentariis potibus subinde reficiantur. Atque hinc non defuerunt, qui omnem totius Corporis nutritionem, per halitus, aut vapores, è ventriculo suggestos, peragi opinati sint.

CAPUT LVIII.

LXIV. in Galeno.

De Malis Temperaturis in Ventriculo conjugatis.

TEXTUS.

(T. 73.) *Malæ autem temperaturæ in Ventriculo conjugatæ ex compositione simplicium cognoscentur. Oportet autem, eas, quæ jam sunt dictæ, diligenter advertere, easdem ab his, quæ dicentur, distinguentes. Non solùm enim Ventriculus sitibundos, & minimè sitientes facit, & frigidi, calidive potus appetentes, sed ea quoque viscera, quæ in Thorace sunt, ut Cor, & Pulmo. Sed qui ob horum sitiunt caliditatem, plus inspirant, & longius expirant, atque æstum in Thorace sentiunt, non sicuti qui ventriculi ratione in hypochondriis caliditatem patiuntur, &, cum potaverint, non statim sedatur sitis, & magis sedatur sitis, cùm frigidum hauserint, quàm cùm calidum nimis. Refrigerat autem eosdem & frigidi aëris inspiratio, quæ nihil eos juvat, qui ventriculi ratione sunt sitibundi. Ita & hi, qui contrario modo se habent, à frigida inspiratione sensibiliter molestantur.*

PARAPHRASIS.

Postquàm Galenus Temperaturas Ventriculi simplices superioribus Capitibus retulit, brevitati consulens, unico nunc Capite, de compositis mentionem facit, & inquit: Conjugatas, sive compositas Ventriculi intemperies, facilè ex supradictis simplicibus dignosci; puta si Ventriculus simul siticulosus sit, & calorem sensibiliter ostentet, calidus, siccusque dicetur. Si verò malè concoquat, & super-

superfluitatibus aqueis abundet, frigidus, humidusque appellabitur. Et sic de reliquis.

Advertere autem subdit oportere, ne signa hæc ab aliis visceribus affectis dependeant: posset enim Sitis à Pulmone, aut Corde plurimùm excalefactis excitari, ut febrientibus contingit; quin & de Jecore inflammato idem docet Galenus 6. *de loc. affect. cap.* 3. In his autem distinguendis Inspirationem, Expirationem, atque æstum in thorace considerandum inquit, quæ planè ad Pulmonem, & Cor pertinent, ut & inspirati aeris frigidi beneficium, quod sanè, Ventriculi ratione sitibundos, nullatenùs juvat. Atque hinc modò deduci potest, quàm benè à plerisque sit putatum, Sitim nonnumquam haberi molestissimam à Pulmone excandescente, qui si fortasse à destillante seroso, ac lymphico humore irroretur, sedatur multùm, juxta illud Hippocratis 4. *aphor.* 63. *Quibus in febribus ardentibus tusses leviter irritantes fiunt, ii non multùm siti infestantur*. De qua re in nostris Commentariis Aphorismorum.

Quoniam verò Sitis accidere potest, nedum propter Ventriculi ardorem, verùm etiam ob Pulmonis æstum, pergit exinde Galenus ad perquirenda signa intemperierum Pulmonum. Et primò calidioris Pulmonis signum inquit esse majorem, & longiorem inspirationem, expirationemque, quoniam, ex mente ejusdem, Respiratio videtur instituta ad refrigerium Cordis, & ad eventilandas calidas fuligines. Secundò, æstum in thorace longè majorem esse, quàm in hypochondriis. Tertiò, quòd à potu frigido non statim sitis sedetur, ac si à Ventriculo proveniat, cùm tempus aliquod exquiratur, ut per ductus proprios illuc pertingat. Quartò, quòd magis, citiùsque refrigeretur Pulmo à potu frigido, quàm calido, cùm tamen Ventriculus etiam à potione calida temperetur in Siti. Quintò demùm, quòd Pulmones excalefacti etiam inspirato frigido aere temperentur, secus verò Ventriculus. Sed de usu Respirationis infrà.

CAPUT LIX.

LXV. in Galeno.

Signa Pulmonis frigidi.

TEXTUS.

ET hoc maximum sit frigidi Pulmonis indicium; ut verò frigidum inspirantes manifestè molestiam sentiunt, & frigiditatem, ità & caliditas est ipsis amica: sed & pituitæ excrementa cum screatu, & tussi expuunt.

PARAPHRASIS.

PUlmonis frigidioris indicia ex opposito referuntur; sensibilis frigidæ inspirationis læsio, nam frigidum pectori inimicum, & ex Hippocrate 3. *aphor.* 23. qui debile pectus sunt sortiti, tusses, pleuritides, peripneumonias, aliasque ægritudines hyeme vagantes facillimè incurrunt. At verò sicut hi à frigida inspiratione offenduntur, sic è converso à calido aere juvantur. Expuunt præterea isti excrementa pituitosa, & compacta, nedum tussi, sed etiam simplici screatu, superabundante in his serosa colluvie, & ob pectoris languorem, in asperam Arteriam decumbente. Quòd si propter imbecillitatem adhuc nequeant excrementa hæc expui, & excreari, ut in senio contingit, aderit quidem Tussis, sed citra expectorationem, ut dicitur 2. *aphor.* 40. *Raucedines enim, & gravedines in valdè senibus coctionem non admittunt*, eoque minùs expurgationem: Quare procedente tempore

re Aſtmatici fieri ſolent, vel etiam Empyici, aut Hydropici.

CAPUT LX.

LXVI. in Galeno.

Signa Pulmonis ſicci, vel humidi.

TEXTUS.

(T. 74.) *PUlmonis autem ſiccitates excrementis vacant, & pituita, & vocem claram efficiunt: quemadmodum humiditates obſcuram reddunt, ac raucam: Et cùm vehementiùs, aut acutiùs loqui ſtuduerint, tunc intercidunt excrementa.*

PARAPHRASIS.

QUæ Pulmonem ſicciorem atteſtantur, referuntur duo, nempe excrementorum, ac pituitævacuitas, & vox clara. Carent quidem excrementis, tum vaporoſis, tum pituitoſis ſicci Pulmones, etenim aqueæ ſuperfluitates abſumuntur, & expiratione, aut etiam tranſpiratione inſenſibiliter evaporant. Vox verò clara fit, quoniam Trachea, & ramuli aſperæ Arteriæ, quò ſicciores ſunt, eò lævigatiores; unde per ipſos celerrimè Aer, & vox excurrit: neque enim aliunde vox rauca evadit, niſi quia fiſtula Aeris ab humidis ſuperfluitatibus inconvenienter irroratur, & quodammodò in ſuis glandulis, & membranula intumeſcit, aut inæqualiter afficitur; unde via ſcabra, & non æquè pervia fit: qua ratione experimur Tubarum ſonitus tremulos fieri, & clangores quoſdam edere, auditui injucundos, cùm ductus illarum plus juſto à Tubicinibus humeſcunt, & halitu, vaporeque oris, nimiùm irrorantur: Quod & ex Catarrho, ac Tuſſi diuturna ſimiliter contingit.

Ex adverſo ſubdit, humiditates, eandem obſcuram, ac raucam reddere: ſed & cùm vehementiùs, aut acutiùs homines loqui ſtuduerint, tunc intercidunt excrementa. Siquidem in vehementiori, & acutiori voce, pulmones coguntur aerem efficaciùs, violentiùſque protrudere, adeòque ſeipſos in ſuis porulis, & vacuitatibus conſtringere, unde excrementa ſeroſa, ibidem collecta, ſursùm in Tracheām propelluntur, à quibus vox intercipitur, cogiturque in medio curſu deſiſtere, ut excrementa ipſa illuc delata expuantur, & Tracheæ ductus reddantur liberiores. Idipſum etiam non rarò evenit ob compreſſionem impenſiùs habitam in partibus, & glandulis laryngi adjacentibus, cum in voce acutiori, vehementiorique illæ plurimum conſtringuntur, ſubindeque contentas ſeroſitates deponere coguntur. Verùm aliqua alia etiam de his recenſeamus.

Digreſſio de Motu Pulmonis.

QUandoquidem hìc à Galeno de Reſpiratione, & Motu Pulmonis mentio facta eſt, ſupervacaneum non erit breviter etiam hoc loco nonnulla alia de illo recenſere, quæ aliàs videbantur omiſſa. Et quidem quamvis in Reſpiratione, motus Pulmonis habeatur, non tamen exindè deducere certò licet, Reſpirationem, & motum Pulmonis idem eſſe; ſiquidem Reſpiratio propriè pertinet ad Thoracem, ejuſque muſculos, ac potiſſimùm ad Septum tranſverſum; motus verò Pulmonis ſejunctus omninò eſt ab illius amplificatione, conſtrictioneque. Optimè namque Sennertus *lib.* 1. *Inſtitutionum cap.* 11., & *cap. de Apoplexia in Praxi*, obſervat non dila-

dilatari omninò Pulmonem ad motum Pectoris, cùm Avium Pulmo dilatetur sine Pectoris amplificatione, eò quòd in ipsis osseum est, & immobile. Atque hinc idem Auctor enucleat, cur Apoplectici non subitò extinguantur, cessante motu Musculorum Thoracis, atque respiratione penitùs extincta, ut contingit in fortissima Apoplexia, ex testimonio Galeni 2. *aphor. comment.* 42., quia scilicet, etsi motus Thoracis desinat, remanet tamen, saltem ex parte, motus aliquis in pulmone, quo vita sustineri possit, juxtà illud ejusdem Galeni *6. de loc. aff. cap.* 5. *Impossibile est viventem non respirare; & respirantem non vivere*. Quamobrem rectè quoque monet Nicolaus Chesneau *lib. 2. observat. cap.* 1., *absurdum esse*, inquiens, *si Respiratio sit omninò virtuti animali referenda, à qua musculi moveantur, cogitare, omnibus partibus Corporis motu, & sensu privatis, ipsam manere propter vitæ necessitatem: necessitas quidem viget, at deficiente instrumento, ad opus perficiendum, omninò invalida est, qualiscumque illa fuerit. Aliquod igitur respirationis Instrumentum statuendum est spiritu animali non indigens ad motum, quo, aliis deficientibus, quædam adhuc, hujus motu, servetur respiratio, propter vitæ necessitatem, etiamsi Cordi tandem non sufficiat*. Hæc Chesneau. Hanc eandem sententiam fusiùs prosequutus est Thomas Bartholinus peculiari Opusculo, *de substantia, & motu Pulmonum*, cohærenter observationibus Anatomicis Marcelli Malpighii, quemadmodùm etiam refert in sua Anatome Renovata *cap. de pulmonibus*.

Sensu insuper patet, ad quamlibet Thoracis amplificationem, Aerem continenter asperam Arteriam, ejusque tracheolas subire: at cui usui, non benè constat. Aristotelei, & Galenici nonnisi ad Cordis fervorem, & Pulmonis æstum temperandum, existimarunt, quibus assentiri visus est Cartesius, Sanguinem motu attenuatum, arbitratus, aeris frigiditate condensari, ut evadat vitalis fomes flammulæ Cordis. At quis unquam id tribuet Ranis, aliisque aquatilibus, quæ licèt calore ferè destituantur, respiratione tamen egent? quin etiam ex adverso in hypocaustis, aliisque locis calidissimis, animalia benè vivunt, absque eo, quòd Aer frigidus exhauriatur, attemperationi Cordis inserviens. Sed & cui bono, insuper, attenuatus sanguis condensari debet, ut iterum per motum Pulmonis, & Cordis rarefiat? Circulus equidem inutilis in hoc esset admittendus. Alii cum Gassendo, *tom. 2. de Animalibus cap. de Respiratione*, arbitrantur, motus Respirationis usum esse, ut transeuntis sanguinis per Pulmones, impuritates absorbeantur, & per expirationem, ac tussim, (si fortasse solito crassiores fuerint) educantur. Verùm quamvis Pulmones, pro rata sua, emunctoria sanguinis, & Cordis vitæ fontis, dici possint, non tamen rectè huic tantùm usui, & quidem vilissimo, videntur addicti; neque ad hoc solùm Aer conferens dici debet, cùm cæteroqui in humidis corporibus, seu Sanguinem serosiorem nactis, perquàm optimè is circuitum absolvat, nec tamen per Pulmones serositates istæ emungantur. At verò opinatus est Paracelsus suggeri ab Aere per Pulmones Cordi spiritum quendam vitæ fovendæ necessarium: cui communis Medicorum assertio consentire videtur, qui existimant Aerem in spiritus vitales transmutari, ex doctrina Hippocratis *lib. de alimento* dicentis: *Principium alimenti Spiritus*, idest Aeris, *respirationem esse*. Sed non facilè suaderi potest, cur ex defectu Aeris, tam brevi tempore Animal vita defungatur. Potior Respirationis usus, & Pulmonum motus, visus est aliis, Trajectio sanguinis è dextro in sinistrum Cordis Ventriculum per Pulmones, qui nisi aere

aere distendantur, præterfluentem Sanguinem nec admittunt, nec deferunt. At facto experimento à Roberto Kook, ut refertur in Actis Anglicis, innotuit superstes animal in vita esse, pulmonibus vel immotis, neque eorum depressionem, seu quietem, sanguinis motum impedire, aut mortis causam esse. Unde colligit idem Author, potiùs novi aeris defectu Animal interire.

Quamvis ergo difficile admodùm sit, de præcipuo usu Respirationis, & motus Pulmonis aliquid certi determinare, cùm ipsemet experientissimus Robertus Boyle se adhuc post multa tentamina ignorare fateatur: qui nihilominùs attentè consideraverit innumeras, quæ exinde emergunt, utilitates, profectò affirmabit, non unidumtaxat usui ejusmodi motum inservire. Vox etenim inde formatur, & loquela perficitur; comprimitur Abdomen, & chylosa materia per tubulos lacteos, & thoracicos in Cor protruditur: ejus quoque beneficio olfactus fit, & vel boni, vel mali odores hauriuntur, inutiles serositates, ac vapores è pectore, & pulmonibus extruduntur: sternuitur pariter, atque extussitur: è dextro in sinistrum Ventriculum Sanguis traducitur, cùm constet animalia pulmonibus, & respiratione carentia unico tantùm esse prædita Ventriculo, & Infantes intra uterum peculiari ductu, per quem Sanguis ad Cor deferatur, absque pulmonum expansione, gaudere. Sanguis ipse illac pertransiens floridior, ac repurgatior evadit, propter Aëris misturam: nullibi enim, quàm cùm in pulmonibus est sanguis, floridus, purus, ac rutilans magis conspicitur, ut observat Richardus Lovver, in suo *de Motu Cordis* Opusculo: id quod etiam in educto è Venis sanguine, & Aeri in aliquo vase exposito, palam fit. Denique debetur & Aeri quoque vis contemperandi æstum Cordis, & Pulmonis, cùm & febrientes subinde, & peripneumoniaci, à recenti, frigidoque Aere plurimùm alleventur, ut notarunt pariter Aristoteles, & Galenus. Atqui huic commodo non quilibet Aer satis est, sed medius inter nimiùm tenuem, & omninò crassum, ut aliàs in nostra Theoretica, & in Commentariis super Aphorismos Hippocratis meminimus.

CAPUT LXI.

LXVII. in Galeno.

De Voce.

TEXTUS.

(T. 75.) *Non tamen ipsa Vocis magnitudo à caliditate, sicuti neque parvitas à frigiditate fit: sed altera quidem asperæ arteriæ latitudinem sequitur, & vehementiorem efflatum: parvitas verò à contrariis advenit causis. Quare neque semper, neque primum, sed ex accidenti, & solas naturales temperaturas, non autem adventitias vocis magnitudo, aut parvitas sequitur. Quoniam etenim talia instrumenta temperaturæ ratione sunt facta, ad hæc autem consequitur hujusmodi vox: idcircò contingit ex voce de naturali temperatura ratiocinari.*

CAPUT LXII.

LXVIII. in Galeno.

De leni, & aspera Voce.

TEXTUS.

NAm & lenis vox arteriæ lenitatem consequitur, sicuti & aspera asperitatem. Lenitas igitur arteriæ moderatam sequitur temperaturam: asperitas verò siccitatem. Asperitas etenim fit ab inæqualitate duri Corporis. Arteriam verò duram similarium partium, ex quibus constat, siccitas efficit: inæqualem verò dispersæ in eisdem humiditatis defectus.

CAPUT LXIII.

LXIX. In Galeno.

De Voce acuta.

TEXTUS.

EOdem modo neque acuta natura vox, sine angustia faucium, neque gravis sine atitudine fieri potest. Angustia igitur ab insita, atque innata nascitur frigiditate: latitudo autem à caliditate. Differentiis igitur naturalium Vocum hæ, quæ ex affectu aliquo fiunt, sunt proportionales, quæ & ipsæ indicia sunt causarum, à quibus oriuntur, de quibus in libris de Voce sufficienter distinxi. (T. 76.) Reliquæ verò partes animalis interiores exilia habent temperaturæ indicia: tentandum tamen ea ex juvantibus, atque nocentibus agnoscere, ac prætereà naturalium potentiarum operationes. Dictum verò est in tertio de Causis Accidentium, quòd cujusque potentiæ virtus, & vitium temperatura principalis existat. Temperaturarum itaque indicia jam explanavimus.

PARAPHRASIS.

DE Voce hoc loco, tribus Capitibus, speciatim Galenus agit, quæ Pulmonis, & Pectoris motum sequitur, atque adeò Aeris propulsionem, repercussionemque ad laryngem, & palatum, pro ejusdem modulatione: cùmque superiùs dixerit Vocem claram indicium esse Pulmonis siccioris, raucam verò humidioris, propterea ne quis putaret, illam immediatè consequi temperaturas, non verò organorum vocalium conformationem, ac structuram; tacitam quandam difficultatem solvit, inquiens: *Vocis magnitudinem non quidem à caliditate, sicut nec illius parvitatem à frigiditate provenire:* & rationem affert, quia nulla intercedit connexio proxima, & immediata inter vocem, & calorem; neque res quælibet, quia calida est, vocalis erit, aut magnivoca, & è converso. Et quamvis Hippocrates 6. *epidem.* dicat, calidos maximam vocem habere, frigidos parvam: cui consentit Aristoteles 5. *de Generat. Animal.* & *in Problemat.* itemque Avicenna *fen.* 10. *tertii*, intelligendi tamen hi sunt, non quòd immediatè magnitudo Vocis à calore dependeat, vel à frigiditate ejusdem parvitas, sed solùm, quòd per calorem partes vocales denotentur ità benè conformatæ, ut ab amplitudine ductuum vocaliores sint; siquidem Vox magna, vel parva, immediatè provenit ab amplitudine, vel angustia ductuum Aeris, & præsertim Arteriæ asperæ, & laryngis, ubi Vox efformatur, nec non ab impetu majori, vel minori efflatus ejusdem Aeris: quæ sanè arguunt vel calidam, vel frigidam earumdem partium tēperaturam, cum robore, vel languore virtutis. Hinc Galenus hoc loco subdit:

Quoniam etenim talia instrumenta temperaturæ ratione sunt facta, ad hoc autem consequitur hujusmodi Vox; idcircò contingit ex Voce de naturali temperatura ratiocinari.

Ut prætereà Galenus ostenderet, Vocis diversitatem proximè, & immediatè à structura organorum provenire, exemplum affert Vocis lenis, & asperæ. Ait enim: *Nam & lenis Vox Arteriæ lenitatem consequitur; Aspera verò, ejusdem asperitatem.* Mox subdit: *Lenitas Arteriæ moderatam sequitur temperaturam, asperitas verò siccitatem, quoniam asperitas fit ab inæqualitate duri Corporis: duram autem Arteriam, similarium partium, ex quibus constat, siccitas efficit: inæqualem verò, dispersæ in eisdem humiditatis defectus. Eodem modo Acuta Vox non sine angustia faucium,* seu laryngis, *fit. Angustia igitur à frigiditate dependet, latitudo autem à caliditate.*

At qua ratione homines mutant vocem ex acuta, & exili, in gravem, & sonoram, cùm ad pubertatem pervenerint, & semen gignere cœperint? Et ratio dubitandi est, quia nullus consensus inesse videtur inter Testes, & asperam Arteriam. Verùm Hippocrates in hanc rem 2. *epidem. sect.* 1. docet, quòd tussis diuturna cessare solet superveniente testiculorum tumore; & vicissim tumor, superveniente tussi. Et 2. *epidem. sect.* 5. ait, Vocis gracilitatem solùm solvi à Testiculorum varice. Aristoteles etiam 5. *de Histor. Animal. cap.* 14., ex Vocis mutatione, inquit, & testium magnitudine, innotescere tempus Pubertatis: & 7. *de Histor. Animal. cap.* 1. subdit: dum juvenes semen emittunt, vocem mutare incipiunt in asperiorem, non tamen digniorem; & 9. *de Histor. eorumdem cap.* 5. observat in Gallinaceis castratis cristam pallescere. In idem coincidit quoque Galenus 2. *de Temper. cap.* 5. & 6. *epidem.* 4. *comm.* 27. At consensus hic ex Anatome magis elucet; vel per venas, & arterias mammarias descendentes, consentientes cum venis, & arteriis ascendentibus ex Utero, & Hypogastrio; vel per nervos per pudenda diffusos, dependentes ex ramo vocali, & costali: quin & duo alii ramuli, recurrentes dicti, Epiglottidem circumcingentes, testes pertingunt, ex quibus manifesta communio.

Reliquorum viscerum internorum Temperaturæ facilè, ex dictis hactenus, innotescunt, præsertim verò à juvantibus, & nocentibus, ac prætereà à naturalium potentiarum operationibus: Atque ità concludit in hoc Capite Galenus partium omnium dissimilarium Temperaturas. Nunc ad signa transit partium instrumentariarum, secundùm propriam structuram consideratarum.

CAPUT LXIV.

LXX. in Galeno.

Signa Naturæ Instrumentaria.

TEXTUS.

(T. 77.) *Circa magnitudinem verò, vel formationem, vel numerum, vel situm, quæcumque quidem sensibus subjiciuntur errata, cognitu faciliora sunt: quæ autem sensu percipi nequeunt, quædam difficulter cognoscuntur: quædam autem nullo modo cognoscuntur. Capitis igitur magnitudo, ac figura, & Cerebri simul, in propatulo sunt, & de his antea diximus. Sic & quæ thoraci sunt, & quæcumque ad scapulas, & humeros, vel brachia, vel cubitos, vel extremas manus, vel coxendices, vel femora, vel tibias, vel pedes attinent, non est difficile cognoscere, sive secundùm formationem, sive secundùm*

dùm magnitudinem ex his aliquid non rectè se habeat, sive secundùm numerum, sive secundùm partium, ex quibus constant, compositura m; singulorum etiam operationis detrimenta facilè patent, quæ autem intra Corpus sunt, non omnia possunt agnosci.

PARAPHRASIS.

QUoniam ad initium hujus Libri dixerat Galenus, duo in universum concurrere ad naturalem cujuscumque Corporis constitutionem, debitam nempè primarum qualitatum in primis, & simplicibus particulis contemperationem, & organicarum partium convenientem structuram: postquàm hucusque latè egisset de signis temperierum tum totius, tum principalium Corporis partium, percurrit nunc indicia malæ compositionis earundem, intra limites tamen sanitatis: etenim non desunt, qui Sanitate quidem fruuntur, bonaque temperie; sunt tamen in aliquibus membris vitiati, & vel in magnitudine, vel in figura, vel in numero, vel in situ. De his igitur sermonem faciens, inquit, quòd quæcumque sensibus subjiciuntur errata, cognitu facillima sunt, ut Capitis magnitudo, vel parvitas, aut ejusdem inconcinna figura, Thoracis improportio, brachiorum, manuum, aut digitorum, amplitudo, exilitas, aut defectus artuum; itemque in numero, situ, cæterisque vitium. At verò, quæ sensu percipi nequeunt, quia scilicet interiores Corporis partes occupant, ex læsionibus propriarum actionum, aut ex tactu, ut in Splenis, vel Jecoris tumoribus, aut etiam ex sensu ponderis, vel doloris, qui ab eodem patiente percipitur, dignoscentur: quibus addi quoque possunt excrementa ex illis prodeuntia, ut in Intestinis, Renibus, & Vesica, licèt non omnia possint agnosci.

CAPUT LXV.

LXXI. in Galeno.

De Ventriculo.

TEXTUS.

CUjusdam enim Ventriculum adeo parvum, ac rotundum, ac pronum secundùm hypochondria situm habentem inspexi, ut manifestè ex circumscriptione propria, & videntibus, & tangentibus appareret.

PARAPHRASIS.

EOrum, quæ intra Corpus sunt recondita, exemplum afferens hoc Capite, fatetur, se cujusdam Ventriculum adeò parvum, ac rotundum, & pronum secundùm hypochondria situm habentem, aliquando inspexisse, ut ex circumscriptione propria, & videntibus, & tangentibus manifestè appareret. Verùm hæc potiùs ex Anatome nota fiunt: dissectis enim cadaveribus, detecta sunt plurima Viscerum internorum incommoda, ac maleficia, quæ sensus hominum latuerant, sanè prodigiosa; eorumque observationes innumeræ extant relatæ apud eosdem Authores.

CA-

CAPUT LXVI.

LXXII. in Galeno.

De Vesica.

TEXTUS.

SIc & cujusdam Vesicam contigit intueri ità expositam, ac parvam, ut si quando urinam tardiùs excerneret, tumor quidam circumscriptus manifestè cerneretur, non tamen aliud ex interioribus quidquam mihi unquam manifestum præbuit indicium. Tentare autem oportet, quam maximè fieri potest, virtutem ipsorum, ac vitium, etsi non certa scientia, artificiosâ saltem conjectura comprehendere, veluti exempli gratia in Hepate.

PARAPHRASIS.

FAtetur pariter hoc alio Capite, se aliquando vidisse cujusdam Vesicam ità expositam, ac parvam, ut si quando urinam tradiùs excerneret, tumor quidam circumscriptus ad pubem manifestè cerneretur. Quamobrem organa illa, quæ ex contentis facilè in tumorem attolli possunt, sensu tactus, & visus, dignosci queunt, an vitium aliquod in formatione contraxerint. Reliqua verò manifestum indicium minimè præbere possunt, sed solùm conjecturis de illis suspicari licebit, ut idem Galenus tum hìc, tum sequenti Capite, de Hepate parvo, exemplum affert.

CAPUT LXVII.

LXXIII. in Galeno.

De Hepate.

TEXTUS.

VIdi enim aliquos, & quidem quamplures, quibus venæ erant angustæ, & totum Corpus colore privatum: quòd si plusculum cibi assumpsissent, qui præsertim flatibus excitandis aptus esset, & crassus, ac tenax, nonnulli quidem veluti pondus quoddam insidens, atque suspensum in profundo dextræ hypochondriorum partis sentiebant: nonnulli verò cum quadam tensione dolorem sentientes. In his quidem verisimile est Hepar esse parvum, atque angustos meatus habere.

PARAPHRASIS.

UT ostenderet, qua artificiosa industria quis conjectare possit de vitio viscerum internorum, refert præsenti Capite, se vidisse aliquos, quibus venæ erant angustæ, & totum Corpus colore fœdatum; quòd si plusculum cibi assumpsissent, præsertim qui flatibus excitandis aptus esset, itemque crassus, & tenax foret, nonnulli quidem veluti pondus in profundo dextri hypochondrii sentiebant; nonnulli verò, quandam cum dolore tensionem: in his autem verisimile existimasse, Hepar esse parvum, ejusque meatus angustos. Unde ex angustia venarum, ex malo colore cutis, & ex pondere, vel tensione in hypochondrio dextro, post assumptos cibos, potissimùm flatulentos, licebit de parvitate Jecoris conjicere. Idipsum de Splene malè affecto conjectandum foret, si hæc omnia in sinistro hypochondrio evenirent.

CAPUT LXVIII.

LXXIV. in Galeno.

De Homine pituitoso vomente bilem.

TEXTUS.

Alterum vidi, cujus totus habitus pituitam præseferebat, quotidie tamen bilem pallidam evomebat. Censui igitur inspicienda alvi excrementa, in quibus minimum bilis apparebat. Quare conjectura quadam comprehendi eum meatum, qui biliosum egurgitat humorem, non minimam ejusdem partem ad imum ventriculi locum, quem græci pyloron, idest ostiarium vocant, effundere, ut in quibusdam apparet animalibus. Ex quibus id constat, quod plurimùm ad eorum, quæ latent sensum, confert cognitionem, ea, quæ ex sectionis inspectione habetur, peritia, & operationum, atque utilitatum inventio. Quicumque igitur facultatem dignoscendi hujusceemodi corpora, quæ ità lapsa sunt, consequi cupit, oportet ipsum in sectionibus, ac in operationum, atque utilitatum inventionibus exercitari. Scripsimus verò de omnibus seorsùm in tractatibus aliis, de quibus in fine libri omninò proposuimus facere mentionem, ut discendi cupidi intelligant, quæcumque discere optaverint, ex quonam possint haurire tractatu. Sed tamen de hisce satis.

PARAPHRASIS.

Aliud exemplum tradit, pro conjiciendo vitio in Cysti fellea, ductu Biliario, & Pyloro, cujusdam Hominis, qui habitu Corporis erat pituitosus, quotidiè tamen bilem pallidam evomebat; excrementa verò alvi ne quidem bilis minimum referebant. Quare conjectura quadam comprehendit, porum in ipso felleum ad pylorum, non ad intestina tendere, quo bilis ipsa effundebatur; unde vomitus flavus, ac fæces haudquaquam felleo humore tinctæ egerebantur. Hinc infert Galenus, quòd ad eorum cognitionem, quæ sensum latent, plurimùm conferat notitia Anatomica, desumpta ex sectionibus Cadaverum. Quamobrem inquit; *Quicumque facultatem dignoscendi hujuscemodi Corpora, quæ ità lapsa sunt, consequi cupit, oportet ipsum in sectionibus, ac in operationum, atque utilitatum inventionibus,* idest in partium usibus, *exercitari*. Hinc quæ, & qualis utilitas ex Anatome oriatur, quisque ex his clarissimè percipiet. Et hactenus de signis Corporum salubrium: Nunc de signis Corporum ægrotantium.

CAPUT LXIX.

LXXV. in Galeno.

Quomodo cognoscantur Corpora ægrotantia.

TEXTUS.

(T.78.) *Quæcumque verò ut nunc insalubria sunt, hoc est quæ jam ægritudinem patiuntur, dignoscere & hæc ipsa oportet. Quæ quidem subjiciuntur sensui, ex eorum, quæ ipsis insunt secundùm naturam, permutatione, in magnitudine, colore, figura, & numero, & situ, & ea, quæ est secundùm duritiem, & mollitiem, & frigiditatem, & caliditatem differentia.* (T.79.) *Quæ autem visum effugiunt, ut summatim dicam, ex operationum læsionibus, aut his, quæ excernuntur, aut doloribus, aut tumoribus præter naturam, aut horum quibusdam, vel omnibus.*

PARAPHRASIS.

EXpletis signis Corporum salubrium secundùm suas differentias, prosequitur sequentibus Capitibus recensere indicia Corporum Insalubrium, & Neutrorum. Facto autem initio ab Insalubribus, affert signa Insalubrium ut Nunc, seu eorum, quæ jam ægritudinem contraxerunt, & actu ægrotant. Illa verò dividit in signa affectuum, qui sensibus subjiciuntur, & in signa affectuum, qui sensibus non patent. Primi generis sunt, quæ petuntur ex magnitudine, colore, figura, numero, situ, duritie, mollitie, frigiditate, caliditate, & similibus. Secundi generis verò, quæ à læsis operationibus, ab excretis mutatis, doloribus, tumoribus præter naturam, aut omnibus simul, aut aliquibus. Quibus in genere consideratis, descendit nunc ad singulorum Viscerum affectiones internoscendas. Et primò quidem Cerebri, ut mox.

CAPUT LXX.

LXXVI. in Galeno.

De signis Cerebri patientis.

TEXTUS.

(T. 80.) *PArticulatim autem, quæ quidem sunt in Cerebro ægræ dispositiones, aut dementiæ speciebus, aut sensuum, aut imaginationum læsionibus, aut actuum, qui secundùm electionem fiunt, aut ex his, quæ excernuntur per palatum, vel nares, vel aures, aut horum, qui ei dolores eveniunt, differentiis.*

PARAPHRASIS.

JUxtà nuper tradita signorum genera, ab operationibus Cerebri læsis, de ejusdem ægritudinibus primùm dijudicat: Cùmque operationes Cerebri aliæ principales sint, ut Imaginatio, Ratiocinatio; aliæ verò à Cerebro quidem dependeant, sed ad quinque sensus externos pertineant, atque utræque, vel abolitè, vel diminutè, vel depravatè lædi possint, propterea ab omnibus indicia desumit, ut ex singulis Cerebri ægritudines, & animalium operationum læsiones, innotescant.

Incipit autem ab Actionibus depravatis, & à Deliramentorum speciebus, cùm in his proximè Cerebrum offendatur, ad quod illæ propriè pertinent, & sive sola Imaginatio, sive sola Ratiocinatio lædatur, vel etiam utraque. Secundò memorat læsiones sensus, & motus animalis, sub quibus comprehenduntur Epilepsiæ, Apoplexiæ, Paralyses, Tremores, Lethargi, similesque. His tertiò addit, quæ per palatum, nares, & aures excernuntur, sub quibus excreta, & retenta vitiata continentur, ut in Catarrhis, destillationibus, gravedinibus, cæterisque. Quartò demùm recenset omnium dolorum differentias, puta gravantis, pungentis, inflantis, pulsantis, aliorumque, ex quibus dignoscuntur dolores Capitis, & Meningum, itemque Oculorum, Aurium, & similium. Hæc autem signa generaliora dumtaxat voluit hoc loco commemorare Galenus, nam particularia petenda sunt ex libris *de locis affectis* ejusdem.

CAPUT LXXI.

LXXVII. in Galeno.

Signa Cordis patientis.

TEXTUS.

(T. 81.) *QUæ verò in Corde fiunt, ex difficilis anhelitus speciebus, & palpitationibus, quæ ipsis contingunt, ex pulsibus quoque ejus, atque arteriarum, & ab excandescentis iræ celeritate, aut tarditate, à febribus, & refrigerationibus, & in colore differentiis, ac eis, qui ipsi adveniunt, doloribus.*

PARAPHRASIS.

SIgna Cordis patientis octo proponit. Primum desumit ex speciebus difficilis anhelitus. Secundum ex tremulis motibus, qui ipsi contingunt, puta ex palpitatione. Tertium ex pulsibus tum ipsius Cordis, tum Arteriarum, ab ipso dependentium. Quartum ab excandescentis iræ celeritate, aut tarditate. Quintum à febribus. Sextum à refrigerationibus partium, præsertim extimarum. Septimum à differentiis colorum in cute apparentium. Octavum à doloribus, qui ipsi eveniunt. Hæc autem signa in syndromen relata, plenè de omnibus Cordis affectibus attestantur, quoniam vel immediatè, vel mediatè saltem, à Cordis constitutione, ejusque operationibus, promanant, & sive Cor ad calidum, aut frigidum intemperetur, & sive ex defectu sanguinis, ac spirituosæ ejusdem substantiæ, sive à mala ipsius conditione, obruente, aut dissipante, vel etiam exsolvente, aut congelante; & vel ab extrinsecùs comprimente corpore, vel ab interiùs occupante, aut opplente ejusdem ventriculos, & cavitates arteriarum, ac Sanguinem ipsum inficiente, aut depravante exoriantur; ut ex alibi dictis clarissimè patet.

CAPUT LXXII.

LXXVIII. in Galeno.

Signa Hepatis patientis.

TEXTUS.

(T. 82.) *QUæ autem in Hepate ex defectu humorum, atque abundantia, & ad id quod præter naturam eversione, & colore malo: ac præterea ex permutatione naturæ in his, quæ ad alimenti diductionem, aut superfluitatum attinent excretionem, sed & ex gravitatibus, & tumoribus, & doloribus non modo his, qui in eo ortum habent, verùm & in illis, qui compatiendi ratione proveniunt, quemadmodùm in aliqua vel spirandi difficultate, vel tussis specie.*

PARAPHRASIS.

SIgna Hepatis ægritudines demonstrantia, recensentur, humorum defectus, vel abundantia; degeneratio eorumdem à statu naturali in præternaturalem; malus cutis color: læsa Sanguinis per Corpus distributio: vitiata excrementorum egestio, eorum præsertim, quæ per Jecur transeunt, vel ab eodem immediatè derivant, ut est fellea, & biliosa superfluitas, atque urinæ depositio, ac deformatio: gravitas, vel dolor ad Hepatis regionem, seu in dextro hypochondrio, tumor ejusdem, tentio, aut durities, ac denique spiritus gravis, seu respiratio impedita, cum tussi, quæ sicca à Medicis solet appellari, ut evenit in obstructis,

Jeco-

Jecòre tumidis, aliisque similibus, quemadmodùm idem Galenus observavit in Medico Siculo 5. *de loc. affect. cap.* 7.

CAPUT LXXIII.

LXXIX. In Galeno.

Signa Ventriculi patientis.

TEXTUS.

(T. 83.) *Sic & Ventriculi affectus agnoscitur, ubi in concoctione, & appetitu humidi, vel sicci alimenti, vel superfluitatum excretione delinquitur. Ita etiam ex singultibus, eructationibus, nauseis, vomitibus, & ipsis eorum, quæ evomuntur, speciebus.*

PARAPHRASIS.

PAri modo dignoscetur Ventriculus affectus, ex mala concoctione, & vitiato appetitu, ex egestione superfluitatum crudarum per vomitum, aut per secessum, ex singultibus, eructationibus, vel acidis, vel nidorosis, nausea, subversione, inflatione, tensione, itemque humoralium excrementorum dejectione, aut indigesti, vel corrupti cibi per alvum excretione; ac tandem ex doloribus, aut tumoribus ipsum infestantibus: quæ omnia ab actionibus propriis ejusdem Ventriculi læsis ob fermenta digestiva vitiata, vel propter tunicas, fibrasque Ventriculi substantiam construentes, relaxatas, aut contractas, ex circumscripto ipsius situ facillimè innotescent.

CAPUT LXXIV.

LXXX. In Galeno.

Signa Thoracis patientis.

TEXTUS.

(T. 84.) *ITà & Thoracis agnoscuntur affectus, ex spirandi difficultatibus, tussibus, & doloribus, qui in ipso fiunt, & ex eorum, quæ cum tussi expuuntur, differentia.* (T. 85.) *Sic & asperæ Arteriæ ægritudines, difficiles anhelitus, & tusses, & dolor in loco, & quæ expuuntur, & vocis offensiones ostendunt.* (T. 86.) *Secundùm verò eandem proportionem, & in aliis omnibus accidit partibus: Nam ex tumore, dolore, & operationum læsione, & excrementorum differentia sumentur indicia.* (T. 87.) *Tumores autem præter naturam in inflammationibus, scirrhis, œdematis, & erysipelatis sunt explorandi.* (T. 88.) *Dolor autem quemcumque obsederit locum, aut continuitatis solutionem, aut subitam alterationem ostendit. Solvitur autem continuitas incisione, exesione, fractione, & tentione. Alteratur verò substantia, caliditate, frigiditate, humiditate, siccitate.* (T. 89.) *Læditur autem operatio tripliciter, aut quia debiliter, aut quia vitiosè, aut quia nullo modo fit.*

PARAPHRASIS.

AFfecti Thoracis signa quatuor recenset hoc Capite Galenus, difficilem nempè Respirationem, Tussim, Dolores costarum, & Sputa. Asperæ verò Arteriæ ægritudinum indicia refert ad difficiles anhelitus, tusses, dolores ejusdem, sputa, & vocis læsiones. At verò licèt multùm inter se conveniant utriusque offen-

fensiones, poterunt tamen facilè internosci: Tusses enim plerumque ex aspera Arteria dependentes, siccæ solent esse; ex Thoracis autem, aut etiam Pulmonis vitio, esse solent humidæ. Sic etiam dolores in Thorace sensibiliores sunt, leviores, vel nulli, & solùm cum sensu ponderis in affectionibus Pulmonis: Medio autem modo se habebunt, qui in aspera contingunt. Respiratio pariter gravior, vel levior, crebrior, vel rarior, cum stertore, vel sine, fiet, si aspera potiùs cum tracheolis, vel Pulmo, secundum suam substantiam afficiatur: secùs si Thorax extrinsecùs, aut alia pars circumposita divexetur. Verùm dolor in Pleura, ac Mediastino acutior, & molestior semper erit, cum sensibili Respirationis læsione, qua præsertim parte, nempe superiori, Pulmo eidem alligatur.

Non dissimili modo conjectandum, subdit Galenus, de affectionibus aliarum partium, ex tumoribus nimirùm, doloribus, operationibus læsis, atque excrementorum diversitate, pro eorumdem viscerum affectorum differentia, usuque vario. Tumores verò rediguntur ad Inflammationes, Erysipelata, Scirrhos, Oedemata, ex quorum varietate humores quoque varii exinde malè affecti dijudicantur; ut infrà.

Quoniam autem Dolor inter præcipua signa partium affectarum numeratur, addit hìc Galenus, illum aut continuitatis solutionem, aut subitam partis alterationem subsequi. In alteratione verò, ut illa dolorem inferat, tria ex eodem Galeno requiruntur 12. *meth. cap.* 7. *&* 1. *de symptom. causis cap.* 6. Primum, ut alteratio subitò fiat: Secundum cum violentia; Tertium, quòd præter naturam sit: siquidem in seminis effusione ex vehementi concubitu, licèt quædam violenta, & subita alteratio accidat, quia tamen præter naturam non fit, dolorosa non est: sic pariter in Risu, Titillatione, cæterisque voluptuosis Corporis commotionibus. Cæterùm Alteratio subitò, & violenter illata, neque sine humoris virulenti præsentia fieri potest, ut propterea tenuem saltem materiam omninò exigat, à qua partes compunguntur, quemadmodùm aliàs à nobis ostensum est.

Hanc insuper dolorificam alterationem omnes quatuor qualitates, caliditatem, frigiditatem, humiditatem, & siccitatem afferre posse docet hic idem Author, quamvis 2. *de compos. Medicam. secundum loca cap.* 1. ad humiditatem dicat nullum consequi dolorem, illam scilicet considerans solam, & simplicem, non verò cum caliditate, vel frigiditate conjunctam, ut seipsum explicat 1. *de Natura Humana comm.* 6. Sed & neque istæ ab humoribus sejunctæ unquam in humano Corpore invenientur, ut partium continuitatem solvant, aut naturalem constitutionem alterent, doloremque afferant, etsi non manifestè, ac sensibiliter, saltem inconspicuè, & insensibiliter, ut alibi dictum. Soluta denique continuitas, incisione per ensem: exesione per venena, aut erodentes, pravosque humores: fractione, per contusiones, ictus, & vulnera; ac demum tensione, ac inflatione per flatus, infertur. Postremò operationes omnes in universum tripliciter lædi posse tum hìc, tum alibi passim edocuit, abolitè nimirum, diminutè, ac depravatè: ut cùm nullatenùs fiunt; vel saltem sensibiliter fieri non videntur: aut imperfectè, ac debiliter solùm; vel demum fiunt aliter, ac natura fieri deberent.

CA-

CAPUT LXXV.

LXXXI. in Galeno.

De Differentia eorum, quæ excernuntur.

TEXTUS.

(T. 90.) *Quæcumque autem excernuntur; (nonnulla ut affectorum locorum partes: nonnulla ut excrementa: nonnulla ut in ipsis secundùm naturam contenta) singula propriam facient indicationem.* (T. 91.) *Dictum est autem de hisce omnibus pleniùs in tractatu de locis affectis; quem nullus ante nos aut in Artem, idest methodum redegit, aut ad absolutam perfectionem deduxit: quemadmodum & in omnibus aliis evenit, quibus initium quidem aliquod ab Antiquis est datum, non tamen absolutum est opus. Ægrotantium itaque Corporum ex tractatu illo indicia sunt sumenda. Eorum autem, qui in ægritudinem lapsuri sunt, & qui sanitati restituendi, præsens doctrina complectitur.*

PARAPHRASIS.

Eorum, quæ excernuntur, tria genera constituit, ex quibus internæ ægritudines dignosci possunt: Videlicet partium solidarum, ut Pulmonis, ramentorum intestinalium, Renum, Vesicæ, & similium; quæque dicuntur excreta toto genere præter naturam, ut & puris, saniei, sanguinis, vel simplicis, vel commisti, aut degenerati, vel grumefacti; & denique succorum, seu liquorum naturalium, ut chyli, vel cibi nondum digesti; itemque urinæ, & fæcum, quæ licèt excrementa sint, naturaliter tamen statutis horis, & locis, detineri debent, ac deinde ad certum tempus expurgari. Ab horum autem excretione, vel quantitate inconvenienti, vel qualitate depravata, vel non debito tempore, modo, aut loco habita; aut ejus fortasse rei, quæ nullatenùs excerni oporteret, partes affectæ facilè dignosci possunt, ut pleniùs se egisse testatur *in libris de locis affectis*. Et hactenus de signis Corporum ægrotantium. Nunc de signis futurarum ægritudinum, & Corporum Neutrorum.

CAPUT LXXVI.

LXXXII. in Galeno.

Signa futuræ ægritudinis.

TEXTUS.

(T. 92.) *Eorum igitur indicia, quibus ægritudinis periculum imminet, mediam formam habent, inter ea, quæ sanis, & quæ ægrotantibus eveniunt. Siquidem sanis omnia secundum naturam insunt: præter naturam verò ægrotantibus, quatenus ægrotant. In confinio autem horum ea, quæ sunt Corporum neutrorum indicia: quorum nonnulla quidem sunt ex eorum genere, quæ secundùm naturam, sed vel qualitatibus, vel quantitatibus, vel temporibus permutata: quædam autem ex his, quæ præter naturam, sed minora his, quæ ægritudinibus adsunt. Atque idcircò hæ quidem Corporum dispositiones, quæ in ægritudinem casura monstravi, sunt ex Neutrorum genere, atque unà, ea, quæ ipsa indicant signa. Primò enim hæc sanitatem ostendunt, secundò autem ægritudinem: Et fiunt eadem signa secundùm ad aliquid habitudinem, Neutra, & Insalubria: quæ quidem præsentem dispositionem ostendunt, Neutra; quæ verò futuram præmonstrant, Insalubria.* (T. 93.) *Eadem verò ratione, & quæcumque ægrotantibus signa salutaria appa-*

apparent, dicentur quidem salubria, quia futuram sanitatem ostendunt; dicentur etiam ægra, quatenus præsentem ostendunt ægritudinem: Neque in ambiguo est, quòd quæ sunt utrorumque indicativa, Neutra dicentur secundùm unum quoddam Neutri vocabuli significatum. Neque verò mirari oportet eadem signa tres in diversis habitudinibus servare rationes, quæ & Salubria, & Ægra, & Neutra dicantur. (T. 94.) *Secundùm verò alterum significatum, quæcumque his, qui à morbo referuntur, insunt, signa Neutra appellamus, neque in alio significato accipiunt ea, quæ senibus insunt. Hæc quidem omnia pluribus, & conceptibus, & rationibus, subjiciuntur: quæcumque verò in his, qui integra sanitate fruuntur, inter salubria tantummodò computantur, & quæcumque ægritudinibus insunt, neque futuram prænunciant sanitatem, soli & hæc ægrorum conceptui subjiciuntur. Sed de his quidem posteà dicetur.* (T. 95.) *Nunc quæ futuram præmonstrant ægritudinem, priùs exequamur: Cùm verò sit eorum differentia duplex, priùs ea pertractemus, quæ quantitatibus, vel qualitatibus, vel temporibus, non autem propriis speciebus ab eo, quod secundùm naturam evariant: veluti ciborum appetentia intenta, vel dissoluta, aut quæ non servet tempus consuetum, aut quæ ad edulia non usitata feratur, aut ad excretiones cibi superfluitatum, quæ aut pauciores, aut plures, aut humidiores, aut duriores existant. Sic humidiorum excrementorum vel defectus, vel superabundantia præter consuetudinem naturalem, aut in colore, aut in consistentia varietas aliqua, aut in tempore excretionis, & vigiliæ plures; ac somnus, aut non consueto tempore. Eodem modo potus pluris, aut paucioris, calidi, aut frigidi insolens appetitus; sicuti & rerum venerearum usus immodicus, aut intempestiva concupiscentia: & plures, aut pauciores sudores, quàm conveniant: & ad motus torpor, aut si moveri tentaverint, gravitas, aut vehemens exsolutio, menstruorum occultatio, vel immodica, aut diminuta evacuatio. Sic & quæ per ora venarum Græci hæmorrhoidas appellant, fit Sanguinis effusio. Sed & si voluptas in cibo, potuque aut sit priori voluptate similis, futuræ indicium est ægritudinis; hebetudoque animi non naturalis, aut oblivio quædam inconsueta, aut somni, qui pluribus imaginationibus abundant, quàm priùs: auditus, & odoratus, visusve hebetiores, aut turbulentiores, & (ut simpliciter dicam) quæcunque secundùm naturam inerant, hæc quidem augmentata, hæc verò comminuta, hæc verò temporibus quibusdam, aut quantitatibus, aut qualitatibus immutata. Siquidem & ipsius Corporis moles, aut major, aut minor, aut magis alba, aut magis rubra, velut lividior, aut nigrior, ructusque, & sternutamenta, & flatus plures, aut pauciores his, qui secundùm naturam; sic & quæcumque per nares, vel palatum, vel aures, per quos meatus Cerebrum expurgatur, vel temporibus, vel quantitatibus, vel qualitatibus immutata. Hæc igitur omnia ex genere eorum sunt, quæ secundùm naturam.* (T. 96.) *Morsus autem ventris, vel in ore ventriculi, vel in aliquo intestinorum, aut cùm alvus subducitur, aut cùm vomitus excitatur, aut cùm mingitur, sive aliquis alius dolor mediocris ex genere quidem existit eorum, quæ præter naturam: non tamen qui ità se habent, ægrotare dicuntur: sicuti neque qui Capite gravantur, aut dolent, aut vigilant, cùm nondùm in consuetis impediuntur operationibus. Hic enim in hujuscemodi dispositionibus ægrotandi terminus est; atque idcircò in eo, quod ad aliquid eandem dispositionem ægram, atque neutram appellabimus: nam pro vigore potentiæ, quæ vel facile sustinet, vel vincitur unaquæque ex his, quas antea diximus, vel morbus est, vel neutra dispo-*

dispositio. (T. 97.) *Sic & quæcumque in sensibus, non in eo, quod magis, aut minùs invicem differunt, sed toto genere sunt præter naturam. Et hæc sunt signa morborum, donec modica fuerint, & nondùm hominem à consuetis operibus sufficiunt amovere. Talia verò sunt in gustu quidem vel salsæ, vel amaræ, vel alicujus alterius qualitatis sapor nobis judicatur, sive in omnibus quæ bibuntur, aut manducantur, aut præterquod aliquid assumatur, saliva ipsa talis sentiatur. In odoratu autem, quando alicujus unius qualitatis sensum habemus nullo odorabili præsente, aut cùm plura differentia naribus admovemus, omnia veluti similia sentimus: sæpiùs verò nihil sentimus, aut aliquid fœtens, etiamsi nihil adsit, quod fœteat. Quantum verò ad auditum, soni, & strepitus, ad id, quod præter naturam pertinent: quemadmodùm in visu, quæcumque ante oculos apparere creduntur nigra, & atra, & cærulea, & rufa, & flava, & nonnulla rotunda, nonnulla autem oblonga, quædam gracilia, quædam crassa, oculis prætendi videntur. In sensu autem Tactus, cùm inæqualitas aliqua, vel spissitudo, vel gravitas, vel tentio, vel torpida, vel ulcerosa dispositio, in toto Corporis habitu sentitur: sic & in singulis partibus vel tentio, vel compressio, vel morsus, vel gravitas, quando modicæ fuerint, ac minimè firmæ, neutram quidem dispositionem adesse demonstrant, futuram verò ægritudinem prænunciant.*

PARAPHRASIS.

CUm hucusque latè nimis egisset Galenus de signis Corporum Salubrium, & Insalubrium, ad exactam nunc omnium Signorum notitiam, quod reliquum erat, prosequitur referre indicia Corporum Neutrorum, atque eorum potissimùm, quæ *Decidentiæ*, & *Convalescentiæ* appellantur. Et quidem Neutra Decidentiæ primùm docet, mediam formam habere inter ea, quæ sanis, & ægrotantibus accidunt. Sanis enim omnia secundùm naturam insunt, ægrotantibus verò præter naturam. Neutrorum autem Nunc indicia, subdit, aliqua esse secundùm naturam, sed cum recessu in quantitate, qualitate, & tempore; aliqua verò præter naturam, sed non cum tanto recessu à mediocritate, adeòque minora his, quæ sunt ægritudinis. Secundùm Naturam intelliguntur, quæ accidunt quidem conformiter Naturæ, sed vel plus justo, puta cum quis immodicè appetit, vel appetit quæ frigida sunt, aut acida, aliave; vel etiam tempore indebito. Præter naturam verò dicuntur, cum pertinent quidem ad statum præternaturalem, sed cum leviori recessu, nempè cum adest dolor, sed exiguus: cùm committitur cruditas, sed levis, &c. Hinc infert, signa Neutrorum dici posse respectu diversorum Neutra, & Ægra: Neutra quidem, quatenùs præsentem indicant statum; ægra verò, quatenùs futuram ægritudinem præsagiunt. Quin & eadem ratione signa in ægrotantibus apparentia, ait esse posse salubria, quia futuram sanitatem portendunt; & ægra, quoniam præsentem ostendunt ægritudinem: & neutra, quatenùs sunt utriusque indicativa; ut est exemplum in Urina concocta febrientium, sputo sanguineo pleuriticorum, sudoribus, &c.

Signa insuper Convalescentiæ communia esse possunt tum convalescentibus, tum senibus. At in convalescentibus considerata sunt cum spe salutis, eò quòd significent recessum Morbi, & pristinæ Sanitatis regressum: In Senibus verò statum senectutis talem, qualem ætas senilis suffert, ac expostulat.

Post hæc proponit Galenus plura signa Neutrius Decidentiæ, quæ ab his, quæ sanis insunt secundùm Naturam, prodeunt; facta tamen mutatione in quantitate,

tate, qualitate, vel tempore. Exemplificat autem illa in ciborum appetentia intensa, vel dissoluta, vel etiam intempestiva, aut quæ ad edulia non usitata fertur: in Excretionibus, aut pluribus, aut paucioribus, humidioribus, aut durioribus: similiter in superabundantia, vel defectu excrementorum, eorumque mutatione coloris, aut consistentiæ: in vigilia, aut somno, vel breviori, vel longiori, vel intempestivo: in egestione Menstruorum ex Utero, & ex hæmorrhoidibus, aut retenta, aut immodica, aut diminuta: in rei Venereæ concupiscentia, usuque immoderato, aut importuno: in Sudore copiosiori, vel pauciori, aut etiam insueto: Corporis torpore, aut lassitudine: Animi, & mentis hebetudine, vel oblivione: in Insomniis variis phantasmatibus refertis: Auditus, Odoratus, Visusque imbecillitate, aut turbulentia: in Corporis mole adaucta, vel imminuta: cute ejusdem dealbata, vel nigrefacta, rubra, aut livida: Ructibus, sternutamentis, flatibus: per Aures, Nares, Palatum expurgationibus, aliisque hujus generis similibus, si fortasse quantitate, qualitate, tempore, aliterve fuerint immutata, aut à consueto Naturæ salubriter operantis recedentia. Hæc equidem, aliaque plura, cùm apparuerint, futuram planè ægritudinem præmonstrabunt, & eò graviorem, quò magis à statu mediocri, naturali, & consueto recessum fecerint, quæ cùm notissima sint, non est, ut in longius protrahamus.

Quod ad signa præterea, quæ conveniunt quidem sanis, sed præter naturam fiunt, minora tamen, quàm quæ conveniant ægris, ait esse, Morsum Ventris, aut oris Ventriculi, vel Intestinorum; aut ejus doloris, qui fit, dum fæces, vel urina excernuntur, aut cum vomitus excitatur; sive aliquis alius dolor mediocris est, ut in his, qui capite gravantur, aut dolent, aut vigilant, nondum tamen à consuetis operationibus impediuntur. Sic pariter quinque sensuum læsiones judicandas esse subdit: etenim si operationes sensuum parùm mutentur, aut à consueto evarient, futuras ægritudines indicant, adeòque signa Neutra erunt. At verò si toto genere præter naturam evadant, itaut impediant actiones Naturæ debitas, tunc non Neutra signa futuram ægritudinem ostendentia dicenda erunt, sed signa ægra, attestantia ægritudinem præsentem. Dat exemplum in Gustu, saliva copiosiori, salsa, amara, insipida, aliave, similiter cùm percipiuntur odores nullo existente objecto odorabili; vel cùm odores rerum non discernuntur, aut aliquid fœtens percipitur, etiamsi nihil adsit, quod fœteat. Pari modo, cùm rumor, murmur, vel strepitus, intra Aures audiuntur; ut & in Visu, cùm creduntur objecta apparere nigra, cærulea, flava, rotunda, aut oblonga, gracilia, vel crassa; aut cùm plura, vel mutila, Oculis prætendi videntur; atque in sensu Tactus, gravitas, vel tensio, torpida, vel ulcerosa, aut pruriginosa dispositio: itemque compressio, morsus, vel gravitas, aliudve simile in singulis partibus corporis. Quæ omnia si modica fuerint, ac levia, vel minimè firma, ac stabilia, neutram dispositionem demonstrant, & futuram ægritudinem prænunciant: graviora verò, firma, ac stabilia, præsentem ostendunt: Ità quoque hæc eadem in delicatioribus Corporibus indicant præsentem, in robustioribus futuram; idque etiam magis, minusve, pro vigore, ac robore virtutis fortiori, vel debiliori; quæ scilicet vel facilè sustineat, & vincat, vel contrà vincatur, ac tandem deprimatur: nam in primo casu, Neutra erit dispositio; in secundo casu Morbus, & Ægritudo. Et sic de reliquis.

CA-

CAPUT LXXVII.

& ultimum II. Lib.

LXXXIII. in Galeno.

Signa Corporum Ægrotantium.

TEXTUS.

(T.98.) *AT quæ jam in ægrotantibus signa videntur, ex quibus nonnulla salutem, nonnulla mortem portendunt: prima quidem salubria, altera verò genere quidem ægra, secundùm speciem autem perniciosa dicuntur.* (T.99.) *Sumuntur autem, ut universaliter dicamus, ex operationum virtute, ac vitiis: Secundùm partem verò ex particularium operationibus, quarum genera anteà diximus: Primum quidem eorum, quæ principia existunt: secundum verò illorum, quæ à principiis ortum habent: & tertium eorum, quæ ex seipsis gubernantur; à principiis autem quasdam derivationes habent. Quartum siquidem genus eorum, quæ tunc diximus, ex se quidem ad aliquid prænoscendum inutile est: secundùm accidens autem & ex his aliquando præcognitiones erunt: quemadmodùm & ex excrementis, ex his quidem compatiendi ratione, ex excrementis autem semper, quoniam coctionis, & incoctionis signa continent.* (T.100.) *Quare fieri non potest, quin omninò significent aut naturam materiei, aut materiam naturæ, aut neutrum neutro dominari. Salubria quidem signa dicentur, Natura superante: Insalubria verò, superata: Neutra autem, quæ pugnas habent æquales; sed quæ quidem manifestam indicant coctionem, ex salubribus sunt: sicuti quæ cruditatem, ægra: Quæ verò neque coctionem, neque cruditatem manifestè ostendunt, ex Neutrorum sunt natura. Sunt verò & Neutra, quæcumque nunc quidem hoc, nunc verò contrarium significant, veluti digiti denigrati. Talia etiam sunt Critica, ideſt decretoria accidentia, de quibus omnibus in libris de Crisi dictum est: sicuti etiam de his, quæ ad unamquamque attinent operationem, in his libris, in quibus de Causis Accidentium agitur. Quare omnium horum singulorum materiam ex eisdem libris colligere oportet. Ego verò prolixitati parcens hìc sermoni de signis finem faciam; transgrediar autem ad illum, qui de Causis est.*

PARAPHRASIS.

EXpositis signis futuras ægritudines prænunciantibus, Methodum postremò edocet Galenus prænoscendi salutem, aut mortem in ægrotantibus: & signa quidem salutem portendentia, salubria appellat; præsignantia Mortem, secundùm genus vocat ægra, in specie verò perniciosa.

Salutem, aut Mortem portendentia desumenda esse docet ex Virtute, aut Vitio, robore, aut languore operationum, partium præsertim principalium. Si enim operationes istæ validæ sint, ac robustæ, bonus eventus indicabitur; si verò malæ fuerint, & imbecillæ, eventus malus præsagietur. Secundò sumuntur indicia ab operationibus partium, quæ principales immediatè, proximèque sequuntur, ut sunt Arteriæ, Venæ, & Nervi, ex quibus benè, vel malè affectis, pari modo de salute, aut interitu prognosticandum: sic læsio in Nervis, ut punctura, convulsio, distentio, sideratio, pessima est, & non rarò lethalis. Itemque Aneurisma in Arteriis: Erosio, aut laxitas in Venis, ut in Hæmorrhagiis, & Varicibus. Tertiò sumuntur signa ex læsionibus partium, seu Viscerum internorum, potissimùm Ventriculi,

Inteſtinorum, Veſicæ, Renum, Lienis, Pulmonis, ex quarum partium læſionibus, plus juſto gravioribus, plerumque Mors contingit. Quartò capiuntur indicia à læſione partium independentium, ideſt neque tribuentium, neque recipientium, ut ſunt Cartilagines, Ligamenta, Oſſa, glandulæ, à quibus licèt ſigna Salutis, aut Mortis, proximè, ac immediatè deduci nequeant, quia tamen alias partes nobiliores læſas in conſenſum trahere ſolent, periculo non carent; ut in Tumoribus, Doloribus, Fracturis, aliiſque ſimilibus. Denique ex coctione, vel cruditate excrementorum, & peccantium humorum, ut præſertim ex urinis, ſputo, ſudore, pure, ſigna Salutis, vel Mortis colliguntur. Etenim ab excretis vitioſis, humoribus crudis, craſſis, diverſimodè coloratis, aut permiſtis, vel contra concoctis, & convenienter edomitis, Naturæ languor, vel robur arguitur, adeoque Morbo, & Cauſæ morbificæ, vel prævalens, vel ſuccumbens, ſit illa tandem ſuperanda, vel ſuperatura. Quòd ſi Res hæc in ambiguo ſit, puta ſi nec Natura ſuperet, concoquat, & ſecernat excrementa, pravoſque humores; nec viceverſa ſuperetur, ac evincatur à multitudine, & pravitate eorundem, tunc ſicut neque in melius, neque in pejus itur, ità nec ſanitatem, nec mortem oſtendet, propterea que ſigna erunt Neutra primi ſignificati, ideſt per excluſionem utriuſque extremi. Quæ autem modò ſanitatem, modò Mortem pollicentur, erunt ſigna Neutra tertii ſignificati, ut ſunt digiti denigrati, de quibus Hippocrates *in Prognoſticis* inquit, modò ſignificare mortificationem caloris, modò criticam depoſitionem humoris melancholici ad articulos. Ità quoque ſunt evacuationes in morbis habitæ, quæ aliquando criticæ ſunt, cum conferentia, & tolerantia factæ; aliquando verò ſunt ſymptomaticę, & pernicioſæ, juxtà ea, quæ idem Galenus edocet *in lib. epidemiorum*, præſertim ſuper hiſtoria Philiſci, & in libris *de Criſibus*, ac *de ſymptomatum Cauſis*: quibus in locis fusè de his ſe egiſſe hoc loco memorat. (a) Atque ità prolixitati parcens, ſermoni de ſignis finem imponit, & Nos quoque finem huic II. Libro faciamus. Qui verò latiorem ſermonem de his exquirit, legat Proſperũ Alpinum peculiari libello *de Præſagienda Vita, & Morte in Ægrotantibus*.

L I-

(a) *V. etiam Gal. lib. de Conſtit. Art. Med. cap.* 18.

LIBER TERTIUS ARTIS MEDICINALIS GALENI

PROOEMIUM.

Cum superiùs, (a) super Primum, & Secundum Librum Artis Medicinalis Galeni Paraphrases nostras tradiderimus, Corporum nimirum, & Signorum, Salubrium, Insalubrium, & Neutrorum, Naturas, ac differentias, quantum Ratio postulabat, prosequuti: Reliquum nunc est, ut de Causis similiter Salubribus, Insalubribus, & Neutris, quæ supererant explicandæ, edisseramus; cùm ex anteà traditis, Medicina, tota quanta est, circa Salubrium, Insalubrium, & Neutrorum notitiam versetur. Pro Causis autem, potissimùm hoc loco intelliguntur, quæ Procatarctica Græcis appellantur, atque ex his, quæ Remediorum vices gerunt, quoniam istæ Salubritatem, Insalubritatem, & Neutralitatem, inferre possunt; sub quo sensu Causæ inpræsentiarum accipiuntur.

At quoniam Causæ hoc modo sumptæ, vel Sanitatem conservantes, vel Morbos abigentes, vel Sanitatem reficientes, aut ab imminentibus ægritudinibus præservantes, vel denique quæ ab iisdem evaserunt Corpora, restaurantes, esse possunt, propterea Galenus, ne quidquam intentatum relinqueret, de his omnibus hoc Tertio Libro agit: & primùm quidem de Causis Conservantibus Sanitatem, quarum consideratio ad eam Medicinæ partem spectat, quæ græcè Evectice *dicitur, idest boni habitus Corporis Conservatrix: mox de Causis Curativis, unde* Therapeutice; *deinde de Causis Præservantibus Corpora Neutra, ne in ægritudinem labantur, indeque* Prophylactice: *postremò de Causis Reficientibus Corpora Convalescentium, & Senum, quæ Medicinæ Pars* Analeptice *vocatur, idest Refectiva, seu Resumptiva Corporum, lubricam sanitatem habentium. Quibus in genere præcognitis, singulorum nunc Capitum expositionem, ac Paraphrasim, methodo hactenùs in cæteris servata, prosequamur.*

(a) *Anno scilicet præterito.*

CAPUT I.

LXXXIV. in Galeno.

De Causis Salubribus, Insalubribus, ac Neutris.

TEXTUS.

(T. 1.) *Quoniam verò & harum, hæ quidem salubres, hæ autem insalubres, hæ verò neutræ: primum de Causis salubribus erit sermo. Quia verò & nonnullæ quidem conservatrices, nonnullæ verò effectrices sanitatis, sunt autem & tempore, & dignitate priores Conservatrices, incipiendum est à Conservatricibus. Cùm igitur non unum tantùm sit sanum Corpus, sed plura, ut supra definivimus, in eorum singulis propria erit Causa conservatrix: siquidem omnis Causa in eo, quod ad aliquid, existit. Hìc igitur denuò sumendum initium ab optima Corporis constitutione, ac quæ ei salubria sint, considerandum.* (T. 2.) *Eorum autem inventionem ipsius rei natura insinuat. Si enim impatibile, atque inalterabile esset Corpus, semper optima constitutio perduraret, neque Artis præsidio indigeret. Quoniam verò alteratur, corrumpitur, & vertitur, neque eumdem servat prioris status tenorem, ea ratione auxilium desiderat.*

PARAPHRASIS.

Nectit primùm Galenus sermonem hujus cum præcedentibus Capitibus. Postquàm enim de Corporibus, & Signis hactenus egisset, se nunc acturum pollicetur de Causis, quas pari ratione dividit in Salubres, Insalubres, & Neutras; atque de Salubribus primo loco se velle sermonem habere ait; cùmque Causæ esse velint vel Conservantes, vel Efficientes sanitatem, subdit, oportere primùm agere de iis, quæ sanitatem conservant, quia istæ tempore, & dignitate priores sunt Effectricibus: tempore quidem, quia sanitas prior est morbo, qui cùm accedit, sanitatem recessisse supponit; dignitate verò, quia dignior morbo sanitas est; nam sanitas perfectionem, morbus verò imperfectionem significat.

Conservatrices præterea Causæ tot sunt, quot Corpora conservanda, quoniam ad aliquid referuntur, suntque de genere relativorum; adeoque cùm Corpora sana, conservatione egentia, plura sint, in primo Libro hujus Operis memorata, de omnibus hìc etiam mentionem facit: Et primò quidem de Causis Conservantibus Corpus saluberrimum, ex quarum cognitione reliquæ facillimè inotescunt. Et quamvis saluberrimum Corpus videatur nullatenùs egere causis Conservantibus, eò quòd statuatur veluti Regula, & Mensura cæterorum, assimileturque Statuæ Polycleti, in qua nullus excessus, aut defectus; quia tamen ejusmodi Corpus inalterabile, & impassibile nusquam est, nec si esset, posset perpetuò exactam illam sanitatem possidere; propterea fit, ut etiam conservatione opus habeat, saltem ad corrigendos, removendosque leves, & exiguos à mediocritate recessus, seu defectus insensibiles, ut alibi à Nobis notatum est. *Si enim*, subdit hoc loco Galenus, *impatibile, atque inalterabile esset Corpus, semper optima constitutio perduraret, neque Artis præsidio indigeret. Quoniam verò alteratur, corrumpitur, & vertitur, neque eundem servat prioris status tenorem, ea ratione auxilium desiderat.* Hæc ille.

CA-

CAPUT II.

LXXXV. in Galeno.

Quot modis nostrum Corpus alteretur.

TEXTUS.

(T. 3.) *Secundùm quot igitur alteratur modos, tot auxiliorum, hoc est Causarum Conservatricum genera habebit, quas ex his, quæ dicta sunt, liquet esse ex correctivarum genere; sed quia paulatim correctiones faciunt, antequam omnis ingruat noxa, non Præservantes à futuro malo, sed præsentis status Conservatrices Medici appellant.* (T. 4.) *Alteratur igitur Corpus à nonnullis quidem necessariò, à quibusdam verò non necessariò. Dico autem necessariò, quæ nulla est evitandi ratio: non necessariò autem reliqua: Nam Aerem quidem nos ambientem semper attingere, comedereque, ac bibere, & vigilare, & dormire, est necessarium: ensibus autem, & exitialibus feris obviare, non necessarium. Quare circa primum causarum genus versatur Ars Corporis conservatrix; circa secundum autem minimè.* (T.5.) *Quot igitur numero sint ea, quæ ex necessitate Corpus alterant, distinguentes, proprium in singulis eorum causarum salubrium genus inveniemus. Inest igitur unum quidem ex ambientis aeris adhæsu: Alterum verò ex motu, & quiete & totius Corporis, & partium singularum: Tertium ex somno, & vigilia: Quartum ex his, quæ assumuntur: Quintum ex his, quæ excernuntur, vel retinentur: Sextum ex Animæ affectibus. Ex his necesse est aliquo modo affici Corpus: Ab Aere quidem ambiente, quia aut calefit, aut frigefit, aut exiccatur, aut humectatur, vel secundùm horum patitur conjugationem, aut in tota alteratur substantia. Ex motu verò, & quiete, cùm utraque modum excesserint, aut calefactum, aut refrigeratum, aut humectatum, aut exiccatum, vel aliquid secundùm horum patiens conjugationem. Sic & ex somno, & vigilia ipsum pati est necessarium, secundùm eamdem rationem: & ex Animæ affectibus, & ex his, quæ assumuntur, aut excernuntur, aut retinentur. Hæc siquidem omnia, partim quidem protinùs, & evidenter, partim verò per alias causas medias alterant Corpus, & sanitatem corrumpunt; & de eorum singulis seorsùm scripsimus in tractatu, qui de Salubribus inscribitur.* (T. 6.) *Omnia igitur nunc dicta genera, materiæ quædam sunt salubrium causarum, at usu opportuno adhibito, causæ fiunt conservatrices, atque salubres; sed ubi à modo deliquerint, insalubres redduntur. Unde etiam liquet ex his nullam harum rerum exteriorum, aut salubrem, aut insalubrem à nobis existimari oportere, at easdem potiùs in eo, quod ad aliquid esse, quandoque quidem salubres, quandoque verò insalubres. Nam ubi motum Corpus desiderat, exercitatio quidem salubris, otium autem insalubre: cùm verò eget quiete, otium quidem salubre, exercitatio autem insalubris; eodem modo de cibis, & potibus, & de aliis omnibus statuendum. Horum enim singula quando, ut necessitas Corporis exigit, cum mensura, & qualitate opportuna adhibentur, salubria fiunt: at cùm citra omnem necessitatem, ac præter modum afferuntur, insalubria.* (T.7.) *Atque hæ duæ sunt circa salubre, & insalubre intentiones, rei scilicet, quæ adhibetur, qualitas, ac quantitas. Neque enim est rationi consentaneum etiam temporis occasionem, quæ in his, quæ dicta sunt, continetur, veluti tertium aliquod ab eisdem diversum introducere. Si enim tali, & tanta re oblata egeat Corpus, nemini dubium, quin etiam in tempore afferatur.* (T.8.) *Occasio siquidem temporis inde ortum habet, quoniam fluxibile, ac facilè muta-*

bile est mortale Corpus, ac pro transmutationis modo aliis alio tempore eget auxiliis. Quare non est tertium aliquod præter ea, quæ dicta sunt, temporis occasio: Sæpius autem ea occasione tanquam tertio quodam ob eam, quam diximus, causam, ad docendum uti consuevimus. (T.9.) *Quoniam verò in his ipsis intentionibus; & aliæ Causæ salubres, & id, quod propositum est, genus continetur, rursùs easdem repetamus.* (T. 10.) *Optimæ igitur Corporis constitutioni, cùm circumfusus aer fuerit in temperie positus, earum rerum, de quibus nuper diximus, quietis scilicet, ac motus, somni, vigiliæ, & eorum, quæ assumuntur, atque excernuntur, exquisita mediocritas conveniet: cùm verò Aer à temperie recesserit, tantùm à mediocritate evariare oportet, quantus fuerit ab optima temperatura recessus.* (T.11.) *Hi verò sunt mediocritatis scopi: in Aere quidem ambiente, ut neque horreat Corpus propter frigus, neque sudet propter æstum.* (T.12.) *In exercitiis autem cùm primùm lassari cœperit Corpus, confestim quiescere.* (T.13.) *In cibis autem coctionis perfectio, & excrementorum modus in quali, quantoque conveniens: æqualis verò in his, quodam modo est coctioni, appetitus. Quare neque præside egeat, qui singulorum, quæ assumuntur, quantitatem metiatur. Optima siquidem Natura quantum appetit, tantum etiam concoquit.* (T. 14.) *Sic & somno modum ipsa Natura præfinit his, qui optimam Corporis constitutionem sunt sortiti, & tunc à somno excitantur, cùm corpus ampliori quiete non eget.* (T.15.) *Cùmque talem victus rationem adhibuerint, nullum est in eorum excrementis delictum, quæ vel per ventrem, vel per urinę meatus, vel per totum Corpus egeruntur. Nam priora quidem ex mediocritate eorum, quę assumuntur, temperantur; totum verò Corpus salubriter perflari facit exercitii usus moderatus.* (T.16.) *Liquet autem ab ipsis caveri oportere omnes animi immodicos affectus, videlicet Iræ, Tristitiæ, Excandescentię, Timoris, Invidię. Hęc enim alterant, atque à naturali statu Corpus avertunt.*

PARAPHRASIS.

TOt prætereà Auxiliorum, seu Causarum Conservatricum genera esse ait, quot sunt modi, quibus Corpora alterari possunt, quoniam ex eodem Galeno 2. *Meth. cap.* 13. 9. *Meth. cap.* 12. & *lib. de opt. sect. ad Thrasybul. cap.* 45. Unum nonnisi unum indicat. At verò quia Causæ Conservantes, etiam Corrigentes hìc appellantur, dubitari sana ratione potest, quid ex ipsis corrigi debeat. Ad quod dicendum ex doctrina ejusdem Galeni, Corporum vitia, vel sensibilia, vel insensibilia esse. Sensibilia curatione egent, ut tollantur: Insensibilia verò correctione, quæ quodammodò ad Conservationem pertinet; unde optimè hìc ipsemet inquit, quòd *quia paulatim Auxilia correctiones faciunt, antequam omnis ingruat noxa, hinc non pręservantes à futuro malo, sed pręsentis status Conservatrices Causas Medici appellant.* Verùm de nominibus non est diutiùs disceptandum.

Quot autem modis Corpus alteretur, pergit Galenus enarrare, atque à nonnullis causis necessariò, à quibusdam verò non necessariò in universum affici posse ait. Causas necessariò alterantes appellat, quas nulla ratione vitare valemus; reliquas verò humana solertia evitabiles, uti sunt omnia fortuita, & contingentia, non necessariò alterantes vocat. Exemplificat hoc in Aere, cibo, potuque, somno, & vigilia: *Aerem enim nos ambientem*, ait, *semper attingere, comedereque, ac bibere, & vigilare, ac dormire, est necessarium; ensibus autem,*

&

& exitialibus feris obviam ire, non necessarium. Quare concludit *circa primum causarum genus versari Artem Corporis conservatricem, circa secundum autem minimè.*

At hìc dubitare contingit, qua ratione Causæ necessariò alterantes, ut Aer, Cibus, Potus, Somnus, Vigilia, & reliquæ, Nonnaturales à Medicis dictæ, vocentur hìc à Galeno Conservatrices? Si enim conservandi vim haberent, cùm conservatio per similia fieri dicatur, proculdubio alterantes dici non possent, quoniam causæ alterantes videntur nobis contrariæ, conservantes verò similes. Verùm dicendum, Conservatrices Causas esse pariter alterantes, neque aliter conservare posse, nisi alteratione, vel in Corporibus ipsis inducta, vel in contrariis alterantibus extrinsecis, ne scilicet sanitatem præsentem turbent, & ægritudinem afferant: qua ratione in nostra Methodo dictum, Conservationem à similibus haberi.

Non est autem prætereundum, ejuscemodi Causas necessariò alterantes vocari à Medicis Nonnaturales, ad differentiam Causarum Naturalium, & Præternaturalium. Sicut enim Naturales Causæ sunt, quæ Constitutionem Corporis naturalem, & sanam ingrediuntur, aut fovent, & natæ aptæ sunt semper juvare: Præternaturales è converso, quæ eandem turbant, & morbosam reddunt; ità Nonnaturales ponuntur esse, quæ indifferentes sunt ad juvandum, & ad nocendum. Unde duæ conditiones in universum his attribuuntur: altera, ut sint necessariæ, atque inevitabiles: altera, ut sint indifferentes ad juvandum, & ad nocendum; atque juvent, aut noceant, pro vario earumdem usu, opportuno, vel importuno, tempestivo, vel intempestivo, moderato, vel immoderato.

Causas hasce Conservatrices Corporum salubrium progreditur ulteriùs particulatim enarrare, eas nimirùm, quæ partem Medicinæ Hygieinen dictam, constituunt, aitque in universum sex esse; videlicet ambientem Aerem: Motum, & Quietem: Somnum, & Vigiliam: ea, quæ assumuntur, nempe Cibum, & Potum: ea, quæ excernuntur, idest Excrementa: & demum Animi Passiones. Quæ sanè Causæ si Corpus ad bonum alterent, puta si illius operationes validas, & Naturæ conformes reddant, dicentur Conservatrices, & Salubres; si verò ad malum alterent, atque ad ægritudines disponant, dicentur Insalubres, & Morbificæ. Verùm hoc loco considerantur potissimùm ut salubres, sanitatemque conservantes, ut dictum.

Sed multa hìc in Galenum afferri solent. Primò, quòd varius, & inconstans sit; siquidem *libro de opt. sect. ad Thrasybul. c. 24. & 40.* & 5. *de tuenda valetud. cap. ult.* Nonnaturales causas ad quatuor dumtaxat reducit, videlicet ad ea, quæ assumuntur; ad ea, quæ fiunt Animo, vel Corpore; ad ea, quæ excernuntur, aut retinentur; & demum ad ea, quæ foris adhibentur. Cui tamen objectioni fit satis dicendo, Galenum alibi memorasse quidem Causas Nonnaturales dictas, sed minùs distinctè, hìc verò ex professo de ipsis agere, adeoque exactiùs easdem esse prosequutum. Quin si ea, quæ alibi ab eodem dicta sunt, perpendantur, profectò has easdem in præsenti Libro recensitas contineri observabimus: etenim ea, quę assumuntur, comprehendunt Cibos, & Potus: ea, quæ fiunt Animo, vel Corpore, involvunt Motum, & Quietem, Somnum, & Vigiliam, Animique passiones: sub his, quæ excernuntur, aut retinentur, comprehenduntur Excreta, & Retenta cujusvis generis: & demùm quæ foris adhibentur, complectuntur nedum Aerem, & quæcumque ad Aerem referuntur,

 tur,

tur, verùm etiam balnea, unctiones, lotiones, & similia.

Objiciunt alii, mancum, & diminutum hoc in loco fuisse Galenum in enumerandis hisce Causis Nonnaturalibus: nam inquiunt, multas alias recenseri posse, quæ idipsum agunt, ut Cœlestes influxus, Ignem, Aquam, Terram, Halitus, Vapores, atque ex his Metereologicas impressiones, tum Aqueas, tum Igneas, quæ minimè sub assignato Causarum Nonnaturalium numero comprehenduntur. Verùm Cœlestes influxus, si qui sunt, ad Aerem commodè reducuntur; nam non alio modo Corpora humana afficere possunt, quàm alterando priùs Aerem. Sic pariter Ignis, Aqua, Terra, Halitus, Vapores, & Meteorologicæ impressiones ad Aerem revocantur; etenim vel in Aere, vel per Aerem corpora nostra alterant.

Videtur ulteriùs obstare, quòd Somnus, & Vigilia, Motus, & Quies, ut & Animi passiones sint potiùs operationes animales, adeoque pertinere debeant ad Causas Naturales, non ad Nonnaturales; unde superfluus videatur assignatus Nonnaturalium Causarum numerus. Sed Respondetur, ejusmodi operationes non considerari hìc, prout à viventibus Animalibus proficiscuntur, sed ut aliquid in illis operantur, ac efficiunt, nempe varios Animi, Cordis, & Sanguinis motus. Sic à Somno torpescit Corpus, crassescit Sanguis, & Cerebrum gravatur; A Vigilia verò cuncta attenuantur, commoventur, & excandescunt. A Quiete pariter, & Motu, atque ab Animi Pathematibus pulsus diversimodè afficiuntur, & Corpus universum vel refrigeratur, vel calet, vel rubet, vel albicat, vel rarescit, vel constipatur. Hinc prædictæ operationes animales formaliter, (ut loquuntur Scholastici) consideratæ, pertinent ad Causas Naturales, efficienter verò ad Causas Nonnaturales. Patet evidenter in Animi Pathematibus, quæ cùm vehementia fuerint, nedum Morbos, sed etiam Mortem afferre possunt, ut de immoderato Gaudio, ac subito, & repentino Timore, refert Galenus 12. *meth. cap.* 5. & 2. *de symptom. Caus. cap. pariter* 5.

Objicitur demum, quòd imminutus, ac imperfectus sit Senarius hic Causarum Nonnaturalium Numerus; quoniam balnea, frictiones, unctiones, cucurbitulę, aliaque hujus generis, causæ etiam conservantes dici possint. At Balnea, frictiones, & cætera, ad prædictas sex Res benè quoque revocantur, & præsertim ad Inanitionem, aut Repletionem; nam ista vel aliquid ponunt, & immittunt in Corpus, vel aliquid ab eo detrahunt: si ponunt, ac immittunt, pertinent ad Repletionem; si detrahunt, spectant ad Inanitionem. Ni tamen dicere velis, quòd, quia non sunt causæ necessariò alterantes, potiùs ad Curativas, quàm ad Conservativas Causas pertineant, cùm nonnisi Morbos, & Causas morbosas respiciant.

Statutis itaque sex his Causis Nonnaturalibus, & Sanitatem conservantibus, pergit deinceps Galenus referre alterationes, quæ tum Aeri, tum Corpori humano exinde accidere possunt, atque inquit: *Ab Aere quidem ambiente, quia aut calefit, aut frigefit, aut exiccatur, aut humectatur, vel secundùm horum patitur conjugationem, aut in tota substantia alteratur:* calefit in æstate, frigefit in hyeme, exiccatur in Borea, humescit in Austro. Similiter ex accessu Solis ad nostrum verticem, incalescit, frigescit verò in ejusdem recessu: in Lunæ phasibus, ac permutationibus, incrementis, aut decrementis perturbatur: in Eclipsibus, in Ortibus, & Occasibus Stellarum tum errantium, tum inerrantium: in Æquinoctiis, ac Solstitiis, aliisque diversimodè permutatur, de quibus speciatim agit Hippocrates *in l. de Aer. Aq. & loc.*, ubi Astronomicam

eam agnitionem Medicis inculcat, & vix errare Medicum posse inquit, qui ejusmodi mutationes præsentire novit. A varia præterea locorum, & Regionum conditione, diversimodè quoque Aer afficitur: sic Boreales Regiones frigidiores observantur; calidiores verò Australes: Montanæ frigidæ, calidæ Maritimæ. Idipsum de afflatu Ventorum vario, de Mephitibus, Vaporibus, Exhalationibus, aliisque dicendum.

At quid intelligat Galenus per alterationem Aeris in tota substantia, gravior est hujus loci difficultas. Plusquam Commentator exponit Aeris corruptionem, cùm scilicet secundùm suam substantiam corrumpitur. At impossibile in primis est, ut Aer secundum suam substantiam corrumpatur: si enim semel corrumperetur, ampliùs in pristinam naturam redire nequiret. Deinde nec Galenus in textu de Corruptione meminit, sed solùm de Alteratione, cùm dicat, *Aut in tota alteratur substantia*: Modò Alteratio Corruptio non est, neque ad substantiam pertinet, sed ad qualitates, ex doctrina ejusdem Galeni, & Aristoteleorum. Haly exposuit, per alterationem in tota substantia, putredinem procedentem à putridis halitibus, qui per Aeris substantiam diffunduntur, potissimùm à locis palustribus, mephitibus, mineralium fodinis, & similibus elati. Verùm, quamvis verum sit halitus per Aerem diffundi, & commistos illum conspurcare, ac respirationi infensum reddere, non tamen per ejusmodi halitus dicetur revera Aer in sua substantia alteratus, cùm in sua Natura alterari, mutarique non possit, sed solùm per misturam halituum contaminari, adeoque halitus ipsi noxii sint, & infensi, non Aer; ut propterea, si isti abigantur, ac dissipentur, Aer in sua substantia, depuratus, & immunis remaneat.

Pro solutione hujus difficultatis liceat hìc parumper digredi, atque Naturam Aeris breviter examinare: non enim apud omnes convenit, cujus naturæ ille sit. Stoici, ut refert Galenus 2. *de simpl. Medic. facult. cap.* 2., quos etiam sequitur, tum 8. *de usu partium cap.* 3., tum *lib. quod Animi mores Corporis temperiem sequantur cap.* 4., itemque Cardanus *lib.* 2. *de Elementis cap.* 4. Aerem frigidum humidum constituunt; Aristoteles verò 2. *de Generat. & Corrupt. cap.* 3. humidum in prædominio, & calidum in subdominio esse docet. Alii æquè calidum, humidumque faciunt. Et quidem juxtà horum opinamenta videtur ex una parte dici posse humidus, quia ex doctrina ejusdem Aristotelis, non propriis, sed alienis terminis continetur, secundùm definitionem Humidi ab eodem Aristotele traditam: videtur ex altera debere dici siccus, quia Corporibus non adhæret, nec illa madefacit; cùm cæteroqui ex mente ejusdem, quodcumque Corpus humidum, sui adhæsu, necessariò humefaciat, quemadmodùm experimur in Aqua, cæterisque liquoribus humidis. Præ summa insuper sui tenuitate, ac raritate, calidus etiam dici potest, cùm caloris proprium sit attenuare, & rarefacere. Denique frigidus non abs re etiam appellabitur, quandoquidem Respirationi necessarius est, & Respiratio, (adeòque Aeris intromissio in Pulmones) inducta ponitur ab eodem Aristotele, & Galeno, ad Cordis fervorem attemperandum.

Verùmenimverò longè, latèque falluntur, qui Aeris Naturam ab hisce qualitatibus definire conantur. Si enim istiusmodi qualitates essent illi propriæ, intrinsecæ, & naturales, nunquam sine illis posset Aer inveniri, essentque ab illo inamovibiles, cùm tamen non ità sit, suaque natura semper idem persistat, sive calidus, sive frigidus intensè evadat. Esset insuper perpetuò in statu sibi violento, cùm

cùm illum assiduò experiamur, variis, innumerabilibusque qualitatum mutationibus obnoxium fieri, & modò extremè calidum, modò summè frigidum, humidum, aut siccum, & vix unquam momento temporis sub eodem statu unius qualitatis permanentem. Neque satis erit dicere, quòd licèt humiditas actualis in Aere deperdatur, nunquam tamen pereat humiditas insita, & virtualis, quæ necessaria est ad conservandam Aeris naturam. Nam quemadmodùm extincta caliditate, & siccitate Ignis actuali, perit illicò Ignis natura, ac prorsus extinguitur; nec præter illas qualitates actuales, ullus unquam alias virtuales in illo somniavit; sic pariter, præter actualem humiditatem Aeri tributam, aliam virtualem effingere omninò chimericum est. Eadem ratione, absumpta universa humiditate actuali ex Aqua, puta cùm ad ignem exposita tota evanescit in auras, Aqua ipsa deficit; ità & in Aere dicendum est. Frustrà ergo recursum habent ad virtualem aliam qualitatem, solummodò mente confictam, qui ejusmodi difficultates effugere student, ut & alias, quæ eisdem innumeræ opponi possunt. Verùm nostrum institutum non est de his hoc loco pertractare.

At verò dicetur Aer sua natura non quidem calidus, aut frigidus, neque siccus, aut humidus, sed tenuis, permeabilis, fluidusque solùm, quia his, tanquam sibi dumtaxat propriis, nunquam orbari potest. Ad calorem autem, & ad frigus æquè indifferens est, & sive calefiat, sive frigefiat, nunquam à sua natura declinat, illasque commodè, & sine ullo sui detrimento uniformiter admittit. Hinc & Aqua, cui Aer affinis est, naturam suam à frigore nec recognoscit; siquidem si eidem frigus ex naturali proprietate competeret, cùm in flumine congelascit, vel concrescit in nivem, aut glaciem, non solùm superficie tenùs, sive quà parte Aeri frigido cohæret, sed etiam secundùm totam suam crassitiem, & usque ad imum, congelascere deberet: quin & si summè frigida foret, cur ab Aere boreo intensiùs refrigerari, & in gelu commutari posset? sicut etiam super affuso nitro, ac sale, aut vasi aquam ipsam continenti, circumposito? Verba plura planè dabunt, ut effugiant, sed solutiones solidas nunquam. Cæterùm de natura Aeris latiùs agemus inferiùs Opusculo de Recto usu sex rerum nonnaturalium, Capite de Aere.

Ex his modò notum fiet, quo pacto Aer in sua substantia, ac natura alteratus dici possit. Cùm enim expansum quoddam sit, tenue, permeabile, ac fluidum; si in his, quæ ejus naturam, & substantiam constituunt, permutetur, in sua substantia dicetur alteratus: id quod dupliciter generatim accidere potest; vel cùm is immodicè crassescit, & constipatur, ab halitibus, aut vaporibus, plus justo per ipsum intermistis, ut in cryptis, cellisque vinariis, mephitibus, ac fodinis metallorum; vel cùm plus justo distrahitur, & rarescit, ut in altissimorum montium fastigiis, in exuctu machinæ Pneumaticæ Boyleæ, absumpta, vel compressa substantia illa, quam vi elastica præditam volunt, nostræ respirationi quammaximè necessaria; unde Aerem recentari oportere, in ejusdem usum, pro Animalium vita, aliàs ostensum.

Postquam de varia Aeris alteratione egit Galenus, mentionem facit de cæteris Causis nonnaturalibus, quo nimirum pacto corpora humana possint alterare. Et à Motu, ac Quiete, cùm modum excesserint, plurima detrimenta illis accidere ostendit. Nimius enim Motus vires enervat, spiritus dissipat, sanguinem attenuat, & membra cuncta Corporis delassat. Quies verò immoderata torpidum Corpus reddit, excrementa multiplicat, & constipat, eorumque egestionem impedit,

pedit, sanguinem crassum, & inertem efficit: omne siquidem nimium Naturæ inimicum dicitur Hippocrati 2. *aphor.* 51.

Ex Somno pariter, & Vigilia non dissimilia incommoda proficiscuntur, si immoderata fuerint; nam Somnus quietis species est, Vigilia verò, motus. Quamobrem sicuti ex Somno moderato, & convenienti, vires reficiuntur, membra roborantur, & totum Corpus viget; ità ex adverso, ab immoderato torpet, & opprimitur. Sic itidem ex Vigilia mediocri egeruntur excrementa, & sensus omnes acuuntur; ex immodica verò elanguent. Unde læsiones ab una Causa inductæ, corriguntur ab opposita; quamobrem ab eodem Hippocrate dictum: *Ubi Motus lassitudinem facit, quies statìm aufert*.

Ab his præterea, quæ assumuntur, excernuntur, aut retinentur, non levia mala quoque Corporibus contingunt. Quantùm etenim Cibi, & Potus humana Corpora alterent, cuique notum, sive substantia in illis consideretur, sive quantitas, aut qualitas diversa; exinde enim multoties Corpora afficiuntur, ut proinde plurimùm subinde gravata, præter naturam alterentur, & pereant: Atqui nullum alimentum adeò purum invenitur, quin ex eo excrementum aliquod non exoriatur, quo postmodùm diutiùs detento, vel intempestivè excreto, alia incommoda non derivent. Quòd si quævis alia à Cibis, potibusque abesset alteratio, ea saltem inevitabiliter semper accidit, agere nimirum, & pati in ventriculo, atque in intestinis, pro eorumdem dissolutione.

Ea insuper, quæ retinentur, aut excernuntur, quotidiana potissimùm excrementa Corporis, qualem, & quantam similiter afferant alterationem, notissimum quoque est, & præsertim si retineantur, quæ retinenda non sunt, aut excernantur, quæ non debent excerni; aut etiam si immodicè, aut parcè, si intempestivè, si non debito, convenientique modo, aut per loca penitùs insueta, & incongruentia. Ab his enim gravia semper detrimenta exoriuntur.

Postremò ab Animi pathematibus Corpora multifariam affici posse, certissimum pariter est: nam ex Ira plus justo incalescunt, ex Timore refrigerantur, ex Lætitia elanguent, ac dissolvuntur, ex Mœrore exarescunt. Ità quidem plurimi extremo Gaudio, ac subito Timore periere: ob Iram plerique in furorem acti sunt: ex Amore alii tabidi evaserunt: à diuturna Mœstitia melancholici plures facti sunt.

Expositis Causis Nonnaturalibus, quibus Humana Corpora affici, & alterari possunt, prosequitur Galenus referre, quo pacto eædem salubres, vel insalubres fiant; atque salubres esse docet, si opportuno, ac recto usu, fuerint adhibitæ; insalubres verò, si usu importuno, ac inconvenienti. Convenientem autem, rectumque usum consistere subdit, in debita quantitate, & qualitate, itemque in tempore: inconvenientem è converso, in oppositis. Exemplificat in Motu, de quo inquit: *Ubi Motum Corpus desiderat, Exercitatio quidem salubris, Otium autem insalubre: cùm verò eget Quiete, Otium quidem salubre, Exercitatio autem insalubris. Eodem modo de Cibis, & Potibus, & de aliis omnibus statuendum. Horum enim singula, quando ut necessitas Corporis exigit, cum mensura, ac qualitate opportuna adhibentur, salubria fiunt; at cùm citra omnem necessitatem, ac præter modum afferuntur, insalubria*. Hinc nulla Causa nonnaturalis ex se, suaque natura salubris, aut insalubris dici potest, sed tantummodò per respectum ad Corpora: si enim sua natura salubris, vel insalubris foret, semper, & cunctis talis esset: at Cibus uni salubris, alteri insalubris est, & quod

quod uni prodest, alteri nocet, præsertim tempore, modo, quantitate, ac qualitate non servatis; itaque per relationem ad Corpora res externæ, & Nonnaturales dictæ salubres, aut insalubres erunt. Notabilis est in hanc rem historia relata à Galeno 6. *de locis affect. cap.* 4. de Viro illo, qui ex obitu uxoris, ob abstinentiam à Venere, in inappetentiam, malamque ciborum digestionem inciderat, quam deinde ad pristinam consuetudinem rediens, recuperavit. Qui usus ergo huic salubris fuit, aliis non paucis insalubris esse solet. At hìc in dubium vocari potest, cur Galenus hoc loco, ordinem, modum, & tempus omiserit, quæ sanè in libris *de Causis morborum*, & *alibi*, magni fecit. Et quamvis plusquam Commentator Turisanus ista putet reduci posse ad quantitatem, & qualitatem, quarum hìc speciatim Galenus meminit: congruentiùs dicendum, sub temporis opportunitate, hoc eodem Capite memorata *textu* 7. illa comprehendi. Sed hæc parvi, vel nullius momenti sunt.

Incipit post hæc Galenus docere, quomodò Corpus saluberrimum debeat à prædictis sex rebus nonnaturalibus conservari: atque primùm observat, num Aer temperatus sit: talis quippe esse debet, ut optimæ Corporis constitutioni congruat; unde & cibi, potusque, motus, & quies, somnus, & vigilia, aliæque causæ superiùs memoratæ, cum moderamine quoque instituentur. At si Aer fuerit intemperatus, oportebit pro illius correctione, tantùm reliquas causas nonnaturales à temperatura media recedere, quantùm & ipse Aer ex opposito ab eadem temperatura recesserit, ut scilicet una Causa alteri oppugnans, se mutuò corrigant, & temperaturam Corporis moderatam conservent, sed tanto cum recessu à mediocritate, quantum Aeris intemperies indicabit, ne violentia, aut excessus in correctione subsequatur, indeque damnum Corpori conservando contingat.

Neque mirum videatur, quòd potiorem rationem habendam esse voluerit de Aere Galenus, quàm de alia quacumque Causa nonnaturali. Siquidem longè majorem alterationem patitur Corpus ab uno Aere, quàm ex reliquis aliis nonnaturalibus Causis: Hic enim continenter inspiratur, & intimas, præcipuasque partes Corporis, ac præsertim vitales subit, simulque cum sanguine commiscetur, & penetralia Cordis, aliorumque viscerum pervadit; quin & undique Corpus ipsum circumambit, & transpirationem tantoperè sustinendæ vitæ necessariam, vel plus justo promovet, vel retardat, aut perturbat. Cibus verò, Potus, Motus, Quies, Somnus, ac Vigilia, plerumque ad plures horas differuntur, & sine noxa intermittuntur, imò quandoque etiam ad dies integros. Major insuper alteratio evenit ex Aere, quàm ex aliis; quoniam illius vitia non tam facilè corriguntur; at verò læsiones à motu, promptè admodum quiete tolluntur, & quæ à vigilia inferuntur, rependuntur illicò per somnum, quæque à cibo, convenienti dieta: quod secùs accidit ex Aere, ut patet. Jure ergo optimo potentior Causa dicitur Aer, quàm reliquæ Causæ nonnaturales.

Tradit autem Galenus indicia moderati Aeris, ex quibus à mediocritate recessus deinde internoscantur, atque inquit: In Aere temperato mediocritatis terminos esse, *ut neque horreat Corpus propter frigus, neque sudet propter æstum*. At hoc videtur ferè impossibile inveniri, nisi tamen per comparationem ad Corpora habitantium intelligatur: qua ratione solemus nostrum Aerem Parthenopæum supra cæteros commendare, utpotè non admittentem tam facilè extremum frigus, aut æstum, per comparationem ad alia climata calidiora, vel frigidiora.

Ad

Ad indagandas autem Aeris intemperies, frigoris, aut caloris, humiditatis, aut siccitatis exuperantis, plura sagax Recentiorum Philosophantium diligentia Instrumentorum genera adinvenit, Thermometri, & Barometri, Hygrometri, aut Brectometri: quorum usum, veluti jam satis cunctis notum, explicare consultò prætermittimus.

Sicuti temperatum Aerem Corpori temperato convenire inquit Galenus, ità pari modo de exercitio statuendum subdit, atque eò usque temperatum Corpus exercendum esse ait, quousque lassari cœperit: quod etiam insinuat 2. *de tuend. valetud. cap. ult.* Addit autem, non quidem omninò ad lassitudinem perveniendum, aliter Corpus defatigaretur, adeòque insalubris fieret exercitatio; sed cùm primùm lassari videbitur, quiescere oportere; unde lassitudo talis sit, qualem quies facilè levet, ut idem Galenus docet *cit. 2. de tuend. valetud.* ex tali enim exercitio plurima juvamenta Corpori contingunt, præsertim verò robur musculorum, sanguinis repurgatio, excrementorum depositio, atque excretio, halituum perspiratio, sensuum perspicacitas, alimenti distributio, & alia hujus generis plura, quorum meminit idem Galenus *eod. 2. de san. tuend. cap. 2.*

De Cibo, & Potu insuper quatuor tradit indicia, optimam Corporis temperaturam indicantia, perfectam scilicet Ciborum concoctionem, debitam excrementorum quantitatem, appetitum coctioni proportionatum, & uniformem cujusvis cibi habitudinem.

Pari modo de Somno ratiocinatur, quòd qui optima Corporis constitutione fruuntur, moderatum somnum habeant, & tunc à somno excitentur, cùm Corpus ampliori quiete non eget.

Quoties igitur in his omnibus mediocritas servabitur, egestiones quoque excrementorum moderatæ erunt, nam ipsæ sequuntur ciborum quantitatem, & qualitatem, convenientemque coctionem. Inter cæteras autem egestiones per universos Corporis ductus habitas, speciatim eam memorat, quæ perspiratione peragitur, quamque ait potissimùm ab exercitiis promoveri. Et quidem tanta est hujus evacuationis utilitas, licèt insensibilis, ut idem Galenus pluries illam commendaverit, aliisque omnibus prætulerit, quemadmodùm deducitur ex *lib. 8. Meth. Medic. c. 3.* & 11. *ejusdem cap. 8.* & 1. *de differ. febrium 3.* unde si fortasse intercipiatur, impediaturque, putredines, febres, corruptiones, inflammationes, & alias hujus generis ægritudines suboriri dicat. In hujus comprobationem industriè quidem deprehendit Sanctorius, longè plus abscedere ex humano Corpore insensibiliter per cutim, quàm per aliam quamcumque partem patentiorem, sensibiliora Corporis repurgamenta, ut fusè ostendit *in sua Medicina statica.*

Transit ad Animi affectiones, & inquit: *Ab his* (idest benè valentibus, & temperatis Corporibus) *caveri oportere omnes Animi immodicos affectus, videlicet Iræ, Tristitiæ, Furoris, seu Excandescentiæ, Timoris, Invidiæ: hæc enim alterant, atque à naturali statu Corpus avertunt;* quin subdit, *libro de ludo parvæ pilæ*, majorem sollicitudinem habendam esse in moderandis Animi motionibus, quàm in corporalibus motibus leniendis. Et quidem sana ratione: sunt enim hi nostri hostes intestini, à quibus maximoperè formidandum. Verùm de Recto Usu sex Rerum Nonnaturalium tam in statu Corporis Sano, quàm in Morboso, sejunctim inferiùs agemus, peculiari opusculo. Interim Galenum prosequamur.

C A-

CAPUT III.

LXXXVI. in Galeno.

De Venereis.

TEXTUS.

(T. 17.) *VEnereorum vero, juxta Epicuri sententiam, nullus est usus salubris. Revera autem confert, si tantum intervalli in eorum usu adhibeatur, ut neque resolutio aliqua sentiatur, & ipse seipso homo quodammodo levior factus, ac melius spirare videatur.* (T. 18.) *Tempus vero ad utendum opportunum, cum omnium in rerum circumstantium exquisita mediocritate Corpus fuerit constitutum, cum scilicet neque supra modum plenum, neque vacuum extiterit: neque in calore, aut frigore, aut siccitate, aut humiditate excesserit Corpus. Quod si aberrare contigerit, parvus sit error. Melius autem illi calefacto magis, quam infrigidato, & pleno, quam vacuo, & humecto potius Corpore, quam exiccato, uti venereis.* (T. 19.) *Horum autem singulorum quæ dicta sunt, qualitas in optima Corporis constitutione est eligenda. Exercitii quidem, in quo totius Corporis partes æqua proportione moventur, ita ut non aliæ quidem ultra modum fatigentur, aliæ vero citra. Cibi autem, & potus optimam habeant temperiem. Sunt enim maxime convenientes naturis optima temperatura præditis: Eadem in reliquis etiam est ratio adhibenda.* (T. 20.) *At si quod ab optima constitutione defecerit Corpus, non autem vehementer, & Causæ, quæ ipsius sanitatem conservant, ad proportionem mutabuntur. Sed cum multa sint ejuscemodi Corpora, per singula genera seorsum dicendum. Quod igitur in temperatura similarium partium evariat, instrumentariarum autem servat commensurationem, duplicem habet salubrium causarum formam: alteram quidem earum, quæ ipsius conservant temperaturam: alteram vero earum, quæ ad optimam transferunt. Quæ itaque ipsius temperaturam conservant, tantum à Causis optime temperatæ naturæ distabunt, quantum & totius Corporis temperatura ab illa evariabit. Calidiora siquidem Corpora calidioris victus rationem exposcunt, frigidiora autem frigidioris, & sicciora sicciores, & humidiora humidioris, ac secundum conjugationem calidiora, ac sicciora, calidioris, ac siccioris: eadem in reliquis etiam conjugationibus proportione servata.* (T. 21.) *Recte siquidem causarum utetur materia, qui naturales earum potentias agnoverit, veluti quod motus, defectus alimenti, vigiliæ, excretio, & omnes animi affectus corpus exiccant: at quæ his contraria existunt, humectant. Ita vero & de calefacientibus, & refrigerantibus vitæ institutis, de cibis, & potibus, atque (ut simpliciter dicam) de iis omnibus, quæ circa Corpus sunt, qui materias noscit, & potentias, is salubribus utetur causis, similia similibus offerendo, si quidem ejus propositum fuerit eandem, in qua acceperit, Corporis servare temperaturam.* (T. 22.) *Quod si permutare, atque ad melius traducere statuerit, alterum est hic salubrium causarum genus, his quidem, quas nuper diximus, contrarium, æqualiter vero declinans ad alteram partem à bene temperatis, & mediis, quæ optimis convenire naturis dicebamus. Calidior siquidem, ac siccior temperatura à calidioris, ac siccioris victus ratione ad exactum bonæ temperaturæ habitum minime transfertur. At talium erit usus necessarius, quæ tantum eis, quæ bene temperata existunt, frigidiora sint, atque humidiora, quantum & Natura Naturam in caliditate, & siccitate superabat.* (T. 23.) *Nam tale causarum genus naturales corrigit intem-*

temperantias: Alterum verò, de quo supra diximus, temperaturam conservat. Est autem utriusque vicissim apud Medicos usus necessarius. Nam cum plurimum suppetit ocii, corrigere oportet, ac sensim ad meliora transferre. Neque enim Natura patitur eas, quæ subitò fiunt, alterationes. Hominem autem necessariis occupationibus districtum, in eodem præstat habitu conservare. (T. 24.) *Quo pacto igitur & hoc ipsum primum causarum genus conservativum appellamus? Nam fortè magis alterativum, & curativum, & naturalium defectuum correctivum, vocare conveniebat. Quoniam ad universum sanitatis genus referentes, non ad eas, quæ secundùm speciem, differentias, quæcumque sanos conservant, conservativa omnia vocamus, sive præter id, quod sanitatem conservant, ad melius totam traducant temperaturam, sive pristinum tantummodò habitum tueantur: at quæ deteriorem statum efficiunt, insalubria.* (T. 25.) *Quæcumque igitur similem habent in omnibus Corporis partibus intemperiem, simili egent pro curatione, quæ verò dissimilem; dissimili. Nam fieri potest, ut Ventriculus frigidior sit, quàm oporteat, Caput verò calidius, atque utrumque propriis egeat auxiliis. Ac ratione eadem singulæ aliæ partes, cùm fuerint aut præter modum humidiores, aut sicciores, aut calidiores, aut frigidiores, suæ intemperiei victum exigunt accommodatum. Neque igitur ex æquo omnes tales corporis partes exercebimus, neque æqualiter humectabimus, aut exiccabimus, aut tale aliud quippiam agemus. Plenius verò de his diximus volumine illo, quod de Salubribus inscribitur.*

PARAPHRASIS.

Venereorum usum inter Causas nonnaturales reponendum esse docet Galenus 1. *de tuenda valetud. cap. ult.* illum ibi referens ad Motum, quamvis reduci quoque possit ad Inanitionem, cùm per ipsum aliquid è Corpore educatur. Cùm igitur ad Causas Nonnaturales meritò revocari debeat, dubitatur hoc loco à Galeno, an aliquando sit Causa salubris, quoniam ex superiùs dictis Nonnaturales Causæ salubres evadunt, quoties moderamen, & temporis opportunitatem servant.

Primùm autem refert sententiam Epicuri, qui cùm omnem coitum damnasset, nunquam Veneris usum salubrem esse opinatus est, ea nimirum ratione, quia per seminis evacuationem putabat, particulam quoque Corporis viventis abscedere, adeòque illud quodammodò diminutum remanere, more quo Arbores mutilæ fiunt, cùm ab ipsis surculi, ac ramuli rescinduntur, ut telluri inserantur. Hanc eandem sententiam multò anteà edocuerat Democritus, coitum semper nocuum arbitratus; quin & parvam etiam Epilepsiam illum appellabat, ut refert idem Galenus 3. *epidem. comm.* 1. Hinc obiter notandum, quàm falsò plerique vulgarium, omnem voluptatis sensum, adhuc turpem, impegerint Epicuro. Is enim tam pudicus, castus, continens, simul atque temperatus, sobrius, & abstinens fuit, ut ei similem, aut æqualem, inter Ethnicos Philosophos, invenire frustrà sit putatum; quemadmodùm latè nimis ostendit Eruditissimus Gassendus in ejus Vita. Neque verò hic à Galeno alius Epicurus ab illo memoratur, ut perperàm aliqui crediderunt.

Etsi autem ità existimaverit Epicurus, docet tamen contrarium Galenus, & Venereorum usum, utpotè salubritati conferentem commendans, *Revera autem*, inquit, *confert, si tantum intervalli in illorum usu adhibeatur, ut neque resolutio aliqua sentiatur, & ipse seipso homo quodammodò levior factus, ac meliùs spirare videatur.* Quo verò tempore utendum eo sit,

sit, mox subdit: *Illum opportunum esse, cùm Corpus neque supra modum plenum, neque vacuum extiterit, aut in calore, aut in frigore, aut siccitate, aut humiditate excesserit*; itaque in exquisita mediocritate sit oportet, aliter per usum Veneris, aut calefieret, aut refrigeraretur Corpus, aut humesceret magis, aut tabesieret, cùm quodlibet horum ab immoderato coitu accidere possit; siquidem Veneris usus de genere motus, & exercitationis est, ac propterea modo suo calefacit, refrigerat verò, quoniam dissipat spiritus: humectat pariter, cumulatis ex mala digestione excrementis; ac denique exiccat, propter immodicam humoris evacuationem.

Vitandus insuper concubitus est post nimium exercitium, in vehementibus animi passionibus, post vigiliam diuturnam, vel soporem, cùm ab his non leviter Cerebrum offendatur, atque eò magis, si postmodùm adjiciatur Veneris usus.

Quòd si, subdit, *aberrare contigerit, parvus sit error, & potiùs calefacto, quàm infrigidato Corpore, potiùs pleno, quàm vacuo, & humectato: ità enim minus malum erit*. Animadversione autem dignum est, Galenum, parvum dixisse errorem esse debere, quia omne nimium Naturæ inimicum est: & Corpus potiùs plenum, quàm vacuum, plenitudine non tam ciborum, ac Ventriculi, quàm Vasorum, ac totius: exinde enim minus damnum vereri est.

Postremò ex Hippocrate *6. epidem. sect. 3.* prodesse dicitur Coitus Corporibus pituitosis; & quòd inflammationes prohibeat in inguinibus, Capitis gravitati occurrat, atque conferat fœminis in affectibus hystericis, & menstruorum suppressionibus, ut subdit etiam Galenus *6. de locis affect. cap. 5.* si tamen moderatus sit. Contrà verò si fuerit immoderatus, ac intempestivus, vitam breviat, senectutem accelerat, Cerebrum debilitat, sensus omnes labefactat, Ventriculum languidum reddit, cruditates cumulat, concitat fluxiones, articulos labefacit, nephritidem inducit, sanguinis sputum promovet, ad hecticam, & tabem disponit, & plurimas alias ægritudines affert, quas præ cæteris retulit Aetius *lib. 3. peculiari capite de Nocumentis immoderatæ Veneris*. Sed de re hac satis. Qua autem ratione qualitas, & quantitas exercitiorum, sicut etiam ciborum, & potuum, ejuscemodi Corporum constitutioni, aliisque adhibenda sit, inferiùs dicemus.

Quoniam verò de conservatione Corporis saluberrimi hucusque meminerat, prosequitur nunc agere de causis salubribus conservantibus Corpora, quæ licèt sana etiam sint, recedunt tamen aliquantulum ab optima, & perfectissima constitutione. Inquit ergo: *Si Corpus ab optima constitutione defecerit, non autem plurimùm, aut vehementer, causæ pariter sanitatem conservare valentes, pari modo, secundùm eandem proportionem variabunt*. Cùmq; Corpora multa sint, propterea, juxta eorumdem varietatem, diversimodè conservanda erunt. Et quidem causæ Corpora temperata conservantes, sed cum aliquo recessu à temperatissimo, unius generis sunt, cùm pari gradu à mediocritate recedunt; ut cum E. g. conservari ponitur Corpus uno gradu caloris à mediocritate recedens, per causas alterantes, cum distantia à mediocritate unius pariter gradus caloris, conservabitur: alterius verò generis, cùm ad meliorem statum illud reducunt, atque ad mediam, & optimam transferunt constitutionem, opposita qualitate intercedente, per uniformem gradum à mediocritate recedentem; ut cùm Corpus calidum per recessum unius gradus à mediocritate reducitur ad mediocritatem per frigus, cùm accessu unius similiter gradus. Hinc calida Corpora usu cali-

calidorum conservabuntur, primo conservationis modo; itemque frigida frigidis, humida humidis, & sicca siccis, pari ratione. Secundo conservationis modo, per reductionem ab oppositis. Verùm ex his duobus modis, tutior, ac melior semper erit, qui per reductionem fit; quoniam in primo conservandi modo, exacta qualitatum mensura, remediorumque certa per gradus substitutio, haberi nequit. Quamobrem Galenus *lib. de opt. sect. ad Thrasybul. cap.* 19. & 28. universam Artem Medicam Correctivam esse ait: correctio autem per contraria, non verò per similia perficitur: Id autem commodè, ac facillimè etiam peragetur, removendo, vel retundendo causas, quæ ejusmodi caloris excessum inferre potuerunt.

Insinuat ulteriùs Galenus, reliqua Corpora sana, sed intemperata, ad meliorem statum reducenda esse, non quidem causis similibus, sed contrariis; quæ tamen tantùm distent ab optima constitutione, quantùm distant Corpora ab eadem declinantia; unde calidiora frigefacientibus, frigidiora calefacientibus emendabuntur, si non semel, aut unico remediorum genere, saltem iterato, aut multiplici, ut tutior conservatio, ac reductio habeatur. Cautè igitur in adhibendis causis reducentibus Corpora in meliorem statum procedendum est; ne subitò, ac affatim, sed sensim reductio fiat: nam subitas, ac violentas mutationes Natura non patitur: plurimùm enim, ac vehementer alterare, calefacere, aut refrigerare, simileve aliud agere, nocuum dicitur ab Hippocrate 2. *aphorism.* 51. Quare summa exquiritur in Medico prudentia in instituendis ejusmodi correctionibus, ne Corpora perturbentur potiùs, quàm conserventur. Verumtamen promptè admodùm hoc idem peragetur, remotione, aut correctione causarum, hos effectus intemperierum inferentium: nam quemadmodùm intemperies istæ à causis nonnaturalibus plerumque inducuntur; ità per remotionem, correctionemque earumdem, in pristinum statum Corpora subinde intemperata revocantur, nisi tamen partes humorales, aut solidæ, talem non contraxerint impressionem, ut in morbosam constitutionem illa deduxerint: quo casu non ampliùs conservatione, aut simplici correctione, sed omnimoda curatione egebunt; de qua inferiùs.

At gravem sibi ipsi Galenus solvendam proponit difficultatem, qua scilicet ratione hoc Causarum reducentium genus conservativum dici possit, cùm contrariis actionibus peragatur. Cui tamen ipsemet satisfacit, inquiens, salubrium Causarum seriem dupliciter considerari posse, vel respectu totius generis, seu latitudinis sanitatis, & hoc pacto Causæ istæ conservativæ dicuntur, quoniam conservant Corpora intra sanitatis limites; vel respectu ejusdem sanitatis differentiæ, quæ peculiarem Corporum sanorum constitutionem comprehendit, puta eorum, quæ aliqualem recessum habent à mediocritate; & in hoc sensu, Reductivæ appellantur, quoniam sanitatem intra limites suos peculiariter constitutam, ad optimam, & moderatam quàm maximè revocant, atque adeò in meliorem statum, respectivè ad præcedentem, reducunt. Attamen adest aliqua differentia inter Curationem, & Reductionem: Siquidem Curatio per medicamenta instituitur, directè, confestim, & quodammodò violenter operantia, fugando scilicet causam morbosam cum morbo, & symptomatis adjunctis, media aliqua sensibili evacuatione, aut inversione, commotioneque. Reductio verò fit sensim, & sine ulla violentia. Accedit, quòd Curatio tollit vitia sensibilia, & manifesta Corporum, extra limites sanitatis delapsorum. Reductio verò solùm corrigit vitia in-

ſenſibilia, intra latitudinem ſanitatis poſita.

Cùm Corpora inſuper ſana intemperata ſunt in omnibus partibus, intemperie ſimili univerſali, conformi etiam reductione, per univerſum Corpus inſtituenda, tractanda docet. Cùm autem diſſimilem patiuntur intemperiem in diverſis partibus, puta ſi Ventriculus ad frigidum, Caput verò ad calidum intemperetur, tunc propriis auxiliis, & convenienter corrigentibus, reducenda erunt: quàre ad Ventriculum calefacientia, ad Caput frigefacientia, adhibenda, modo quo ſuprà.

CAPUT IV.

LXXXVII. in Galeno.

De Cauſis ſalubribus partium Inſtrumentariarum.

TEXTUS.

(T. 26.) *INſtrumentariarum autem partium cauſæ ſalubres, quemadmodùm & hìc ab optima conſtitutione delinquitur, ita & invicem diſtabunt. Aliæ enim ſunt ſalubres erroribus, qui in formatione conſiſtunt, aliæ his, qui in magnitudine, vel numero, vel poſitu.* (T. 27.) *In formatione igitur plures contingunt errores: nam & figura partis, & ſi qua in ea cavitas eſt ſecundùm Naturam, vel meatus, vel orificium, vel aſperitas, vel lenitas, quando à naturali mediocritate receſſerint, ſi quidem parùm hoc patiantur, ſalubrium Corporum retinent appellationem; ſi verò amplius, inſalubrium. Quòd ſi tantus fuerit receſſus, ut operationi afferat detrimentum, jam ægrotare dicentur. Secundùm quantitatem autem exceſſus, atque defectus, ad eaſdem ducit differentias. In numero, ſive una, ſive plures, quæcumque ex ſimilaribus partibus fuerint, aut deficiant, aut ſuperabundent. Ex hoc genere etiam ſunt, quæcumque in nobis ſubſtantiæ præter naturam conſiſtunt. Reliquum eſt aliud genus, quòd ad ſitum cujuslibet ſimplicis attinet partis, in quo & ipſo quatuor ſunt omnes differentiæ. Prima quidem, quæ optima exiſtit, ſecunda verò, quæ parum evariat, atque ideò ſalubre adhuc efficit Corpus: & tertia, quæ inſalubre, quando ampliùs à modo receſſerit: & quarta, quæ jam ægrum receſſu plurimo reddit.* (T. 28.) *Quæcumque igitur partes in figura delinquunt, veluti quæ bleſæ, varæ, & obliquæ appellantur; hæ, cùm nuper natus adhuc tenellus eſt, formatione, atque alligatione, ad naturalem traducuntur habitum. Quòd ſi jam aucto infante ad duritiem pervenerint, emendari non poſſunt. Sic errores quidem, qui ad cavitatem attinent, cùm adhuc augeri perſeverent, correctionem admittunt; cùm autem jam ad ultimum pervenerint; nullus eſt remedio locus. Cavitates igitur quiete, atque alligatione parvæ redduntur, magnæ verò, partium operatione, & ſpiritus retentione: ſic & quæcumque foramina, oraque.* (T. 29.) *Et quidem quæ naturalem magnitudinem partes exuperant, quiete, ac commoda alligatione minores redduntur: augentur autem & naturali motu, & frictione moderata, & quibuſcumque aliis plus ſanguinis attrahere natura aptis. Deficientes verò partes, quæcumque ex ſanguine ortum habuerunt, corrigi quidem non eſt impoſſibile: quæ autem ex ſemine, propemodùm impoſſibile exiſtit; licet tamen aliquando loco eorum alia facere, quæ uſum haud diſſimilem præſtent. Earum verò omnium Natura opifex eſt: Medicus autem miniſter: Quæ verò numero excedunt, his ablatio cauſa ſalubris exiſtit. Inſpicere verò oportet in quibus id fieri poſſit; nam ſi impoſſibile*

te appareat, transponere tentandum est. Eadem est & eorum, quæ in situ vitia sunt, emendatio. (T. 30.) Neque in obscuro est, quòd duo sæpius, aut tria vitia eandem partem possunt occupare, sicuti in eo, qui ventriculum parvum simul, atque rotundum, atque adversus septum habuit incumbentem. In ipso etenim magnitudo, formatio, ac situs erant depravati: temperatura quoque frigidior existebat. Hic nullo artificio ad naturalem habitum transferri poterat, at, ne adeo infestaretur, erat remedio locus. Nam quoniam repleto ventriculo, difficultate spirandi premebatur, minus cibi, at magis alimento opportuni, & qui non difficulter subduceretur, ter die assumebat. Alteri verò, cui obstructio in hepate ob vasorum angustiam sæpiùs contingebat, extenuans victus ratio causa salubris inventa est.

PARAPHRASIS.

A Causis conservantibus Corpora intemperata, transit Galenus ad pervestigandas causas conservantes Corpora in compositione vitiata. Et quoniam in compositione possunt Corpora quadrupliciter deficere, vel in conformatione, vel in magnitudine, vel in numero, vel in situ, quatuor propterea proponit causas ejuscemodi Corpora malè affecta conservantes, intra sanitatis latitudinem posita, sed parùm à mediocritate declinantia. Enumerat autem primùm omnes species errorum, qui in hoc contingere possunt, scilicet in Conformatione, Magnitudine, Numero, & Situ, quique tamen exigui, parvi, & insensibiles esse debent; aliter si magni forent, & valdè sensibiles, pertinerent potiùs ad Corpora Insalubria. In Conformatione autem considerantur Figura, Cavitas, Meatus, Orificium, Asperitas, & Lenitas, si fortasse à naturali mediocritate recesserint. In Magnitudine esse potest defectus, vel excessus, sicut pariter in Numero: si nimirùm partes desint, aut superabundent. In Situ denique, si evarient à debito, & naturali loco.

Quo autem pacto possint isti errores emendari, subdit, inquiens: si fœtus tenellus adhuc sit, & recens natus, facilè alligatione, fasciis, similibusque artificiis corrigentur vitia in figura; at si jam adultior factus sit, & partes obduruerint, inemendabile vitium existimabitur. Ità de cæteris defectibus observandum, cùm etiam Magnitudines, & Numeri adaucti, possint alligatione, constrictione, pressioneque diminui.

Neque verò prætereundum, quòd in his defectibus corrigendis, multùm quoque valet victus ratio convenienter instituta: nam magnitudines adauctæ inedia plerumque tolluntur, & victu pleno deficientes restaurantur: Viæ adstrictæ, alimentis attenuantibus, & aperientibus laxantur; & laxæ viceversa adstringentibus, & incrassantibus coarctantur: Et sic de reliquis. Hinc addit Galenus, quòd cui obstructio in Hepate ob vasorum angustiam sæpiùs contingebat, extenuans victus pro remedio inventus est. Exercitiorum pariter recta administratio, in Aere convenienti, prodesse pluries consuevit; unde comperimus quosdam à nativitate decolores, ob vasorum angustiam, solo usu exercitiorum, & in aere calidiori, ac tenuiori, in meliorem statum pervenisse. Sic etiam, qui conquerebantur de magnitudine molis, & obesitate Corporis, vidimus non semel in graciliorem habitum perductos, victu extenuante, & parco, exercitiis, & egestionibus per alvum, aut per urinam, promotis. Contrà verò graciliores, somno, quiete, aere crasso, humidoque, fuisse levatos. Reliqua ex ipso textu Galeni clarissima sunt, nec latiori egent explicatione.

CAPUT V.

LXXXVIII. in Galeno.

De Solutione Continuitatis.

TEXTUS.

(T. 31.) *Reliquum igitur id morbi genus est, quod & similaribus, & instrumentariis partibus commune existit, solutio scilicet continuitatis, quam quispiam fortè his unquam adesse negaret, qui integra sanitate fruuntur, quoniam semper sit passio. Quem sanè latet eandem in omnibus generibus fore dubitationem. Nisi enim operationis læsio sensibilis, sanitatem ab ægritudine separet, sed qualitatem tantummodò dispositionis introspiciamus, perpetuæ passibilitatis dogma necessariò recipiemus, cùm nullus sit, qui omnes operationes optimas habeat; sed de hoc quidem, ut quod logica potiùs contemplatio sit, seorsum consideretur.* (T. 32.) *Salubres verò causas, in his, quos nemo dubitat ægrotare, deinceps percurramus, à mala temperatura exordium facientes. Hìc verò priùs distinguamus, quæ omnes ferè Medici prætermittunt: alias quidem esse salubres Causas ejus intemperantiæ, quæ jam facta est: alias autem illius, quæ & adhuc fit: sicuti etiam alias ejus, quæ futura est.* (T. 33.) *Hujus itaque postremæ, hæ quidem in præservativa artis parte continentur, hæ verò in salubri. Primæ autem inter omnes in curativa tantummodò, sed ejus, quam mediam inter utramque locavimus; in præservativa, & curativa. Jam enim factam, atque existentem ægritudinem curare oportet, sed quæ nondum quidem adest, at futura est, prohibendum est ne fiat ab ea, quæ est in Corpore, dispositione. Ejus autem, quæ adhuc fit, quod quidem factum est, curare opus est: quod autem futurum, prohibere ne fiat.* (T. 34.) *Prohibebitur autem sublata ea dispositione, quam sequi natura apta est: Talis verò dispositio causa antecedens appellatur. Facta autem ægritudo curabitur, soluta ea dispositione, à qua primùm ea, quæ secundùm naturam, læditur operatio, quam quidem & ipsam morbi causam (al. essentiam) dicimus esse.*

PARAPHRASIS.

Superioribus Capitibus de vitiis Temperierum, & Compositionis, egerat Galenus, nunc de vitiis solutæ Continuitatis, quæ communia appellat, sermonem habet. Communia autem esse dicit, quia tam similaribus partibus, quàm organicis soluta continuitas competit.

At illicò sese offert enodanda difficultas, quomodò solutio continuitatis competere possit Corporibus sanis. Cui tamen plenè idem satisfacit, parvam inquiens, continui solutionem, seu insensibilem, unde actiones minimè lædantur, ad Corpora salubria revocari, cùm ista non constituat corpora extra limites salubritatis: qualia profectò sunt, levia ulcuscula, ut & parvæ extuberantiæ, nempè calli, porri, & similia. Additque rationem, quia nisi sensibilis operationum læsio sanitatem ab ægritudine separaret, perpetuæ passibilitatis dogma necessariò reciperemus, cùm nullus sit, qui omnes operationes optimas, ac penitùs illæsas exerceat.

Quoniam verò Remedia sanitatem efficientia triplicia esse possunt, alia nimirùm, quæ auferunt ægritudinem jam introductam: alia, quæ ab imminenti præservant, quibus scilicet in corporibus dispositio est, ut facilè decidant: & alia denique, quæ resumptiva appellantur, quoniam tollunt malam dispositionem relictam

ctam in statu convalescentiæ; idcircò Galenus omnes ejusmodi status Corporum referens, ut singulis congrua remedia adhibeat, prosequitur uniuscujusque status convenientem reductionem, correctionemque commemorare.

Facto autem exordio à mala temperatura, primùm distinguit intemperiem in eam, quæ adhuc fit, & in eam, quæ facta est, ac denique in eam, quæ futura est. Et quidem remedia adversus futurum morbum, vel sunt præservativa, vel sunt conservativa. Præservativa impediunt morbum ne accedat, fugando, vel corrigendo causam antecedentem. Conservativa pertinent ad partem Medicinæ salubrem, qua per ea, quæ sanitatem firmiorem reddunt, resistunt causis ægrotare facientibus. At si morbus jam factus sit, tunc curatione omninò egebit, per contraria absolvenda. Si denique actu fiat, partim curatione, partim præservatione opus habet: curatione quidem respectu ejus, quod forsan introductum est; præservatione verò relatè ad id, quod adhuc introductum non est, sed est in proxima dispositione, ut introducatur.

Quomodò autem prohibenda sit futura intemperies, ne fiat; inquit, illam inhiberi auferendo causam antecedentem: Factam autem ægritudinem tolli, ablata ea dispositione, quæ primò lædit partis operationem.

At quid pro causa antecedenti, quidque pro dispositione, quæ primò lædit operationes, intellexerit Galenus, apud Expositores non convenit. Nos omissis aliorum expositionibus, dicimus causam antecedentem hoc loco sumi, quæ simul cum dispositione viscerum morbum immediatè ponit. Si E.g. quis incidat in febrim tertianam, vel sit proximè casurus in illam, non solùm hic febri obnoxius redditur, ejusque symptomatis, quibus illa sociatur, verùm etiam habet in seipso pravam alicujus visceris habitudinem, seu dispositionem, quæ generat, vel inficit eum humorem, qui proximè febrim tertianam parit, & per suos circuitus revocat: cùmque talis humor nonnisi à viscere illo malè se habente ducatur in actum febrilis repetitionis, propterea mala talis visceris dispositio peccantem humorem assiduò progignens, vocatur hìc à Galeno Causa antecedens, unde in textu habet: *Talis verò dispositio Causa antecedens appellatur*. Atque hinc experimur eos morbos esse curatu difficiles, qui habent malas has viscerum dispositiones fixas, persistentes, & contumaces, ita ut ex diuturno illorum vitio, pravi semper humores generentur, ex quibus morbi illi foventur, & conservantur.

Quod ad dispositionem pertinet, quæ primò lædit operationes, intelligi debere dicimus, malam quandam partium, & sanguinis, aliorumve humorum habitudinem, foventem febrim, seu fermentum febrile, aut cujusvis alterius morbi: quoniam enim illa se habet ut causa, morbus verò ut effectus; propterea hic nunquam tolli poterit, nisi mala illa partium, & humorum dispositio fuerit ablata. Hinc ex græco Codice legitur, dispositionem lædentem primò operationem, esse morbi αἰτίαν, ideſt Causam; etenim instar Causæ morbum fovet, & quousque evicta, secreta, ac deposita non fuerit, morbus non desinit.

CAPUT VI.

LXXXIX. in Galeno.

De communissima intentione Curativa.

TEXTUS.

(T. 35.) Curatio verò unam præcipuam, ac communissimam habet intentionem ad id, quod est dispositioni auferendæ contrarium. Ex hoc siquidem genere sunt causæ illæ omnes, quæ sanitatem efficiunt: secundùm partem verò ex unicuique dispositioni contrariis. Calido igitur affectui causa frigida contraria existit, frigido autem calida, eademque in cæteris proportione. Etenim si omne immoderatum est præter naturam, moderatum verò secundùm naturam, necesse est omninò ut immoderatum ab immoderato contrario ad mediocritatem redigatur. (T. 36.) At manifestum est, quòd secundum potentiam, non autem imaginationem, & calefaciens, & refrigerans, & quæcumque alia hujuscemodi oportet assumere. Voco autem secundùm potentiam, quod reipsa verè tale existit, quale esse dicitur: secundùm imaginationem autem, quod ex prompto quidem sensu tale esse imaginamur, cùm tamen verè tale non sit. Sed quæ sint hęc ratione distinguenda diximus in his libris, in quibus de simplicium medicaminum potestatibus agitur. (T. 37.) Ad inventionem autem salubrium causarum, quęcumque quidem ut ad eam, quæ jam facta est, ęgritudinem, causę salubres existunt, via illa doctrinę (hoc est methodo) utendum, qua id, quod imaginamur, ab eo, quod talem habet potestatem, separatur. Quæcumque verò ut ad eam, quę adhuc fit, & hac eadem via, atque illa pręterea, ex qua ęgritudinum Causę inveniuntur. (T. 38.) Esto enim, si ita contigerit, in humoribus putrescentibus accendi febrem: indicatio in hujusmodi est evacuatio, atque alteratio, hęc quidem, quę putredinem finiat, manente adhuc causa, (al. substantia) evacuatio verò, quæ totam ex Corpore substantiam educat. (T. 39.) Sed dicta quidem alterationis species concoctio existit; quam ubi invenerimus à quibusnam causis fieri contingat, tunc utique eorum, quę hoc pacto salubria sunt, scientiam tenebimus. (T. 40.) Evacuationes autem fiunt & per sanguinis emissionem, & clysteris usum, & per urinę vias, atque eam, quę per cutim fit, transpirationem, ac pręterea per eam, quæ fit ad partes oppositas, attractionem, atque ad alias propinquas derivationem. Nam & ad hoc idem genus pertinet citare menstrua, atque ora venarum, quæ Græci hæmorrhoidas appellant, aperire, & per palatum, narcsque expurgare. Cùm igitur & hìc materias invenerimus, quibus in qualitate, & quantitate, & modo usus adhibitis evacuatio fit, in ipsa Artis parte salubria invenientur, atque eorum omnium inventio traditur in eo volumine, quod de Arte Curativa inscribitur. (T. 41.) Eadem ratione in aliis tribus intemperaturis, si unum commune præceptum observabimus, ut unamquamque priùs, quæ efficit causam, rescindamus: Deinde ità ad illam, quæ ab eadem causa facta est, ægritudinem accedamus, causarum salubrium inventionem faciemus. (T. 42.) Secundùm verò compositas intemperaturas, ex simplicibus compositio commonstrabit salubria præcepta, cùm hìc quoque studuerimus pro magnitudine intemperaturæ eidem conveniens invenire remedium. Veluti si contigerit, quod in decem quidem numeris ad caliditatem majorem, quàm naturæ conveniat, decidat Corpus: septem verò ad siccitatem majorem, tunc salubrem causam in hujuscemodi affectibus esse oportebit, decem quidem numeris frigidiorem, septem verò humidiorem. (T. 43.) Si igitur ipsi particulæ affectæ

fectæ admoveatur tale remedium, tanto sit frigidius, atque humidius, quantum exigit partis affectæ indicatio. Quòd si particula affecta in penitioribus locis sita sit, machinari oportet insuper tale invenire salubre remedium, cujus vis nequaquam in itinere anteà solvatur. Si itaque calidius esse oportuerit eo, quod est moderatum, non solùm tantam habeat caliditatem, quantam exigit morbus, sed ultrà eandem mensuram tantum adjiciatur, quantum ex situ, ut pertingere possit ad locum patientem, sit necessarium. Si verò frigidius, non simpliciter tantùm frigiditatem oportet augere, sed & materia quoque prius est animadvertenda. Si enim crassarum sit partium, non admodùm poterit ad profunda penetrare: at potiùs contrarium præstabit effectum spissando superficiem, atque densando. At si tenuioribus partibus constet, poterit sanè plurimùm subire profundum. Idem in humectantibus, atque exiccantibus accidit; in quibus crassitudo, atque subtilitas partium substantiæ est inspicienda. (T. 44.) *A situ quidem loci affecti, ut nuper diximus, invenit indicatio salubre remedium: à formatione autem, & situ simul, quando effluxus sensibiles, atque ad alium locum foraminibus patentes habuerint, aut his omninò caruerint. Quos enim effluxus ad principales deferri partes cognoverimus, advertemus, atque ad illas impellemus, quæ minimè sunt principales.* (T. 45.) *Illud verò manifestum, quòd earum, quæ intemperaturam efficiunt causarum, curatio sit per evacuationem: nam ipsæ intemperaturæ sola alteratione sanantur.*

PARAPHRASIS.

QUoniam præcedenti Capite retulit modum, quo generaliter tractari debeant Intemperies factæ, quæque partim sunt factæ, & partim fiunt, & quo demùm pacto futuræ tractandæ sint; hoc præsenti Capite exordium faciens ab his, quæ factæ sunt, curationem illarum prosequitur, atque inquit, præcipuam, & communissimam intentionem in his esse, adhibere id, quod dispositioni auferendæ sit contrarium. Neque id tantummodò intelligendum in curationibus morborum ex intemperie, verùm etiam in omnibus quibuscumque ægritudinibus, cùm par ratio in cunctis vigeat ad curationes ritè, rectèque peragendas. Hinc *libro de Constitut. Artis cap.* 12. & 3. *meth. cap.* 3. duo dicuntur esse Axiomata, universam facultatem Medicam comprehendentia: *alterum, quę sunt secundùm naturam, similibus conservare: alterum verò, quę præter naturam, contrariis auferre.* Quod qua ratione intelligendum sit, alibi à Nobis est fusè explicatum. Sed & Galenus hìc, ut rationem contrarietatis in curatione servandæ summatim saltem referret, addit, secundùm naturam esse Moderatum, præter naturam verò Immoderatum; *etenim,* inquit, *si omne Immoderatum est præter naturam, Moderatum verò secundùm naturam, necesse est omninò, ut Immoderatum ab Immoderato contrario ad Mediocritatem redigatur.*

At ex adjectis verbis non levis exurgit difficultas; unde scilicet Galenus dicat, Immoderatum ab Immoderato contrario ad mediocritatem reduci: si enim utrumque extremum immoderatum est, quomodò ad mediocritatem reduci poterit; Immò qua ratione Immoderatum erit contrarium Immoderato? cùm potiùs contrarietatem servare debeat cum Moderato, quia Immoderatum, & Moderatum dicunt oppositionem.

Ad quam difficultatem dicendum pro Galeno, nomine Immoderati intelligi Remedium, quod ut morbo similiter immoderato opponatur, eique refragetur, oportet ut pari excessu à mediocritate de-

clinet: Puta si morbus fingatur calidus ut duo, Remedium, ut illum infringat, ac superet, pari recessu duorum graduum à mediocritate in frigiditate debet excedere; unde morbus excedens in calore per duos gradus, dicetur immoderatus in una qualitate, & remedium frigidum in gradu similiter secundo, etiam dicetur immoderatum, cum duobus gradibus à mediocritate declinet. Hęc autem mutua actione, & passione refranguntur, & reducuntur tandem ad mediocritatem Naturæ consentaneam. Atque hinc etiam solvitur, cur Remedium, & Morbus mutuam servent contrarietatem, simulque morbus immoderatus opponatur quoque sanitati, mediocritatem exigenti, sub varia scilicet ratione considerata, ut patet.

Pergit ulteriùs Galenus examinare, quodnam sit hoc Contrarium, quod in curandis morbis necessarium sit: & inquit, ea, quæ habent vim curandi, esse oportere talia *secundùm potentiam*, idest quod reipsa talia sint, sive operentur per se, sive per accidens; non verò *per imaginationem*: Unde *calefaciens, & refrigerans, & quæcumque alia hujuscemodi, oportet assumere*. Et sensus est, ut remedia contraria morbo sint talia secundùm potentiam, seu revera, ac reipsa talia, qualia esse dicuntur, & operari debent: non verò secundùm imaginationem, si fortasse ex apparenti sensu, seu prima, ut dicitur, facie, talia esse imaginemur, sed revera talia non sint. Et quidem pleraque medicamenta ad sensum videntur habere vim refrigerandi, & reipsa non refrigerant, sed calefaciunt; contrà alia existimantur calida, & natura sua calida non sunt.

Verùm exquirendum hìc esset à Galeno, unde Remedia potentia talia judicanda sint, ad differentiam eorum, quæ secundùm imaginationem, & ex prompto, primoque sensu talia esse imaginamur. Et Ratio difficultatis pendet ex eo, quia omnia Remedia, sive calida, sive frigida, sive alterius virtutis sint, nonnisi per sensus nobis innotescunt, atque adeò non videntur alia excogitari posse ab iis, quæ ex sensu talia esse imaginamur. Fortasse autem voluit Galenus sub his verbis distinguere Remedia potentia talia, ab his, quæ secundùm imaginationem, ut edoceret Medicos, ne in dignoscendis medicamentis deciperentur. Sunt enim plerique, qui ex vulgi dumtaxat Criterio, dijudicant de virtutibus Medicamentorum ex Colore, & Visu, aut etiam ex Tactu, Gustatu, aut Olfactu, in quibus sæpè sæpiùs falluntur. Sic omnia acida, frigida à nonnullis existimantur, cùm tamen pleraque acida, caustica sint, & escharotica, aut etiam potenter dissolventia. Sunt multa, quæ ad tactum frigida videntur, cùm cæteroqui plurimum caloris intùs assumpta excitent. Odora licèt plerumque calida esse soleant, non raro tamen cum frigiditate copulantur, ut in floribus Plantarum. Albicantia frigida, rubra calida creduntur, cùm contrarium in multis sit, & ità de plerisque aliis.

Sunt qui his non fidunt, sed toti sunt in effectibus notandis: & quidem nil intimiùs in rerum notitiam ducit, quàm effectuum perquisitio. At cùm in effectibus multa quoque omittantur, ex quibus error emergere possit, proptereà neque ab his rectum judicium semper elicitur; sic plerique Opium frigidum existimant, quia somnum inducit, putatum fieri à refrigerato, & humectato primo Sensiterio, ex doctrina Aristotelis, & Galeni: Albumen Ovorum frigidum pariter existimatur, quia in vulneribus, & hæmorrhagiis, fluentem sanguinem compescit; cùm tamen ista potiùs calida censenda sint; siquidem Opium inflammabile, & vaporosum est; & ex albumine ovi dissolutio, ac præ-

præcipitatio fit fœculentiarum in compositis; quin & ab eodem distillato Aqua elicitur potenter deobstruens, & attenuans. Vitriolum frigidum creditur, attamen Spiritus illius & Oleum erodunt, & rubefaciunt. Tartarum similiter, cùm sapore acidiusculum gustetur, putatur frigidum; ventrem tamen solvit, ejusque oleum Venenum sapit. Nitrum adeo frigidum apparet, ut exinde liquores etiam congelascant, si Vasi extrinsecùs admoveatur; cùm tamen spiritus ejusdem per destillationem elicitus, erodat, & interimat. Et alia hujus generis sexcenta. Sed quod est admirabilius, hæc eadem aliter operantur diluta in aquis, aliter redacta in pulveres, & aliter sublimata in Sales, Spiritus, & Olea: quæ aliquos juverunt, aliis nocuere; immò & uni eidem aliquando profuere, aliquando evasere infensissima, ut proinde fiat, nil certi usquam subinde ex effectibus colligi posse, etsi ab his, quæ frequentiùs evenere, probabiliorem conjecturam facere soleamus.

Unde autem tanta varietas? Crediderim ex varia, diversaque actione, passioneve, quam subeunt, præsertim interiùs assumpta, cum his, cum quibus commiscentur in ventriculi cavo, & intestinis id evenire; succis nimirum multigenis inter se invicem commistis, qui degeneres plerumque in statu morboso Corporis, cum diversa glandularum, membranarum, fibrarumque Ventriculi habitudine, necnon appendicum intestinalium, ac liquorum illùc confluentium, pancreatici scilicet, & fellei, constitutione varia, & plerumque etiam mutata, in causa sunt, ut illa invertantur, extravertanturque, infringantur, depraventur, exacuantur, ac diversimodè permutentur, in figura, situ, motu tum locali, tum fermentativo, cæterisque: quo proinde fiat, ut ob diversam Ventriculorum affectionem, ac succorum conditionem variam, differentes, ac varii excitentur effectus, penèque admirabiles, & non rarò etiam inter se invicem difformes, dissentanei, dispares, atque oppositi.

Esto autem hæc ità sint, videntur tamen in Medicamentorum vim, facultatemque dignoscendam rationabiliùs duci, qui primùm illa in suas partes componentes, ope Chymiæ, solvere satagunt, deindèque ex illis pervestigant vires, & efficacias eorundem. Neque insuper ex puris solùm qualitatibus illas deducunt, sed ex salibus, spiritibus, aquis, aliisque similibus, quæ particulas continent, non calidas, seu frigidas, sed calorificas, aut frigorificas, & quatenùs cum fermentis Viscerum, & præsertim Ventriculi, ac Intestinorum, motum, & actionem excitant in fermentatione variam: & quidem calida dicuntur, si fermentescendo turgeant, & acutie partes vellicent, ac sanguinem acuant, atque in motum vehementiorem, celerioremque adigant; si autem ex adverso temperent potiùs, infringant, aut etiam figant, frigorifica dicentur. Quare ex sensu, quem Corporibus, & partibus inferunt, frigida, aut calida appellantur. Hac quippe ratione ex putatis vulgò frigidis simplicibus, ut præsertim sunt olera succulentiora, nempe Endivia, Borago, Cichorium, Hepatica, Malva, & similia, plurimum aquæ elicitur per destillationem; nil verò, aut modicum nimis salis, nullusque spiritus: Ex aliis plantis olentioribus, minùsque succulentis, qualia Eruca, Nasturtium, Rosmarinus, Salvia, Beccabunga, &c. & Sales, & Spiritus plurimi extrahuntur. Unde quò simplicia aromatica magis fuerint, & ligneam, seu duriorem texturam participaverint, eò quoque spirituosiora, & salsuginosiora observantur, quorum deinde causa calorem in nobis excitant, cùm assumuntur, & calida ex illato illo sensu, denominantur.

Ve-

Verumenimverò, inter ſenſus Corporis univerſos ad vires ſimplicium internoſcendas, dijudicandaſque, fidelior longè cæteris videtur eſſe Guſtatus, in quo ſcilicet minor deceptio accidere poſſit, eò quòd majorem habeat cum Stomacho, & Ventriculo communionem, ubi iſtiuſmodi ſenſionum, caloris, aut frigoris, aliuſve qualitatis, judicium depromitur. Hinc quæ acria guſtu percipiuntur, calorifica, attenuantia, diſſolventia fiunt: quæ acida, figentia, coagulantia, & acritatem temperantia: quæ amara, deobſtruentia, aperientia, & acorem corrigentia: quæ inſipida, refrigerantia, abſorbentia, relaxantia: quæ ſalſa, incidentia, aperientia, abſtergentia, & ſic de aliis.

Galenus itaque per ea, quæ ſecundùm imaginationem ſunt, intelligit inefficacia, impropria, & non ex natura rei talia, ſed ſolùm ex communi, ac vulgari hominum conceptu, aut exiſtimatione, talia credita, quibus vulgaris ſolummodò fiducia prodeſſe ſolet: puta ſi quis exhiberet Spiritum Vini, aut Ceraſorum agreſtium, aliudve ſimile nive frigefactum, vulgò crederetur tale quid frigidum eſſe, quia ſic ad ſenſum apparet, cùm tamen reipſa tale non ſit.

Sed nec omninò à Galeni mente alienum eſſet, ſi quis diceret, *ſecundùm Imaginationem* intelligi ea, quæ nullam vim in Natura habent, ſed ſolùm per magicas impreſſiones, characteres, philtra, amuleta, & ſimilia, morbos fugare putantur; cùm & Galenus ipſe memoret fuiſſe ſuis temporibus Pergami Præſtigiatores, quorum tanta fiducia freti ægrotantes, nedum ſeipſos illorum curæ committebant, ſed ſanabantur. Magicis hiſce Characteribus magnam quoque fidem præſtare viſus eſt Paracelſus, (a) ut proinde Librum conſcripſerit de Magica Medicina, ad curandas ferè univerſas Corporis ægritudines. Porrò nec deſunt, qui noſtra ætate Morbos curaſſe teſtentur per Tranſplantationem in Saxa, Arbores, Fluvios, ſimileſque, & aliter, aliterque per Magicam ſympathiam, ex ipſis adhuc excrementis ægrotantium.

Verùm in his Imaginatrix ſummè valet, cui tanta vis ineſt, ut ſanguinem, ſpiritus, omneſque humores Corporis commovendo, & agitando, in cauſa ſit, ut materia morbifica alicubi hærens excutiatur, & vel ſenſibiliter, vel inſenſibiliter educatur; Quamobrem excitato repentè Gaudio, cum certa ſpe recuperandæ ſalutis, plerique convaluere; quippè Natura, veluti obruta, ſubinde reſipiſcens, omnes conatus adhibet adverſus cauſam morbificam, quouſque tandem illam vincat, & extra Corpus depellat. Hinc etiam fit, ut quò magis ægroti Medicis, & medicamentis fidunt, eò celeriùs ab illis juventur, & in priſtinam ſalutem redigantur, ut pluries compertum.

Concludendum igitur ad mentem Galeni; Remedium Curativum Contrarium Morbo, reipſa tale eſſe debere, quod vim, ſeu potentiam habeat cauſam morbificam ſuperandi, & expellendi, quocumque tamen modo id operetur, ſive per ſe, ſive per accidens, ſive actione immediata, ſive mediata, ſive aliter, aliterque, dummodò certa illius notitia ex pluribus, conformibuſque experimentis deducta ſit.

Quemadmodùm in ægritudinibus factis, ità etiam in ægritudinibus, quæ partim factæ ſunt, & partim adhuc fiunt, operandum præterea docet, tollendo nimirum cauſas antecedentes, & removendo diſpoſitiones viſcerum, ſi fortaſſe illas foveant, & conſervent: in utriſque enim par ratio militat; ſiquidem quæ curant, ſan-

(a) *Tit. Archid. Magic.*

si antequàm Morbus accesserit, adhibeantur, præservant, & præservantia, curantia quoque sunt, antevertendo morbum imminentem, & expellendo, aut saltem corrigendo causam morbosam, quæ jamjam morbum esset illatura, nisi citò educeretur, aut domaretur: medicamenta namque semper adversùs causas morbosas oppugnant, quæ planè in utroque casu intra Corpus sunt.

Quoniam verò in exemplum Morborum, qui partim fiunt, & partim facti sunt, proponit in textu Galenus Febres humorales, ex putrescentibus humoribus progenitas, idcircò indicationem curativam in ipsis duplicem facit: alteram quidem pertinentem ad evacuationem: alteram respicientem alterationem: atque illam respectu habito ad materiam humoralem peccantem, quæ tota ex Corpore educi debet; istam verò respectu putredinis, quæ corrigi, & emendari expostulat: quam correctionem, Alterationem esse dicit, *quæque putredinem finit, manente adhuc substantia, seu causa*. Subdit insuper, hanc alterationis speciem esse *Concoctionem, quam ubi invenerimus à quibusnam causis fieri contingat, tunc utique eorum, quæ hoc pacto salubria sunt, scientiam tenebimus*. Quorum verborum sensus est, quòd non solùm satis sit ad alterationem febrium assequendam, quamcumque in genere alterationem adhibere, sed in specie talem, quæ concoctio sit. Unde aberrant à Galeni mente, quicumq; contendunt alterationem per primas qualitates in universum fieri debere: & quidem oppositas Morbo: siquidem in febribus putridis vult Galenus talē esse oportere, quæ concoctio sit: modò concoctio ex sententia ejusdem, ope caloris fit, nec à refrigerantibus haberi potest. Verùm quomodò res hæc se habeat, alibi à Nobis est examinatum, *in nostro Tractatu de Febribus*, ubi omnia ad indebitam sanguinis, cæterorumque liquorum fermentationem quàm facillimè revocavimus. Quare & nunc, Putrescentium humorum vitium, dicemus, indebitam illam fermentationem habitam à mistura aliorum succorum à sanguinis diathesi naturali degenerum, qui nisi à sanguine per concoctionem, seu secretionem, sequestrationemque in filtris, cribrisque Corporum repurgentur, ac deinde expellantur, febris non deerit: Alterationem verò intelligemus, perturbationem illam, commotionemque Corporis inde exorientem, & potissimùm in pulsu conspicuam, aut etiam in cæteris operationibus sensibilioribus, quæ per ejusmodi concoctionem, secretionemque, ac postremò per evacuationem omninò sedabitur.

De evacuationibus verò peccantium humorum, febrimque foventium, sermonem deinceps facturus, omnia illarum genera recenset, atque indistinctim febribus convenire posse memorat, ad egerendos putridos, vel putrescentes humores. Ait enim: *Evacuationes autem fiunt & per sanguinis missionem, & clysteris usum, & per Urinæ vias, atque eam, quę per cutim fit, transpirationem, ac pręterea per eam, quę fit ad partes oppositas, attractionem, atque ad alias propinquas derivationem*: quibus etiam adjicit *Menstruorum, & hęmorrhoidum citationem, & per palatum, ac nares expurgationem*. Verùm hæc, & similia debebunt in quantitate, & qualitate modum servare, ut salubria fiant, concludit in textu Galenus. Ex quibus verbis præstatur nobis occasio agendi, quando, & quomodò prædicta medicamenta in febribus sint administranda. Non enim Galeni mens est hoc loco omnes ejusmodi evacuationes in omnibus, & singulis febribus putridis promovere, sed aliquas in aliquibus, alias in aliis; alioqui si simul omnes provocari deberent, procul dubio difformes, ac oppositas evacua-

tio-

tiones tentare simul oporteret, cùm tamen per eas vias peccantes humores ducendi sint, per quas Natura se velle exonerari demonstrat. Adde, quòd multæ aliæ Evacuationis species sunt hìc omissæ, quæ non raro juvare observatæ sunt, puta Vomitus, Dejectiones, Sudores. Igitur voluit tantummodò has veluti in exemplum plurimarum aliarum commemorare; & quidem, non ut illis simul Medici in curandis febribus uterentur, sed quòd modò his, modò illis, prout occasio tulerit, & diversæ indicationes abscindendi causam morbosam, occurrerint.

Primùm autem sanguinis mittendi usum, & opportunitatem perpendamus. Nemo unquam inficias ibit, aliquando sanguinis evacuationes sponte Naturæ promotas febricitantibus contulisse: quandoquidem & in Ægris Epidemiorum, & in aliis innumeris, passim in praxi observatis experientia demonstravit, superveniente è naribus hæmorrhagia, momento ferè temporis, acutissimas adhuc febres desiisse, absque ulla recidiva. Sic etiam erumpentibus menstruis, lochiisque, antecedenter suppressis, denuò profluentibus, fœminas à gravissimis morbis fuisse liberatas; sicut pariter & Viros plurimos à supervenientibus hæmorrhoidibus. Solùm de eventu à sanguinis detractione, Arte instituta, perpetuò dubitatum fuit, quoniam ab his, quæ sponte Naturæ fiunt, evacuationibus ad eas, quæ Arte sunt peragendæ, conveniens illatio, ritè, rectèque deduci nequit, attenta nimirum temporis opportunitate. Difficillimum namque est, & ferè impossibile, certo, convenientique tempore eam sanguinis quantitatem detrahere, quæ exigentiæ morbi, & causæ morbificæ congruit: sed & eam venam, per quam ipsa levari petit, quis unquam poterit divinare? cùm cæteroqui loca conferentia in evacuationibus observare semper expediat. Educere insuper illum humorem, qui reverà morbum facit, & non alium, longè difficilius est, qui tamen non raro alicubi hæret, aut restagnat, ut in apicibus arteriarum, vel in glandulis Corporis, vel in intimioribus partium penetralibus. Prætereà sanguinem educere in ea Corporis affectione, quæ ejusmodi depositionem expostulat, & in ea circumstantia symptomatum, & partium affectarum, ne subindè vires deficiant, vates exquiritur Apollo, cùm aliunde Natura seipsam levet, aut saltem levare debeat, citra virium diminutionem. Hæc, & alia plura tam scitu necessaria sunt, ut conveniens sanguinis evacuatio succedere nequeat, si unum, vel alterum ex his fortasse deficiat, ne grave damnum ægrotanti sit adfuturum, nulli alii evacuationi comparandum; quoniam per hanc vires plurimùm enervantur, & multo magis, quàm per aliam quamcumque viam.

Multoties insuper Natura sanguinis evacuationes per certas quasdam partes molitur, quæ si per alios ductus haberentur, non proficerent. Sic in pleuritide prodest sanguis per os excretus; per secessum verò proximam mortem portendit. Nephriticis, & Melancholicis hæmorrhoides supervenientes salutares fiunt, cùm tamen si per vomitum sanguis educeretur, vel per Renes mingeretur, ægri periculo non vacarent. Menstruis erumpentibus à gravissimis morbis fœminæ liberantur, quæ si sanguinem dejicerent, vel evomerent, non ità. Lochia suppressa, si per Uterum redeant, bonum; per alias partes verò, grave nimis est, & periculosum.

Itaque sanguinis evacuationes sponte Naturæ promotæ, & salubriter peractæ, referendæ sunt ad eas, quæ criticæ dicuntur, cùm scilicet Natura evictam jam causam morbificam, morbumque ipsum depellit, ac eliminat. Nemo unquam autem

tem in Re Medica tàm felix fuit, ut potuerit Crisim, absque peculiari Naturæ conatu, perficere, quidquid in hanc rem jactet Helmontius. Incertum igitur, dubium, immò non raro fallax, & periculosum ejusmodi; ex sanguinis eductione, beneficium; cùm cæteroqui ex adverso certissimum sit spirituum dispendium, & virium exsolutio. Quòd si fomes febrium partibus solidis insit, ut in tuberculis intraneis, abscessibus in glandulis, aut inflammationibus etiam exiguis partium internarum; quì fieri poterit, ut sanguinis missione removeri, aut educi queat, quemadmodùm in spina digito infixa? Quamobrem non mirum, si plerique non tam facilè de humano Corio periclitari cupientes, ab illius præcipiti administratione se abstineant; non quòd illam aliquando (& potiùs præservationis gratia) in aliquibus non commendent, sed quòd periculosæ aleæ sit plena. Si quandoque autem in usum remediorum ducenda illa sit, potiùs in plethoricis, opiparis, vinolentis, & quibus sanguis in suo circuitu remoram patitur, venæque amplæ nimis, turgidæque fiunt, & Corpus totum veluti ingenti gravamine oppressum, seipso ponderosiùs persentitur; adeoque vel ad deplendam multitudinem, si qua est, vel ad citandum sanguinis motum, fortasse alicubi præpeditum tutiùs administrabitur; ut aliàs meminimus.

Quòd ad Clysteris usum pertinet, fertur inter medicinalia præsidia introductus ex Ibi ave Ægyptia, quæ exonerandi ventris gratia, Nili aquam adunco rostro in anum immittens, retenta diutiùs excrementa deponit: quamquam Helmontius non vereatur pudendum medentium subsidium illum appellare, & aliquando ex nimia acritudine gravia nocumenta ægrotantibus attulisse fateatur. Verùm licet Clysteres ex acribus medicamentis injectos, ob nimiam, violentamque irritationem intestinis illatam, gravia damna nonnunquam excitasse haud inficiemur, non tamen interdicendi omninò sunt, qui ex levioribus, & laxantibus componuntur. In febribus enim assiduò ad intestina solent superfluitates humorum deponi; unde interjectis vicibus juvabit illas per alvum educere, & ventrem oppletum exonerare: quare admonet, & prudenter, Hippocrates 4. *de rat. vict. t.* 20. de Angina, & Pleuritide agens, ut alternis diebus clysteres febrientibus injiciantur.

At verò ferendi non sunt, qui ex injectis clysteribus etiam Ventriculum, & gracilia intestina exonerari posse putantes, in præconceptam opem conficere solent decocta, & misturas varias ad effictum usum diversimodè comparatas. Siquidem ex Anatome jam satis innotuit, ad principium Intestini Coli valvulas inesse, quibus ascensus ad superiora impeditur. *(a)* Nô negaverim tamen ex depositis inde excrementis, locum reddi capaciorem pro receptione aliorum excrementorum à superioribus intestinis derivantium, quoniam per motum eorumdem peristalticum perpetim superfluitates superiorum ad inferiora protruduntur. Hac eadem ratione contingit, ut adhibitis podici balanis recrementa à ventre depellantur, irritatione per fibras, & membranas intestinorum supernis partibus communicata. Hinc etiam non raro accidit, ut ab acribus balanis, aut enematibus vomitus periculosissimus successerit: etenim ab ejusmodi irritamento intestinis vehementer illato, potuerit Pylorus molestè adeò affici, & contorqueri, ut sursum retractus Ventriculum coegerit ad vomendum. Non dissimili modo vomitus contingit, cùm linguę fastigio vix Mercurius emeticus gustatur,

(a) *Repugnat his quoque tota Mechanica Chylosis.*

tur, aut aliud potentissimum Vomitorium.

Unde denique tanta utilitas ab usu clysterium in febrientibus speranda sit, dubitari hic non incongruè potest, atque eo magis, quoniam in febribus, putridis dictis, seu humoralibus, peccantes humores intra venas conclusi statuuntur, qui nunquam à Natura deponuntur ad alvum, quàm priùs concocti fuerint, & à reliquis salutaribus succis secreti: modò longè admodùm distare ponuntur humores putrescentes in febribus, sive in venis majoribus, sive in venis minoribus putrescere dicantur, quàm ut per alvum excerni, aut ad vias intestinorum deferri possint.

Sed facilis est solutio, si considerentur, quæ nuper Anatome detexit, peculiares scilicet ductus inesse, per quos ad alvum impuritates humorum dejiciantur, sed & potissimùm Vvirsungianum, & Choledochum, deferre succos quosdam, qui simul commisti, atque indebitè fermentescentes plurimarum etiam causæ sunt ægritudinum; sicut ex adverso, convenienter repurgati multis ægritudinibus finem faciunt. Observatione pariter Graeffii, (quæ refertur in Ephemeridibus Germanicis, & in Actis Anglicis) ab assumpto medicamento purgante commoti humores per ductum Pancreaticum, & Choledochum ad intestina promoventur; quin & infusione liquorum catharticorum in Venis facta, pari modo, per prædictos ductus catharsis accidit. Per Arterias quoque mesentericas, tendentes in glandulas intestinorum, non rarò etiam humores educuntur, unde fit, ut aliquando à catharticis validioribus dysenteriæ cruentæ progignantur, vel etiam sanguis syncerus educatur, relaxatis nimirùm oscillis earumdem, aut etiam erosis glandulis, quibus illæ in suis extremitatibus occluduntur.

Ampliùs per vias Urinæ sæpissimè quoque febrium causam materialem evacuari, ac propterea febres ipsas desinere, certissimum est, atque iteratis experimentis comprobatum: Unde motus Galenus commendat in febribus diureticorum usum 2. *prognost.* à *tex.* 26. *usque ad* 38. si per eas partes videatur Natura peccantem materiam velle detrudere. Et 1. *ad Glauc. cap.* 15. eadem in curatione Tertianæ proponit; imò etiam redundantibus serosis humoribus diuretica exhibet *in libris de tuenda valetudine*, ad illos per urinam educendos. Per transpirationem insuper humorales febres desinere possunt. Tanta enim est, quæ per poros Cutis fit humorum resolutio, ut majorem ex assumptis cibis excrementorum partem complectatur: quamobrem in febrientibus perutilis nimiùm censeri illa debet, in quibus halitus, & vapores affluenter admodùm exuberant.

Inculcat prætereà Evacuationem illam, quæ fit *per Attractionem* ad partes oppositas, atque ad alias propinquas *per Derivationem*. Verùm in hoc valdè dissentiunt Interpretes. Siquidem plerique in Præservatione solùm Revulsionem per distantissimas partes faciendam opinantur; In Curatione verò potiùs per propinquas, cujus opinionis sunt Curtius, Fuchsius, Acachias, & Manardus. At Laurentius Joubertus per proximas semper, nunquam per distantes illam faciendam esse contendit. Petrus Brisottus, & alii, in principiis morborum putant esse revellendum per proximas, in fine verò per remotas partes. Sanctorius demùm conditiones has non necessariò requiri in Revulsione, & Derivatione arbitratur, sed modò per distantissimas, modò per proximas partes Revulsionem fieri posse docet; atque in hujus probationem affert plura Galeni loca, præsertim verò 5. *Meth. cap.* 14., ubi is applicat emplastrum ex thapsia suturæ coronali, ad revellendum à Cerebro: & 6. *epidem. comm.* 2. *tex.* 31. inhærens Hippocra-

pocrati afferenti in Oculorum fluxione, ad fauces revellere oportere, ait, *hoc unum esse remediorum revellentium genus, ut diuturnas fluxiones ad fauces revellamus, acribus medicamentis*: & *comment.* 3. 6. *epidem. tex.* 22. laudat Sabini sententiam, qui in fluxu sanguinis è naribus, venàm Cubiti, gratia revulsionis, secabat: & 5. *meth. cap.* 8. inquit, dum rumpitur aliquod vas in pulmone, venam cubiti protinùs esse secandam, revellendi gratia; & *lib. de cur. rat. per sangu. miss. cap.* 6. subdit, in Pleuritide Venæ sectionem factam in contrario latere, vel obscuram, vel post multum tempus aliquam utilitatem afferre: & denique *comment.* 2. *in* 6. *epidem. tex.* 9. docet, quòd revellens locale est retrahens ad proxima, & non ad remota. En igitur quàm inter se dissonent Galenus, ejusque Commentatores. Verùm ejuscemodi Revulsiones, postquàm de Sanguinis Circuitu statutum est, ab Aula medica recessere, nisi tantùm de Nomine ludere velimus, quòd illæ, quæ inter initia morborum fiunt, & præsertim à partibus distantioribus, Revulsiones dicantur, veluti in usum ductæ, ne humores magis confluant in partes affectas; quæ verò in aliis temporibus peraguntur, ad confluxum humorum diminuendum, vocentur Derivationes: quamquam & in hoc plerumque accidat, ut à remotioribus partibus factæ, remeantem sanguinem magis, magisque commoveant in affectam partem, atque inducta vasorum depletione, eandem languidam reddant, & concretum, remorantemque ibidem sanguinem, minùs aptum deferant fermentationi, ac maturationi, vel etiam resolutioni: cùm sanguis è venis eductus citatiorem efficiat eum, qui per arterias redire debet, in detracti supplementum, nisi alia obstiterint: & qui restagnat, spiritibus orbatus difficulter in fermentationem promoveatur.

Postremò Evacuationes memorat Galenus per citationem Menstruorum, ac aperitionem venarum hæmorrhoidalium; nec non per palatum, & nares expurgationem, quæ licèt viscerum particularium repurgamenta sint, nihilominùs valdè quoque prodesse possunt febricitantibus, in quibus omnes ferè evacuationes supprimi solent. Equidem menstruorum eruptiones, nedùm febres, verùm etiam plures alias gravissimas ægritudines terminare consueverunt, depositis nimirùm in vasa uterina totius Corporis superfluitatibus. Idipsum per venas hæmorrhoidales non rarò fit, ex quibus non tam sanguis fœculentus, quàm serosa quædam glutinamenta acido-muriatica repurgantur, in manifestum Corporis levamen, cùm potissimùm moderamen servant, tum in quantitate, tum in tempore. Sed & videntur venæ istæ conditionem referre Varicum, quæ sicuti non rarò brachiis, cruribus, ac tibiis accidunt, ità & podici, utero, cæterisque partibus contingunt; unde cùm sponte sua laxantur, & sanguinem illum stagnantem deponunt, à multis morbis vindicant, præsertim à melancholico, & maniaco delirio, ut testis est idem Galenus pluribus in locis Epidemiorum. Cæterùm per Palatum, & Nares expurgatio, pariformiter conveniens, & salutaris febrientibus censenda est, quia non solùm Caput à superabundantibus humoribus præsertim lymphicis exonerat, sed etiam Cerebrum simul unà validum ostendit, benèque se habere in repurgandis propriis excrementis. Accedit, quòd sæpè numero febrientibus accidere solent dolores Capitis, sopores, surdastritates, gravedines, quæ per ejusmodi repurgationes desinunt, &, si futuræ sint, prævertuntur.

Postquàm hactenùs Galenus docuit, Intemperiem factam, contrariis tolli: futuram, causam abscindentibus: & ex facta, ac futura mistam partim auferentibus,

bus causam, & partim contrariis, malam in Corpore dispositionem tollentibus; ut exemplificavit in febribus putridis: nunc idem operandum quoque ait in reliquis intemperiebus, ab humoribus etiam, seu causis materialibus originem habentibus: ac proinde generale præceptum profert, ut in omnibus ægritudinibus materialibus, priùs causa auferenda sit, quàm effectus, sive qui fit, sive qui factus est; licèt quandoque simul, & semel unico remedio utrique oppugnari possit, ut est exemplum in febre ardente, cui potus Aquæ frigidæ remedio est, tum ad retundendam febrim, tum ad depellendam causam morbificam per sudorem, urinam, aut dejectionem.

Quoniam verò Galenus in indicationibus curativis exequendis, ordinem quendam servandum esse docet, quæ nimirum priùs, quæ posteriùs adhibenda sint; Nos propterea breviter, quinam debeat esse talis ordo in morbis, & indicationibus complicatis, conveniens duximus examinandum. Et quidem omnia indicantia ad tria universaliter reducit idem Galenus 3. *meth. cap.* 9. & 7. *meth. cap.* 12. Primum est Urgens: Secundum, Causa principalis: Tertium, Causa sine qua non, sive impedimentum. Pro exemplo affert Ulcus cum inflammatione, sorditie, cavitate, & sanguinis profluvio: Ubi sanguinis profluvium est indicans urgens, quia ab eo vitæ periculum imminet: Inflammatio est indicans secundum in genere causæ, quoniam acritudine, ardore, & irritatione fovet, vel efficit ulcus. Sordities denique est Tertium indicans, & causa sine qua non, sive impedimentum; etenim nunquam cavitas ulceris replebitur, nisi priùs sordida colluvies auferatur.

Quod autem in ulcere exemplificat Galenus, idipsum expediet observare in omnibus aliis ægritudinibus. Nam Urgens in quocumque affectu illud est, quod virium jacturam ægro minatur, adeoque vitæ periculum: & huic primò vacandum; quia vita nostra viribus sustinetur, & spes recuperandæ salutis in virium robore reposita est. Hinc Galenus 10. *meth. cap.* 3. cuidam juveni febre acuta laboranti, cibum in ipsa accessione exhibuit, nempe tres cyathos cremoris ptisanæ, & duos cyathos vini albi tenuis, ob virium languorem; quamobrem æger ille, etsi antea sine voce, & sensu jaceret, statim oculos sustulit, & tum audire, tum loqui, tum adstantes nosse cœpit. Hac eadem ratione multoties accidit, ut ab urgentiori symptomate curatio prævertatur, & symptomati urgentiori primùm occurritur, spretis interea causa, & morbo, ut dicitur 12. *meth. cap.* 1.

Secundò, si Urgens jam desierit, tunc Causæ principali vacandum, quoniam per illius ablationem, necessariò morbus cum adjunctis symptomatis desinet.

Tertia indicatio sumitur ab Impedimentis, quæ ab eodem Galeno vocantur Causæ sine quibus non: ut si E. g. in vulnere, ensis frustulum relictum sit, vel ossis fragmentum: vel in sputo sanguinis pus, vel concretus sanguis alicubi hæreat, procul dubio nisi ista auferantur, nunquam morbus curabitur.

Cæterùm in remediorum exhibitione, illud perpetuò ante oculos habendum in morbis complicatis, ut id eligatur, quod licèt uni affectui non multum conferat, saltem alteri non obsit, documento Hippocratis 1. *epidem.* 2. *tex.* 5. dicentis: *Id in Morbis perpetuò observa, ut si non juves, videas ne saltem noceas.* Quare optimum consilium erit, ac prudenti Medico dignum, quòd potiùs eligatur remedium parùm uni juvans, sed nihil alteri nocens, quàm valdè juvans uni, & nocens aliquantulum alteri. In quam rem doctè concludit Sanctorius: *Medicos, qui statim in occasione non urgenti, multam sanguinis copiam evacuant, vel abundè electivè purgant,*

gant, à præceptis Hippocratis, & Galeni recedere, qui jubent, Medicos ità tutò procedere, ut non noceant ægris.

A Curatione intemperierum ſimplicium pergit Galenus ad curandas intemperies compoſitas, quæ facilè ex ſimplicibus indicationibus pateſiunt. Hinc ſi Corpus incidat E. g. in ægritudinem calidam ſiccam, contrariis medicamentis occurrendum frigidis humidis; & in quo gradu caliditas, & ſiccitas exceſſerint, pari quoque gradu excedere debeant frigiditas, & humiditas. Verùm quæ hoc loco proponuntur à Galeno, ſolùm mente excogitari poſſunt, at ne vix quidem phyſicè peragi; (a) cùm nemo unquam potuerit gradus exceſſus qualitatum certa menſura determinare, nec minùs deinde pari gradu contraria remedia exhibere, & morbo opponere. Quis hic magnus Apollo?

Quamvis inſuper æqualia Morbo Remedia, ſed oppoſitis viribus pugnantia, commendet Galenus in curatione, illa tamen in partibus exterioribus uſui eſſe poſſe ait, in quibus nulla reluctatio, vel modica fit. At ſi partes Corporis intimiores afficiantur, remedia debebunt eſſe morbo efficaciora, & cum tanto exceſſu, quantum virtutis illorum in itinere creditur poſse conſumi. Unde ſi E. g. quis intemperiem frigidam in Jecore pateretur cum exceſſu graduum duorum, deberet remedium exhiberi per os tanto calidius, quantum, poſtquàm pervenerit ad Jecur, excedentis caloris amiſerit, ut ſolummodò retineat æqualem in gradu calorem, morbo in gradu ſecundo frigido, contrarium. Pulcherrimum ſanè documentum, ſed ad praxim irreducibile. Ipſemet etiam Galenus 3. *meth. cap.* 7. inquit: *ſi quantum agendum ad unguem perciperem, utique qualem fuiſſe Æſculapium mente concipio, talem me eſſe putarem: ſed quoniam id fieri non poteſt, certè ut quoad homini licet, quàm proximè accedam, tum ipſe me exercere decrevi, tum alios, ut idem faciant, adhortor.* Idipſum fuſa oratione confirmat 3. *meth. cap.* 3. ac tandem concludit: *Pharmacum ad unguem proprium, nec ſcribi omninò poteſt, nec dici.*

Ulteriùs, varium debere eſſe remedium Galenus docet, non ſolùm propter varietatem intemperierum, ſive calidarum, ſive frigidarum, magis, vel minùs recedentium à naturali ſtatu; verùm etiam ex diverſitate ſitus partium affectarum, magis, vel minùs reconditarum; ſicut etiam formationis earumdem: puta ſi meatus fuerint reſerati, vel conſtipati, aut ſi partes affectæ fuerint nobiles, vel ignobiles, capaces, vel incapaces humorum, ad ipſas confluentium; ut & reſolutioni faciles, vel difficiles. Nam ex his omnibus variæ Remediorum formulæ expoſtulantur, & varia Medicamentorum genera, tum viribus præpotentia, tum doſi adaucta. Denique concludit, quòd cauſæ intemperiem facientes, vel foventes, evacuatione tolluntur; intemperies verò ipſæ ſola alteratione curantur.

CAPUT VII.

XC. in Galeno.

Curatio ſolutionis Continuitatis in parte carnoſa.

T E X T U S.

(T.46.) *Continuitatis autem ſolutionis curatio, intentionem quidem habet unionem, quæ in partibus quidem inſtrumentariis impoſſibilis eſt: in ſimilaribus verò*

(a) *Galenus in textu memorat ultrà gradus VIII. etiam X.*

verò non semper possibilis. At quandoque sicuti in carnosis sanitas conglutinatione perficitur, nihil verò differt, neque si coalitum appellaveris. (T.47.) *Ipsam verò antecedit, quando vulnus majus extiterit, partium applicatio distantium, quæ ex formationis genere existit. Ut autem hæc ipsa firma, ac stabilis fiat, & alligatio cogens in unum, quæ distant, & fibulæ, & suturæ utiles sunt.* (T.48.) *Coalescere autem facit ea, quæ invicem distant, ac pristinam restituit unitatem ipsa Natura. Nostrum verò opus est, ut diximus, primùm quidem applicare extrema distantium partium, secundùm autem, itaut in unum coacta sunt, conservare: & tertio loco cavere, ne quid labris ulceris intercidat: & quartò ipsam partis substantiam conservare salubrem.* (T.49.) *Sed quo pacto & primum, & secundum impleamus officium, dictum est, tertium verò in cogendo in unum partes distantes exequemur, si nihil extrinsecùs incidere permittamus. Quoniam sæpiùs usu venit, ut pilus, aut oleum, aut aliqua alia humiditas interveniens earum, quæ copulandæ sunt, partium unitatem impediat. In eo autem quod sequitur tempore per suffluxiones tertia intentio retinetur. Ipsam verò suffluxionem, ex ejusdem, & contrarii loci divisione, & figura opportuna comparare oportet. Partis autem substantiam salubrem per ea, quæ mediocriter exiccant, conservabimus.* (T.50.) *Hæc quidem est solutæ continuitatis curatio, cùm ipsa sola seorsum in carnosa parte constiterit. Quòd si alicui alteri morbo conjungatur, plures sunt indicationum intentiones, quas in compositorum, vel complicatorum, sive ut cuique appellare libuerit, doctrina tradem us. In præsenti autem sermone ad reliquas unitatis solutiones accedendum.*

PARAPHRASIS.

HActenùs de curandis Intemperiebus, tum simplicibus, tum compositis verba fecit Galenus; nunc qua methodo curari debeant continui solutiones, agere prosequitur.

Et primùm inquit, solutionem continui secundùm se indicare unionem, quoniam quæ à reliquis partibus sejunctæ sunt, cum eisdem connexionem expostulant; ut totum perfectè integrent, & componant; cùmque partes Corporis solutionem subeuntes esse possint vel simplices; seu Similares, vel compositæ, Organicæ, & Instrumentariæ dictæ; idcircò subdit unionem in partibus instrumentariis esse impossibilem; in similaribus verò non semper possibilem. Et quidem in partibus organicis solutio insanabilis reputatur, ut cùm Nasus, Auris, vel Digitus, abscissus est, atque à toto omninò sejunctus: In partibus verò similaribus non semper facilis esse potest; siquidem licèt partes carnosæ facilè resarciri queant, ob majorem sanguinis confluxum; spermaticæ tamen dictæ, ut ossa, membranæ, ligamenta, vel difficulter uniuntur, vel si uniuntur, potius per callum, seu, ut ajunt, per secundam Naturę intentionem, agglutinantur. Ità namque, quod ossa soluta, & fracta unit, non est os, sed callus: & quod continuat, ac nectit cartilaginem, vel ligamentum, nec cartilago, nec ligamentum est, sed quid tertium ipsis aliquantò durius; secùs verò in carne soluta, quod restituitur, revera Caro est; unde hæc unio vocatur à Medicis, secundùm primam Naturæ intentionem; illa verò per secundam.

Cur autem Galenus priùs meminerit de curatione solutionis continui, quàm de curandis morbis in mala compositione, de qua re Argenterius Galenum carpit: Ratio

tio afferri poteſt, vel quòd voluerit ab illis morbis exordiri, in quibus Natura ſola ſatis eſſe poteſt curationi, ut ſunt morbi in intemperie, poſtmodùm de illis agere, in quibus Natura Medicum adjutorem expoſtulat, ut ſunt morbi in ſolutione continui; & ultimo demum loco de iis, in quibus plerumque ſola Medici induſtria abſolvitur curatio, ut ſunt luxationes, fracturæ, & ſimiles pertinentes ad malam compoſitionem. Vel etiam quòd voluerit ab illis morbis initium facere, qui noſtris ſenſibus manifeſtiores eſſe ſolent: manifeſtiores autem ſunt ſolutiones unitatis, quàm malæ compoſitiones. Vel demum quia ordinem, utpotè in his exponendis inutilem, ſervare noluerit, ſed ſolùm proponere, ac Tyronibus offerre, quæ faciliùs, ac promptiùs addiſcuntur, ut ſunt morbi in intemperie, & continui ſolutione. Verùm hoc parùm refert.

At verò an hæc continui ſolutio referenda ſit ad morbos partium ſimilarium, aut diſſimilarium, an ad Morbos ambarum, gravior eſt inter Doctores controverſia. Galenus nedum hìc, ſed etiam *libro de differentiis Morborum cap.* 11. & alibi, Morbum communem ſimilaribus, & diſſimilaribus partibus facit, quoniam per eam utræque partes indiſcriminatim offenduntur. At contrarius ex una parte eſt Averroes 3. *Collig. c.* 14. aſſerens continui ſolutionem convenire ſolùm partibus ſimilaribus: ſolutionem contigui (ita dicendum putat) organicis. Ex altera verò parte Falloppius, & Argenterius exiſtimant, ſolutionem continui nullo modo convenire ſimilaribus, ſed ſolùm diſſimilaribus partibus, & organicis.

Ratio Averrois eſt, quia partes inſtrumentales fiunt ex ſimilaribus contiguis, & non continuis; quare dum ſolvuntur, contigua, & non continua ſeparantur.

Falloppius verò adverſus Galenum affert, quòd nulla pars ſimilaris in ſolutione continui amittat propriam actionem, quoniam ſecta Carne, caro nutritur, concoquit, ſecernit, & alia ſibi naturaliter convenientia peragit: igitur ſubdit, continui ſolutionem non eſſe affectum partium ſimilarium.

At quis non videt, per ſolutionem continuitatis utraſque ſpecies partium æqualiter affici, ſimulque lædi operationes ſimilarium partium, & organicarum? Cùm enim organicæ ex ſimilaribus conſtituantur, profectò cùm iſtæ ſolvuntur, neceſſariò illæ nexum amittunt, & viceverſa. Nec unquam quis imaginabitur poſſe ſolvi compoſitas, non læſis ſimplicibus; aut ſolvi ſimplices, illæſis compoſitis, quæ ex ſimplicibus conſtituuntur, & integrantur.

Ad Argumenta autem Averrois, & Falloppii reſpondetur: & ad primum dicitur Galenum ſolitum eſſe confundere continuum cum contiguo: etenim idem ſeipſum explicans, quid nomine continui intelligat *cit. lib. de differ. Morbor. cap.* 11. clarè oſtendit, ſe lato modo continuum ſumere, prout comprehendit continuum, & contiguum: ſiquidem memorans ibidem ægritudines ſolutæ continuitatis, confundit divulſas partes ex toto, & ex parte, itemque fractas, convulſas, & ſimiles. Hac eadem ratione Ariſtoteles 1. *meteor. cap.* 2. accipit continuum pro contiguo, cum ait, *oportet Mundum hunc inferiorem eſſe ſuperioribus lationibus continuum*. Conſtat autem ſublunares has regiones non continuas, ſed contiguas tantummodò eſſe Cœlorum Orbibus.

Ad Falloppii argumentum dicitur, quòd licèt in ſolutione continui non amittantur operationes partium, cùm revera non aboleantur, attamen negari non poteſt, quòd vel diminuantur, vel depraventur; quoniam partes ſolutæ imperfecto modo operantur in nutritione, coctione, & ſimilibus, & quandoque etiam depravan-

 tur,

tur, eò quòd pus generent, & non raro etiam carnem excrescentem, aut fungosam gignant.

Sed adhuc dubitare contingit ex textu, cur Galenus dixerit impossibile esse partes instrumentales, & organicas disjunctas posse agglutinari, cùm aliàs ipse dixerit, præsertim 2. *de semine*, & 13. *meth.* venas, & arterias puerorum sectas posse resarciri: venas autem, & arterias ipsemet Galenus vocat partes instrumentales *l. de diff. morb. c. 4.* Verùm respondet Sanctorius distinguendo duas species partium instrumentariarum: aliquas enim inquit concurrere ad aliarum partium instrumentalium, seu organicarum compositionem, & hujusmodi sunt venæ, arteriæ, nervi, musculi; alias verò partes instrumentarias esse per se, & sua natura organicas, cujusmodi sunt, Manus, Pes, Oculus, Auris, quæ tantummodò concurrunt ad compositionem totius Corporis. Cùm autem Galenus dixit, partes instrumentales, si fortasse resciſsæ sint, agglutinari non posse, intelligendus de organicis per se, & sua natura talibus; neutiquam verò de instrumentariis primo modo consideratis. Vel etiam dici potest, quòd loquatur de iis, quæ agglutinantur per primam intentionem, seu per medium ejusdem naturæ, puta cùm caro resciſsa resarcitur per alimentum homogeneum, nempe per sanguinem, quo carnes nutriuntur, & augentur: id quod minimè accidit in partibus organicis per se, suaque natura talibus.

Atque hinc patet solutio alterius difficultatis, quæ adversus hunc Galeni textum afferri posset, quòd scilicet pars organica etiam per se talis à cæteris partibus resecta resarciri adhuc possit, ope, ac industria peritissimorum Chirurgorum, quemadmodum ferunt summa sui gloria, atque admiratione exercuisse Tagliacotium Chirurgum Bononiensem, qui Nasos regenerare scivit, & in pluribus exequutus est. Ea enim Nasi regeneratio organica minimè est, sed tantummodo similaris, eò quòd solùm reproducatur caro in vertice Nasi, quę pars similaris est, non organica. Quo pacto intelligendus quoque est Hippocrates 6. *aphorism.* 19. ubi docet: *Cum discissum fuerit os, cartilago, vel nervus, aut genæ particula tenuis, vel præputium, neque augetur, neque coalescit.* Nam Galenus *in commentario*, particulas illas, *neque augetur*, interpretatur, *neque generatur;* quia revera non generatur pars similis abscissæ, vel qualis abscissa est, sed alia apparenter solùm, & superficie tenùs tantùm illi similis; quin & non raro manifestè conspicitur, omninò difformem deperditæ resarciri, ut patet in callo reproducto in osse, cartilagine, & similibus.

Est tamen diligenter adnotandum, maximam adesse differentiam inter Solutionem continui, & Avulsionem, quam Greci ἀπόσπασμα dicunt, cùm scilicet una pars separatur ab alia, ut contingit in ossibus luxatis, in tendinibus, & musculis separatis, citra læsionem partium similarium adjacentium. Hæc enim pertinent ad malam compositionem, vel in figura, vel in situ vitiatis. Solutiones verò continui partium resciſsionem, ac deperditionem cum disjunctione, seu nexu soluto, referunt, adeoque resarcitionem, & regenerationem alicujus rei exposcunt. Ad exequendam autem partium solutarum connexionem, coitionemque, quatuor proponit Galenus à Medico esse peragenda, ubi tamen illa simplex est, & in partibus carnosis evenit. Primum, ut partes distantes simul alliget, & connectat. Secundum curet, ut commissæ, & colligatæ, firmæ, ac stabiles conserventur. Tertium, ut prohibeat, ne quidpiam inter labia vulneris incidat, vel remaneat. Quartum, ut ab extrinsecis alterantibus tueatur, fotis simul cum parte vulnerata circumjacentibus partibus. Quæ sanè utillima curatio-

ni, sunt à Medicis impensè consideranda.

Et quidem antequam fiat vulneris agglutinatio, oportet, partes per solutionem continui distantes redditas, rectè adduci, simulque ritè committi, præsertim si vulnus magnum sit. Secundò adductas, unàque commissas firmiter stabiles conservari, ne denuò disjunctæ impedimento sint agglutinationi. Tertiò in hac adductione, & labiorum vulneris commissura, cavendum, ne extrinsecum aliquid interjiciatur, quod resarcitionem impediat; unde conferet partem vulneratam optimè abstergere, ac abluere, vel vino austero, vel aqua ardenti, similive liquore. Quartò demum, ut labia vulneris perfectè unita conserventur, adhibendam esse docet ligaturam, suturam, vel fibulam. Statuuntur autem ligaturæ ab Hippocrate, & Galeno in *libro de iis, quæ fiunt in Medicatrina*, & ex Avicenna 4. 4. *tract.* 1. *cap.* 3. trium generum. Alia dicitur ligatura Retentiva: Alia Glutinatoria, dicta vulgò *Incarnativa*: Et alia Expulsiva, seu Expulsoria appellata. Prima instituitur pro retinendis medicamentis partibus vulneratis applicitis. Secunda fit per fascias, ut labia unita conserventur, & ulcus ipsum facilè agglutinetur. Tertia denique, cùm hinc, & illinc ad latera vulneris adhibentur pulvini, vulgò plumbacula, seu linteola replicata ad comprimenda labia, & partes adjacentes vulneris, ut excrementa propellantur, atque in cavum illius nihil decidat, aut profluat. Ligatura verò, quæ hoc loco à Galeno commendatur, secundi generis est, quæ scilicet per fascias labia partis vulneratæ alligat, & unit.

Trium quoque generum referuntur Suturæ vulneribus adhiberi solitæ. Prima dicitur Glutinatoria, per quam labia adducuntur, & conservantur. Secunda Suppressoria, per quam labia vulneris consuuntur, more pellium. Tertia dicitur Retentiva, seu Conservativa, & fit, ut medicamenta detineantur, quousque vulnus coaluerit; labia verò vulneris aliquantulum inter se distent, ut saniem, & pus emittant, ne ab illo detento relaxentur. Verùm de his fasciis, & suturis legantur præ cæteris Tagautius *l.* 2. *Chirurgicarum Institutionum*, & ex modernis Scultetus *in Append. Chirurg. Instrum.*

At quid Fibulæ Antiquis essent, aut ex qua materia conficerentur, dubium est apud Chirurgos. Et quamvis Oribasius affirmet illas ex ære, ferro, aut auro compositas, atque Circuli formam retulisse: nostris tamen temporibus horum usus nullus ampliùs est, sed loco illarum inductum est gluten, quod tutissimum est, componiturque ex albumine ovi, bolo Armenia, thure, sarcocolla, mastiche, sanguine draconis, polline, fuligine fabrorum, gypso, tragacantho, & resina pingui ad consistentiam mellis. Eo enim tam fortiter labia vulneris devinciuntur, ut nonnisi difficillimè sejungantur. Verùm Recentiorum Chirurgorum industria compertum est, vulnera simplicia felicissimè curari solis balsamicis medicamentis, quibus partes vulneratæ roborentur, puris generatio arceatur, prohibeaturque ambientis Aeris alteratio: quę videntur esse tria principaliora requisita, citæ, & facili curationi vulnerum recentium, magnoperè necessaria. Balsama autem ex rebus aromaticis, & resinosis componi solent, puta resina terebinthi, gummi de tacamacha, mastiche, thure, hyperico, consolida, balsamina, & similibus in vino, vel aqua ardente infusis, & maceratis, aut etiam exinde destillatis. Hac ratione confecta est Aqua Neapolitani dicta, oleum Cicinelli, balsamum Innocentianum vocatum, &c. Verùm inter plurima, hoc accipite efficacissimum, tutissimum, ac facillimum medicamentum, ad quævis vulnera simplicia accommodatissimum: Quod recipit, *Vitrioli Romani ad solem cal-*

cinati unc. ii., *picis colophoniæ unc. iii.*, *terebinthinæ Venetæ unc. i.* ÷ *succini pulverati unc. i.*, *aquæ ardentis optimæ lib. ii.*, *hyperici p. ii.*, *myrrhæ*, & *thuris pulverati*, *singulorum unc. sem.* Ponantur in vase vitreo bene clauso ad solem, vel ad caminum, ac intereà per vices agitentur; atque ità post tres, vel quatuor dies liquor poterit in usum adhiberi.

Modus autem illo utendi, talis erit. Primùm exprimatur vulnus, ut si quid sanguinis in illo hæserit, bene detergatur; immò, si oportuerit, etiam vino, vel aqua ardente abluatur, itaut nil sanguinis concreti, aut grumefacti, alteriusve rei extraneæ, intra vulnus relinquatur: deinde labia simul committantur, & uniantur: mox balsamum adjiciatur, & petiis, ac fasciis ligetur, ut meliùs labia conserventur unita, nullusque aer admittatur ad partis vulneratæ alterationem: nam his ritè, rectèque adhibitis, vulnus brevissimè sanatum ibit.

Sed tamen adhuc alia plura parari possunt, & quidem efficacissima balsamica, & vulneraria medicamenta, ex nostratibus tantùm plantis elicita; ut & ex Abiete, Pino, Ulmo, Quercu, Lentisco, Cypresso, Hedera præsertim arborea, & muraria, cæterisque similibus, sive sponte, sive incisione, gummosis, ac resinosis, permistis cum hyperico, millefolio, balsamina, poligono, pyrola, alchimilla, caryophyllata, aliisque vulnerariis; si nimirum simplici infusione in vino veteri, ejusve spiritu, ad solem, vel in fimo, vel super cineres calidos, sensim, sensimque digerantur, ad exactam tincturarum extractionem. His quoque meretur adnecti, quod ex Oliva tum fera, tum domestica, ineunte æstate, incisa, gummi colligitur: Mirum enim quàm efficaciùs suaviùsque, supra notatis admistum, in leniendis doloribus, & vulneribus sanandis, operetur; ut propterea nil Nobis ampliùs exquirendum, aut ulteriùs sperandum sit ab exoticis Indiarum simplicibus: id quod nonnulli religiosè nimis & satagunt, & inquirunt: quasi verò iis Natura, benefica, pia, & liberalis Mater, nobis verò dira, injusta, & avara Noverca fuerit. Sed hæc obiter.

Quòd si fortè vulnus profundius sit, quàm ut simplici ligatura, & commissura, satis sit ad agglutinationem; tunc adhibenda quidem balsamica agglutinantia, sed intereà relinquenda est in vulnere aliqua declivitas, vel facienda subfluxio, per quam & balsamum injici queat, & pus, quod fortasse progignitur, possit expurgari; siquidem ejusmodi vulnera in carne profundiora, exposcunt carnis abscissæ regenerationem, quæ rarò sine pure perficitur; & ex altera parte pus illud omninò debet expurgari, cùm sit impedimentum regenerationis prædictæ.

Quoniam verò in curandis vulneribus partim Naturæ opera, & partim Medici diligentia necessaria est, proinde Galenus utriusque opus memorans, ait, ad Naturam pertinere, ut coalescant ea, quæ invicem distant, & soluta unitas ad pristinum redigatur; unde carnis regeneratio, & unitatis solutæ restitutio, solius Naturæ opus est. Medici verò opus erit in unum adducere, & colligare partes ex vulnere distantes redditas: sic colligatas, firmas, ac stabiles conservare, & prohibere cujusvis corporis in vulnere permansionem, removendo quæcumque ejus agglutinationem impedire possunt. Quin idem Galenus 3. *Meth. cap.* 4. præcipit cujusvis aeris in vulnus penetrationem esse inhibendam, ne pars affecta ullatenùs alteretur.

Quo autem pacto possit Medicus prohibere, ne aliquid vulneri superaccidat, aut intra labia vulneris intercidat, subdit Galenus: & quidem in principio, quando labia vulneris adducuntur, omni dili-

gen-

gentia curandum, ne lateribus vulneris adhæreat capillus, pilus, gutta olei, aut aliqua alia humida ſubſtantia; quoniam hæc impedimento ſunt agglutinationi, & partium coitioni; unde idem Galenus *cit.* 3. *Meth. cap.* 4. docet, ichorem maximè impedire agglutinationem, atque ob id jubet exſiccantibus utendum. Poſt adductionem labiorum, prohibeat in poſterum Medicus, ne alieni humores illuc delabantur, aut confluant: nam facilè ad partem vulneratam, veluti debilem redditam, humores defluunt, ut dicitur 3. *de natural. facult. cap.* 13. Hinc quàm malè Chirurgorum plerique in curandis vulneribus olea adhibeant, unguenta, frondes, & folia herbarum delaxantia, itemque uſui turundarum inſiſtant, à Galeni mente recedentes, quiſque norit. Sed quàm ex adverſo, & ſcitè quidem diligentiſſimus noſtri temporis Chirurgus Cæſar Magatus *de Rara Medicatione Vulnerum*, plurimis fretus rationibus, & authoritatibus, aliter medicandum opinetur, nemo eſt, qui non commendet, ut propterea legi mereatur.

Hinc porrò, & ſapienter quidem, agunt, qui in curandis vulneribus, ſtagnantem primùm ſanguinem è cavo vulneris, quantocyùs fieri poſſit, vel ore, vel ſiphonis ope, ſumma diligentia omnem penitùs extrahunt, & exſugunt, ne ibidem hærens corrumpatur, (unde malum omne) quinimò pars vulnerata, undequaque deterſa, & balſamicis deinceps fota ad cicatricem exactiùs perducatur, & quàm citiſſimè perſanetur. Fuit, & non ità pridem apud Nos, plebejus quidam homo, omni literatura penitùs ignarus, qui ſolo ſuctu vulnerum, quotidiè inito, cava, & profunda etiam ulcera feliciſſimè curabat, non alio præſidio uſus, quàm detenta parte ulcerata ab extrinſecis alterantibus cuſtodita: id quod vulgus incantationi putabat adſcribendum.

Si prætereà cum ſolutione continui, alia accidentia conjungantur, tunc indicationes curativæ plures erunt, ut in Morbis compoſitis, ſive complicatis. Quæcumque autem illa ſint, commodè reduci poterunt ad tria illa ſuperiùs ex Galeno recenſita, videlicet ad Urgens, ad Cauſam principalem, & ad Impedimenta, de quibus jam ſupra actum eſt; unde prudenter dijudicabitur, quid ante quod, vel quid cum quo, vel quid poſt quod ſanari debeat, vel poſſit; quemadmodùm Galenus ipſe in ſervando ejuſmodi ordine curationis inſinuat, 7. *meth. cap.* 12.

Ex pluribus autem ſymptomatibus, quæ vulneribus accidere ſolent, præcipuum, & cæteris periculoſius eſt Hæmorrhagia, propterea qua ratione poſſit Medicus eidem occurrere, breviter aperiamus.

Et quidem in communiori praxi toti ſunt in pluries mittendo ſanguinem, gratia, ut inquiunt, Revulſionis, ex partibus oppoſitis, ac diſtantioribus. At minuitur quidem, ſed non ſiſtitur ſanguis repetitis ejuſcemodi detractionibus; quin & non rarò, concitato potiùs ejuſdem motu, impetuoſiùs is irruit in partem vulneratam, veluti redditam debiliorem, ideòque abundantiùs egreditur; niſi etiam tam langueant vires, ut in vitæ diſcrimen ægrum adducant, vel ſaltem tardiſſimæ curationis vulnus efficiant. Inſiſtunt alii ligaturis, frictionibus, cucurbitulis, atque interea parti vulneratæ admovent pulveres quoſdam adſtringentes, ex aloe, bolo Armenia, terra ſigillata, ſanguine draconis, hypociſtide, acacia, myrtillis, balauſtiis, roſis ſiccis, pilis leporinis, aliiſque, unà ſimul permiſtis cum albumine ovi; quæ medicamenta, cum localia ſint, & pulverata, fluenti ſanguini remoram quodammodò faciunt, ſed non plenè opitulantur. Hac planè ratione vulneribus ſanguinem fundentibus profuiſ-

fuisse credendum, lotiones aquæ frigidæ apud vetustiores in usu habitas: nam oscilla venarum, & fibras partium corrugando, sanguinem sistere poterant.

At verò quæ hactenùs ex innumeris medicamentis sanguinem fluentem ex vulnerata parte, sistentibus, efficaciora in Praxi observata sunt, censentur potiones vulnerariæ, pluries assumptæ; Extrinsecùs verò Pulvis sympatheticus, & Aqua aluminosa vitriolica. Potiones vulnerariæ parantur ex consolida, hyperico, alchimilla, sanicola, pyrola, dictamno, bistorta, tormentilla, rubia, aristolochia, pilosella, rhapontico, equiseto, centinodio, caryophyllata, plantagine, zedoaria, betonica, cornu cervi, cortice ligni guajaci, ligno lentiscino, visco quercino, santalis, gummi tragacantho, balsamo peruviano, & similibus, quæ sanguinem moderari, & fibrillas venarum, ac arteriarum corrugare, & constringere creduntur. Hæc autem primùm infunduntur, deinde decoquuntur in aquis, vel puris, vel chalybeatis, usque ad consumptionem tertiæ partis, atque ad dosim quatuor, vel sex unciarum, mane, & sero exhibentur, addendo guttas aliquot balsami sulphuris, vel peruviani, vel tolutani, aut cum spermate Ceti, vel sperniola Paracelsi juxta descriptionem Crollii, & Hartmanni. (a) Ex his quoque pulveres Traumaticos dictos alii conficiunt ad eundem finem. Optimum etiam est infundere essentiam sanguinariæ, seu centinodii, aut etiam succum depuratum ejusdem, vel urticæ. Conferentes etiam sunt trochisci Gordonii descripti à Valerio Cordo, & à Sgobbio in suis Pharmacopœis. Sunt etiam apud nonnullos in magno pretio magisterium, tinctura, & syrupus coralliorum rubrorum; at quia ex coraliis elicitæ tincturæ fraude non carent, infideles sunt.

Quod verò attinet ad pulverem Sympatheticum, is mirabilis semper in sistendo sanguine est observatus, sive supra partem vulneratam admoveatur, sive supra intinctum recenti sanguine linteum inspergatur, ac deinde detineatur in loco, ab omni aeris inclementia libero. Scripsere de hoc pulvere, ejusque viribus, Viri undequaque clarissimi, præsertim verò Digbæus olim Angliæ Cancellarius, peculiari libello *de Pulvere Sympathetico*, Laurentius Straussius, Nicolaus Papinius, Erysius Mebryus, & novissimè Pater Hieronymus Vitalis Clericorum Regularium, qui summis rationibus ejus usum licitum quoque esse demonstravit, tum ex naturali, tum ex morali Philosophia. (b)

Conficitur autem ex Vitriolo Romano purissimo, non verò vulgari, aut Cyprio. Ejus quantitas ad libitum, mense Julio, vel Augusto, repetitis primùm ablutionibus, atque à partibus impuris separationibus per filtrum, aut chartam emporeticam, recolligatur, ut summam suam nanciscatur viriditatem; crassiusculè deinde contundatur, & ferventioribus Solis radiis per dies xv. circiter in phiala vitrea rotunda, ut iis undequaque verberetur, exponatur, quoùsque perfectam calcis formam adipiscatur. Servetur postmodùm in vase vitreo benè clauso, & in loco sicciori, ne per aeris nitrosum humorem recrudescat. Huic tandem ità præparato superaddunt æquam gummi tragacanthi portionem, itemque sarcocollæ, & gummi Arabici sub-

(a) *De potionibus Vulnerariis V. præ cæteris etiam Quercetanum in sua pharmacop.*

(b) *Qui tam pro, quàm contra hunc pulveris usum scripsere, extant uno volumine recollecti, quod Theatrum Sympatheticum inscribitur.*

ſubduplum, ut majorem vim, & efficaciam, in ſiſtendo ſanguine aſſequatur: nec abs re; licèt aliqui id haudquaquam neceſſarium arbitrentur. Ejus inſuper uſus ex Papinio hic eſt Vulneribus recenter inflictis, & ſanguinem fundentibus, immergitur linteum mundum, idque vel ex lino, vel ex cannabe confectum, donec fluente ſanguine penitùs intingatur: huic ſtatim inſpergendus poſtmodùm pulvis eſt, & alio linteo hæc involuta ſimul aſſerventur in loco temperato, eoque vel vicino, vel à patiente parùm diſſito, ne ſcilicet immodica interſit intercapedo.

Quo autem pacto pulvis hic operetur, etiamſi videatur in diſtans agere, longa, ac pereleganti ſanè oratione, pluribus oſtendunt præcitati Doctores, atque in primis Digbæus, qui complura alia exempla, in hujus argumenti comprobationem congerit. Neque ex eo, quòd ſatis manifeſta ratio non appareat, ſuperſtitionis ille culpandus eſt: nam, ut inquit Plinius, multa ſunt Naturæ miracula incompertæ adhuc rationis, & in Naturæ majeſtate penitùs abdita. Et Pater Cabæus de Meteoris *lib.* 4. *cap.* 4. *qu.* 2. de hac eadem re verba faciens, ſic habet: *Sunt aliqui effectus, de quibus videtur ab aliquibus dubitatum, utrùm abſolvant omninò à medio, ut eſt illa ratio medendi vulneribus, quæ curantur applicando medicinam cruſtis ſanguine infectis: dicunt enim ſic curari vulnera in quacumque diſtantia æqualiter. Nec res omninò ſuperſtitioni obnoxia cenſeri debet; nullus enim intervenit actus Religionis nec veræ, nec falſæ; nec medicamentum ipſum ullam habet ſpeciem falſi cultus: eſt enim ſimplex omninò medicamentum, omninò ſimplici modo applicatum; neque ex eo, quòd cauſam ignoras, debes ſtatim Dæmoniacum exclamare, quaſi verò omnia noveris naturalia, & ſint in te omnes ſapientiæ apices transfuſi.* Hactenùs Cabæus. Et quidem multa ſunt in Naturâ, quorum effectus proſpicimus, cauſas verò penitùs ignoramus. Si enim ſupra fæces humanas calidas cinis inſpergatur, mox Teneſmus accidit, cum ardore, & excrementis ſanguineis. Si ſecundinæ fœminarum, aut earumdem lochia in ſordidis locis detineantur, præſertim in vaſis, ubi urina aſſervatur, graviſſima ſymptomata exoriuntur, ut Author eſt Sennertus. Si lactans mulier lac in prunas emulgeat, ſtatim illi ubera ſterileſcunt. Si dum ova à Gallina incubantur, unum aſſetur, reliqua etiam deperduntur, ut teſtatur Pater Kircherus *in Arte magnetica*. Cithara fides æquè tenſas cum alia retinens, ad alterius contactum reſonat. Vina in doliis fluctuant, cùm Arbores efflореſcunt, ac germinant. Genitivæ notæ Puerorum exaſperantur, cùm poma, quæ repræſentant, quotannis ad maturitatem perducuntur. Atque his alia innumera. Si igitur hæc naturaliter eveniunt, cur pulveris hujus activitatem ſuperſtitioſam, aut dæmoniacam dicemus? Sunt quippe per Aerem diffuſi halitus, atque inſtar catenæ devincti, ideoque mutuò communicantes vim, quæ cæteroqui nobis occulta manet, cùm ſenſus noſtros effugiat, eo ferè modo, quo plerumque obſervamus per Aerem vapores, dum pluviæ imminent, in filamenta Aranearum telis ſimilia, diſperſos. Hi autem vapores ità devincti, atque per Aerem diffuſi, cùm è ſanguine vulneratæ partis exhalant, ſimul cum halitibus vitriolicis commiſcentur, & devinciuntur, unàque communicant: quapropter ſanguinem ex vulnere fluentem figendo, & fibrillas partium corrugando, medelam afferunt. Hac ſanè ratione Canes veſtigiis Hominum, Leporum, Avium, & ſimilium inſiſtentes, olfactu illa diſtinguunt: Itemque Vultures, è remotiſſimis etiam regionibus, Cadaverum corpora perquirunt, & inſectantur. Idque genus alia.

Val-

Valdè convenit cum Pulveris sympathetici activitate, vis, & efficacia ejus Unguenti, quod quia vulneribus medetur, si armis sanguine intinctis adhibeatur, *Armarium* dicitur. Adhibetur autem Armis, quibus vulnus inflictum est, vel alteri simili instrumento, eodem sanguine maculato, quod deinde conservatur in loco sicco, ab omni alteratione aeris immuni, eo prorsus modo, quo tractari solet pars ipsa vulnerata: qua enim ratione alteratur ferrum istud, eadem omninò pars ipsa vulnerata afficitur. Interim verò ablui, & detergi debet vulnus urina patientis. Verumtamen hinc fit, ut plerique non incongruenter existiment, curationem non ab unguento, supra ferrum adhibito, sed ab urina proficisci, quæ suo sale abstergit, ac emundat vulneratæ partis sorditiem; unde postmodùm Carnis regeneratio ope, ac beneficio Naturæ; quemadmodùm in Canibus iterato linguæ delinctu experimur.

Hujus Unguenti descriptionem variam referunt Authores, quocircà quibusdam de illius curatione, totiusque facti veritate occasio dubitandi data est. Verùm quæ ex Paracelso, (qui primus Author hujus remedii creditur, quamvis longè vetustius referatur apud Germanos) desumpta est, sic se habet, ut accuratiùs recollegit Rodulphus Goglenius, peculiari tractatu, *De Unguento Armario*, & ante ipsum retulit Jo: Baptista Porta *Mag. Natural. lib.* 8. *cap.* 12. *Sumitur Usnea concreta in Calvaria hominis suspensi, aliave morte violenta perempti, atque in aere derelicta, Mumia vera, & sanguis humanus calens, singulorum unc. i., adeps humanus ad unc. ii., oleum lini, terebinthina, & bolus Armenia, cujusque drachm. ii.* Miscentur omnia simul in Mortario, servanturque in vitro oblongo, & angusto. Atqui vult Goglenius id conficiendum esse Sole existente in Libra, & Usneam esse colligendam Luna crescente, & in domo Veneris commorante, (a) vel etiam Luna versante in Piscibus, ejusdem Veneris exaltatione. At alii supervacanea ista putant. Verùm qui plura, & curiosa, de vi, & compositione hujus Unguenti, & quæ tam pro, quàm contra illud objecta sunt, legere desiderat, consulat *Theatrum Sympatheticum*, ubi etiam eruditissimam Jo: Baptistæ Helmontii disputationem, *De Magnetica Vulnerum curatione*, inveniet, quæ etiam inter ejusdem Opera impressa deinde fuit. Nobis autem satis sit hæc innuisse. Cæterùm de eo, ipsiusque efficacia, fides sit penès allatos Authores.

Quoniam verò superiùs spopondimus referre velle remedia, quibus Medicus possit occurrere omnibus symptomatis, quę vulneribus accidere solent, idcircò ad exactam hujus rei notitiam breviter illa percurramus.

Et quidem primò, si ex secta Vena, aut Arteria sanguis abundanter profluat, nec habeatur in promptu pulvis sympatheticus, licèt Chirurgi ferro candenti orificium venæ, vel arteriæ incisæ occludere satagant, inducta nimirùm eschara; quia tamen id plerumque nimiùm horribile videtur, tutius, ac præstantius erit frustulum aluminis crudi, ad modum turundæ, venæ, aut arteriæ orificio intrudere, & obligare: mirum enim quàm efficax sit Alumen in sistendo sanguinem. Aqua pariter ejusdem Aluminis dissoluti, aut etiam Vitrioli Romani, pulvinulo lineo, aut gossipio applicita idipsum præstat, eamque veluti mirificam summè deprædicat Petrus Borellus *in suis Centuriis Observationum*: qua etiam Bilsium insignem nostræ ætatis Anatomicum, vivorum animalium sectionem instituisse creditur, abs-

(a) *Tauro scilicet, aut Libra.*

absque ulla sanguinis effusione. Aliam Aquam describit Magatus *lib.* 1. *cap.* 63., quam dicit esse præstantissimam ad cohibendum sanguinis profluvium. Sed & nuperrimè magnis laudibus extollit *suum liquorem Stypticum* Jo: Cornelius Meber, ex Vitriolo, & Alumine pariter compositum, atque *Anchoram sauciatorum* appellat, apud quem vide. (*a*)

Quòd si neque ab his profluens sanguis sistatur, (potissimùm cum incisa arteria est) tunc ultimum remedium erit sectam arteriam, aut venam per longum denudare, & serico, vel lineo vinculo utrinque obligare, ut sanguis per alios contiguos, aut proximiores arteriæ ramulos, diffusus, aliò per circuitum divagetur. Quo sanè artificio in patente Aneurismate curando, nonnulli usi sunt, inita scilicet hinc inde ligatura in arteria tumefacta, eductoque sanguine interjacente. At verò in hoc opere exequendo accurata plurimùm, & diligens Chirurgi peritia exquiritur.

Non rarò parti vulneratæ supervenit inflammatio, quę vel vulnus reddit curatu difficilius, vel etiam gangrænam minatur, & corruptionem: proptereà ad ipsam cohibendam instituunt Chirurgi repetitas sanguinis missiones, tum revulsorias, tum derivatorias dictas.

Ad partem verò vulneratam adhibent Repellentia, & quidem refrigerantia, ut oleum rosaceum, lac, poscam, decoctum sumach, plantaginis, & portulacæ, succum solani, sempervivi: pulveres baccarum myrti, & rosarum rubrarum: cataplasmata ex farina hordei cum lacte, vinum rubrum austerum, in quo decocti sint cortices granatorum, & similia. Sed ista plerumque nil proficiunt, nisi etiam in pejus vulneratam partem deducant. Quarè præstabit Aqua spermatis Ranarum, sperma Ceti dilutum aliquo liquore amaricante, puta in decocto Absynthii. Apud cordatiores verò Chirurgos est in usu lotio aquæ ardentis, qua pars roboratur, & restagnans humor exsolvitur. A valdè refrigerantibus omninò cavendum admonet Galenus 2. *ad Glauc. cap.* 2. *&* 13. *meth. cap.* 12., quoniam partem mortificant, & putrefactionem arcessunt, aut saltem consistentiores humores reddunt difficulter resolubiles.

Nonnunquam etiam accidit, ut vulnera evadant sordidiora, & quandoque etiam cum carne flaccida, & fungosa; quin etiam aliquando pars affecta exindè vergit in gangrænam, aut sphacelum: quamobrem totis viribus incumbendum, ut vulnus mundum conservetur, & quoad fieri potest, omni sorde detergatur, absumpta carne inutili, ac fungosa, adeòque Gangræna prohibeatur. Id autem fiet partim internis, partim externis præsidiis. Internis quidem, exhibitis alchalicis, bolo Armenia, coraliis, cornu cervi, oculis cancrorum, terra Lemnia, sigillata, &c. Itemque decoctis ex ligno sassafras, lentisco, C. C. crudo, ebore, consolida, hyperico, visco quercino, zedoaria, scordio, & similibus; victuque attenuante, & exiccante. Extrinsecùs verò admoveantur lotiones ex absynthio centaurio, marrubio, myrrha, aloe: nec non unguentum Ægyptiacum, aut Apostolorum vinum myrratum, Aqua, seu balsamum Neapolitani, Elixir proprietatis, diasulphur Rulandi, seu balsamum sulphuris. Ad carnem excrescentem est in usu alumen ustum, spongia usta, tutia, ærugo æris, aloe. Utuntur alii præcipitato, cum unguento aureo: & alii pulvere quodam composito ex æquis portionibus myrrhæ, aloes, farinæ lupinorum, cen-

(a) *In ultima impressione Vvratislav. ann.* 1687. *cui accessere descriptiones Aquarum styptic. D. la Faeur, & D. l' Emery.*

centaurii minoris, radicis aristolochiæ, veratri nigri, & C. C. usti, quo sordes, & excrementa tenaciora mirificè deterguntur. Efficaciùs operatur Aqua, quam describit Paulus Barbette *in sua Chirurgia*, atque componitur *ex alumine crudo, & viride æris, ad singulorum drachmas duas*: decoquuntur hæc in vino ad libr. i. ÷, usque ad consumptionem quartæ partis, deinde facta colatura, additur *camphuræ drachm. i.* Ne verò ab usu hujus aquæ circumstantes partes offendantur, præstabit uti pulvere composito *ex gallis immaturis, balaustiis, alumine usto, thure, & myrrha, cujusque drachm. i. sanguine draconis, ærugine æris, & cerussa, singulorum drachm. semis.*

In Gangræna denique intrinsecùs exhibeantur diascordium, theriaca, mithridatium, antidotus magna Matthioli, aqua prophylactica, aqua magnanimitatis, elixir vitæ, aqua theriacalis, theriaca Germanorum, magisterium coraliorum, sal volatile C. C., antimonium diaphoreticum, & alia hujus generis. Extrinsecùs verò conferunt caustica, ut oleum vitrioli, oleum ejusdem philosophicum, absynthiacum rectificatum, calchantum ustum, alumen, præcipitatum rubrum. Sed tutiùs, ac mitiùs operatur calcinatum magnum Paracelsi, unguentum Ægyptiacum, trochisci de minio: quibus non suffragantibus, deveniendum ad resectionem, & ustionem, juxta illud Ovidii

Immedicabile vulnus
Ense recidendum est, ne pars syncera trahatur.

Eschara autem ex causticis, aut ex igne inducta, sensim decidet unguento rosaceo, & violaceo, butyro, aliisve similibus, ac postmodùm, detersa pars sarcoticis tractabitur.

Sæpè tandem cum vulnere conjungitur febris, quæ etsi symptomatis conditionem referat, atque adeò vulneris curationem sequatur, non tamen omninò contemnenda est. Quare si gangrænam imminentem, vel concomitatam habeat, omnia alexipharmaca convenient: si inflammationem, dissolventia, & sudorifica: si sorditiem, & purulentiam, exiccantia, & alchalica: & sic de aliis.

Si postremò vulnus fracturam ossis conjunctam habuerit, expostulabitur primùm partium ossis fracti mutua commissura, quæ peritissimi Chirurgi industriam, ac diligentiam exquiret: mox tabulis, ac fasciis, ad id comparatis, oportebit undequaque os fractum obligare, & in omnimoda quiete detinere, itemque vulnus balsamicis per siphonem injectis confovere. Quòd si frustulum ossis fortasse in vulnere relictum sit, omnis industria adhibeatur, ut debitis instrumentis eximatur; sin secùs, ad cicatricem vulnus perducatur; siquidem non rarò evenit, ut post multum tempus, squamulæ istæ sponte Naturæ prodeant, atque vi ejusdem Naturæ, per fibras motrices expellentis, egrediantur. In hanc rem summè quoque proderit, Emplastrum stypticum dictum Paracelsi, & Crollii, quod superpositum vulneribus mirabiliter extractionem adjuvat eorum, quæ fortassis intra vulnus relicta sunt.

Si præterea cum fractura ossis, ut fieri solet, adjungatur Contusio, & Attritio, optimum erit contusas partes linire cum succo foliorum sambuci ex vino expresso, nam sanguinem livescentem discutit, & partes roborat, non neglectis intereà potionibus vulnerariis suprà descriptis. Utuntur alii spiritu vini camphurato, aut Aqua vitæ Reginæ Hungariæ. Verùm de curatione ossis fracti fusiùs agemus sequenti Capite.

CA-

CAPUT VIII.

XCI. in Galeno.

De solutione continuitatis in Osse.

TEXTUS.

(T. 51.) *FRactio igitur est continuitatis in osse solutio, quæ quantum ad intentionem primam, insanabilis existit; quò verò ad secundam, aliquo modo sanabilis fit. Prima igitur intentio est coalitus partium, qui ob ossis duritiem fieri non potest. Secunda alligatio, quæ fit callo supernato partes fractas circumalligante. Calli autem generatio, qua quidem ex materia, & à Natura fit, est & ad alia communis, qua verò formam ossi vicinam habet, ex ejusdem fit alimento. Molle verò, & puerile os coalescere potest.* (T. 52.) *Sed perrarò fit talis affectus, quin cum altero societur. Magna enim ex parte musculi adjacentes unà cum corporibus aliis fractis ossibus patiuntur. Quare & curationis intentio oritur duplex, quarum altera quidem circa ossa, altera verò circa corpora adjacentia versatur. Sed hæc quidem in carnosarum partium complicatis dicentur affectibus. Nunc verò de fractionibus dicendum.* (T. 53.) *Quoniam enim harum sanitas callositate procuratur, ut autem callus generetur proprii ossis alimenti superfluitatem natura suggerere oportet. Hanc verò superfluitatem in qualitate, & quantitate servare modum, est necessarium: idcircò & ratio victus est adhibenda, quæ tantum, ac talem influere ossibus sanguinem præparet, qualis, & quantus generando callo sit opportunus. Quoniam verò per fracti ossis cavernas idem effunditur sanguis, ejusdem qualitatem, & multitudinem animadvertere oportet, atque ita vel sicciorem, vel humidiorem victum instituere. Sed hæc omnia in libris, in quibus de curandi ratione tractatur, pleniùs sunt explicata.*

PARAPHRASIS.

PRæcedenti Capite Galenus egit de Curatione solutæ continuitatis in Carne, nunc tradit modum curandi fracturam, seu solutionem continui in osse: nam ex eodem 3. *meth. cap.* 1. quod dicitur vulnus in carne, vocatur in osse fractura. Inquit autem fracturam ossis, quantum ad intentionem primam, esse insanabilem: & sensus est, quòd os fractum restitui in pristinum non potest per medium ejusdem generis, sicuti unitur caro soluta, quæ per medium carneum ejusdem naturæ restituitur. At quoniam ossa per callum, qui est medium differens, ac difforme, agglutinantur, idcircò dicuntur per intentionem primam insanabilia, licèt per secundam intentionem sanari possint. Addit tamen Galenus in textu, coalescere posse ossa fracta in Pueris per primam intentionem, quoniam per eam ætatem, mollia sunt. Neque enim alia ex ratione in adultis ossa per primam intentionem nequeunt agglutinari, nisi quia progressu ętatum evadunt duriora, unde nequeunt admittere in sui substantiam mollis alimenti agglutinationem: quamobrem ut notat Galenus 6. *aphorism. comment.* 19., ossa fracta per callum unita, veluti vinculo quodam circumducto constringuntur in superficie; in profundo verò minimè agglutinantur. Ut autem Natura faciliùs ossa fracta per callum conjungat, oportebit Medicum illius Adjutorem esse, atque adeò quatuor omninò necessaria persolvere. Primùm oportet ossa fracta extendere, & in suum locum coaptare: quod peractum dignoscetur, cùm conformantur in figura, magnitudine, & longitudine cum partibus sanis, nullamque habent asperitatem, eminentiam, cavitatem, aut inæqua-

qualitatem. Secundò necesse est, ità adducta, & coaptata ossa in suo naturali situ conservare: quod fit per ligaturas, fascias, ferulas, seu tabulas ligneas apprimè commissas, & fractis ossibus circumductas. Tertiò advertere oportet, ne aliquid inter ossa fracta committenda intercidat, aliter impediretur agglutinatio. Quartò demum opus est ossa prædicta, & membra adjacentia fovere, ac roborare, ne in illa, tanquam ad partem læsam, confluant excrementa, & præternaturales humores; in quem finem solent adhiberi lotiones ex vino rubro austero, authoritate Hippocratis *libro de Fracturis*; aliudve huic simile. Intereà autem, dum Calli generatio desideratur, jubent Chirurgi (ut admonet etiam hoc loco Galenus) alendum esse Patientem cibis similiter glutinosis, uti sunt far, oriza, maxillæ, interanea, & pedes animalium, aliaque hujus generis, prout tamen Ventriculus per concoctionem tulerit.

Quoniam verò subdit Galenus, perraro accidere fracturam ossis, sine adjacentis carnis, membranæ, aut nervi læsione; propterea inquit, curationem dirigi quoque debere, nedum ad coaptationem, & agglutinationem ossis fracti, verùm etiam ad partium adjacentium consolidationem. Et quamvis idem Galenus hoc loco summatim tantùm Methodum tetigerit curandi circumscriptas partes fracti ossis; Nos tamen addimus, illas convenienter foveri succo foliorum sambuci cum vino expresso, vel etiam farina florum sambuci, addita subdupla portione chamæmeli, & absynthii, simulque mistis cum oleo sambucino ad formam cataplasmatis: quamquam & nunc nostratium Chirurgorum usus sit fovere partes ipsas Aquavitæ camphurata, vino myrrhato, aut aliquo balsamo ex iisdem composito. Quòd si partes adjacentes combustæ sint, fortasse quia vulnus sclopo inflictum sit, tunc maximè proderunt olea, vel unguenta ex eodem sambuco concinnata. Oleum autem ex floribus sambuci sic conficitur. *Flores sambuci recenter contusi in vase vitreo reponantur, deinde affundatur oleum olivarum clarissimum, & vetus: macerentur ad solem, vel in loco calido, per dies xv.; deinde decoquantur, & facta expressione, abjectisque floribus decoctis, alii injiciantur, & denuò per alios xv. dies macerentur: posteà simili modo decoquantur, & exprimantur: quod percolatum est, in vase mundo conservetur ad usum.* Simile oleum ex medianis corticibus sambuci extrahunt Augustani *in sua Pharmacopœa*. Linimentum verò efficacissimum describit Platerus *in suis Observationibus* hoc pacto: *Accipit Cortices medianos sambuci, & succum foliorum teneriorum ejusdem, ad partes æquales, olei lini loti aqua florum sambuci partem sesquialteram, olei rosacei, & axungiæ porcinæ itidem lotæ, subduplum, thuris pulverati partem unam, ceræ citrinæ optimæ quantum satis. Hæc omnia decoquit in aqua florum sambuci olla benè clausa, & cum refriguerint, innatans unguentum colligit, & reponit.*

Eo deinde membrum, flamma, aut pulvere pyrio, oleo, aut aqua ferventi, aliterve combustum, illinit, ac posteà linteis mollibus obvolvit. Simile aliud linimentum affert Matthiolus *cap. 168. super iv. Dioscoridis*, apud quem vide. Paratur etiam ex lixivio, & oleo sambucino aliud, quod ex lactis colore, quem refert, *Lac Aureum* appellatur. Debent autem lixivium, & oleum sambucinum benè simul agitari, & commisceri, ut lactis colorem acquirant, atque tunc adhibetur feliciter ad ambusta, præsertim, cum ad Gangrænam exulceratio inclinaverit. Applicatur tamen calidè, vel eo imbuantur lintea, & superimponantur: Dolores namque lenit, & putredinem, ac corruptionem prohibet.

Si

Si Fracturâ ab instrumento contundente potiùs, quàm ab vulnerante orta sit, atque adeò conjunctum habeat livorem in parte, tunc statim à principio poterit exhiberi pulvis Mesvæ contra casum in vino rubro austero, & exteriùs livescenti parti applicetur aqua ardens, in qua dissoluta sit Camphura: licèt in praxi ordinaria utantur oleo rosaceo, cum pulveribus rosarum rubrarum, & myrtillorum, superposito brassicæ folio. At si ex contusione pars in tumorem sit elata, tunc interiùs proderit sanguis hircinus cum pulvere oculorum Cancrorum præparatorum, & spermate Ceti. Exteriùs verò Emplastrum ex eodem spermate Ceti, descriptione A. Mynsicht, vel fodicationum Paracelsi.

Inter ossium omnium fracturas, longè periculosiores sunt, quæ Cranio contingunt, ideoque de his speciatim aliqua subnectamus, & peculiaris curationis methodum tradamus.

Cranii vulnera diversimodè contingunt. Aliquandò enim Cranium solam Rimam contrahit, & quidem in superficie tantùm, nec interiùs penetrat: cùmque sanies in ea collecta reliquum ossis, & subjectam membranam corrumpere possit, proinde summa diligentia detegenda illa erit, & conspicua reddenda, adhibitis interea iis, quæ sanguinis fluxum sistere possunt, potissimùm ex albumine ovi, & pulveribus adstringentibus. Ubi postmodùm sanguis destiterit, nec ampliùs profluit, abradendum os est, usquequò Rima desierit; idque etiam ex documento Galeni 6. *meth. cap. ult.* Deleta Rima, vulnus curetur more solito, & prout superius notatum est, per balsama convenientia: periculum enim, quod ex Rima imminet, illa cessante, desinit; quoniam sanies intra Calvariam serpere, & internas partes corrumpere nequit. Quot autem, & quanta immineant mala ex Cranii Rima, perstrinxit Hippocrates *lib. de Vulneribus Capitis n. 27.* inquiens: *Cùm quis os fractum, aut ruptum, aut contusum, aut quocumque alio modo scissum intelligens, per errorem deliquerit, & neque raserit, neque perforaverit, ante decimumquartum diem febris corripiet, ut plurimum in hyeme, in æstate verò post septimum diem febris corripit, & postquàm hoc factum fuerit, ulcus colorem amittit, & ex ipso pauca sanies profluit, & quod inflammatum est, ex ipso emoritur, os corrumpi incipit, & fit valde nigrum; postremò pallidum, aut valde album, & desipiens æger moritur.* Ad id autem præcavendum maxima in Chirurgo peritia expostulatur, præsertim cùm ad meditullium, seu ad os vitreum abrasio necessaria est; siquidem inde sanguis affluentiùs manare solet, exactam impediens derasionem; quamobrem assiduò spongia, vel gossipio, posca imbuto, opus erit, ut ejus ope sistatur sanguis profluens. Quòd si Rima universam ossis crassitiem occupaverit, tunc solent Chirurgi perterebrationem instituere instrumentis ad id comparatis, ut sanies exitum habeat, & Meninges, ac Cerebrum minimè pervadat. Verùm quia hæc, utpotè nimis horrifica, & laboriosa, nostris temporibus ferè exolevit, proinde solutis balsamis dumtaxat utuntur, ad prohibendam puris generationem. Eodem prorsus modo operandum in vulneribus Capitis cum sede Teli, facta solùm, si oportuerit, asperi ossis abrasione, ne asperitas ipsa impedimento sit curationi. (a)

Solet etiam cum vulnere capitis conjungi contusio, & tunc licèt plerique etiam ossis abrasionem commendent, qua parte livor ex contusione apparet, satis ta-

(a) *Fracturarum in Capite differentias, & nomina diversa vide apud Galenum* libro finitionum Medicarum *eidem adscripto.*

tamen erit balſamis partem illam fovere, & cætera præſidia adminiſtrare, quæ in reliquis oſſium contuſionibus memorata ſunt.

Denique ſi Cranii portio ex vulnere ſit abſciſſa, ſed abſque eo, quòd dura Meninx detecta ſit, curatio, ſicut in cæteris oſſis vulneribus dictum eſt, perficienda. Si verò membrana detecta appareat, tunc ſolent Chirurgi laminam pluribus foraminulis pertuſam, ad illius cuſtodiam, & puris repurgationem, ſuperponere, & Meninges, ac Cerebrum contegere. Verùm hæc peritiam potiùs experti Chirurgi, quàm theoriam expoſtulant. Et de his ſatis.

CAPUT IX.

XCII. In Galeno.

De Punctura Nervi, & Tendonis, ſeu Chorde.

TEXTUS.

(T. 54.) *Nervi verò, & Tendonis punctura propter ſenſus excellentiam, & quoniam hæc pars principio continuatur, prompta eſt ad Nervorum convulſionem excitandam, ac tum præſertim, cùm nihil extrorſum expirat obcæcato cutis vulnere. Aperiendum eſt igitur, atque exiccandum ſubſtantia tenui, quæ uſque ad ima Nervi offenſi poſſit penetrare. De his verò exactè diximus in libris de Arte medendi conſcriptis.* (T. 55.) *In ſimplicibus quando hujus generis affectibus ſalubrium cauſarum forma talis exiſtit: In compoſitis verò complicatur ulceribus.* (T. 56.) *Prima quidem cavitas, quam non alterum affectum, ſed ulceris differentiam eſſe arbitrantur. Eſt autem non differentia hujuſcemodi res: ſed alterum aliquod totius ægritudinis genus, in quo ipſius ſubſtantiæ jactura facta eſt. Et quidem curatio in duplici morbo duplicem exigit intentionem: Nam continuitatis ſolutio, unitate: ſubſtantiæ autem jactura, generatione indiget. Paulò verò ſupra generationis intentiones expoſitæ ſunt.* (T. 57.) *Quòd autem primum quidem hunc affectum oporteat ſanare, demum unitatem reſtituere tentare, ipſa rerum Natura commonſtrat. Cùm itaque repletum quidem fuerit cavum, ulcus verò ad æqualitatem perductum, alteram intentionem aboleri contingit: nam media exiſtente inter labia ulceris ea carne, quæ nuper eſt genita, partes quidem diſtantes uniri eſt impoſſibile, unde fit, ut alia ſit intentio perquirenda. Intentionem autem conſequemur ex eo, quod eſt ſecundùm naturam ipſi parti comparando: erat autem eidem ſecundùm naturam cute obduci. Quare hoc ipſum à nobis procurandum, aut ſi hæc intentio effectum ſortiri non poteſt, ſimile aliquid cuti, carnem ſcilicet, quæ cutis naturæ vicina ſit, inſtaurare oportet. Eſt autem hujuſcemodi, quæ & ſicca, & calli ſimilitudinem præſefert. Ad cicatricem igitur obducendam neceſſaria erunt exiccantia, ac ſine mordacitate adſtringentia medicamenta:* (T. 58.) *Ita & ſi ſordities aliqua fuerit adnata, intentio quidem erit abſtergendi, & erit medicamen ſalubre abſterſivum: eorumdem verò materiam in libris, in quibus de medicaminibus agitur, ſcripſimus. Et quidem ſi aliqua inflammatio, vel attritio, aut tumor prædurus, ideſt ſcirrhus, aut mollis, & laxus, ideſt œdema, cum ulcere fuerint, priùs eorum curationi intendere oportet, eas ſequendo vias, ac rationes, quas prius expoſuimus. Sic & ſi aliquid ulceri illabitur, ad illabentium curationem intendendum. Eodem pariter modo, ſi aliqua intemperies ulceratum locum obſederit, ad ejuſdem intemperiei remedia antea veniendum. Sed de his quidem ſatis.*

PA-

PARAPHRASIS.

AD exactam omnium vulnerum tractationem, postquàm Galenus de Curatione fracti ossis egit, prosequitur agere de Punctura Nervi, & Tendonis, quæ longè gravior, & periculosior est. Appellat autem in Nervo, & Tendone puncturam, ad differentiam vulneris in carne, & fracturæ in osse, ut superiùs meminimus. Docet verò primùm Nervorum, & Tendonum puncturas esse periculosissimas, triplicem ob causam, quarum primam esse inquit, sensus vehementiam: sunt enim Nervi organa sensus Tactus, neque pars quælibet sensus est capax, nisi per Nervos: Cùm igitur Nervi vulnerantur, seu punguntur, ob sensus excellentiam acutissimè quoque dolent: Dolor modò primum, & præcipuum locum retinet inter symptomata vehementiora. Secundam verò ait esse, subsequentem Cerebri læsionem, quoniam Nervi vel immediatè, vel mediatè per Spinam Cerebro cohærent, propterea dolor, & læsio Nervis illata statim transfunduntur in Cerebrum, non sine ingenti operationum animalium læsione. Hinc prompta etiam est convulsio, per quam omnes partes nervosæ ad suum Principium contrahuntur. Tertiam denique inquit esse acris ichoris in punctura Nervi retentionem, undè magis, magisque perpetim ille vellicatur, & irritatione conatur expellere id, quod præ acritudine Nervum, & Cerebrum molestat. Dictum est, hæc omnia potissimùm accidere in Nervi punctura; nam si fortasse Nervus omninò rescinderetur, minoris periculi certè foret, ut infrà dicetur.

His de Punctura Nervi præmonitis, pergit deinde referre Methodum Curativam illius, quam his propemodùm verbis describit; *Obcæcatum Cutis vulnus aperiendum est, atque exiccandum substantia tenui, quæ usque ad ima Nervi offensi possit penetrare*. Et sensus est, quòd in obcæcata punctura cutis, & carnis, Ichor, qui ex punctura promanat, quique ex partibus adjunctis, atque ex ipso liquore nerveo, confluit, in Nervo puncto restagnans, minimè expirat, nec repurgari potest; quo circà aperiendum vulnus est, ut liberè totus Ichor egrediatur, qui est causa gravioris mali in punctura Nervi, puta convulsionis. Mox debet etiam exiccari, & tenui aliqua substantia absorberi, quam *6. meth. cap. 2. & 3.*, ubi fusiùs de hac re agit, dicit esse Terebinthinam Laricinam, & Abietinam, cum cera, pice, & pulvere Euphorbii, molli gossipio exceptam.

At videtur Galenus in vulneribus Nervorum, & Tendonum valdè diminutus, cum solius puncturæ mentionem faciat: possunt namque Nervi, & Tendones cædi, & vulnerari, per longum, per latum, & transversaliter; id quod objicit Galeno Argenterius.

Verùm non sine ratione solius puncturæ hìc ille meminit; quoniam hæc potissimùm Nervi læsionem determinat: cæteræ autem dissociationes non solùm Nervis, sed cæteris etiam partibus conveniunt. Atqui Methodus Definitiva, quæ hoc in libro sustinetur, percurrit solùm Capita rerum, & non longam, latamque omnium materierum tractationem. Cæterùm plura de his cupienti adeundus est Sextus Liber de Methodo medendi.

At graviùs dubitare contingit, cur Galenus in textu dixerit, paucum Ichorem retentum in punctura Nervi, ob illius mordacitatem, convulsionem afferre. Et ansam dubitandi præbet idem Galenus, qui inhærens Hippocrati *6. aphorism. 39.*, duplicem assignat convulsionis causam, Inanitionem scilicet, & Repletionem, exemplo ex fidibus, vel exiccatis, vel humefactis, desumpto, idipsum confirmans: mordacitas autem Ichoris in punctura Ner-

vi, neque per Repletionem, neque per Inanitionem videtur convulsionem parere posse. Sed in Galeni Operibus versatus facilè difficultatem istam diluet. Is enim, 12. *meth. cap. ult.* quatuor causas convulsionis constituit: & quidem præter Inanitionem, ac Repletionem, affert quoque humorem tenuem, & mordentem, atque ingens frigus. Dixit autem *textu* 39.6.*aphorism.* Inanitionem, & Repletionem esse dumtaxat Convulsionis causas, potiùs ut conveniret cum doctrina Hippocratis, quàm ut ex mente sua idipsum referret. Unde deduci potest, quàm sagaciter Galenus; pro libitu sententiam mutare consueverit, & pro re nata, modò in hanc, modò in aliam, & quandoque etiam in oppositam, inclinare, prout res exigere videretur. Nisi tamen in utriusque Authoris gratiam dicere velimus, duas alias ex mordente humore, atque ex frigore deductas causas, commodè etiam ad Inanitionem, & ad Repletionem revocari posse; nam pungens, & mordens humor, aut replendo, aut inaniendo molestat: & frigus, constipando, corrugandoque, etiam pro rata sua detinet humorem, qui causa convulsionis est.

Quamvis autem ex Punctura Nervi convulsio præsertim oriatur, non tamen quis exinde putet, alia, & quidem gravissima subsequi non posse. Sic & Tremorem, Stuporem, Paralysim, motus Convulsivos; & Vomitus; & quandoque etiam mentis Obstupescentiam, Delirium, cæteraque similia supervenisse Praxis edocuit. Veruntamen frequentiùs Convulsio comes ejus est, quoniam immediatiùs ex punctura utraque Nervi membrana afficitur, ex pia, ac dura Matre procedens, quæ medullarem Nervi substantiã investit. Quamobrem suspicari fas est, medullam Nervi affectam, aut obstructam, Paralyses potiùs, ac Stupores afferre; Vomitum verò, Delirium, aut Obstupescentiam subsequi, cùm præter particularis Nervi læsionem, vitium quoque Cerebro communicatur: id quod accidit, vel ex pure ibidem genito, aut ichore corrupto, vel ex inflammatione, aliave simili affectione, membranas simul, & medullarem substantiam collædente. Hinc affecto Cerebro ea in parte, quæ Nervorum principium est ab acritudine mordentis humoris, vomitus accidit, compatiente nimirum Ventriculo, qui plurimas nervorum propagines inde recipit, & tum à conjugatione vaga, tum à vertebris lumbaribus. Quamquàm etiam crediderim id pariter accidere solere ob connexionem, quæ Ventriculum inter, & Diaphragma intercedit; cui per fibras Stomachus tenaciter adhæret, ac propterea mutua vellicatione simul unà concutiuntur, ut patet in Singultu, in quo Ventriculus simul, Septumque transversum commoventur; quin & in Risu, ad concitatam Diaphragmatis motionem, Stomachus etiam commovetur, & Thorax, atque Abdomen, pariformiter coafficiuntur.

Quemadmodùm ex vomitu, vulneratis Nervis, superveniente, conjicimus Ventriculum compati Cerebri passionem; ità pari ratione, si convulsio vulnus consequatur, lethum imminere scribit Hippocrates 5. *aphorism.* 2. quoniam nedum nervi per vulnus affecti designantur, verùm etiam Cerebrum, nervorum principium; unde fibræ nerveæ, & membranę, nervorum substantiam medullarem circumobvolventes, proritatæ contrahuntur, & convulsionem subeunt, quam denique mors subsequitur.

At qua de causa punctura nervi adeò sit periculosa, ut convulsionem, & mortem afferat, secùs verò ejusdem resectio, dubitabit hìc non incongruè aliquis. Sed eidem fiet satis dicendo, idcirco convulsionem in nervis punctis concitari, quia ex punctura; & ichore inde exudante, fibræ non sectæ proritantur, & convelluntur.

At

At verò fibris nerveis penitùs resectis contractio nulla fit, nec partes nerviceæ præcisæ concuti possunt, eo quòd non ampliùs cum reliquis nervis, & Cerebro communicent. Attamen licèt nullus metus convulsionis ex resecto nervo immineat, pars nervi nihilominùs resciſſionem passa, in sensu, & motu plurimùm languet, cùm sensus, & motus per nervos habeatur. Hinc Galenus *6. meth. cap.* 3. inquit: *Si totus Nervus præcisus est*, *nullus metus* (idest convulsionis) *instat; debilis tamen particula manebit*.

Sicut de Nervo puncto, ità etiam de Nervo ex parte tantùm dissecto, valde timendum, quoniam à fibris dissectis noxa non dissectis infertur; quamobrem fluxiones, inflammationes, convulsiones, dolores, & alia hujus generis promptè admodùm illis accidunt. Jure ergo Galenus *cit. 6. meth. cap.* 3. facta comparatione inter nervum per transversum vulneratum, & per longum, statuit, majus vitæ periculum imminere ex transverso vulnere, ob rationem nuper traditam: quod etiam confirmat Avicenna 4.4.*tra.*1.*cap.*1. inquiens, *vulnera cadentia secundùm longitudinem in Nervos, salviora esse cadentibus in latitudinem: Villus enim*, subdit, *sanus læditur ex vicinitate incisi*.

Quod dictum est de vulneribus Nervorum, pari modo intelligendum de sectionibus Tendinum, quoniam hi nerveam conditionem participant: constant enim ex nervea, & ligamentosa substantia; unde ratione substantiæ nerveæ sunt etiam sensitivi. Verum tamen est, quòd in horum vulneribus non adeò sævi dolores accidunt, neque tam prompta, & facilis convulsio, ob mistam ex ligamento substantiam. Magis tamen ob Tendinis vulnus læditur motus, quàm sensus, quoniam motui musculari Tendines sunt addicti, suntque præcipua musculi pars.

Animadversione autem dignum est, quòd licèt ut plurimùm vulnerati nervi convulsionem, & dolorem ingentem afferant, aliquandò tamen sine dolore afficiuntur, & tunc quidem cùm putrescunt, ac mortificantur. Id quod maximoperè notandum, ne Medici decipiantur in Praxi, putantes nervos à læsione immunes, quia vulnus citrà dolorem est. Siquidem vel à pravitate materiei; vel ex inconvenienti, aut importuna frigefacientium medicamentorum applicatione; vel ex inflammatione, corruptionem nervi subeunt, ut proptereà, sine doloris sensu, adhuc mortem afferant.

Postremò de curatione Puncturæ Nervorum aliqua attingamus. Galenus in hoc textu, ut superiùs memoratum, aperiendum primò suadet vulnus in cute, quousque pertingat nervi puncturam, ut exinde faciliùs possit Ichor absorberi, & exsiccari. Absorbendum autem, & exsiccandum esse Ichorem hunc tradidit, *6. meth. citato*, & *lib.3. de compos. Medicam. per genera cap.* 2. medicamento quodam ex Euphorbio composito. Recipit enim: *Ceræ partem i, Euphorbii partes xii, Terebinthinæ, & Picis cujusq; partem dimidiam*. Verùm pro varietate corporum, vel molliorum, vel duriorum, modò permiscet oleum, modò sagapenum, galbanum, & opoponacem; modò etiam sulphur; modò etiam herbas amaricantes, halinitrum, stercus Columborum, &c. ut apud eundem legere est *cit. 3. de compos. medic. per genera cap.* 2. & 3., ut & apud Antiquiores Chirurgos, Jo: de Vigo, Tagautium, Falloppium, Paræum, & alios. At verò Recentiores adhibent in puncturis nervorum oleum ex Terebinthina, Balsamum Sulphuris Terebinthinatum, Oleum de lateribus Philosophorum, Oleum Ceræ, Essentiam Hyperici, Aquam vitæ camphuratam, Oleum ex Balsamo Peruano destillatum, aut ex gummi ligni guajaci, lignoq; ipso. Apud Nostrates est in

usu Oleum Apparitii, ut & Oleum Cicinelli dictum. Maximè etiam prodest Oleum elicitum ex visco quercino, & ex floribus Sambuci suprà descriptum. Sed inter cætera præstat quod sequitur. ℞. *myrrhæ electæ, & mastiches singulorum drac. iii, sarcocollæ drac. ii ÷ aloes drachm ii, thuris drac. i ÷ radicis tormentillæ, & tutiæ, cujusq; drahm. i.* Redigantur in pulverem, & deinde addantur *olei ovorum, & hyperici singul. unc. semis, balsami sulphuris drachm. ii, olei thuris, & terebinthinæ stillat. utriusq; drac. semis, ceræ quantum satis,* & secundùm Artem fiat Unguentum.

Quòd si dolor adjungatur, & urgeat nimis, juvabit primùm, dolorem ipsum sedare; & quidem, vel oleo lumbricorum terrestrium ritè parato, vel ovorum, vel florum chamæmeli, vel sambuci, vel rosarum, in quo lumbrici terrestres ebullierint, unà cum convenienti portione anethi, & liliorum alborum, Sedato dolore, detegatur postmodùm Nervus semota cute, & vulnus amplificetur, nec aliud deinceps adhibendum, quàm oleum ex Terebinthina stillatitium, vel oleum ceræ, aut oleum juniperinum, hypericonis, de tacamahaca, aut ex balsamo Peruviano. Galenus multa ex Fossilibus admiscebat: ut Tutiam, Spodium, Calcem pluriès lotam, & similia, quæ nostris temporibus ab usu recessere. Neque insuper oleosa, & pinguia Nervo denudato admovenda sunt, quoniam putrefactiva. Unde Galenus ipse *cit. 6. meth. cap. 3.* inquit: *Sanè oleo perfundere tale ulcus non oportet:* quod tamen de relaxantibus intelligendũ, secùs de roborantibus, & per destillationem elicitis, vulgò *Quintessentiis* dictis. Pari ratione frigefacientia fugienda sunt: nam frigidum ex Hippocrate nervis est inimicum 5. *aphorism.* 18., & 20. dicitur convulsiones excitare.

Verùm si Nervus vulneratus, aut solutus minimè sit, sed solummodò contusus, tunc, etiam si cutis detecta sit, conferent ea, quæ supra notata sunt pro curatione contusionum, atque optima præsertim erit Aqua ardens camphurata, Elixir proprietatis, oleum de lateribus Philosophorum: licèt in Praxi ordinaria adhibeant Chirurgi Cataplasmata ex farinis fabarum, & lupinorum, cum pulveribus rosarum rubrarum, & modico vino. Utuntur alii oleo calente chamæmelino, vel rosaceo, vel irino, superpositis foliis caulium. At superiùs memorata tutiora, & salubriora semper erunt; quoniam, ut nuper meminimus, ex Hippocrate, & Galeno, Relaxantia, Adiposa, & Frigefacientia nocua sunt nervis, & partibus nervosis:

Hactenùs de methodo curandi continuitatis solutiones, & quidem simplices, Carnium, Ossium, Nervorum, Tendinum; nunc agere prosequitur Galenus de Methodo curativa vulnerum complicatorum. Complicari autem inquit, simulque cum vulnere, vel ulcere conjungi, primò cavitatem, quæ sui repletionem petit, per carnis regenerationem. Nisi enim cavitas impleatur, & caro amissa regeneretur, procùldubio neque vulnus, neque ulcus curari poterunt. Et quamvis carnis regeneratio solius Naturæ opus sit, debet tamen Medicus ejusmodi opus adjuvare, vel saltem auferre impedimenta, quæ regenerationem ipsam remorari possunt. In hunc usum inducta sunt omnia Sarcotica dicta, præsertim sub forma Pulverum, ut sunt, Thuris, Aloes, Myrrhæ, Boli Armeniæ, &c. Itemque Unguentum Apostolorum, de Tutia, de Betonica, de Cerusa, Basilicum, Mirabile; quibus non raro utile est admiscere Epulotica ad saniem, & excrescentem carnem fungosam auferendam; veluti sunt Ceratum de Minio, Diapalmas, Æs ustum lotum, Terra Cadmia, pulvis gallarum, & corticum granatorum, Alumen ustum, de quibus suprà.

Sæpè etiam conjungi solet cum ulcere Sor-

Sordities, proinde subdit Galenus, tollendam illam esse abstersivis medicamentis, & ad ejusmodi usum sunt Mel rosaceum, Terebinthina, farina fabarum, & lupinorum, vel decoctum eorumdem, & hordei. At efficaciora sunt Vinum myrrhatum, vel in quo absynthium ebullierit, aut lithargyrium aureum, Aqua aluminosa, Aqua ferrea, Aqua calcis, vel in qua dissolutus sit lapis medicamentosus Crollii, vel Vitriolum sive crudum, sive in calcem redactum, Aqua vitæ camphurata, Elixir proprietatis, &c. Nosces autem ulcus benè abstersum esse, partim ex colore rubicundo, partim etiam ex sensu vellicationis, quem eadem medicamenta inferent super ulcus adhibita, ut monuit Galenus 4. *de Compos. Medicamen. per genera cap.* 2.

Subdit præterea complicari cum ulcere Inflammationem, cujus curatio quo pacto procucuranda sit, superiùs est notatum. Solùm hìc adjicere oportebit, aliquando inflammari ulcus ex confluxu sanguinis, vel alterius liquoris, ad partem ulceratam, fortasse debilem redditam, ab ipsa continui solutione, quemadmodùm à Galeno animadversum 3. *de Naturalibus facult. cap.* 13. Quare ne illa præ languore fluentes humores detineat, roborantibus remediis fovenda est. Sed & non rarò ob impeditum sanguinis circuitum per arteriolas, & venulas adjacentes, idipsum evenit, quo casu dissolventibus, inflammatio feliciter desinet. Unde non irrationabiliter Moderniores ope Aquæ ardentis camphuratæ, aliusve liquoris dissolventis, & roborantis simul, assequi solent.

Pari ratione procedendum in Attritione, & Contusione, quoties cum ulcere complicantur; inde enim corruptio imminet in parte attrita, aut contusa, ut docet Galenus 12. *meth. cap.* 7. Abstinendum autem à maturantibus, seu pus moventibus, si præsertim timeatur de læsione nervi; sed loco horum adhibeantur foventia naturalem partis calorem, itemque aperientia, ac dissolventia, qualia sunt balsamica superiùs memorata.

Minimè verò hìc præteribimus, quandoque ulcera ad cicatricem difficulter pervenire, quia ut loquitur Galenus 4. *de compos. Medicam. per genera cap.* 2., Sunt Cacoethica, & vitium aliquod in parte recognoscunt, ut propterea succum alibilem depravent, ac vitiosum reddant: vel etiam sunt Dysepulota, vitium ex infecto sanguine, & ab alimento partis, assiduò resumentia, ut gallica lue infectis accidit. Et quidem Cacoethici ulceris signa sunt, labia illius squalida, & arida, absque sanie, nequidem ichorosa, ex Galeno 4. *meth. cap.* 2.; itemque pars ulcerata, asperior, ac durior reddita. Id autem non tarò etiam accidit ab usu medicamentorum nimiùm exsiccantium; aut quia pars affecta sua natura, vel ex diuturna ægritudine plurimùm exaruit. Dysepuloti verò signa referuntur, si remedia nihil proficiant; si ulcus semper amplificetur, ac sordescat; si ulceris labia tumida appareant; si sanies, plusquàm ratio exigat, exuperet; si ulcus ingentem dolorem afferat, præsertim cùm manibus contrectatur. Atque hinc in priori casu expostulantur medicamenta impinguantia, & humectantia, relata à Galeno 4. *meth. cap.* 2.: in posteriori verò, exsiccantia, & detergentia, quorum idem Galenus meminit 4. *de compos. medicam. per genera cap.* 1., ut speciatim est Alumen, Spongia, Terra Cadmia, ærugo Æris, Aqua ardens, Vitriolica, aut Aluminosa.

Regenerata carne in ulcere, præsertim cavo, omnis industria in posterum adhibeatur, ne pars ad cicatricem perducta, signata, aut maculata remaneat. Id, quod quamvis ab omnibus desideretur, à paucis tamen expleri solet. Referam proinde hìc aliqua ad delendas cicatrices, & signaturas ex vulneribus relictas, plurimùm effica-

cia, Commendatur primùm in hanc rem oleum ovorum, si eo diutiùs pars sauciata liniatur. Utuntur alii oleo ex nucleis, & corticibus persicorum per destillationem elicito: Apud quosdam dicitur expertum oleum ex favo mellis destillatum, & præsertim ubi pili desiderantur. Ceratum ex mucilaginibus, & lixivium ex cineribus salicis, & visci quercini, ac foliorum quercus, proclamatur ab aliis. At efficacius, frequentique usu magis comprobatum est decoctum ungulæ Asini pluries repetitum; itemque illius adeps, vel oleum exinde chymicè elicitum, si post ablutionem ex decocto, pars læsa sæpiùs liniatur. Efficacissimum quoque est hoc linimentum, quod ♃. *boracis Venetæ dracm. iii. camphuræ scrup. i. fellis bovini drachm. i., olei myrrhæ drachm. ii, axungiæ gallinæ unc. semis m.* & f. linimentum. Atque hoc aliud: *Pulveris radicis serpentariæ, & ireos sing. drachm. iii. seminum meliloti, & raphani, utriusq; drachm. i. testarum ovorum combustarum drachm. semis, ceræ albæ drachm. i. ÷, thuris drachm. i. sacchari candidi drachm. iii. gummi tragacanthi, aqua rosar. dissol., unc. i., axungiæ anseris quantum satis*: m. & f. linimentum. Nigras cicatrices delet oleum, in quo radix bryoniæ albæ, & nigræ, decocta sit; itemque decoctio styracis calamitæ in vino. Similiter spuma argenti cum succo rosarum albarum lota: oleum balsaminæ, cum radice cucumeris sylvestris trita: oleum myrrhæ: chrysocolla cum camphura trita, & medulla bubula illita. Ad fuscas etiam, & varicolores cicatrices confert oleum de been albo: unguentum ex plumbo loto, & ærugine, oleo rosaceo decoctis. De succo hederæ scripsit Q. Serenus:

At succis hederæ pulchrescit fœda cicatrix.

Quòd si adeò crassa sit cicatrix, ut adhuc supra cutim supereminea; tunc adhibenda erunt exedentia, sed præ cæteris tutiùs erit oleum sulphuris, aut chalcanthi; deinde nova cicatrix inducenda cerato de cerussa, aut diapalma, lamina plumbea superligata. Verumtamen, stultum esse, ait Celsus *lib.* 5. *cap.* 25., *ut quis, decoris causa, rursus & dolorem, & medicinam sustinere velit.* Et de præsenti Capite satis.

CAPUT X.

XCIII. in Galeno.

De speciebus Morborum secundum Formationem.

TEXTUS.

(T. 59.) *Nunc verò transeundum est ad formationis genus, quod in plures secatur differentias. At ab eo, quod evidentissimum existit, exordium est sermonis faciendum, quod ex figuræ permutatione contingit. In his igitur, qui adhuc crescunt, possibile est plurimarum partium figuram emendare: in his autem, qui jam aucti sunt, minimè. Intentio verò in iis, qui curationem admittunt, ad contrarium eversionis adducere. Si verò fractione aliqua non rectè conformata alicujus membri figura fuerit vitiata, cui substantia callosa innasci prævenerit: si quidem hæc adhuc recens extiterit, perfringere oportet, ac rursus rectè conformare, deinde callum superinducere.*

PARAPHRASIS.

Superioribus Capitibus, de Methodo, & Indicationibus curativis, pertinentibus ad Morbos intemperierum, & solutæ continuitatis, satis abundè Galenus egit;

git; in sequentibus nunc agere prosequitur de Remediis indicatis à mala Corporis, & partium conformatione; quoniam ex alibi probatis, sicut sanitas perfecta exigit naturalis Temperiei, formationis, & continuitatis syndromen; ità ex opposito morbus ex unoquoque horum trium genere vitiato illicò emergit. Conformationis autem vitia plura esse possunt, eo quòd plura ad organorum perfectam compositionem requiruntur, quæ commodè reducuntur ad quinque classes, seù mavis dicere species, nempe, quæ figuram, & superficiem, meatum, seu cavitatem, & orificia, magnitudinem, numerum; & situm comprehendunt: De his omnibus propterea agendum sibi proponit Galenus, facto tamen exordio à notiori, videlicèt à Figuræ permutatione, quæ nostris sensibus, & præsertim visui, patentior fit.

Advertit autem primùm, quòd in iis, qui adhuc crescunt, possibile sit, non solùm unius, sed etiam plurium partium vitiatam figuram emendare: in iis verò, qui jam aucti sunt, & adultiores redditi, haudquaquàm possibile esse, subdit.

Sed & insuper animadvertit intentionem curativam ejuscemodi depravatæ Figuræ adimplendam esse per adductionem partis malè figuratę in oppositum: etenim membrum E.g. distortum, ità in oppositum adducere, extendere, extorquere, aut aliter commovere oportet, donec debitam æqualitatem, & convenientem figuram adipiscatur, atque in eadem, quoad possibile est, detineatur, & conservetur, ligaturis, fasciis, ferulis, aliisque mechanicis instrumentis, prout res exegerit, opportunè accommodatis; pari sanè ratione, ac de fracturis ossium suprà meminimus.

Quòd si præterea propter Chirurgorum incuriam, aut inscitiam, membrum malè conformatum, in suum naturalem situm non benè redactum sit, considerandum monet, an ingenitus callus recens videatur, an inveteratus, & obduratus sit; nam si recens fuerit, priùs à perito Chirurgo callum infrangendum jubet, mox partem malè formatam, & non rectè repositam, aptè conformari oportere, ac deindè callum denuò superinduci debere, subdit. At verò si callus appareat inveteratus, obduratusque, quia tunc sine gravi dolore frangi nequit, nec absque convulsionis, inflammationis, vel alterius gravioris mali periculo, satiùs erit membri deformitatem sufferre, quàm in vitæ discrimen patientem adducere. Quo sanè factum, cur Galenus in textu, de curatione malæ figuræ, in qua callus obduruerit, nequidem verbum fecerit.

Quoniam verò malæ figuræ in conformatione partium contingunt potissimùm, (exceptis his, quæ à nativitate sunt ingenitæ) ex luxationibus; idcircò ad illarum notitiam clariorem, in suas species illas referamus.

Tres autem in universum (licèt Celsus duarum solummodò meminerit, quæ veræ luxationes sunt) recensentur. Prima, cum ossa, quæ juncta erant, dehiscunt, vel, ut Celsus loquitur *lib.* 8. *c.* 11., os ab osse disjunctum est: quæ luxatio cognoscitur præsertim ex eo, quia pars in sua mole major, & crassior est reddita. Secunda est, cum ossa elongantur propter mollitiem ligamentorum, quamvis hæc non videatur esse vera luxatio: sed tantummodo elongatio, aut delaxatio ligamentorum: dignoscitur autem, quia si os, & caro adjecta comprimantur, aut contrahantur, in suum situm restituuntur, cùm cæteroqui suspensa, inordinatis motibus hùc, illùcque revolvantur. Tertia est, cùm Caput ossis à suo sinu, & loco excidit, & hæc propriè vocatur Luxatio; & si omninò à sua sede, & adhæsu, excidat, dici solet vulgò *Dislocatio*; si verò imperfectè solùm extorqueatur, aut paululum à suo

situ dimoveatur, appellatur à Barbaris *Distortura*, ab aliis Subluxatio, signa cujus sunt: Motus articulo, & membro debitus penitùs amittitur: insolita eminentia, vel concavitas, quæ parti non convenit, nec antea aderat, post luxationem manifestè conspicitur: membrum ipsum contrahitur, ac breviatur, relatè ad aliud sibi correspondens, quoniam musculi ossibus alligati semper ad propria capita retrahuntur: denique membrum luxatum proportionem, & æqualitatem non servat cum alio, in statu naturali constituto, nec in mole, nec in figura, neque in situ, neque in superficie, præter dolorem, tumorem, aut etiam ruborem in parte luxata supervenientes: Hæc autem magis, minùsve fiunt, pro ratione majoris, vel minoris læsionis in Articulo luxato, ut visum quoque est Paulo Æginetæ, utque etiam pro varietate causarum, sive externarum, ut sunt casus, ictus, extorsio; sive internarum, ut præsertim sunt defluxus humorum; unde variant quoque symptomata, luxationes vel comitantia, vel subsequentia.

Qua autem methodo ossa luxata curari debeant, docet Galenus *comm. 2. in Librum Hippocratis de Fracturis*: Primùm enim membrum luxatum extendi debet; deinde os in proprium situm reponi, ne denuò amoveatur; tertiò, fasciis circumligari; & tandem ità benè collocari, ut nequeat vitium, aut quodcunque impedimentum pati in calli generatione, aut in peracta repositione. Quamobrem in curatione luxationum totum opus Chirurgicum exquiritur, ut propterea in his, diligentia, aut negligentia operantis satis manifestè reluceat. Verùm legantur super hoc Hippocrates, ejusque Commentator Galenus, in Libro *de Articulis*, *& Fracturis*, necnon Celsus, Paræus, Scultetus, & alii.

Verùm enim verò, Luxationes cæterorum, qui difficillimæ curationis, fiunt sæpenumero facilè curabiles in Puerulis ob carnium teneritudinem, & ossium mollitiem: quinimmò, ut superiùs notavimus ex Galeno, etiamsi in tenerrima illa ætate frangantur, per primam intentionem agglutinari solent. Hinc sæpissimè observatum, puellos malè in figura, & articulatione conformatos, quacumque diligentia adhibita, in naturalem structuram fuisse redactos: ut non semel Ego vidi in his, qui, divaricatis cruribus, aut distortis tibiis, pedibus, brachiis, ob incuriam Nutricum, aliter, aliterve in tenella illa ætate vitiatis, læsi erant; quod secùs adultioribus evenit. Quòd si fortè accidat, luxatum, ex mala ossis in pristinam sedem repositione, non fuisse rectè curatum, cupiatque convenientiùs, perfectiùsque sanari, remisso in suum naturalem locum osse luxato: primùm emollientibus, & laxantibus medicamentis malè figuratas partes relaxare, & emollire oportebit; mox difformatorum ossium novam luxationem inferre, ac denuò in suum naturalem situm ossa committere. Nec defuerunt, qui deformitatem Corporis sufferre nequeuntes, ejuscemodi cruciatibus se exposuerit. Accepi aliquandò à dignissimo fide viro, Amicum quendam, & conterraneum suum, qui de speciositate Corporis plurimùm gloriabatur, cùm fortè fortuna fracturā ossis Tibiæ majoris passus, & incongruenter restitutus, ejus distorsionem subire nollet, dira, miraque in seipsum crudelitate sponte sua Tibiam denuò fregit, ut à perito Chirurgo iterum commissa, perfectè sanitati restitueretur, quemadmodùm bono fato evenit: tantùm valuit vehemens Animi pathema, ut illum impulerit evidentissimum mortis periculum subire. Ridicula etiam, & curiosa planè est historia relata à Sanctorio cujusdam Bergomensis Chirurgi, in frangendis callis ossium versatissimi, qui cùm patientem quendam tibia distortum, valdè

valdè timidum conſpiceret, atque adeò operationi chirurgicæ renitentem, ſtricto enſe, illum vehementi impetu in terram dejecit, mox repentè Tibiam fregit; deinde ſumma lætitia eumdem oſculatus, congruis remediis, miroque artificio, fractum os repoſuit, & in priſtinam ſalutem revocavit. Sed hæc uti ſunt prodigioſa, & rara Artis miracula, ita quoque difficillima, & nimiùm periculoſa.

CAPUT XI.

XCIV. in Galeno.

De Obſtructione.

TEXTUS.

(T. 60.) *Eſt verò & Obſtructio ex eodem genere ægritudinum, quæ quidem ex lentis, & craſſis humoribus fit, unam & ipſa habens intentionem morbo contrariam: dico autem apertionem. Cauſæ verò ſalubres ſunt abſtergentia, atque incidentia medicamina. Quæ verò fit à ſtercore duro, quod interſepit inteſtinum, primum quidem habebit duritiei remedium ex humidis, pinguibuſque clyſteribus, demum ex acribus evacuationem expoſcet. Quæ autem à lapide fit in veſica, in præſenti quidem tranſpoſitionem requirit: integræ verò ſanitatis cauſam, inciſionem, & extractionem: humiditatis autem, quæ præter naturam in parte continetur, ſanatio in omnimoda evacuatione conſiſtit, quemadmodùm etiam in ſuppuratis. Immodica autem repletio immodica evacuatione curatur, ut cum ſanguis intra venas redundat. Sic & quibuſcumque, vel in ventriculo, vel in inteſtinis, vel arteria aſpera, vel pulmone, pus, aut ſanguis continetur, integra evacuatio eſt neceſſaria. Superflui autem cibi, aut potus, adhuc recentis aſſumptio ab evacuatione corrigitur. Quæcumque igitur in pulmone, vel pectore continentur, cum tuſſi educuntur, ſed à medicaminibus extenuantibus. Quæcumque verò in hepate, vel venis, vel arteriis, vel renibus, aut per urinam, aut per ventrem. Sed per urinam quidem ab iis, quæ vehementer extenuant, per ventrem verò ab iis, quæ attrahendi, aut aperiendi ora vim habent. Quæcumque verò in ſuperiori ventre comprehenduntur, per vomitum: quæ autem in inferiori, per ſubductionem. Sed quæcumque ſub cute, per ſectionem, vel ignem, aut per medicamina adurentia: ſic verò aliquando quæcunque in aliqua naturali cavitate, ut in thorace.* (T.61.) *Et ut ſummatim dicam, quidquid præter naturam in aliquibus partibus continetur, ſanationis intentio eſt ablatio, quæ ſi fieri non poſſit, tranſpoſitio. Quæ verò non ſunt ex toto genere præter naturam, at quantitate damnantur, in his intentio eſt devacuatio. At inventio eorum, quæ ad ipſorum ſanationem perducunt, partim quidem ex affectu, plurimum verò ex ipſis affectis particulis ſumitur.*

PARAPHRASIS.

A Vitiis malæ conformationis in figura tranſit Galenus ad perquirenda remedia curativa ægritudinum in mala conformatione Meatuum, ſeu Cavitatum Corporis. Ex his autem refert primùm vitia Obſtructionis, quæ contingit meatibus exiguis, aliquo humore præternaturali repletis, & infarctis. Hanc autem in exiguis meatibus Obſtructionem inquit fieri à lentis, & craſſis humoribus. Et quamvis alibi, præſertim verò 1. *de differ. febrium*, & 9. *meth. c.* 1. & 3. *de tuenda valetud. cap.* 10. Obſtructionem fieri dixerit, vel à craſſis, & glutinoſis ſuccis, vel etiam à copioſis humoribus; unde cit. *lib. de differ. febrium*, etiam à ſanguine, & bile

bile obstructionem fieri posse confitetur. Nihilominùs, quia frequentiùs crassi humores obstruunt, rariùs verò multi, quibus nec tam facilè Corpus scatere solet; idcircò omisit hoc loco eam, quæ à multis, & copiosis humoribus gigni potest, veluti rarissimam; cùm cæteroqui methodus Definitiva per frequentiora, & summaria Capita divagetur. Adde quòd inferiùs etiam mentio fiet de altera specie obstructionis, quæ à multitudine humorum provenit.

Cæterùm crassi, lentique humores promptissimè obstructionem inferunt, quoniam sua crassitie facilè adhærescunt, & consistunt, præsertim cùm meatus angusti sunt, ut præ angustia humores inibi contenti fluitare nequeant. Hinc subdit idem Galenus in textu, unicam, & communem intentionem, seu indicationem curativam in tollendis obstructionibus esse aperitionem, atque adeò usum medicamentorum deobstruentium, qualia sunt omnia incidentia, & abstergentia, & consequenter attenuantia, & aperientia. Antiquis in hanc rem erant in usu mel rosaceum, oxymel, rhodomel, hiera, syrupus de tribus, & quinque radicibus, de capillis Veneris, & hujus generis alia. Sed nostris temporibus ampla remediorum sylva rei Medicæ accessit ad aperiendum, attenuandum, incidendum, deobstruendumque, valdè conferentium. Præprimis autem sunt, quæcumque ex Tartaro sunt composita, itemque ex chalybe, & salibus plantarum, potissimùm absynthii, centaurii, tamaricis, &c. quæque lixivialia, & fixa dicuntur. Succedunt his omnia aloetica, & amaricantia; similiterque salita, acria, & quæ à Medicis calida, seu calorifica appellantur. Ex pluribus autem deobstruentium, & aperientium Medicamentorum formulis, aliquas hìc Nos seligemus usui magis accommodas, magisque compertas. Et quidem pilulæ Tartareæ, seu Melanagogæ dictæ plurimi fiunt à Quercetano, qui in illarum commendationem inquit; Virtutem earum nunquam satis laudari posse. Verùm quia ipsarum descriptio longa satis est, & peritissimam Pharmacopolæ manum exigit, idcircò in earum locum subrogari possunt Pilulæ tartareæ Bontii; quæ recipiunt: *Aloes socotrinæ electæ drachmas tres, gummi ammoniaci cum aceto scyllitico dissoluti, & depurati, unc. i.* ÷, *tartari vitriolati scrup.* ÷: fiat secundùm artem massa: Dosis à *scrup. i. ad drachm. i.* manè: sumi etiam possunt ante cœnam *ad scrup. semis*, sed iteratò, & per vices, ad conservandam alvum lubricam. Tantæ sunt apud Hollandos æstimationis, inquit Schrœderus, ut piaculum habeant publicas, & communes eas facere. Aliam Pilularum tartareaum descriptionem affert idem Schrœderus, quæ efficacissimæ quoque sunt, non solùm ad deobstruendum, verùm etiam ad repurgandum imum ventrem à tartareis, & mucosis humoribus, & ità se habent. ℞. *Aloes lucidæ cum succo fragorum lotæ unc. i. resinæ ammoniaci drachm. iv. salis Martis dulcific. & essentiæ Croci an. drachm. i. magisterii tartari drachm. ii. extracti gentianæ, cum tinctura tartari eliciti, quantùm satis. M. & fiat massa*, Dosis *drachm. semis* ante cœnam. Non minoris efficaciæ est pulvis hic tartareus compositus ex *unc. i. foliorum sennæ, & ex drachma una seminum anisorum, & altera fœniculi, scrup. ii. Cinnamomi, drachm. vi. crystalli tartari, & sacchari ad sufficientiam.* Cujus dosis *à drachm. i. ad ii.* in jure; vel vino albo. Omitto hìc Tartarum vitriolatum ritè præparatum, sive solitariè sumptum, sive permistum cum electuariis congruentibus; itemque pulverem Cachecticum Quercetani admirandarum virium in omnibus affectibus imi ventris cum obstructione, & crassorum humorum farragine; nec non salem Tartari, ac

Tin-

Tincturam ejusdem, & Chalybis, atque alia hujus generis innumera, quæ in dies à Practicantibus exhiberi solent in omnibus obstructionibus Jecoris, Lienis, Uteri, Mesenterii, &c. cùm jam notissima sint.

De loco autem, ubi istiusmodi obstructiones contingant, dubitari non incongruè potest. Galenus eas communes inquit esse omnibus meatibus angustis, quos alibi exponit esse, Venas potissimùm, non solùm Mesaraicas dictas, verùm etiam quascumque Capillares; seù quæ in poros partium desinunt. Verùm, cùm ex detecta sanguinis circulatione jam satis constet, eum in partes meare per arterias, atque ex his deinde in venas traduci: potiùs dicendum obstructiones accidere in apicibus arteriarum, aut in ipsis poris partium; quoniam sanguis semel venas ingressus, ex angusto in latiorem locum transfertur, nec denuò per easdem vias redire potest, impedientibus valvulis per venarum longitudinem dispositis; nisi tamen inter valvulam, & valvulam remoram patiatur, aut vitio sui, aut earumdem valvularum laxitate, ut in Varicibus. Sed & in apicibus arteriarum quandoque restagnans sanguis febres parit, & quidem acutas, ac continuas, tamdiù duraturas, quamdiù concrescens sanguis ibidem perstiterit: eo autem dissoluto, & vel per cutim, ac sudorem, aut per vias urinæ repurgato, desinit febris. Atque hinc fortasse motus Galenus 2. *de differ. febrium*, Tertianas continuas existimavit ab humoribus intrà venas minores putrescentibus pendere: meliùs sanè dixisset, intrà arterias minores, seu arteriarum capillamenta.

At verò, quamvis obstructiones plerumque fiant in Arteriarum apicibus, atque in meatibus angustioribus Corporis, quandoque tamen observatæ illæ etiam sunt in ductibus amplioribus. Refert namque Theodorus Kerckringius in suo *Spicilegio Anatomico*, se aliquando observasse coagulatum sanguinem polypum imitantem in ramo venæ cavæ, auriculam dexteram Cordis pertingente. Memini me etiam simile quid vidisse in cadavere cujusdam tabe gallica extincti, in ramo venæ cavæ ascendentis, & in Arteria pulmoniaca, seu vena arteriosa dicta: sed & chylum, seu materiam glutinosam concretam, ibidem hærere posse, & pseudopolypum referre in Asthmaticis, & pectore Hydropicis, probabile admodùm est, cùm in his partes spiritales multùm langueant, pulsus intercidant, & animi defectus sæpesæpius accidant. Atqui in dextro, sinistroque Cordis ventriculo concrescere sanguinem, potissimùm ex violenta morte defunctis, passim alii meminere, quamvis id ab impedito motu sanguinis, & Cordis, evenerit ex strangulatu. Sic & tophos, lapides, vermes, tubercula, aliaque his similia in venis, & arteriis genita, cystifellea, ductu pancreatico, cæterisque meatibus Jecoris, Lienis, Cerebri, Mesenterii, Renum, aliorumque viscerum non semel inventa testantur, Schenckius, Bartholinus, aliique plures, quos Bonetus, & Ephemeridum Germanicarum Collectores, retulere; ut jam novum non sit, hæc veluti nova rememorare.

Attamen prætereundum non est, quòd plerùmque obstructiones Jecori à nonnullis attributæ, revera debentur glandulis Mesenterii, aut Pancreatis, in quibus faciliùs humores stagnare, & concrescere solent; Unde Fernelius, plurimarum ægritudinum occultas causas inde proficisci, non irrationabiliter est arbitratus.

Pari ratione suspicari quoque licet de Obstructionibus vasorum lymphicorum, per quæ continuò limpidus quidam humor excurrit: quin crediderim non raro febres, aliasque graves ægritudines ab ejusmodi restagnante lympha exoriri; unde

Cor-

Corporis refrigerationes, inæquales horripilationes, faciles, promptique sudores, statim à principio, præsertim circa caput, pectus, & cervicem, tubercula cutanea, faucium inflammationes, aliaque similia exoriuntur, quæ non raro etiam fluxionum, catarrhorum, & lassitudinum conditionem mentiuntur, ac Medicos decipiunt sub specie febrium catarrhalium, cùm tamen pessimæ deinde fiant, & sæpe sæpiùs per diruptos abscessus internos, cum eventu lethali ægrotantium, se manifestent, vel etiam in sudores diaphoreticos dictos desinant, ex gangrænismo scilicet glandularum Mesenterii, aliusve adjacentis visceris: id quod urinæ plerumque testari solent, quæ priùs inculpatæ videntur, mox turbidæ, crassoque, & flavescente sedimento saturæ conspiciuntur, in necem; & ubi primùm febres videbantur leves, & minùs periculosæ, mox à noctu successivè ingravescentes, in repetitionibus subintrantes, sensim, occultèque continuæ evadunt, non sine aliqua capitis læsione. Atque hinc, quoties sudor promotus impeditur, aut à frigore externo in ipso habitu Corporis cohibetur, juxtà cutim concrescit lympha, & vitiatur, atque venenatam ferè conditionem adipiscitur. Sed & glandulæ, quæ innumeræ, licèt exiguæ, sub cutim dispersæ manent, lymphicum humorem resorbentes, tumefiunt, potissimùm verò in collo, faucibus, & ad linguæ radicem: quo circà frictiones, fotus calidi, victus attenuans, & similia plurimùm in his conferre consueverunt. Ab hac insuper lympha vitiata, atque ab obstructione lymphicorum ductuum, & glandularum subcutanearum tumefactione, pendere quoque credendum est febres illas, quas Elodes Græci vocarunt, & Nos sudatorias dicere solemus, quoniam per universa tempora accessionum ægros ad sudandum commovent, ac disponunt, sed absque ullo beneficio. Ab obstructione præterea vasorum lymphaticorum, præsertim in hepate, pulmone, liene, renibus, subcenturiatis glandibus, cerebro, aliisque visceribus glandulosis, hydropes oriri nuperrimæ Anatomicorum observationes detexerunt; unde hydatides, seu vesiculæ aqua repletæ in prædictis visceribus inventæ sunt, ut notavit etiam Galenus.

De obstructione Nervorum postremò nullus dubitat. Siquidem à Cerebro, assiduò nervis, eorumque substantiæ medullari suggeritur succus quidam albicans, fluidus, roridus, ac nerveus dictus, quo partes corporis nutriri existimant Angli cum illorum duce Vvarthono. Is autem si fortasse ab obstructione remoram patiatur, vel etiam vitio sui, aut Cerebri, consistentior evadat, gravia mala subjectis organis contingunt, ut Paralyses, Catalepses, Cæcitas, Surditas, pro varia subjectarum partium offensione.

Obstructioni opposita est viarum laxitas, ex qua neque id, quod naturale est visceri, commodè retineri, neque recrementa corporis convenienter, debitoque tempore repurgari contingit, sed sponte sua defluunt, atque huc, illucque deponuntur. Sic ex relaxatis intestinorum fibris, defluit quandoque chylus, à suis impuritatibus non secretus. Ex venis, aut arteriis Mesenterii, Jecoris, aut Lienis profluit sanguis, ut in fluxu hepatico dicto, & in fluore hæmorrhoidum continuato, & similibus. Evenit autem ejusmodi laxitas viarum, vel à languida viscerum textura, ac fibrarum laxitudine, vel à sanguinis, fortasse serosioris, fluidiorisque redditi, flacciditate; vel etiam à relaxatione valvularum, quibus ferè cuncti ductus corporis in suis extremitatibus muniuntur, cum scilicet à mala ejusdem sanguinis habitudine delaxantur, vel etiam proritantur, & eroduntur. At quamvis caussæ istæ laxitatis

mea-

meatuum frequentiores esse soleant, non rarò tamen accidit, immodicas egestiones haberi, tam utilium, quàm inutilium humorum, adhuc ab obstructione: quod sanè quibusdam videbitur Paradoxum. Verùm qui structuram Corporis, & meatuum illius benè norit, facilè dijudicabit posse ejuscemodi evacuationes immoderatas nonnunquàm ab obstructione pendere, cùm videlicet ductus, per quos humores meare debent, obstructi fuerint, nequeantque illos admittere, & in suis cavitatibus excipere; unde postmodùm sponte sua per alios ampliores ductus defluant, & egerantur. Ita quidem sæpissimè experimur in lactearum venarum obstructionibus, fœces nimiùm lubriciores, copiosioresque evacuari, quæ deinde, non adstringentibus, sed deobstruentibus medicamentis desinunt. Quamobrèm novi plurimos hisce ægritudinibus affectos brevi fuisse sanatos usu chalybeatorum, & deobstruentium medicamentorum: quod & passim quoque compertum in fœminis cachecticis, menstruorum fluxui obnoxiis, quæ vino chalybeato, aliove simili ex chalybe composito medicamento, revalescunt. Non dissimili ratione curatos aliquando vidi Tabidos usu vini chalybeati, vel etiam salis Martis, ejusve essentiæ, aut tincturæ, sicut pariter à roborantibus, sed dissolventibus simul, quia Tabes originem habebat à fermentis, seu succis coagulatis, vel à concreto, acidoque sanguine, in extremis arteriolis stagnante, quo neque alimentum partibus accedere poterat, neque sanguis præ acore idoneus erat nutritioni: chalybeata autem medicamenta utrumque vitium emendarunt. Tanta autem est pernicies coagulatorum, ut non abs re existimaverint Methodici morbos omnes ad adstrictum, & laxum revocare; ut per morborum genera vaganti perspectum esse potest. Non tamen hinc negaverim quandoque etiam chalybeata conferre fluoribus intestinorum, cùm acidum exorbitans absorbent, & corrigunt: compertum enim est majori ex parte ejusmodi fluores oriri ab acido abundanti, ac exaltato in pancreate, ejusque ductu, nec convenienter coercito à succu felleo, indeque communicato sanguini, aut liquoribus cum sanguine consentientibus, vel ab eodem derivantibus; ut proinde mirum non sit, si in his affectibus plurimùm usus chalybis conferat ut & absorbentium, atque acidum temperantium medicamentorum. Sicut ex chalybe, ità ex ære, & multo magis ex auro, eadem beneficia proficisci posse crediderim, ope mag's, minusve depurati sulphuris, quod in se continent, suo sale correcti; atque hac planè ratione liquores ex auro elicitos quibusdam profuisse, putandum, salva venditantium impostura.

Quoniam obstructio fieri quoque potest in ductibus Corporis latioribus, proptereà in hujus exemplum tradit Galenus in textu, eam, quæ à stercore duro fit in intestinis. Accidit enim non rarò intestina, & præsertim Colon, aut Ileon, à retentis fæcibus obstrui, tumefieri, & dolere; unde non solùm Alvi stypticitas, & cavitas obstructa sequitur, sed etiam (quod graviùs) colicus dolor acutissimus, & quandoque etiam egestio fæcum per os, ut in Volvulo. Duo verò subdit Galenus in hac obstructione, & fæcum retentione indicari: alterum quidem, quod pertinet ad duritiem emolliendam; alterum verò ad alvum sollicitandam. Primum expletur per clysteria humectantia, laxantia, & pinguia: Secundum, per acria. Humectant autem, & laxant decocta, & jufcula ex herbis emollientibus, ut sunt malva, althæa, mercurialis, beta, viola, &c. nec non butyrum, oleum, adipes animalium, oleum amygdalarum dulcium, liliorum alborum, chamæmeli. Stimulant verò, & sua acritudine irritant intestina,

hiera

hiera picrá, colocynthis, fenna, urina, vinum, fal, faccharum rubrum, diaphœnicon, benedicta laxativa, &c. Verùm in his cautiùs agendum eft, ne plus justo laceffita inteftina, potiùs per os egerant, quàm per alvum; vel etiam ab irritamento, majori fortaffe dolore excitato, phlogofin, aut inflammationem fubeant: Sed & aliquandò obfervatum valvulam inteftini Coli ab acribus, & irritantibus medicamentis erofam fuiffe.

Inter Obftructiones latiorum ductuum, ponitur à Galeno ea, quæ in Vefica à lapide fit; & hujus, inquit, curationem duplicem indicare: & quidem, cùm lapis in Vefica contentus impedit urinæ exitum, quia meatum urinarium occludit, expoftulatur tranfpofitio, & remotio lapidis ab eodem meatu, quæ fieri folet ufu Catheteris, candelæ cereæ, fpecilli, vel alterius fimilis inftrumenti. Si verò integra curatio, per ejus ablationem, defideratur, neceffaria erit excifio Veficæ, & lapidis extractio. Inciditur autem Vefica, vulnere facto inter Teftes, & Anum; deinde cum forcipe denticulata extrahitur lapis. Verùm ad hoc exequendum maxima diligentia, & peritia Lithotomi exquiritur, ne fcilicet ad Veficæ fectionem, & lapidis extractionem fequatur hæmorrhagia, inflammatio, & gangræna, quam deinde inevitabiliter mors excipit. Quod fi lapis in Vefica contentus exiguus fit, poterit fine incifione extrahi, ope cujufdam inftrumenti tribus limis compofiti, ut non femel in praxi à peritis Chirurgis peractum vidi.

Quantùm autem in his diligentia Lithotomorum excreverit, mirum: cùm jam citra ullum vitæ periculum, & felici cum fucceffu Veficam diffecent, ac lapides extrahant; etfi Hippocrates in fuo *Jure jurando* fpoponderit fe nunquàm veficam incifurum, quoniam fectio hæc valdè periculofa, & fæpiffimè lethalis tunc temporis fortaffe erat. Sed & nunc plurima quoque medicamenta lapidem frangentia inventa funt, ex faxifragia, ononide, fragaria, ligno Indico, herba turcica, & thee, cum cinere fcorpionum, millepedum, leporis ufti, pulvere lapidis judaici, fanguinis hircini, nitri fixi, falis ammoniaci, vitrioli Romani, fpiritu nitri dulcificato, balfamo falis, aliifque innumeris, quorum Practici meminere. Non poffum autem non hìc animadvertere in eos, qui in affectibus renum, & veficæ ftatim ab initio diuretica exhibent, & indifcriminatim cujufcumque generis acetofa, fuccum limonii, fpiritum vitrioli, falis, & fimilium, putantes ab his arenulas, & tartareos fuccos, ac lapillos ipfos comminui, commodèque repurgari, decepti ex eo, quòd ab illorum ufu urinam fabulo, & arenulis fcatentem aliàs prodire viderint. At plerumque acida, iftiufmodi crudos fuccos in ventriculo, vel in ductibus inteftinorum, & mefenterii contentos, deferunt in renes, & veficam, atque actione cum illis inita, in arenulas, & calculos permutant, nifi etiam ipforum tubulos infarciant, & oppleant. Cautè igitur in horum exhibitione procedendum, & ubi venter crudis fuccis abundat, ejufque ductus infarcti creduntur, ab illis abftinendum. Poterunt verò folùm propinari, repurgato priùs ventriculo per vomitum, atque exoneratis inteftinis per clyfteres, ita ut renes mox promptè pertingant, eorumque tubulos obftructos depleant, ac exonerent, citrà alterius novi humoris depofitionem. Atque hinc nunc patet, qua ratione acida aliquando diffolvant, & quandoque etiam coagulent; aut una fimùl humores quofdam diluant, & alios concretos, & confiftentes reddant.

Obiter etiam hìc adnotare juvabit, opiata, & narcotica medicamenta plurimùm

rimùm

rimùm aliquando conferre calculosis. Consopita quippe Natura, atque usu opiatorum, dolore levata, ductus, & fibræ Renum, quæ præ dolore tendebantur, sensim laxantur, atque ita deponunt, quod ipsorum cavitatibus continetur. Sic in atrocissimo Renum dolore à calculo, pluries vidimus ab usu laudani opiati moderato, inducto sensim somno, non solùm dolorem desiisse, verùm etiam paulò post calculum fuisse excretum. Consulerem propterea in his casibus permiscere semper cum diureticis, vel lithontripticis, leviora saltem opiata, philonium, tripheram, theriacam recentem, & similia, dosi tamen moderata; ne plus debito soporem inferant: qua in re maxima Medici prudentia expostulatur.

Humiditatis autem, subdit in textu Galenus, *quæ præter naturam in parte continetur* (ideſt in aliqua Corporis cavitate) *sanatio in perfecta, & omnimoda evacuatione consistit; quemadmodùm etiam suppuratis*. Quibus verbis tradit aliud exemplum obstructionis in meatibus amplioribus, præsertim verò Thoracis, cùm à pure in Empyematicis oppletur; cujus curativa indicatio in omnimoda illius evacuatione consistit. Debet enim pus non solùm educi, sed etiam omninò repurgari; tum quia res est, ut ajunt, toto genere præter naturam; tùm quia nisi ex toto evacuetur, semper verendum, ne à diutina illius mora, tandem pulmonis substantia lædatur, & ob sanguinis infectionem, Tabes, & Mors postmodùm subsequatur.

Neque verò de suppuratis solùm propriè dictis intelligendus est hoc loco Galenus, verùm etiam de quocumque modo, pectore, & pulmone gravatis, quoniam in utroque casu fit in pectore humoris repletio, de qua Galeni mens est hìc sermonem habere; unde sub his verbis, & Tussis humida comprehenditur, & destillatio, & abscessus, & quidquid in pectus delabens, illius cavum opplet, & aggravat.

Quamvis autem Galenus dicat in his, omnimodam, ac perfectam evacuationem esse necessariam, non tamen illa unica vice tota simul promovenda est, docente Hippocrate 6. *aphorism.* 27. *Quicumque Empyi, aut Hydropici uruntur, aut secantur, si pus, aut aqua affatim exeat, omninò moriuntur*. Itaque per vices facienda, ut facilius illa toleretur.

Quomodò prætereà puris ex pectore omnimoda evacuatio tentanda sit, ab eodem Hippocrate ibidem, & alibi, insinuatur, per sectionem scilicet, vel ustionem; adeoq; per Paracentesin, quemadmodùm sunt exequuti Aetius, Ægineta, aliique tum Græci, tùm Arabes, tum Latini. Ex his autem nonnulli volunt sectionem faciendam esse inter costam, & costam, in ipsis musculis intercostalibus; alii verò inurendam caustico, aut ferro candenti terebrandam esse costam, malunt, ut evitetur sectio musculorum simul, cùm sectione venarum, arteriarum, & nervorum: (a) Verùm nostris temporibus utrumque jam exolevit, propter Chirurgorum imperitiam, aut timiditatem.

Neq; solùm antiquitùs fieri consuevit sectio, aut inustio in pectore, sed etiam in regione Jecoris, cùm illud inflammatum in suppurationem desiisset, ut deducitur ex eodem Hippocrate 7. *aphorism.* 46. *Quibus purulentum Jecur aduritur, si purum pus effluat, & album, salvi fiunt; si verò subcruentum, fæculentum, ac fœtidum, pereunt*.

At quoniam ejusmodi sectiones, aut inustiones vix, aut numquàm, à Chirur-

(a) *V. nostram Praxim C. de Empyem.*

rurgis nostrò tempore tentari solent, propterea per alias vias puris evacuatio procuranda erit. Ex pluribus autem ductibus, per quos videtur illa posse promoveri, putà per secessum, per urinam, per vomitum, per sudorem, per tussim, nulla tamen tutior, ac utilior ea est, quæ tussi, & anacatharsi peragitur.

Per alvum enim, vel impossibilis est, quia nullus ductus patet ex pectore ad intestina; vel lethalis fit, dicente Hippocrate *in Coacis prænotionibus*: *Empyicis à pulmone pus duci per alvum lethale*: & *6. aphorism.* 16. *Pleuritide, aut Peripneumonia detento, diarrhœa superveniens, malum*: quoniam oportet purulentam materiam per pulmones ad cor transvehi, & deinde ex arteriis, ob celerem sanguinis circuitum in universum ferè Corpus diffundi, priusquàm per intestina exactè deponatur, egeraturque.

Per urinam, licèt testetur Galenus 6. *de loc. affect. cap.* 4. posse aliquando pus in pulmone, vel thorace collectum, per urinæ vias expurgari; id tamen difficillimum, & rarissimum sanè est, vix in praxi observabile: neque viæ, per quas puris transmigratio è pectore in renes fieri creditur, hactenùs patuere, tametsi Anatomici multa commententur, vel per venam Azygon, consentientem cum vena cava, ut vult Falloppius; vel per venas Septi transversi cum venis emulgentibus communicantes, ut opinatur Bartholomæus Eustachius; vel per arteriam venosam, sinistrumque Cordis ventrem ad arterias emulgentes, ut verisimiliùs putatum à Galeno, ex mente Dioclis: semper etenim magna incommoda inde sequerentur in pulmone, corde, & universo sanguine arterioso, ex transitu purulentæ materiæ ad Renes usque. Non negaverim tamen quandoque portenta hæc in Natura videri, cum ex Galeno 7. *aphor. comm.* 54. juxtà sententiam Hippocratis referatur: *Validam, ac fortem Naturam invenire sibi, parareque vias, per quas seipsam ab impuritatibus exoneret*. Certè mille alii ductus in Corpore sunt nobis inconspicui, quamquàm plurimos Recentiorum Anatomicorum solertia nuperrimè detexerit, Antiquis penitùs ignotos, & fortasse alios Posteritas inveniet, qui nos hucusque latent. Hinc meritò idem Galenus 1. *meth. cap.* 3. totum Corpus dixit esse transpirabile, & confluxibile, quia quaquaversùm humores fluere, ac repurgari possunt.

Per vomitum etiam fatetur Sylvius Deleboe Empyematicos sanatos, assumpto vomitorio ex rebus antimonialibus: & Rulandus gloriatur usu cujusdam *Aquæ* à seipso *benedictæ* appellatæ, quamcumque ęgritudinem pectoris, præsertim Pleuritidem, & Empyema, felicissimè curasse; quod pariter testantur Hartmannus Rolfinchius, Gruillingius, Hofmannus, & alii. At quis unquàm, nostra præsertim ætate, ejusmodi remedii genus tentare ausit? cùm dicat Hippocrates 4. *aphor.* 8. *Tabidos per superiora purgari non debere*.

Per sudorem denique, licèt multæ pectoris ægritudines sanentur, ut de Pleuritide, & Pulmonia refert Quercetanus, & Nos non semel experti sumus: crassities tamen, & densitas puris haud poros cutis subire solet, ut sudore tandem dissolvatur, impedientibus etiam magna ex parte pleura, quæ membrana est densa, ac dura, nec non musculis intercostalibus internis, & externis, cum panniculo carnoso, & adipe.

Quamobrèm reliquum est, ut promptior, ac facilior exitus puri non aliter pateat, quàm per tussim, & anacatharsim; cùm per eam Diaphragma contrahatur, pectus universum concutiatur, pulmo exagitetur, & Natura ipsa extremos conatus adhibeat, ad puris expulsionem,

per asperæ arteriæ tracheolas; quamvis hoc neque sine magno discrimine persolvatur, tum ex violento, & continuato motu thoracis per tussim, tum ex transitu puris per pulmonem, ejusque mora diuturna in cavo pectoris, tum ex facili infectione sanguinis circulantis.

Verùm quo pacto pus in Thorace collectum pulmonem pervadat, & per Tracheam expurgetur, inquisitione dignum est. Sunt qui suspicantur, pulmones sua raritate instar spongiæ imbibi purulenta materia, eamque deinde per tussim repurgare. Sed nupera observatione Malpigius, & cum eo Bartholinus, detexit substantiam pulmonis esse constructam innumeris vesiculis sinuosis, & orbicularibus, ad similitudinem alveolorum in favis Apum; atque ante hos notavit Harveus *in suis Exercitationibus de Generatione Animalium*, tracheolas asperas per Pulmonis substantiam extensas, illius superficiem undequaque pervadere, quod in Avibus manifestè observare licet; quin Helmontius etiam pulmones constituit recta pervios esse, & aerem in cavum pectoris protrudere; unde pectore vulneratis, citra pulmonis læsionem, accidat, aerem internum efflari, & externum intrà pectoris capacitatem per vulnus admitti.

Quocumque autem pacto se res habeat, probabiliter conjectamus, pus in cavitate pectoris collectum per pulmonum vesiculas, ex ipsius puris contactu præternaturaliter hiantes, recipi, ac per tussim expurgari: quoties verò ductus isti opplentur, vel vesiculæ contabescunt, quia impeditur transitus Aeris, & pus excipi à pulmonibus nequit, difficultas spirandi cum stertore, & raucedine, sequitur, pureque retento gravatur thorax, & suffocatur animal.

Sicut de retentione Puris in pectore dictum, quod omnimodam evacuationem expostulare docuit Galenus; ità de reliquarum cavitatum repletionibus agendum insinuat; unde inquit: *Sic & quibuscumque vel in Ventriculo, vel in Intestinis, vel aspera Arteria, vel Pulmone, pus, aut sanguis continetur, integra evacuatio est necessaria.* Sanguis enim in his cavitatibus restagnans, concrescit primùm, & in grumos abit, deinde corrumpitur, & vertitur in pus; unde postmodùm emergunt damna gravissima. Conjungit autem cum pure sanguinem Galenus, quia non minoris nocumenti sanguis est, cùm extrà propria vasa remoratur, quàm pus ipsū sit: is namque per moram corrumpitur, & corruptio optimi pessima fit; quare non magis pus, quàm sanguis extrà vasa, constituere dicitur symptoma toto genere præter naturam, sive in excretis, sive in retentis vitiatis.

Subdit similiter, superflui cibi, aut potus, adhuc recentis, assumptio, à devacuatione, (*al. abvacuatione*) corrigitur. Ubi tria advertenda occurrunt: primùm quòd superfluus cibus, aut potus evacuatione opus habet, non verò conveniens, & moderatus; qui sicut exigitur à Natura pro sui conservatione, ità quoque retineri omninò debet, non evacuari. Secundum, quòd tunc cibus superfluus evacuari debet, cùm recens assumptus est, quia tunc promptè per vomitum egeritur, secùs verò cùm plures horæ præterierint, nisi tamen præ nimio languore Ventriculi digerere nequeuntis, adhuc in ejus cavo permaneat; nam aliter si longum tempus transactum sit, & vasa lactea, seu chylifera jam subierit; non ampliùs vomitioni locus erit. Tertium, quòd Galenus superfluum cibum, aut potum, inquit à devacuatione corrigi, ideft diminuta, seù moderata evacuatione, non verò integra, & omnimoda, prout de pure superiùs dixerat. Cibus enim in ventriculo receptus, est res naturalis, & solùm quantitate immodica nocuus evadit; at verò pus sua na-

tura omninò præternaturale est, sive modicum, sive immodicum fuerit; quare omnimoda evacuatione eget: at cibus sola diminutione, quanta satis est ad moderandum, corrigendumque superfluitatis excessum.

Quoniam insuper superiùs dixerat humores contentos in cavitatibus corporis esse omninò evacuandos, sequentibus textibus modum docet promovendę ejuscemodi evacuationis, & medicamentorum id exequentium genera. Et primùm, quæcumque in pectore, vel pulmone continentur, cum tussi, inquit, educi, & per medicamenta extenuantia. Ubi signanter advertendum, proponi hìc à Galeno in morbis pectoris extenuantia: quare longè admodùm ab illius mente recedunt, qui in his ægritudinibus, incrassantia, & impinguantia exhibent.

Secundò docet, quòd quæcumque in Hepate, vel venis, vel arteriis, vel Renibus continentur, aut per urinam, aut per ventrem excerni debeant: per urinam quidem ab his, quæ vehementer extenuant; per ventrem verò ab his, *quæ attrahendi, aut aperiendi ora vim habent*, græcè Anastomotica dicta. In eâdem ferè sententiam incidit, quod ab eodem edocetur 13. *meth. cap.* 15., ubi simam, seù concavam Jecoris partem per alvum; gibbam verò per ea, quæ modicè urinam movent, purgandam esse consulit. Medicamenta autem urinam moventia inquit debere esse vehementer extenuantia; tum quia hæc aperiunt, incidunt, & per vias urinæ promptiùs ducunt; tum etiam quia obstructiones, ex superiùs dictis, à crassis humoribus dependent, ideoque incidentia, & vehementer extenuantia expostulant. At verò per ventrem evacuantia oporteret esse docet, *quæ attrahendi, aut aperiendi ora venarum vim habent*. Ex quibus verbis, quid sibi voluerit Galenus intelligendum, addubitant Expositores. Verùm si meminerimus eorum, quę alibi idem Galenus edocuit, præsertim autem in libris *de naturalibus facultatibus*, & *de simplicium medicamentorum facultatibus*, ubi ex professo pluries repetit medicamenta purgantia trahere humores sibi similes, puta Rhabarbarum bilem, Agaricum pituitam, Sennam melancholiam, & alia hujusmodi; pari ratione, ac Magnes ferrum, & Electrum paleas rapit, facilè intelligemus ea, quæ attrahendi vim habent, electiva medicamenta voluisse indicare, sive quæ similitudine substantiæ, aut à proprietate, peculiares sibi humores attrahere dicuntur. (a) Id autem num veritati consonum sit, aliàs à Nobis est ostensum; præterquamquòd jam unicuique perspectum puto, attractiones hujusmodi nullas esse. Quid insuper intelligat per ea, quæ vim habent aperiendi ora, seu (ut in Græco Codice scribitur) Anastomotica, dubitare etiam contingit. Aliqui exponunt acria, & erodentia: Nonnulli quocumque modo aperientia, sive sint purgantia medicamenta, sive cucurbitulæ, sive venarum aperitiones, suctionesque per hirudines: Argenterius, quæ obstructas venas aperiunt: Sanctorius solùm præparantia, juxtà illud Hippocratis 2. *aphorism. Corpora cum quispiam purgare voluerit, oportet fluida facere*. Sed meliùs dicendum, per Anastomotica intelligi hìc à Galeno purgantia vehementiora, quæ scilicèt indiscriminatim quoscumque humores educere valent, sanguinem liquando, & ora venarum, aut arteriarum reserando, propter nimiam illorum irritationem: cujus generis sunt, colocynthis, scammonium, elaterium, helleborus, & similia, quæ parum, vel nihil recedunt à conditione venenorum erodentium; unde ab his sæpesæpiùs sequi solent diarrhϾ irrestagnabiles.

(a) *Meminit etiam hujus attractionis cap. 95. ipsius operis.*

biles, dysenteriæ, choleræ, &c. eo quòd præter glutinamenta à viscosis humoribus inducta in orificiis meatuum, & in glandulis ibidem sitis, ab obstructione, abradant non rarò etiam villosam illam crustam intestinorum, ex glandulis simul una, mutuòque connexis, naturaliter ingenitam, & pro eorumdem tutamine superficietenùs appositam. Quare, quæ attenuando, incidendo, ac detergendo lentos, crassosque humores potenter evacuant, Anastomotica medicamenta dicentur. Sed & ab usu immodico Aloes impræparatæ, Venarum, aut Arteriarum ora adaperiri quoque compertum est, indeque hæmorroidas excitari, & immoderatè fluere, cunctis patet; ut & in Coxendicum doloribus, & Ischiade, ex injectis acribus clysteriis, cruentos, & mucosos humores educentibus.

Docet tertiò, quòd quæcumque in superiori ventre continentur, per vomitum educenda sint; quæ verò in inferiori, per subductionem. Pro ventre autem superiori intelligit hìc Galenus, Ventriculum, & alia viscera in regione Epigastrica contenta; Pro ventre verò inferiori, intestina, & reliqua contenta in regione Hypogastrica. Humores itaque stagnantes in ventriculo, & visceribus adjunctis, per vomitum educere magis expedit; è reliquis verò visceribus inferioribus, mesenterio, intestinis, promptiùs per alvi subductionem; & ratio esse potest, quia per eos ductus fieri debet evacuatio, per quos citiùs, tutiùs, & jucundiùs humores educi possunt: modò per vomitum citiùs, & faciliùs educuntur, qui Ventriculi cavum occupant; sicut per secessum, qui continentur in Intestinis, & Mesenterio. Neque verò Galenus ait, humores contentos in intestinis medicamento purgante evacuandos esse, sed solùm per subductionem educendos: subductio autem potiùs ope clysterum, quàm medicamentorum purgantium exercetur. Debent prætereà subducendi humores ita in intestinis residere, ut obstructionem, & cavitatis repletionem faciant, uti superiùs de fæcibus obduratis, & diutiùs retentis, dicebamus.

Quartò docet, sub cute contenta per sectionem, vel ignem, aut per medicamenta adurentia evacuari debere. Sub cute contenta intelligenda sunt, non solùm humores in glandulis cutis coacervati, verùm etiam abscessus, tumores, gangrenæ, &c. quæ aliquandò sectione, aliquandò ustione, vel igne actuali, vel causticis, aperiri debent, ut exinde peccans materia egredi, & convenienter repurgari possit.

Sed cur Galenus omisit attenuantia, & resolventia tamquàm tutiora, proposuit verò caustica, & alia chirurgica præsidia vehementiora? Ratio est, quia cùm hic ageret de obstructionibus harum partium, & obstructiones ex supradictis plerumque fiunt à crassis, tenacibusque succis, qui vix dissolventibus, & attenuantibus cedere solent; propterea illis omissis, solùm meminit aperientium, & causticorum. Hinc in his semper expostulatur opera Chirurgi per sectiones cum lanceola, & per ustiones cum ferro candenti, vel causticis.

Postremò revocans in epitomen omnes, & quascumque obstructionum species in quacumque parte Corporis factas, docet, quòd quidquid in universum in aliquibus partibus præter naturam continetur, sanationis intentio, seu indicatio curativa, fit illius ablatio, quæ si fortasse exequi non possit, fiet transpositio. Ea verò, quæ non sunt omninò præter naturam, sed quantitate solùm molesta, indicant tantummodò evacuationem.

Remedia denique, quæ ad ipsorum sanationem perducunt, desumi debent, partim ex natura ipsiusmet affectus, partim etiam ex ipsis affectis particulis. Tria proinde ex hoc textu adnotanda occurrunt: primum,

M 2

mum, quòd ea, quæ in aliqua cavitate continentur, & toto genere præter naturam sunt, ut pus, vermis, lapis omninò debent auferri; & si hoc peragi nequeat, saltem transpositio tentetur, ut in lapide obstruente collum vesicæ, qui cathetere transponendus est. Secundum quod quæ non sunt toto genere præter naturam, sed solùm quantitate nimia peccant, ut cibus in ventriculo, & sanguis in venis abundans, abevacuatione solùm, seù diminutione curantur. Tertium, quòd inventio remediorum à duplici fonte haurienda est, ab affectibus scilicet, & à locis affectis. Sic variant indicationes curativæ morborum à varietate partium affectarum, *ex* 1. *de locis affectis cap.* 1. neque illud idem medicamentum, quod convenit inflammationi gutturis, prodest etiam inflammationi oculi, pleuræ, vel stomachi, & sic de aliis. Hinc idem Galenus 13. *meth. cap.* 16. *& seq.* advertit, in Arte medica nullam esse majorem difficultatem, quàm perfectè cognoscere indicationem desumendam à partibus affectis: & 1. *methodi*, objurgat Thessalum, qui dicebat spatio sex mensium totam Medicinam addisci posse; etenim ablata contemplatione partium affectarum nedum spatio sex mensium, sed etiam spatio sex dierum, tota Medicina addisci poterit.

CAPUT XII.

XCV. in Galeno.

De Asperitate, & Lævitate.

T E X T U S.

(T. 62.) *Quæcumque partes verò, ob id quòd exasperatæ naturalem amiserint habitum, his lævitas naturalis est restituenda, ossa quidem levigando, arteriam autem asperam, vel linguam leniendo humidis, quæ nihil mordeant, & lentorem habeant. Sed quibuscumque lævitas præter naturam inest: asperitas est revocanda medicaminibus, quæ sufficienter abstergant, & parùm adstringant.* (T. 63.) *Quæcumque verò vel obstructiones, vel angustiæ meatuum alias sequuntur ægritudines, ab illarum curatione prius est incipiendum: ostensum siquidem est in libro de Differentiis morborum, quod & inflammationibus, & duris, laxisque tumoribus, & siccitatibus aliquandò immodicis, ac præterea vitiosis partium continentium figuris, ea, quæ nuper diximus, sæpiùs adveniunt; sicuti & quibusdam tumoribus eorum corporum, quæ sunt in ambitu. Quòd si nonnulla ex proximè dictis invicem complicentur, varias habebunt indicationes. Sufficiet autem in uno tanquam in exemplo, habuisse sermonem, quoniam de omnibus in libris de Arte curandi pleniùs sumus exequuti.* (T. 64.) *Supponatur cuipiam particulæ multitudinem sanguinis influi, adeout intendantur in ea venæ non majores tantùm, sed etiam parvæ, quæ prius sensum effugiebant, nunc verò jam plenæ visu comprehenduntur, sicuti plerumque in oculis ob tunicæ albedinem manifestissimè patet: par siquidem est, quòd & alia vasa, quæ latent sensum, jam plena distendantur, non dum & ipsa ob parvitatem visui manifesta, & jam periculum imminet, ne quod ex vasis exudat, ad spatia vacua, quæ in medio sunt, effundatur, aut ne jam parvum aliquod sit effusum.* (T. 65.) *Hujus quidem affectus sanatio intentionem habebit evacuationem, aut ut manifestiori vocabulo utamur, abevacuationem, si quidem morbus erat immoderata partis repletio. Necessarium igitur est ut aut superfluitas retrocedens evacuetur, aut per ipsam patientem particulam. Retrocedet autem vel impulsa, vel attracta, vel transmissa, vel horum uno ali-*

aliquo modorum; vel omnibus. Per locum verò patientem evacuabitur, partim quidem manifestè, & sensibiliter, partim verò in vapores resoluta. (T. 66.) Si igitur universum Corpus plus æquo plethoricum fuerit, per patientem locum minimè evacuandum. Nam si scarificationibus, aut sectionibus, sensibiliter evacuabimus, plus ratione excitati doloris attrahemus. Si verò calefacientibus dispergere tentabimus plus erit id, quod vi caloris ad partem attrahetur, quàm dispersum. Quòd si in eo elaborabimus, ut quod influxit, retrocedat, corpus plenum non admittet. Ad hæc igitur ambo totum Corpus evacuare oportet, aut omninò ad contraria loca retrahere, quod patienti particulæ influit, quo perfecto opere prius à parte repellendum, quàm dispergendum. Quanto enim per majora vasa fit, tanto expeditior est evacuatio. (T. 67.) A patiente verò loco, adstrigendo, ac refrigerando repellemus, sed & exinanita loca attrahunt ad seipsa quæcumque repercutiuntur. Hoc siquidem ostensum est in eo volumine, in quo de Potentiis naturalibus agitur. Et vasa præterea vigore ex medicaminibus adstrigentibus addito, à se ad alia remittent. (T. 68.) Si igitur hac via superfluum omne retrocesserit, benè se res habet. At si aliquid fuerit in parte retentum, conjecturandum erit, id lentum, ac crassum existere, atque ea ratione jàm coactum, atque adstrictum, ut cum difficultate extrahi possit. Fieri autem potest, etiamsi non ejus natura sit, ut ad spatia, quæ in medio sunt, sit effusum, in quo casu tunc ad id veniendum esse tempus suadet, ut hoc ipsum, quod reliquum est, per patientem locum evacuemus; imponendo superjacentibus partibus ea, quæ influentem humorem repellendi vim habent. Maximè verò evacuabis, si in spaciis intermediis aliquid contineri conjectura assequeris, & scarificationum auxilio, & medicaminum, quæ vim habeant dispergendi. (T. 69.) Sed quoniam hæc omnia vires calidas habent, ejusdem verò temperaturæ opus est mordere, quando caliditatis modum excesserit, cavenda ex eis sunt vehementissimè calida, ac tum præsertim, cùm patiens locus inter summa fuerit. Neque enim parvus excitabitur dolor, si præter proprium affectum insuper mordeatur, omnisq; præterea dolor fluxiones commoveat. Quod igitur mediocrem caliditatem obtinet, in his sensum doloris non invehit, atque eo amplius omni dolore vacat, si humidum extiterit. (T. 70.) Et quidem quicquid per summa hæret, potens est id medicamen dispergere, quod etiam validas non habuerit ad dispergendum vires. Quod si summè quidem partes omni noxa caruerint, id verò quod evacuari oporteat, in penitioribus partibus fuerit, intendendus, atque augendus dispergentis medicaminis calor, cùm dubitandum sit, ne prius quàm profundas attigerit partes, interim vires amittat. Neque tamen ex eo summæ partes aliquem dolorem sentiant, cum omni vacent affectu. Quare nunc hæc duo simul invitant ad calidiorum pariter, atque acrium medicaminum usum, & summæ partes, quæ tolerant, & profundæ, quæ egent. Hæc igitur ex situ particulæ indicatio assumebatur. (T. 71.) Deinceps verò si quid ad sanitatem deficiat, consideremus: neque enim parvum aliquid deesse videtur. Affectæ partes, in quibus fluxionis superfluitas retinetur: nonnullæ quidem raræ, & laxæ, & molles natura existunt: nonnullæ autem densæ, & pressæ, ac duræ. Priores igitur facilè evacuantur; reliquæ autem acrioribus evacuantibus, ac præterea tenuiores partes habentibus egent, atque eo etiam magis, quanto profundiorem situm habuerint. Hæc igitur tibi rursus sit indicatio altera, à particulæ patientis substantia. (T. 72.) Alia verò à formatione simul, ac situ. Supponatur enim, si ita contigerit, in hepate esse proximè dictum affectum in angustis vasorum finibus, impactis humoribus, qui vel lenti, ac tenaces, vel

crassis existant, vel superabundent. Nonne in promptu est primùm quidem crassitiem una cum lentore, & tenacitate, cibis, & potibus extenuantibus ad subtiliorum partium substantiam transferri oportere? Secundo autem loco, non per angustos, ac invisibiles solùm, sed per latiores etiam meatus quicquid infestum existit, esse evacuandum? Sunt enim in hepate venæ non minus amplitudine, quàm numero excedentes. Terminantur autem hæ quidem in gibbis ad venam cavam; hæ verò in cavis ad portam; unde facillimum tibi est futurum, ubicumque pressi, ac stipati humores fuerint, eosdem expeditè evacuare, trahendo quidem ad ventrem his, quæ attrahendi vim habent, medicaminibus, eos humores, quicumque in venis ad cava hepatis pertinentibus sunt acervati: ad urinæ verò meatus promovendo per cavam venam, quicumque in venis ad gibba pertinentibus sunt. (T. 73.) *Sed præter supradictas, alia est indicatio ab hepate ipso, veluti à venarum principio: Nam cum non tantùm seipsum regere natura aptum sit, ut pleræque animalis partes, sed venis præterea virtutem largiatur, periculum imminet, ne, si ejus vigor perfusionibus, & cataplasmatibus relaxantibus fuerit resolutus, & ipsum primum ad sui opus, atque omnes subinde venæ, ejus ratione imbecilles efficiantur. Quare in ejus curationibus aliqua ex adstringentibus medicaminibus miscere oportet. Sed quoniam in profundo admodum loco situm est, dubitandum erit, ne adstringentis medicaminis vis exolvatur, nisi ab aliqua altera subtilium partium substantia, qualis aromatum est, traducatur. Melius verò fuerit, si & ipsum adstringens medicamen protinùs etiam aromaticum fuerit: nam si duas habuerit natura insitas qualitates, ac potestates, valentiùs operabitur.* (T. 74.) *Et quidem evacuetur, quòd præter naturam in membrum confluxit; servet autem humorum modum naturæ convenientem. Quare & illa animadversio à nobis est in hoc adhibenda, ne quid ab humoris confluentis qualitate ejusdem membri temperies sit alterata, si pituita naturam tenuerit, ad frigiditatem: si verò bilis, ad caliditatem; ut hanc ipsam curantes intemperiem, sanitati exquisitè restituamus. Curabimus autem contrariam ex adverso afferentes qualitatem, quemadmodùm in intemperaturarum curationibus diximus, quantum unumquodque calidius, aut frigidius factum est, tantùm refrigerantes, aut calefacientes. Quare & hic rursus agnoscenda est ipsius secundum naturam temperies. Nam quo pacto sciemus, quantum in frigiditate, aut caliditate à naturæ modo recesserit; aut quando à frigefaciendo supersedebimus, si hos latuerit ea, quæ est secundum naturam caliditas? Ita verò & si frigidius effectum calefaciemus, ignorantes frigiditatis naturalis modum, neque opportunè calefacere; neque in tempore à calefaciendo desistere poterimus.*

PARAPHRASIS.

AD Morbos malæ conformationis pertinent etiam vitia Asperitatis, & Lævitatis, quippe quæ debentur membris secundùm propriam constitutionem, & præcipuè secundùm superficiem, considerатis.

Non omnes partes naturaliter exigunt Asperitatem, vel Lævitatem, sed quibusdam conveniens est Asperitas, ut sunt Ventriculus, & Intestina, qua parte interiùs vestiuntur; aliis verò Lævitas, ut sunt Ossa, Lingua, Oesophagus, venæ, arteriæ, nervi; unde si ab his deficiant, præternaturaliter affectæ, morbosas edunt operationes, & quandoque non sine gravi vitæ periculo, ut in Lienteria, & Cœliaca passione.

Primùm autem in hoc Capite Galenus docet, quòd partes exasperatæ, & quæ naturalem lævitatem amisere, in pristinam,

nam, & convenientem habitudinem sint restituendæ. Exemplificat hoc in ossibus, aspera Arteria, & Lingua. Ossa enim exasperata debent lævigari; aspera Arteria, & Lingua liniri medicamentis humidis, & lentorem habentibus.

Quo autem pacto Ossa lævigentur, non docet hoc loco Galenus, sed Chirurgorum opera, abradente ferro, id peragitur; quamvis etiam nonnulla medicamenta abstergentia in hoc aliquid conferant, ut sunt pulveres myrobalanorum, folia ficus, pulvis vitrioli, & lapis medicamentosus Crollii. In cæteris verò Asperitatibus, præsertim Gulæ, & asperæ Arteriæ, ex quibus vox, & deglutitio offendi solet, prosunt lenientia, & humectantia, ut diacodion, syrupus de papavere erratico, de erysimo Lobellii, de helenio, de liquiritia, de althæa, de violis.

Lævitas verò immoderata curatur vel abstergentibus, vel adstringentibus, & roborantibus. Abstergentibus quidem, cùm partes natura rugosæ esse debent, & plurima glutinositate circumobducuntur, ut accidit Ventriculo crassis succis infarcto, qui proinde nequeat, ob amissam rugositatem, cibos continere; quamobrèm abstergentibus medicamentis illo glutine detergi debet, & à mucosis humoribus repurgari. Adstringentibus verò, & roborantibus tollitur, cùm fibræ, tum Ventriculi, tum Intestinorum adeò delaxantur, ut non solùm debitam rugositatem amittant, sed etiam nequeant cibariam, aut chylosam materiam detinere, illamque deorsùm delabi sinant, ut in Lienteria, quam non immeritò lęvitatem Intestinorum Hippocrates appellavit 6. *aphorism.* 1. Hinc colligi potest ad mentem ejusdem Galeni, quòd Lævitas intestinorum, & ventriculi, atque adeò ciborum subita egestio, duplici ex causa possit provenire, aut scilicèt ex nimia, impactaque glutinositate succorum restagnantium, atque adhærentium Ventriculi fundo; aut ex fibrarum ejusdem, & Intestinorum laxitate, eorumque villosa, ac glandulari crusta plurimùm detersa, aut etiam abrasa; vel etiam ex utrisque: id quod plerique Medicorum læsæ Retentrici, Expultrici, & Concoctrici virtuti tribuere consueverunt. In priori casu indicantur detergentia, incidentia, & attenuantia succorum crassitiem; in posteriori verò roborantia, & fibras in pristinum tonum reducentia, ut sunt Aromatica. Perperàm igitur nonnulli in praxi ejusmodi fluxus lientericos à calore immoderato pendere putantes, toti sunt in exhibendis medicamentis refrigerantibus, & nonnunquàm magno cum ægrotantium detrimento. Et quamvis Hippocrates in his casibus aliquandò commendet ptisanam, 1. *de rat. vict. in acut.* 18. & alibi; illam tamen non exhibet tanquam infrigidantem: hac enim ratione potuisset commendare aquam frigidam, acetum, succum granatorum, & similia; sed quia est nutriens, & impinguans, adeoque tollens asperitatem, vel suo lentore lævitatem resarciens. At verò non hinc penitùs negaverim posse etiam aliquando ejuscemodi fluxus à vitiatis, depravatisque fermentis, vel Ventriculi, vel Intestinorum tenuium, exoriri; atque adeò infrigidantibus, sed roborantibus tamen liquoribus corrigi, & emendari. Sed hæc accuratum Medicum expostulant.

Quoniam verò potest Asperitas alias ægritudines consequi, pręsertim obstructionem, vel angustiam meatuum, & hæ adhuc alias affectiones subsequuntur; proinde Galenus *sequenti textu* docet, à principalium ægritudinum ablatione curationem esse exordiendam. Exemplificat autem in Tumoribus præter naturam, ab humorum confluxu dependentibus, quoniam exinde statim fit angustia meatuum; itemque si ob intemperiem febrilem, & excedentem siccitatem constipantur pori,

& ductus Corporis constringuntur; vel etiam, cùm ob vitiatam figuram, mutatumque situm, prædicti meatus impediuntur, quemadmodùm in luxatis accidit. In his itaque, aliisque similibus casibus, in quibus meatus occluduntur, impediuntur, opprimuntur, aut obstruuntur, inquit Galenus, neutiquàm Asperitates, aut Obstructiones tolli posse, nisi priùs auferantur ægritudines principales, à quibus illæ originem ducunt. Quare si à Tumore aliquo habeatur compressio, & angustia meatuum, hæc tunc auferetur, cùm tumor ille fuerit ablatus, ut fusiùs se egisse ait, *in libris de Differentiis Morborum*.

Subdit prætereà, quòd si plura simul complicentur, variæ quoque exurgent indicationes, putà si conjungantur simul Obstructiones, & Tumores, ex affluxu sanguinis, lævitas, vel asperitas vitiata cum læsione operationum, deberent omnia indicantia reduci ad illa tria generaliora, videlicet ad Urgens, ad Causam principalem, & ad Impedimenta, seu Causam, sine qua non, documento ejusdem Galeni 3. *meth. cap.* 9. & 7. *meth. cap.* 12. atque juxtà diversitatem eorumdem, vel ab uno, vel ab altero curatio esset inchoanda. In horum autem comprobationem dat exemplum in textu Tumoris, ex affluxu sanguinis, multitudine peccantis; adeo ut propter eam, non solùm venæ majores, sed etiam parvæ, & capillares intendantur, ac tumefiant; & tunc per evacuationem, seu potius abevacuationem, diminutionemque tantæ multitudinis, curationem inchoandam docet; quoniam ex Hippocrate, quæ multitudine fiunt, evacuatione sanantur.

At verò hinc manifestè deducitur modus generationis Tumoris, seu Apostematis; ad cujus uberiorem intelligentiam, aliqua hic in medium afferamus.

De Tumoribus.

Fit quidem Tumor ex Galeno, tum hìc, tum alibi, cùm Sanguis ex majoribus venis in minores fertur, easque plus justo opplet, atque ob nimiam vasorum repletionem, sanguis in proximiora spatia effunditur, ubi restagnans, & poros partium implens, ac obstruens, Tumorem, & Apostema efficit. Quòd verò sanguis inflammationem efficiens, à majoribus in minores venas transfundatur, ostendit Galenus exemplo Ophthalmiæ, quæ inflammatio est tunicæ Adnatæ oculorum, ubi venulæ illæ quamvis exiles tumefiunt, ac turgent, ob affluxum sanguinis ab aliis venis majoribus circumstantibus.

Verùm licèt Galenus Inflammationem, ac Tumorem fieri dicat à confluxu sanguinis à venis majoribus in minores, revera tamen confluxus hic à venis in venas nullus est, sed ab Arteriis in poros partium, & in venas fit, cùm motus sanguinis sic procedat, ex alibi traditis. Itaque contingit Tumores in partibus exoriri, cùm sanguis extrà propria conceptacula vagatur, & restagnat, ut propterea à confluente novo sanguine, circumire nequeunte, partes in Tumorem attollantur, rubeant, doleant, inflammentur.

Undè autem accidat, sanguinem naturaliter in motu positum, alicubi remorari, & inhærere, ac proinde tumorem, & inflammationem parere, causa multiplex esse potest, quæ tamen ad triplicem commodè revocabitur, videlicet ad vitium ipsiusmet sanguinis, vel alicujus alterius humoris cum sanguine permisti: ad vitium partis, in qua Tumor fit: & demum ad vitium ductuum, seu meatuum, partem ipsam pertingentium; putà arteriarum, venarum, vasorum lymphicorum, & glandula-

dula-

dularum, ubi anastomoses plerumque fiunt. Vitium sanguinis varium esse potest; primò quantitatis, ut in hoc textu exemplificat Galenus, & fortasse in Corporibus plethoricis, ut ex lauta victus ratione, & vita sedentaria aliquando evenit; cùm cæteroqui rarissimè fiat, ut tanta sanguinis quantitas adaugeatur, ut vasa distendat, ac tumefaciat; quandoquidem sicut Natura (in statu sano) in necessariis non deficit, ità in superfluis minimè abundat. Secundò vitium qualitatis, sive ex se, sive ex mistura alterius humoris, videlicet si plus justo glutinosus, atque indigesto, crassoque chylo saturus sit: si effœtus, suaque vivacitate elastica orbatus, ut nequeat exiles arteriolas, & partium poros subire: si acidus, & facilè concrescens: si acer, & mordax: si salsus, & muriaticus, aut aliter partibus infensus, ut illum in propriis porulis non admittant, sed potiùs respuant, ac propellant, (ex quo fortassis erysipelatosa inflammatio) alióque deponant. Ex mistura verò alterius humoris, præsertim lymphæ consistentioris, aut acidi alicujus liquoris, per corpus oberrantis, aut nimiùm superabundantis, & exaltati, aut plus justo dilutioris redditi, ut nequeat felleum liquorem temperare, nec convenientem, debitamque fermentationem promovere. Ab his namque in sanguine vitiis, lentor quidam, atque in illius motu aliqualis remora contingit, ut coagulatione, & gravamine, sensim alicubi hæreat, & poros obstruens, impedimento sit, quo minùs novi sanguinis accessu, pars languidior reddita, in tumorem attollatur, ac inflammetur, fortassis etiam in ingentem molem elevanda, nisi per alios arteriarum ramulos, in alios, aliosque venarum ductus, beneficio naturæ, sanguis traducatur, qui perpetim per easdem partes circumire, illasque irrorare deberet.

Vitium partium, vel ab internis, vel ab externis causis fieri potest. Ab externis quidem, cùm à frigore obrigescunt, densantur, aut obstupescunt: à siccitate nimia corrugantur: ab intenso calore delaxantur, & rarefiunt; & ab abundanti humiditate crassescunt, plurimisque excrementis imbibuntur. Similiter à contusione, vel vulnere, si comprimantur, aut scindantur, & à mutuo adjacentium partium nexu dissocientur: nec non à venenis, & medicamentis vehementioribus, præsertim verò causticis, & escharoticis, rubificantibus, corrugantibus, stupefacientibus, aliisve, si offendantur. Ab internis verò, nempè humoribus indebitè fermentantibus, & depravantibus sanguinem: ab impedita halituum perspiratione: à fermentis partium degeneratis: à retentis cujusvis generis excrementis: ab indigestionibus, & cruditatibus, viscerum naturalium meatus infarcientibus, aut illorum constitutionem perturbantibus, aliisque similibus; undè sanguis infici, acescere, lentescere, hebetari, aut aliter, aliterve vitiari contingat: vel demùm quia cum eo permiscetur quod eidem infensum est, aut ab eo non secernitur, nec repurgatur, quod inutile est.

Denique vitium ductuum, seu meatuum, præsertim arteriolarum exilium, vasorum lymphicorum, glandularum, & pororum viscerum, in causa aliquando est, ut sanguis remoretur, & inflammationem afferat. Cùm enim ductus isti plus justo exigui fiunt, & angusti, aut etiam extrinsecùs compressi, quia nequit per ipsos sanguis convenienter permeare, & glandulæ aliquo fortasse præternaturali succo repletæ, circumgyrantes liquores excipere nequeunt, impedimento circulationi proinde sunt, & remoram sanguini faciunt, qui deinde sensim, sensimque tumefactionem parit. Hinc Inflammationes frequentiores sunt hyeme, quàm æstate, & magis tempore aquilonio, quàm austrino; quo-

quoniam tunc densatur cutis, pori constipantur, coarctantur ductus, & sanguis ipse aliquatenùs concretior evadit: quod secùs, vel rariùs in æstate. Hac quippe ratione non rarò etiam evenit, ut à simplici fibrarum, sive carnearum, sive membranacearum corrugatione, contractione, extorsione, mutato, depravatoque situ, & convenienti earumdem expansione, nedum tensio accidat dolorifica, cum sensu phlogosis; verùm etiam, circumjacentes partes collædantur; nequeuntibus scilicet liquoribus per eas partes refluentibus recta meare, non sine suspicione, & graviori periculo imminentis inflammationis: quæ tamen omnia usu emollientium, laxantium, & diluentium medicamentorum, quibus fibræ contractæ, aut tensæ in pristinum situm restituuntur, momento ferè temporis desinunt, & revalescunt; uti non semel in praxi expertus sum.

Quòd verò de Putredine humorum in Inflammationibus nonnulli commentantur, adeò improbabile videtur, ut longa confutatione non egeat, cùm putredo sanguinis, si aliquando contingat in arteriis, aut venis, mortem irreparabiliter secum trahat; quin & omnes simul species Tumorum, ex istorum assertione afferre deberet, cùm ipsi dicant à Sanguine putrido Inflammationem, à bile Erysipelas, à putrescente pituita Oedema, & à melancholia Scirrhum fieri. Modò omnes isti quatuor humores una simul (ut volunt) commisti, ob mutuam communionem, ad putredinem unius simul pariter reliqui computrescerent, & reciprocas affectiones inferrent. Non tamen negandum, quòd à restagnante sanguine, atque ab inflammatione jam contracta, putredo deinceps subsequatur: siquidem sanguis, ubi à suo motu defecerit, & alicubi hæserit, statim acescit, putrescit, & corrumpitur, vertiturque in pus, quod maturati apostematis indicium est. At verò si quis confundere velit putredinem cum vitio sanguinis per indebitam fermentationem inducto, ultrò concedemus, dummodò in re conveniamus, & in Natura.

Illud autem hìc minimè prætereundum, ejusmodi genera Morborum in magnitudine adaucta, seu in tumore partium, ab influo, restagnanteque sanguine procedentia, tribus simul perpetuò complicari, videlicet intemperie, seu depravata partium similarium constitutione; mala organicarum structura, in magnitudine, ac figura; & continuitatis solutione, vel præsente, vel imminente, ob nimiam laxitatem, expansionem, aut ulcerationem cutis, aliusve membranæ, partem tumefactam ambientis. Quamobrèm tumefactæ partes rubore, albore, vel nigrore afficiuntur; itemque sensu doloris, ardoris, vel refrigerationis, majoris tamen, vel minoris, prout pars ipsa tumefacta, magis, minùsve sensitiva, & materia restagnans tenuior, vel crassior fuerit, ut infra. Qua etiam ratione nonnulli tumores, non solùm citò ad maturitatem perducuntur, verùm etiam aliquando sponte sua resolvuntur; secùs alii; & quidam indolentes, alii verò maximè dolorosi sunt.

Partes magis obnoxiæ Tumoribus inflammatoriis, plerumque sunt carnosæ, ut & Viscera interna Corporis, Jecur, Lien, Pulmo, Renes. Glandulæ autem potiùs abscessus subeunt, qui Tumores sunt ex decubitu humorum, plerumque inutilium, & crassorum, in partibus glandulosis depositi: hæ quippe cùm facillimè excipiant, & difficulter admodum deferant, aut aliò deponant, ob carentiam fibrarum, proinde in his Tumores diuturniores, & non facilè maturabiles contingunt. Solent etiam abscessus fieri in intercapedinibus articulorum, ubi superfluitates humorum colligi solent, dicente Hippocrate 4. *aphor.* 74. *Quibus speratur futu-*

futurus abſceſſus in articulis : urina multa, craſſa, & copioſa liberat ab abſceſſu. Verùm non deſunt, qui ſicuti Tumorem cum Apoſtemate confundunt, ità quoque Apoſtema ab abſceſſu non diſcriminant; quamvis reverà Abſceſſus referant depoſitionem, & decubitum humorum factum in cavitatibus articulorum, vel in glandulis, quas conglomeratas appellant Recentiores Anatomici. Sed hæc diſtinguere parùm refert. Percurramus nunc breviter ſingula Tumorum genera, præmiſſa priùs eorumdem Natura.

Definitur Tumor in genere congruentiùs (ex Tagautio) juxtà mentem Galeni *lib. de Tumoribus initio:* quòd ſit *Incrementum naturalem ſtatum cujuſvis partis in Corpore excedens, & læſionem actionis inducens.* Dicitur Incrementum naturalem ſtatum in Corpore excedens, ſeu, quod in idem recidit, Morbus in mala compoſitione, quod ad magnitudinem adauctam, quia reverà partes mole quadam adaugentur, & increſcunt, cùm tumeſiunt. Dicitur, actionis læſionem inducens, ad differentiam ejus magnitudinis, quæ in obeſis plerumque accidit, quam tamen nemo unquam Tumorem appellavit, quoniam licèt, vel ſecundum totum, vel ſecundum aliquas partes, obeſi diſtenti ſint, non tamen præter naturam ſe habent, quoniam actiones læſas non ſubeunt, eo quòd, rigorosè loquendo, nondum naturales ſalubritatis limites, ex vi adauctæ illius magnitudinis, ſunt tranſgreſſi: morboſarum autem diſpoſitionum proprium eſt, actiones naturales lædere.

Vetuſtioribus Chirurgis mos fuit, Tumores omnes præter naturam dividere in Apoſtemata, Puſtulas, & Exituras. Apoſtemata nominabant Tumores majores, potiùs quantitate, ac mole, quàm qualitate infenſos. Puſtulas verò dicebant Tumores minores; & adeò exiguos, ut potiùs qualitate, quàm quantitate læderent. Demùm Exituras appellabant Tumores illos, quos Latini Abſceſſus dicunt, ſeu Decubitus, ac Depoſitiones, nedum in unam, ſed etiam in plures Corporis particulas, ut non raró accidit in Bubonibus ſub axillis, & in inguinibus, atque in maculis in Cute erumpentibus. Sed hæc diviſio jam neglecta manet apud Recentiores Chirurgos.

Conſuevere alii Tumores univerſos in longè plures differentias diſtinguere, deſumptas à ſubſtantia, ſeu materia, quantitate, accidentibus conjunctis, partibus affectis, & cauſis efficientibus. A ſubſtantia, ſeu materia, ut bilioſi, ſanguinei, phlegmatici, ac melancholici. A quantitate, ut magni, & parvi. Ab accidentibus conjunctis, ut calidi, frigidi, duri, & molles, dolentes, & indolentes. A partibus affectis, ut Ophthalmia in oculo, Angina in faucibus, & gutture, Pleuritis in pleura, ac pectore. A cauſis denique efficientibus, ſive extrinſecis, ſive intrinſecis; unde Fluxiones, Congeſtiones, Decubitus.

Verùm Galenus tum *cit. lib. de Tumoribus*, tum 13. *meth.* & 2. *de Arte Curat. ad Glauc.* omnes Tumorum differentias ad eas ſolùm revocavit, quæ ex confluentibus humoribus dependent. Quare à materia flatulenta, flatuoſi Tumores dicuntur, ab Avicenna Apoſtemata ventoſa: à materia ſanguinea, græcè vocatur flegmone, latinè Inflammatio: à materia bilioſa, græcè Eryſipelas, Arabicè Ignis ſacer: à phlegmate, ſeu pituita, Oedema, Arabicè Undimia: ac denique à melancholica materia, Scirrhus appellatur, Arabicè Sephirus. Ex his inſuper ſimplicibus oriuntur compoſiti, ſeu complicati Tumores; unde qui à ſanguine prædominante, cùm bile permiſto fit, Phlegmone Eryſipelatodes nuncupatur; prædominante verò bile appellatur Eryſipelas Phlegmonodes: ſic pariter Phlegmone

Scir-

Scirrhodes, & Scirrhus Phlegmonodes; aut Phlegmone Oedematodes, & Oedema Phlegmonodes, prout sanguis melancholiæ, aut phlegmati prævaluerit, vel vice versa.

Ad has tanquam principales Tumorum differentias reliquæ aliæ à Medicis reducuntur: & quidem ad Phlegmonem pertinere ponuntur, Phyma, seu Tuberculum, Furunculus, Carbunculus, græcè Anthrax, Gangræna, & Sphacelus, latinè sideratio. Ad Erysipelas referuntur Herpetes tum miliares, tum exedentes, Arabicè Formicæ, Ignis Sacer, pustulæ cholericæ, & Phlyctænæ. Ad Oedemata revocantur Atheromata, Steatomata, Meliceriдes: sic dicta à similitudine contentorum in prædictis Tumoribus Oedematosis: itemque Strumæ, seu Scrophulæ, & Leucophlegmatia, seu Hyposarca. Denique ad Tumores Scirrhosos referuntur Cancri, græcè Carcinomata dicti, Elephantiasis, seu Lepra, & Morbus Sancti Lazari nuncupatus, valde similis Scabiei, quæ Psora græcè appellatur. Sub Scirrhosis etiam Tumoribus comprehenduntur Verrucæ, seu Porri, Calli, Dracunculus, Lichen, seu Impetigo, & Vitiligo. Nos hìc, omissis aliis, solùm de quatuor principalioribus agemus, & unà simul Causas, & Curationes eorundem prosequemur, quoniam ab his reliqui omnes facillimè innotescent.

De Phlegmone.

PHlegmone, seu Inflammatio, Tumor ille est, *qui ex sanguine, in Cutim, aut Carnes, & Viscera effuso, dependet, cum calore, rubore, & dolore, tensionem, ac pulsationem præternaturalem excitans.* Ex sanguine quidem fit, ut attestantur præsertim color, dolor, & pulsus; uti etiam facilis maturatio, atque ex incisione, sanguinea excretio. Aliquando tamen, quia propter acritudinem, nimiamque sanguinis tenuitatem, non multùm partem attollit, & acutum dolorem affert, cum ardore ingenti, facilique resolutione, meretur nomen Phlegmones Erysipelatodis; sicut pariter Oedematodis, vel Scirrhodis; si nimirum cum glutine plurimo, vel cum lympha permisceatur, aut ab acido coagulante concrescat, & obdurescat. Sanguis autem inflammationem efficiens, debet in cutim, & panniculum carnosum, vel in carnes musculosas, aut in interna viscera effundi, docente etiam Galeno *lib. de inæquali intemperie cap. 3.* ubi modum, quo calida fluxio tumorem, & inflammationem efficiat, his verbis exponit: *Calida fluxio, ubi in musculum procubuit, primùm majores arteriæ, venæque opplentur, ac distenduntur, ab iis minores, atque ità res procedit, donec ad minimas sit perventum. In iis ubi valenter impacta fluxio est, nec amplius contineri potest, partim ejus per ipsarum ora, partim per tunicarum foramina percolatur, & transmittitur, tum verò spatia ipsa vacua, quæ inter prima sunt corpora, fluxione implentur. Sic omnia ab humore, omnique ex parte incalescunt, ac perfunduntur. Sunt autem hæc nervi, ligamenta, membranæ, caro ipsa, & ante hæc arteriæ, ac venæ, quæ scilicet & primæ, præter cætera, vario dolore afficiuntur, quippe interius à fluxione tum excalefiunt, tum distenduntur, ac divelluntur, distrahunturve; exteriùs non modo excalefiunt, sed etiam premuntur, ac degravantur: reliquæ verò particulæ, aliæ quidem calefiunt tantum, vel comprimuntur, aliæ utroq; modo laborant: Atque hic morbus Phlegmone nominatur.* Hactenus Galenus. Idem etiam docet 10. *meth. cap. 6.* ubi *sanguinem calidum in aliquam partem procumbentem majora ejus vasa distendere*, inquit, *& ab his ad minora procedere, à quibus deinde foras exudat in*

ea spatia, quæ inter vasa sunt, ut etiam omnia, quæ in Carne habentur, loca inania occupet. Atque hinc, ex duobus modis, quibus Tumores in universum progigni dicuntur, fluxione scilicet, & congestione, calidi, ut præsertim est Phlegmone, & Erysipelas, fluxione fiunt; frigidi verò, ut Oedema, & Scirrhus, potiùs congestione. De qua re infra.

Quoniam verò symptomata Phlegmonem comitantia, præter tumorem, sunt calor vehemens, summus rubor, dolor ingens, pulsationis sensus, tensio partis, & renixus ejusdem, si fortasse digito comprimatur; propterea adjectum est in definitione, cum calore, rubore, & dolore, tensione, pulsioneque: ex quibus indiciis certò Phlegmone dignoscetur, & à cæteris tumoribus distinguetur; quoniam hæc omnia satis manifestè demonstrant sanguinem in parte tumefacta restagnantem, unde præternaturalis fermentatio exurgit, quam comitatur dolor, pulsatio, tensio, & calor vehemens: quemadmodùm etiam deducitur ex Galeno *citato libro de Tumoribus*, & 13. *meth.* Et quamvis Hippocrates Phlegmonem consueverit cum Phlogosi, juxtà morem Antiquorum, confundere, ut etiam meminit idem Galenus 2. *ad Glauconem* 1. & 4. *acutor.* 21. & 13. *meth. cap.* 1., quin imò *lib. de differ. Morbor. & sympt.*, Phlegmonem bifariam accipi posse doceat, uno modo pro omni effervescentia, quam Græci propriè Phlogosim appellant; altero modo, pro Tumore ex sanguine progenito, & propriè Phlegmone dicto; Nihilominùs idem Galenus *comm.* 4. *in* 6. *epidem.* 1., pro Tumore præter naturam cum dolore pulsatorio, & resistentia, illum intelligendum esse docet, prout communis loquendi usus apud Recentiores invaluit, atque etiam post Galeni tempora usurparunt Ægineta, Aëtius, Oribasius, cæterique.

Causas Phlegmones externas faciunt Chirurgi contusiones, diruptiones, fracturas, vulnera, ulcera, luxationes, idque genus alia, quæ in causa sunt, ut humores in parte læsa remoram patiantur, aut etiam aliunde defluant, & congerantur, nequeuntes resolvi, vel aliò deferri; impedito potissimùm eorumdem circuitu; atque labefactata parte, ex causis prædictis. Internam verò dicunt esse Sanguinem, vel quantitate vasa replentem, & in minoribus vacuitatibus impactum, ut loquitur Galenus 13. *meth. cap.* 2. 3. & 5., vel etiam qualitate ipsis infensum, ut idem *ibidem* subdit. At verò, quoniam ex doctrina ejusdem tum *citat. loc.* tum 2. *de Art. Cur. ad Glauc. cap.* 1. Phlegmone esse potest vel Erysipelatodes, vel Oedematodes, vel Scirrhodes, propterea fit, ut vitium sanguinis in qualitate, vel acredinem biliosam, vel glutinositatem, & crassitiem phlegmaticam, vel deniquc terrestreitatem, aciditatemque melancholicam referat. Et quidem de acredine, & glutinositate, nulli dubium, attestante idipsum Galeno 2. *de Arte Cur. ad Glauc. cap.* 1. & 13. *meth. cit.* quia ut dictum, ob acritudinem sanguinis fit Phlegmone Erysipelatodes, & per crassitiem, Oedematodes; Hinc Galenus *eodem* 2. *ad Glauconem* 1. ait: Et *quidem in earum* (scilicet inflammationum) *singulis, vel jam putruit id, quod influit, aut in membro constrictum putrescit, & vel crassum est, vel tenue, & vel optimum, vel acre*. De terrestreitate verò, aciditateque sanguinis, præterquamquòd Galenus ipse, *cap. de Scirrho, eodem* 2. *de Arte Cur. ad Glauconem*, docet illum fieri, *ex humore lento, & crasso, qui partibus, quæ indurantur, tenaciter infigitur, & crebriùs etiam Medicorum imperitia paratur, cùm vehementer erysipelata, & inflammationes adstringunt, & infrigidant*: Suadet quoque ratio; etenim, si acidum sua natura coagulans, & figens est, procul dubio cùm præ-

prævalet, Sanguinem in suo motu aliquatenùs præpeditum inficit, & in angustioribus ductibus, aut poris partium, magis, magisque contaminat, & hærentem efficit, unde impactus, densatusque tumorem inflammatorium excitat. Hoc pacto intumescunt Lien, Pancreas, Mesenterium, Uterus, aliæque partes glandulares; nec non sæpè etiam hæmorrhoides tument, & inflammantur, non sine gravi sensu doloris, & ruboris. Ostendit hoc idem subita à restagnante sanguine concretio, seu coagulatio, quam deinde sequitur suppuratio cum febre, de qua Hippocrates 2. *aphorism.* scripsit: *Dum pus conficitur, rigores,* (seu ut alii malunt,) *dolores, & febres accidunt magis, quàm jam confecto.* Concrescit autem, & coagulatur sanguis ab acido superabundanti, aut exaltato: quæcumque enim acido abundant, promptè fermentescunt, si cum aliis permisceantur. Sic Mercurius cum Spiritu Nitri, oleum Tartari cum spiritu Vitrioli, Coralia cum aceto, & alia hujus generis. Atque hinc modò est, quòd in Inflammationibus percipiant patientes acutissimum doloris sensum in ea parte, ubi primùm sanguis restiterit; itemque pulsationem: ac intumescentiam, eo prorsus modo, ac in panificio fermento acido, experimur. Accedit, quòd exinde etiam sequitur facilis ex inflammatione suppuratio, & citior quàm in cæteris; quoniam per acidum promovetur fermentatio, sine qua suppuratio fieri nequit. Constat autem evidenter restagnantem Sanguinem in Inflammatione acidiorem fieri, proindeque grumescere, & longè magis ex grumefactione acidum evadere; unde postmodùm suppuratio. Neque enim ex eo solùm, quòd Sanguis alicubi remoretur, suppurationi subjicitur: nam sanguis è venis eductus, & in vase aliquo asservatus, minimè in pus vertitur, licèt corrumpatur: & in Utero, ac Vesica, ubi nonnunquàm ad plures dies detinetur, sine ulla suppuratione, in grumos concretus dumtaxat educitur; quia nimirùm in fermentationem non est adactus, diluto scilicet acido, resoluto, aut infracto. Sed & neque in Scirrho, ubi acidum potenter exorbitat, pus gignitur, quia plus justo fixum, ac tartareum, fermentationem non promovet, sed omnia sibi subigit, & congelat, adeòque quacumque commotione privat. Quòd si fortè fortuna in fermentationem adigatur, vertitur in venenum, & horrendum Cancrum, penitùs exitialem, progignit.

At quamvis Acidum ad suppurationem promovendam necessarium esse dicamus; non tamen quis putet corpulenti alicujus humoris acidi nimiam quantitatem ad hoc opus exquiri, cùm satis sit spiritus quicumque tenuis, & volatilis vapor, vi potiùs, ac virtute, potens in motum fermentativum adigere, quicquid alicubi impactum hærescit, si præsertim in vasis angustioribus constipatus, & occlusus vigorem nanciscatur, quemadmodùm in Acetostillatitio, & in Spiritu nitri experimur, ac passim observamus in obstructionibus Pancreatis, aut Lienis, in Hypochondriacis, & Scorbuticis, in quibus sæpesæpiùs pustulæ cutaneæ comparent cum livore, gingivarum erosiones, imi ventris inflationes, Stomachi ardores, æstuationes, rugitus, ructus, animi præfocationes, & similia: quæ cùm nonnunquàm fugacia sint, appareant, dispareantque momento, nonnisi à tenui, volantique acido exoriuntur; quamobrèm jure optimo scribit Sylvius Deleboë, se nondum potuisse medicamentum invenire, quod acidum exuperans adimat, vel infringat, sine totius Corporis incommodo; siquidem plerumque tenue, vaporosum, & oberrans est, ut adnotavit Helmontius, vi potiùs, atque efficacitate molestus.

Hinc quoque palam fit, quo pacto sanguis,

guis, ex arteriis in poros partium trajectus, momento ferè temporis restagnet, & inflammationem pariat. Tenuis namque hic vapor, seu spiritus acidus, cum sanguine commistus, vel etiam in ipsamet parte excitatus, vitio sui, aut alieno, ut anteà dictum, sensim poros constipat, & sanguinem pertranseuntem figit; unde postmodùm pororum obstructio, arteriolarum, & glandularum corrugatio; indèque succedentis sanguinis restagnatio major, atque adjacentium partium carnosarum tumefactio, quam postremò tensio, ardor, pulsatio, rubor, & reliqua symptomata superiùs memorata consequuntur, quæ quousque ex fermentatione, suppuratio, ac posteà diruptio non successerit, nunquam desinent.

Atqui animadversione dignum est, quòd licèt aliquando in febribus continuis sanguis in apicibus arteriolarum remoretur, & concrescat, non tamen exindè inflammationes conspicuæ fiunt: vel quia patent alii ductus, per quos sanguis in venas permeare possit; vel quia obstructiones istæ contingunt in glandulis solùm, & non in carnibus; vel quia tales non sunt, ut transeunti sanguini impedimento omninò sint; vel quia beneficio transpirationis, tenujores saltem partes evolant, & ope febrilis commotionis crassiores attenuantur; vel quia meatus per longum patuli sunt & sanguinem aliquantulum tantùm in globulis concrescentem, non tamen omnimodè obstruentem, nec penitùs circuitum impedientem excipiunt; vel tandem quia acidum tanti non est, ut inflammationem pariat; aliave de causa, quæ sanè multiplex esse potest. Et quidem causæ variæ esse possunt, quamvis non omnes nobis cognitæ, cùm à vario situ, figura, motu, partium habitudine, diversaque porositate, cæterisque proficiscantur. Sed & neque necesse est, ut acidum perpetuò præcedat, cùm possit etiam una simul à remorante sanguine acor adipisci, ex multis sive intrinsecis, sive extrinsecis accidentibus, quæ ægrotantibus præstò esse solent. Sic si pars musculosa, cæteroqui perfectè sana, urticæ flagello E. g. verberetur, mox statim in tumorem attollitur, rubet, & calet cum ardore, quia ex vibicibus, ab urticæ aculeis parti inflictis, tonus ejusdem, & pori cutis illicò permutantur, & motus sanguinis interturbatur; unde postmodùm inflammatio, rubor, dolor, ardor. Idipsum evenit ex contusione, vulnere, fractura, & similibus.

Quod ad Curationem: Communiter putant præcipuam indicationem curativam consistere in peccantis sanguinis eductione. Quoniam enim præcipua Inflammationis causa ponitur plenitudo, ea proindè tolli creditur sanguinis missione; unde Galenus 1. *aphorism. comm.* 23. scripsit, nullum aliud in inflammationibus internis efficacius præsidium seipsum invenisse, quàm sanguinem detrahere ad animi defectionem usque: quod etiam testatur *cit.* 2. *ad Glauconem*, & 13. *meth. c.* 5. *& seq.* Et quidem detrahendum sanguinem suadere videntur nedum peccantis humoris conditio, sed & febris, quæ inflammationem comitatur, quæque continua, & acuta esse solet: dolor, & rubor partis, totius massæ sanguineæ fervor, ex urina rubente, indicatus: sitis, vigilia, inquietudo, & similia; quæ nemo uspiam inficiabitur. Solùm de Tempore, & Quantitate dubitatur, an scilicet quocumque tempore, & ad animi defectionem usque, sanguinis detractio fieri possit. Et primùm de tempore, existimaverim Ego solummodò in principio licere, hoc est cum inflammatio fit, aut proximè futurum est, ut fiat; secus verò cùm est facta, & jam sanguis extra propria vasa restagnaverit: Tunc enim, neque qui peccat educitur, neque inflammatio facta tollitur: & ex altero capite, stagnantis sanguinis resolutio, aut matu-

maturatio impeditur; igitur solùm in principio, cùm sanguis remorari cœperit, detrahi potest, ad eam tamen quantitatem quam vires, ætas, & habitus Corporis tulerint: per id enim temporis, motus sanguinis missione celeratur, citaturque, ne hæreat, remoretur, ac congelascat, & si fortasse multitudine (saltem propter nimiam sui expansionem) extuberet, convenienter diminuetur, citrà virium jacturam, quocircà affluxus ad partem parcior fiet: arteriæ namque crebriùs per systolem, ac diastolem pulsantes, sanguinem ipsum magis attenuant, ac per suos ductus promovent, nec non etiam transpirationem, & exsolutionem adjuvant, ut etiam vapor ille, ac spiritus figens aliquatenus dissolvatur, & evaporet, more quo vinum in indebitam fermentationem adactum, levi quacunque evaporatione defervescit, & in meliorem statum remittitur; quin & acidi liquores ad liberiorem aërem expositi, hebescere solent. Cæterùm parum refert num à partibus remotioribus, aut proximioribus, oppositis, aut directis, sanguis detrahatur, sive, ut ajunt, evacuatione revulsoria, vel derivatoria; etenim haudquaquàm proderit sanguinis missio, quia ex hac, vel illa vena fit, sed solùm quia eo tempore peragitur, quo inflammatio nondum peracta est, atque ad impediendum, seu potiùs ad diminuendum in partem laborantem copiosiorem sanguinis affluxum; quamvis haud inutiliter putaverim (si fieri posset) eam venam esse secandam, quæ proximiorem anastomosin cum arteriis, partem ipsam inflammatam irrigantibus, init. Quo sensu intelligendus Hippocrates 6. *aphorism.* cùm inquit: dolente parte Capitis postica venam frontis secandam esse, quoniam hæc proximiorem cum parte dolente communionem habet.

Phlebotomia insuper ad animi defectionem instituta jam diù exolevit, saltem ex eo, quia nunc non toleratur; Quare in praxi hærent potiùs Avicennæ dicenti meliorem esse numeri repetitionem, quàm accretionem quantitatis: quamquàm & in hoc probabiliter existimem, quòd si semel instituta venæ sectio non profuit, neque pluries repetita in posterum sit profutura. Verùm de hac re alibi à Nobis fusè actum est.

At verò purgans medicamentum locum penitùs non habet, contraindicante ipsa inflammatione; quamobrem dissolventibus potiùs deinceps insistendum, atque ad suppurationem vergente Phlegmone, maturantibus. Inter dissolventia specialiora sunt Carduus benedictus, Angelica, Carlina, Zedoaria, Hypericus; & ex Animalibus cornu Cervi, oculi Cancrorum, pulvis, & sal Viperarum, calculus repertus in cysti fellea Herinacei terrestris, sperma Ceti, sanguis Hircinus, coagulum Leporis, lapis Bezaar verus: Ex mineralibus verò Stibium diaphoreticum, Sulphur auratum Antim., magisterium coraliorum, terra Melitensis, Mercurius diaphoreticus. Ex his autem, mihi in usu est sequens mistura, quæ recipit: *Decoctionis florum hyperici, & cardui benedicti unc. iii., sanguinis hircini drac. i., syr. de papavere eratico unc. i. ÷, spiritus terebinthi, vel balsam. sulphur. anisati,* (vel melius) *spiritus theriacal. camphor. gutt. v. m.* & exhibeatur. Quòd si patiens desideret formam solidam, tunc exhibeo; *Spermatis Ceti, vel coaguli Leporis scrup. i. vel drac. semis, antimonii diaphoretici ritè præparati gr. xii., cum conserva florum hyperici, vel alterius similis, quantum satis f. bol.* Pro potu ordinario conferet decoctum C. Cervi crudi limati, vel cardui benedicti, vel aqua ex albumine ovorum destillata, aliave similis: quare resolutio quoad fieri potest, promovenda est. Quod si inflammatio commodè resolvi non possit, ad suppurationem perducatur,

catur, oleis primùm lenientibus, amygdalarum dulcium, chamæmelino, liliorum alborum, unguento filii Zaccharíæ, adipe fuillo, vel vervecino, decocto malvæ, & althææ, cum axungia veteri: deinde etiam emplaftro de mucilaginibus; & fi appareat aliquod pravitatis indicium, cum theriaca veteri: proderit quoq; emplaftrum fodicationum Paracelfi tertiæ intentionis; vel ex decocto radicis liliorum, & althææ, fpermate Ceti, tragacantho, & cera, fiat Emplaftrum, five Cerotum.

Perducta ad fuppurationem Inflammatione, cauftico, vel incifione illa aperiatur, ut pus exinde progenitum repurgetur. Mox detergentibus, & mundificantibus ulcus ad plures dies adapertum detineatur; Et tandem ad cicatricem perducatur pulveribus farcoticis, aut balfamis arte paratis, licèt in hoc multùm indulgendum fit parti ulceratæ: id quod prudentiæ Chirurgorum relinquitur. Cibus intereà fit attenuans, potus modicus, & incolatus in Aere tenui, & calido. Cætera ex alibi dictis petantur.

De Eryfipelate.

Eryfipelas *Tumor eft præternaturalis originem ducens à Sanguine tenuiori, & acriori; plerumque per cutim, aliquando etiam per vifcera diffufo*. Et quidem quod à Sanguine acriori, tenuiorique dependeat Eryfipelas, patet, tum ex levi, vel nulla partis inflatione; tum ex nullo, vel modico renifu, cùm pars affecta tangitur; tum ex facili refolutione, eo quòd nunquàm, vel rariffimè (idq; cùm phlegmonodes, vel oedematodes eft) ad fuppurationem terminetur; tum demum quia, facilè de parte in partem tranfvolat, & per plura membra vagari folet. Atqui nedum fola cutis eo affici confuevit, fed etiam non raro partes internæ Eryfipelate divexantur, ut de Utero fpeciatim fcripfit Hippocrates 5. *aphorif.* 43. *Si in utero fiat eryfipelas, lethale*. Sic pariter Pulmo, Jecur, Cerebri meninges, aliæque partes Eryfipelate afficiuntur, ut pluries per Anatomen innotuit.

Eryfipelas faciunt Medici cum Chirurgis verum, & non verum, feu legitimum, & fpurium. Verum dicunt, quod ex tenuiffimo fanguine (feu pura bile, ut ajunt) fieri putatur: Non verum autem, quod ex corpulentiori humore progignitur; unde Phlegmonodes, Oedematodes, vel Scirrhodes dicitur, prout Sanguis, Phlegma, aut Melancholia, five craffior, & aquofior, vel fæculentior humor, in illo contentus apparuerit; aut etiam major, vel minor Sanguinis affluxus in parte reftagnaverit.

Sed & nonnumquam Eryfipelas ex fe folùm morbi vicem gerit, aliquando verò refert fymptomatis conditionem. Morbus ex feipfo eft, cùm primùm in lædendo confpicitur, & febrem fubfequentem, vel comitem habet, quæque ad ipfius mutationem, ac varietatem, mitefcit, vel augetur. Symptomatis verò conditionem refert, cùm multo poft febrim acutam fequitur, atque ad febris incrementum, aut decrementum, diverfimodè permutatur, & augefcit, vel decrefcit; quinimò folet non leviter, fuperveniente Eryfipelate, illa remitti, depofita nimirùm ejus caufa materiali ad habitum Corporis, & præfertim in partibus infernis, unde Hippocrates, Eryfipelas ab internis ad externas partes ferri, bonum dixit. Atque hinc melius femper, ac tutius, fi ad inferiores, quàm ad fuperiores partes, Caput fcilicet, Faciem, Pectus, deferatur. Por-

Porrò à Nobis alibi dictum (a) etiam à lympha, seù sero sanguinis, acidiori reddito, Erysipelas exoriri, quoniam ex Helmontio, liquor ex Erysipelate manans non amarus, sed ex acido-salso mistus est.

Ejus indicia notissima sunt, & cuique conspicua. Rubet enim, ad flavum aliquantulum inclinans, Cutis, cum ardore: Serpit, & sensibiliter de parte in partem rubor diffunditur, citrà ingentum Cutis elationem: Febris à principio adjungitur, imò aliquandò cum levi rigore inter initia se prodit, instar Tertianarum; & pro varietate affectarum partium dolor, pulsatio, ac tensio, major, vel minor percipietur; Urinæ plerumque rubent, sed tenues esse solent, nisi tamen ab adnexa febre, aliter permutentur, quæ licèt sæpè sæpiùs, symptomatis vicem gerens, non multùm negotii facessat, solet tamen aliquando aliunde procedere, & erysipelatis malitiam ostentare. Quamobrem si illa Erysipelati superveniens, motum, ac morem istius minimè sequatur, gravior erit, malè affecti Corporis, ob pravam multorum humorum dispositionem, indicia referens, qui cùm nequeant omnimodè extramitti, majori sui parte, vasa interna sanguinis occupant, & symptomaticam Erysipelatis depositionem ostendunt.

Hinc de illius Prognosi varium judicium faciendum est. Nam si febris desinat, vel saltem remittatur, superveniente Erysipelate, idque in partes potiùs inferas divagetur, melius: secùs verò, si contrarium accidat. Pari modo in misto, spurioque Erysipelate prognosticandum: siquidem eo sensim evanescente, cum febris, aliorumque symptomatum successiva remissione, signum salutare erit: increscente verò febri, præsertim cùm partes superas occupaverit, aut in suppurationem vergat, malum: ex Hippocrate 7. *aphorism.* 20. Semper enim circa caput, & faciem comparens periculosum observatum est, ob facilem Meningum Cerebri læsionem; quod sanè diuturnæ vigiliæ, vaniloquium, aut multiloquium, sopor, inappetentia, nimia sitis, alvi profluvium, difficultas respirationis, aliaque hujus generis symptomata supervenientia portendere solent. Denique in spurio Erysipelate, si pustulæ, aut vesiculæ ichore plenæ compareant; si à pressione partis fovea relinquatur: si in suppurationem tendat: si livescat: si repentè dispareat; malum, & plerumque lethale.

Pro Curatione, victus ratio sit attenuans, & attemperans. Vitentur Carnes, & Vinum præsertim generosum. Potus sit refrigerans, quin & à Thoma Bartholino, *peculiari tractatu de Nivis usu in Medicina*, etiam ex Nive commendatur. Prosunt Aquæ stillatitiæ ex Carduo benedicto, vel stellato, scorsoneria, pimpinella, eryngio, fragaria, acetosa. Acria ex adverso, & calorifica dicta, pinguia, & dulcia, nocua sunt; sicut etiam motus omnes tum Animi, tum Corporis.

De Phlebotomia ambigua res est. In Praxi ordinaria creditur prodesse, ob vitium in sanguine contractum, & ratione etiam febris adjunctæ, cum ardore, siti, & lingua arida. At contrarium existimant alii cum Avicenna, qui sanguinem frænum bilis vocat: hæc enim per phlebotomiam magis effervesceret, & adaugeretur; quin & illa, quæ in cutim effusa est, facilè per mistionem retrocederet, & partes internas nobiliores invaderet. Attamen in hoc distinguendum putant alii, num scilicèt Erysipelas ve-

(a) *In nostra Praxi.*

verum, an spurium sit, & num symptomatice, vel criticè comparuerit, sive num febrim sequatur, cum ejusdem remissione; an verò potius præcesserit, indeque alia symptomata sint subsequuta; & num deniq; in principio, an verò in statu Morbi. Si namque Erysipelas verum sit, meliùs existimant à sanguinis missione abstinendum: competere verò solùm posse (quo pacto dictum in Phlegmone) & statim inter initia, si Phlegmonodes sit, atque à suppressis Catameniis in fœminis oriatur. Contra verò si Oedematodes fuerit, vel Scirrhodes, nulla ratione convenire, ob misturam phlegmatis, seù lymphæ crassioris, vel alius terrestrioris, acidi, & melancholici humoris. Similiter si febrim consequatur, indeque illa remissa sit, comparente Erysipelate, nec sanguis detrahi debebit, eo quòd Crisis conditionem referat. Denique si unquam locum habere videatur, statim inter initia tentetur, vel ad deplendum, vel ad temperandum sanguinis orgasmum; nullatenus verò, aut in statu, aut in declinatione. Horum omnium ratio clarè patet ex supradictis; etenim cùm verum est Erysipelas, materia peccans tenuis est, & sponte sua evanescit, ac difflatur, quæ fortè per missionem retenta, & denuò cum sanguine commista, irreparabile damnum pareret. Pari modo cùm Erysipelas febrim comitem habet, sui vires non excedentem; quoniam salutarem sanguinis repurgationem ostendit, aliud tentare non expedit, ne critica depositio turbetur ex 1. *Aphorism.* 21. Ità de cæteris. Conferantur hùc, quæ alibi à Nobis dicta sunt, de Curatione Erysipelatis *in Praxi.*

At quid Galenus de missione Sanguinis in Curatione Erysipelatis senserit, breviter nunc etiam recenseamus. Planè ex *capite* 1. *lib.* 2. *ad Glauconem*, & ex 13. *meth. cap.* 8. ac. 14. *ejusdem cap.* 3. clarissimè deducitur, phlebotomiam non commendasse in exquisito Erysipelate, sed solùm in Erysipelate Phlegmonode, ut præ cæteris animadvertit Tagautius *lib. de Tumor. præter naturam cap. de Cur. Erysipelatis.* Quin idem Author ex eodem Galeno deducit septem de curando Erysipelate Aphorismos, quorum primus: *In exquisito Erysipelate sanguinem ne detrahito.* Et ultimus: *Si Erysipelas non exquisitum fuerit, sed Phlegmonodes, præsertim ubi sanguis in Corpore exuperat, sanguinem mittito.* Qua distinctione adhibita, facilè conciliari putat Paulum Æginetam cum Galeno: nam cùm Paulus secandam venam præcipit in Erysipelate, quòd Capiti, seu faciei oboritur, de Erysipelate Phlegmonode intelligendum arbitratur, sæpissimè faciem invadente. At Galenus de legitimo Erysipelate loquutus, sanguinem nullatenùs mittendum esse docet.

Quod insuper pertinet ad Medicamentum purgans, licèt nonnulli indiscriminatim in Erysipelate purgare audeant, desumpta indicatione à biliosa Cacochymia. Nihilominùs, si standum ejusdem Galeni doctrinæ, & authoritati, procul dubio, juxta præfatam distinctionem, dicendum, haudquaquàm purgandum in Erysipelate phlegmonode, licere verò in oedematode, vel scirrhode, ut pluribus insinuat idem Galenus *cit.* 2. *ad Glauconem* 1. Idipsum deducendum ab adjuncta febre, quæ si plenitudinem humorum consequatur, timeaturque de affluxu eorumdem in partem aliquam nobiliorem; sedato priùs, quoad fieri poterit, fervore, & dolore, leve aliquod purgans exhiberi poterit; in quem usum commendatur Rhabarbarum, cum decocto, vel pulpa tamarindorum: vel Cremor Tartari juxta descriptionem Quercetani: vel etiam syrupus de cichorio cum rhabarbaro, aliudve simile.

Postremò circàtopicà, & specifica medicamenta: erat in usu apud Galenum admovere parti Erysipelate affectæ inter initia succum solani, sempervivi, portulacæ, psyllii, hyoscyami, lactucæ, cichorii, cucurbitæ, & lenticulæ sylvestris, ut *cit.* 2. *ad Glauconem*, & 14. *methodi cap.* 3. memorat: Et Avicenna adhibere consuevit aquæ frigidæ perfusionem, ut hydrelæum, cerussam, acetum, oleum rosarum omphacinum: quibus alii addidere lac, unguentum rosaceum, unguentum album, decoctum althææ, & alia hujus generis refrigerantia, de genere repellentium dicta. Verumtamèn quotidianus usus edocuit, ejuscemodi medicamenta oleosa, & pinguia partem affectam in putrefactionem deducere, & non raro in gangrænam; undè accuratiores Chirurgi ab his abstinent, & solùm repellentia adhibere non reformidant in Erysipelate exquisito, atque cùm ardore, ingentique dolore sociato, & ubi nullus metus est, ne in partes internas repat; quin & cum illis quoque admovent dissolventia, cum foliis Nicotianæ, Brassicæ, Sambuci, & similium; quamquàm tutius semper sit ista cavere, & humorum acritatem temperantibus, ac absorbentibus uti, de quibus infrà.

Insistunt propterea Recentiores dissolventibus, & acutiem humorum retundentibus lituris, ut sunt lotiones ex Aquis florum sambuci, & spermatis Ranarum, cum myrrha, camphora, chamæmelo, & meliloto. Helmontius commendat sanguinem Leporis illitum, itemque columbinum, aut perdicum, alii, Felium, & Canum. Boyle, & Du-Hamel spiritum vini, quem nunc in frequentissimo usu Nostrates habent: Nonnulli alii lixivium parant ex cineribus Sambuci. Alii admovent carnem bubulam recentem: alii aquam stillatitiam spermatis Ranarum: alii vinum myrrhatum tepidum. Sed satis erit (nisi dolor, & ardor nimis urgeat) partem Erysipelate affectam pannis coopertam, & moderatè calidam detinere: nam moderato calore sensim extenuatur, & dissolvitur Erysipelas, atque in furfures abit.

Ad promovendam verò resolutionem, præservandasque partes internas à recursu peccantium humorum, valdè conferunt sudorifica, sed blandiora, atque ex vegetalibus, aut animalibus desumpta, ut decoctum florum hyperici, cornu Cervi, dictamni, betonicæ, scordii, contrajervæ, cardui benedicti, cum sanguine hircino, vel leporino, pulvere oculorum cancrorum, spermate ceti, cornu cervi præparato, extracto scordii, vel speciebus diascordii, sale cardui benedicti, absynthii, centaurii, & similibus, de quibus alibi à Nobis actum est.

De Oedemate.

Oedema definitur à Galeno 14. *meth. cap.* 4 & 2. *ad Glauconem cap. de Oedemate*, quod sit *Tumor laxus, & indolens, ex pituitoso humore in partem aliquam influente*. Vel etiam quod sit *Tumor præternaturalis albus, mollis, & indolens, à pituitoso humore, per congestionem frequentiùs, rariùs per affluxum humorum, progenitus*, ut à Recentioribus describitur. Pro pituitoso autem humore, lymphicum intelligunt, crassum tamen, lentum, & acidum.

Duplex etiam refertur, sicut de Erysipelate dictum. Alterum quidem exquisitum, ac legitimum, quod ex sola, & pura pituita, seu lympha dependet. Alterum spurium, & compositum, ex pituita, seu lympha, cum aliis humoribus commista; unde Oedema phlegmonodes, erysi-

eryſipelatodes, & ſcirrhodes exoritur, pro varietate ſanguinis, bilis; vel melancholiæ cum pituita permiſtæ: ſive potiùs pro conditione varia ejuſdem lymphæ acrioris, aut acidioris redditæ, vel à fermentis partium variis, vel à mora, motuque fermentativo in eadem inducto.

Hinc cauſæ Oedematis ponuntur, internæ quidem, præfati humores phlegmatici, & crudi, aut ſoli, & impermiſti, aut cum aliis humoribus ſociati, quos meliùs Recentiores lymphicos appellant, vel ſimplices; vel acore, acritudine, aut ſalſilagine vitioſa inquinatos. Externæ verò, quæcumque poſſunt ejuſcemodi crudos ſuccos progignere, vel jam genitos alicubi detinere. Quare Aeris conſtitutiones Auſtrinæ, aut Aquiloniæ, cibi glutinoſi, pôtus gelidarum aquarum, ſudores retenti, cæteræque evacuationes conſuetæ, per vomitum, per urinam, per uterum, aut per ſeceſſum, impeditæ: vita ſedentaria, habitus Corporis obeſus, aliaque hujus generis, ejuſmodi tumores oedematoſos inferre valent.

Cùm ergo Tumor viſu albicans, & tactui laxus, ac mollis ſit, prementi digito foveam relinquens, & cum nullo, vel nimis exiguo dolore, inſenſibilique calore, conſpicitur, Oedema eſt: quocircà raró, vel nunquam ad concoctionem perducitur, etiamſi multa, & valida fomenta adhibeantur; quin potiùs, ſi aliquandò ſecundùm partem tenuiorem reſolvi videatur, quæ remanet ità craſſior, & conſiſtentior evadit, ut irreſolubilis, & incoquibilis fiat. Hinc difficillimè ſolet eſſe curationis, & potiſſimùm ſi in partibus glanduloſis, & circa articulos, in tophos convertatur, eòque magis ſi puerulos, vel decrepitos invadat.

Quod ad Curationem, præ primis inſtituenda eſt ratio victus attenuans, & in cunctis ſex rebus nonnaturalibus aperiens, ac diſſolvens: Quare Aer vergat ad calidum, ſitque tenuis, & apricus, cum Tumor hic in diutiſſimum tempus protrahatur. Cibi ſint attenuantes aromatibus conditi, cinnamomo, pipere, zingibere, croco, cæteriſque, cum herbis aperientibus, petroſelino, aſparago, apio, ſampſucho, naſturtio aquatico. Potus ſit, vel aqua ex ſalſa, & ſaſſafra, lentiſco, viſco quercino, aniſo, cinnamomo; vel vinum album, tenue, & quod diureſim promoveat. Vitentur glutinantia, humefacientia, excrementoſa, cruda, acida, oleoſa, pinguia, dulcia, conſuetæ evacuationes omni ſtudio concitentur; & alvus interjectis ſaltem vicibus, ſi fortaſſis refractaria ſit, cienda, vel clyſteriis ex hiera, agarico, diaphœnicone, rhodomelle, cum decocto rutæ, hyperici, mercurialis, parietariæ, roriſmarini, althææ; vel ſaltem acribus balanis ad eundem finem comparatis.

Sanguinis detractio penitùs interdicenda eſt, cùm neque ab humore peccante indicetur, neque toleretur à patientis corporis conſtitutione. Potiùs purgantia per vices, & per epicraſin, locum habebunt, quæque phlegmagoga, & hydragoga dicuntur; ut præſertim, pilulæ de ammoniaco Quercetani, de Maſtiche compoſitæ, aloephanginæ, cochiæ, electarium Alexandrinum, caryocoſtinum, aliudve ſimile. Poſt hæc, decocta diſſolventia, ac ſudorem lenitèr provocantia, atque etiam, ſi opus ſit, ſudatoria naturalia Puteolana, aut Pythecuſana.

Supra partem affectam adhiberi poterunt diſcutientia, attenuantia, ac diſſolventia, ut præ cæteris eſt Emplaſtrum de tacamahaca compoſitum, fodicationum Paracelſi, & ex galbano crocatum. Efficax non raró compertum eſt, quod ſequitur: *Ex ſulphure crudo, cineribus vitis, & ſale gemmæ ad partes æquales, cum farina fabarum, terebinthina, & cera ad ſufficientiam, adjecto oleo nucum ad proportionem.*

Prodest quoque hoc Cataplasma, *ex radicibus althææ, bryoniæ, & ebuli singulor. unc. ii foliis salviæ, rutæ, & sabinæ, cujusque ad m: j. Decoquantur in vino diluto cum modico lixivii, addendo sub finem aceti parum*. Facta demùm forti expressione, addantur *farinæ fabarum unc. ii. cineris communis unc. semis, salis communis drac. vii. fermenti panificii unc. i ÷. olei chamæmel. unc. iii. adipis ursi, vel vulpis unc. ii.* & secundum Artem f. Cataplasma.

Quòd si Oedema ad suppurationem tendere videatur, tunc applicentur ea, quæ illam adjuvent, ut est Emplastrum ex radicibus althææ, liliorum, cæpis coctis, limacibus, fermento, seminibus lini, & axungia, cum stercore columbino. Ad idem facit unguentum althææ compositum, Filii Zachariæ, oxycroceum, ex quatuor gummatibus, & de mucilaginibus. Maturatum ferro candenti aperiatur, deinde mundificato ulcere adhibeatur unguentum Apostolorum; vel fiat unguentum ex galbano, ammoniaco, resina terebinthi, pice, & oleo veteri. Proderit etiam Emplastrum sondicationum tertiæ intentionis Paracelsi, & stypticum Crollii.

Ad Classem Oedematū referuntur Meliceris, Steatoma, & Atheroma, quæ solùm differre dicuntur pro diversitate materiei in eisdem contentæ, referentis nempe conditionem mellis, adipis, vel pultis, aliusve rei consimilis tenacis, & consistentis, quæ sanè à varia lymphæ peccantis conditione diversificantur; si nimirum magis, vel minùs glutinosa, & tenax fuerit, dulcis, aut insipida, acida, pontica; alba, fusca, aut aliter depravata apparuerit; & quandoque etiam propriis folliculis comprehensa. Quin, si articulorum intercapedines occupaverit, simulque unà appendices musculorum, cum tendinibus, & ligamentis obsederit, excitabit genera illa Tumorum, quæ vulgò *Spinæ ventosæ* appellantur, & exostoses in ossium capitibus ingenerant, læsis similiter periostiis, & glandulis mucilaginosis eorumdem; undè postmodùm partes adjacentes sensim quoque contabescunt, & elanguent.

De Scirrho.

Scirrhum appellant Medici *Tumorem illum præternaturalem, qui ex humore lento, crasso, tartareo, & melancholico dicto originem ducit;* quique durus, renitens, & doloris expers est.

Licèt autem ex humore plerumque melancholico fieri dicatur, nil tamen obstat, quin etiam aliquando fiat ex lenta, crassaque pituita, facilè concrescente, & tophacea dicta, qualem gypseam Medici nuncupare solent, ut deducitur ex Galeno 14. *meth. cap.* 3. & 2. *ad Glauc. cap.* 4. cùm maxima sit analogia inter melancholiam terream, & pituitam crassam, & concretam. Atqui lenta, & tenax lympha, acorem præcipuè austerum nacta, id totum efficit, cùm tunc tartaream conditionem adipiscatur, & tantùm non saxeam, si sale aliquo figente, vel à toto, vel ab hypochondriis, confoveatur.

Duas etiam faciunt Scirrhi differentias, & vel exquisitum, & legitimum; vel spurium, & illegitimum illum nuncupant, prout unus, & simplex humor, vel multiplex, & permistus in ejus generatione concurrerit; quamobrem, & Phlegmonodes, & Erysipelatodes, & Oedematodes dici etiam consuevit, à commistione vel sanguinis, vel bilis, vel pituitæ; sive potiùs ab humore tartareo, lymphaque crassiori, acidam magis, aut acrem conditionem nacta; quemadmodùm de aliis dictum est. At verò gravior, periculosiorque fit, qui ab acido nedum figente, & austero, sed etiam pungente, atque erodente, progignitur, quod cùm in fermentationem facilè adigatur, nedum dolorem excitat; verùm

rùm etiam erosionem, ac febrim, ut propterea procedente tempore degeneret in Carcinoma, & non raro etiam in Cancrum ulceratum, seu adapertum, ex quo modicus, & ichorosus sanguis extillans, arsenicalis planè, ac stygiæ aquæ naturam sapit; unde Hippocrates occultorum, ac patentium Cancrorum nomina desumpsit, & Medici omnes, post ipsum, ab atra bile progenitos dixerunt impossibilis curationis.

Hinc causæ, & signa patent manifestè. Nam cùm Tumor durus, & indolens observatur, in habitu Corporis melancholico, præcessereque causæ, crassos, tartareos, ac melancholicos humores progignere valentes, præsertim verò diuturniora animi pathemata, cum mœstitia, timore, anxietate, vigiliis, haudquaquàm de Scirrhi natura ambigendum. Variabit autem in materia humorali, si durior, aut mollior; si cum nullo, vel cum aliquo dolore societur; si colorem referat omninò lividum, aut aliquatenùs albicantem, vel rubentem. Quod si præterea erosionem ostendat, cum majori dolore, ac febri, in Cancri naturam degenerabit.

Putatur Scirrhus sua natura incurabilis; ideòque vix, ac ne vix quidem, audent Medici, aut Chirurgi, illum attingere, aut quibusvis Medicamentorum generibus contrectare: sed & pejor, cum degeneraverit in Cancrum, de quo Hippocrates 6. *aphorism.* 38. scripsit: *Cancros occultos habentes melius est non curare; curati enim citiùs pereunt.* Solùm ergo convenienti victus ratione uti licebit, ut in longius tempus deferatur, sine graviori noxa patientis. Quare Aeris incolatus talis sit, ut malitiam humoris sensim corrigat; sicut cibus, & potus attemperans, atque acorem, & crassitiem humoris emendans. Animi pathemata vitentur, præsertim quæ mœstitiam afferunt; atque consuetæ evacuationes Corporis debitum more servent.

Venæ sectio nullatenùs convenit, nisi tamen in fœminis, à suppressis, retentisque menstruis originem trahat, in quibus illa promovere utile semper erit: etenim his plerumque accidit, in mammis, aut utero potissimùm, Scirrhos pati.

Purgantia nonnisi in Cacochymis adhibeantur, quæ etiam blanda, & levia sint, ne partes affectas, aut humores magis lacessant; unde, cùm opus fuerit, pilulæ tartareæ, & de ammoniaco, diasena, diatartarum, aqua solutiva, & syrupus de fumaria majori, aliaque hujus generis solummodò, in usum ducenda erunt.

Topica nullatenus suppurantia, aut maturantia sint, sed tantummodò lenientia, ac dolorem sedantia, si is valdè urgeat. Cæterùm incisiones, inustiones, aut causticorum administrationes omninò periculosæ, & nocuæ.

Interiùs verò exhiberi poterunt, quæ acorem humorum temperant, & crassitiem diluere valent, ut quæ ex chalybe ritè præparato, & correcto, atque ex testaceis, & alkalicis fixis conficiuntur, locum dumtaxat habebunt, vitatis penitùs acutis, aromaticis, spirituosis, & acribus; sicut & acidis, glutinosis, ac figentibus. Quæ denique Cancro, præsertim ulcerato, conveniunt, petantur à Chirurgis, quorum opera in his potissimùm expostulatur, ferro, aut igne: quamquam nec isti audeant illum contrectare, quin potiùs appellent: *Noli me tangere.* Et de Tumoribus hæc satis sunto. Reliqua in prædicto *cap.* 95. à Galeno recensita, facilè ex nuperdictis elucescunt, proindè transeamus ad alia.

CAPUT XIII.

XCVI. in Galeno.

De Morbo secundum Numerum.

TEXTUS.

(T. 75.) *Sed quoniam de his satis diximus, transire jam tempus ad ea, in quibus numerus non est secundum naturam. Cum verò duplex sit eorum differentia, quibus quidem aliqua particula deficit, his intentio est alteram efficere subministrando Naturæ eo, quo diximus paulò ante, modo. At quibus superabundat, hanc resecare oportet, aut scalpello, aut igne, aut medicamine, quod urendi vim habeat. Hæc igitur omnia ferè sanare possibile est. At non æquè omnia generari possunt, ut in libro de semine diximus. Quædam verò sunt, quæ etsi generari non possunt, licet tamen pro ipsis alterum efficere, quemadmodùm in osse ex toto sublato, alteram substantiam in ejus sede reponere à carne, atque osse differentem. Est enim, quæ in ejus gignitur loco, quædam veluti caro, callosa, vel callus carnosus, & processu temporis magis, ac magis ad calli duritiem transfertur, cùm ab initio carnis potiùs imitetur naturam. Quacumque verò parte sublata, cùm neque eandem secundum speciem, substantiam, neque similem efficere possumus, tertia nobis intentio, quendam decorem invenire, quemadmodum in mutilationibus.*

PARAPHRASIS.

PRæter ægritudines ad malam formationem pertinentes, sunt & aliæ, quæ in numero, sive quantitate discreta partium, Corporis constitutionem integram componentium, consistunt; atque de his nunc breviter etiam Galenus agit. Hæ autem vel in defectu, vel in excessu esse possunt. Deficiunt in numero partes, ut cum Dens, Nasus, Digiti, Manus, vel à Nativitate defuere, vel aliqua de causa externa, aut etiam interna, avulsæ, aut rescissæ sunt. Excedunt verò si ex mala formatione plures quàm deceat, sint ingenitæ. Et summatim edocet, excedentes in numero, esse auferendas, vel sectione per ferrum, vel ustione per ignem, cum ferro candenti, vel ope causticorum medicamentorum. Deficientes verò, aut restauratione similis, aut adiectione æquipollentis, ut dictum in resectione carnium, ossium, ligamentorum, &c. In mutilationibus autem membrorum, adjicere licebit solùm, quod deformitatem minuat, vel auferat, atque adeò decorem, quoad fieri possit, cæteris partibus, totique Corpori inducat. Qua ratione novimus quosdam ex mutilatis, brachio, tibia, aut pede, tam affabrè per Artem sibi ligneas illas partes accommodasse, ut etiam opera quæcumque usualia peragerent; adeoque & manibus apprehenderent; & incederent, aut starent pedibus, sine manifesta, & conspicua deformitate. Ad avvulsos, vel decisos dentes, mirum sanè, quàm dexterè Moderni quidam Artifices Dentarii, nedum paucos dumtaxat dentes, sed & totam illorum seriem, ordinem, structuramque perbellè restituerint, ut ne vix quidem eorumdem defectum quispiam internosceret. Cætera petantur ex superiùs dictis.

CA-

CAPUT XIV.

XCVII. in Galeno.

De Morbo secundum Magnitudinem.

TEXTUS.

T.76.) *Communicat autem hoc genus totum cum eo, quod ad Magnitudinem pertinet, nam quodcumque ex eo est secundum naturam, illi propinquum existit. Id verò tantùm sejunctum est, ac separatum, quod inter ea, quæ sunt è genere præter naturam, connumeretur. In quo quidem prima intentio est ablatio. Si verò hæc impossibilis existat, secunda est transpositio, quemadmodùm in suffusionibus. Quæcumque verò non integris partibus, sed partium tantummodò particulis deficiunt, aut excedunt Naturæ modum, refectio quidem, vel generatio in his, quæ deficiunt; ablatio verò, & abolitio in his, quæ superabundant. Quare neque in ipsis altera est intentio, neque medicaminum forma genere diversa.*

PARAPHRASIS.

PRo curatione Morborum in Magnitudine, duo etiam remediorum genera proponit: unum quidem in Ablatione ejus, quod excedit, aut in Restitutione ejus, quod deficit; quemadmodum supra dictum est: Alterum verò in transpositione, ut in suffusionibus oculorum, in quibus humor ante pupillam oculi concretus, atque ad instar Telæ, & Panni densatus à peritis Medicis Ocularìis deponitur, itaut pupilla libera remaneat absque ulla opacitate. Idipsum agendum in Transpositione lapidis hærentis in vesica, qui etiam per Ablationem; aut per Attritionem in fragmenta, ut faciliùs extrahatur, auferri debet; sicut pariter in Polypo Narium, Cerumine Aurium, aliisque similibus: quamvis hæc alius generis esse videantur; de qua re parùm interest hìc movere quæstionem, veluti ad propositum nostrum nihilum penitùs conferentem.

CAPUT XV.

XCVIII. in Galeno.

De Morbo secundum Situm.

TEXTUS.

(T.77.) *Sed jam veniendum est ad reliquum salubrium Causarum genus, quod ea Corpora emendat, quæ in situ sunt vitiata: veluti Luxationes, & intestinum in Scroto. Fit autem hoc ex violenta tensione, atque impulsu: hoc verò ex dilatato, ac rupto continente. Quare, & duplex sanandi modus, alter quidem ad oppositam partem ei, ad quam facta est permutatio, intendendo, atque impellendo. Alter verò id, quod continet firmius, solidiusque reddendo. Quibus verò viis, ac rationibus singula inveniri possint; in lib. de Arte curandi explanavimus.*

PARAPHRASIS.

NOn hìc de vitiis, quæ nonnunquàm à Nativitate acciderunt, in situ partium malo, ut cum Oculi in fronte, Brachia in femoribus, Pedes non antrorsum, sed retrorsum vergunt, aut aliter partes aliæ Corporis sunt vitio Formationis progenitæ, agendum: Nam hæc ad Monstruositatem potiùs pertinent, quàm ad Morbos; sed solùm de vitiato situ in partibus luxatis relicto, vel in Intestino in Scrotum prolabente, aut etiam in Inguinibus prolapso, quemadmodùm Galenus in

in textu meminit, exempla Morborum in situ afferens. Quare luxationes hìc propriè intelligendæ erunt, cùm os ab osse adeò dimovetur, ut debitum situm non servet, ac proinde præter dolorem, impedimento est motui ipsius Articuli, & musculorum eidem adjacentium, læditurque pariter figura, & conveniens, ac naturalis habitudo illius membri. Indicatio autem curativa in his erit remittere, ac reducere membrum luxatum in suum pristinum, & naturalem situm; illudque reductum in longius tempus detinere, ac conservare, quousque fuerit exactè colligatum, perfectèque counitum, & conjunctum, cum reliquis ossibus Articuli. Tunc autem exactè repositum illud judicabitur, cùm dolor desierit, atque in motibus hùc, illùcque nullus tristis sensus percipietur; itemque tumor, inflammatio, rubor, aliaque symptomata, quæ priùs ex luxatione acciderant, penitùs recesserint. Quo sanè in opere peragendo summa Chirurgi peritia, ex Anatome, & articulationis ossium notitia, expostulatur, quæ tamen plerumque deficit, potissimùm apud Nostrates, qui partem hanc chirurgicam, in reponendis ossibus luxatis, penitùs neglexere, illamque ad Rusticos, & Plebejos, maxima ipsorum ignominia, delatam, nullatenùs revocare satagunt.

In Intestini prætereà delapsu, sive in Scrotum, sive in Inguina, eadem opera Chirurgorum exquiritur, qui primùm lenientibus, ac laxantibus oleis, vel unguentis, intestinum in suam sedem reponere, & collocare debent; mox cerotis, emplastris, ligaturis, aliisque similibus, detinere; & si fieri possit, etiam Peritoneum relaxatum, aut dissolutum conglutinare, & confirmare conentur, evitando causas omnes, quæ violenti concussione deinceps impellere, dilatare, aut relaxare possint. Porrò hæc sicut faciliùs in Puellis salubriter peragi solent; ità in adultioribus parùm, vel nihil proficiunt.

CAPUT XVI.

XCIX. in Galeno.

De Causis Præservativis.

TEXTUS.

(T. 78.) *Consequens est, ut ea omnia exequamur, quæcumque in superiori sermone dicere distulimus. Vocant autem eadem Præservativa. Est autem horum triplex secundum genus differentia. Prima quidem Hominis, qui integra fruitur sanitate: Secunda verò ejus, qui non integrè valet: Tertia ejus, qui ægrotat. Primum igitur genus ad salubrem attinet Artem, atque in duas, ut antea diximus, dividitur Partes: Secundum verò ad præservativam spectat. Tertium ad curativam.* (T. 79.) *Hoc autem universum genus circa humores præcipuè negotiatur, quos neque lentos esse oportet, neque crassos, neque aquosos, neque plurimos, neque vehementer calidos, ac frigidos, neque mordaces, neque putredini obnoxios, neque venenosos. Nam ubi acuti fuerint, generant morbos. Augentur verò nonnunquam eadem ex causa, quæ ab initio generavit. Illud autem plerumque accidit, ut sua alteratione reficiant eos, qui sunt in Corpore humores.* (T. 80.) *Intentio verò, & horum sanatio duplex existit, alteratio, & evacuatio. Alterantur igitur, vel ab ipso Corpore concocti, vel ab aliquibus aliis facultatibus, quæ vim medicamentosam habent. E quorum numero etiam sunt ea, quæ exitialium ferarum venenis adversantur, ac præter ea pharmaca, quæ deleteria, hoc est venena, appellantur, transmu-*

mutant. (T. 81.) *Evacuantur autem satis calidis medicaminibus, & purgationibus, & clysteribus; & sudoribus, & vomitibus. Hæ igitur sunt communes evacuationes. Propriæ autem ex locis, in quibus coacervantur, assumuntur, ut in libris de salubribus ostendimus, tertio præsertim, ac quarto, in quibus de lassitudinibus egimus, ac reliquis dispositionibus, quæ lassitudini natura proximæ sunt. Promptiùs enim evacuantur per ventrem quidem, quæcumque in primis venis continentur superfluitates; quæ autem in his, quæ in hepate sunt, per urinæ meatus: atque in toto corpore per sudorem: sicuti quæ in capite, vel per palatum, vel per nares, vel per utrumque: quæ verò sunt in spatiis thoracis laxioribus, per guttur simul cum tussi, quæ in renibus sunt, vel vesica per urinam. At attrahendi ex omni loco ad oppositas partes communis indicatio est ad quam maximè distantia: derivandi verò ad vicina.* (T. 82.) *Quæcumque verò hujuscemodi curant dispositionem, causas salubres appellamus: sicuti insalubres eas, quæ adaugent, & neutras, quæ neque obsunt, neque juvant. Posset verò quispiam neque omninò causas appellare, quemadmodùm major pars sophistarum, qui rerum quidem differentiam invenire contemnunt, plurimum verò temporis in nominibus conterunt, contra quos in aliis uberiùs disseruimus. At pars quidem Artis Præservativa talis est.*

PARAPHRASIS.

QUandoquidem Universa Medicina, tota quanta est, versatur circà Corpus, vel conservandum, vel curandum, vel præservandum, juxtà triplicem illius statum Salubrem scilicèt, Insalubrem, & Neutrum: Postquàm hactenus Galenus de prioribus duobus sufficienter egisset, supererat de præservandis Corporibus generaliora quædam præcepta recensere, quæ tam præsenti Capite, quàm sequenti, prosequitur, ad totius hujus Operis complementum, utque præservativam Medicinæ partem ex integro complectatur, triplicem præservandorum differentiam exponit, atque unicuique, quæ conveniant remedia, breviter commemorat.

Prima quidem ponitur Hominis, qui integra sanitate fruitur, ne in ægritudinem cadat: Secunda ejus, qui non integrè valet, sed ne in pejus ruat, atque in pejorem ægritudinem labatur, præservari debet, & quod fieri potest in meliorem statum revocari, ut in statu Neutro: Tertia demum ejus, qui ægrotat, ne tandem desinat in interitum, sed à morbo revalescens, in pristinum sanitatis statum reducatur. Quamobrèm subdit, Primam, pertinere ad Partem Medicinæ salubrem, idest Conservativam, quæ propterea ope conservationis Corpus ab Insalubritate tueatur: Secundam penitùs, ac omnimodè spectare ait ad Præservativam: Tertiam denique ad Curativam. At verò, quoniam quidquid boni, vel mali Corporibus accidit, ab humoribus, & potissimùm à sanguine, benè, vel malè se habente, provenit; proinde inquit, Intentionem primam in cunctis esse, erga ejuscemodi humores, vel corrigendos, vel repurgandos: cùmque multifariam isti, si à sua naturali crasi desciverint, peccare possint, in copia nimirùm, si excesserint; in vitio verò, si lenti, & crassi, vel tenues, & nimiùm fluxiles, atque aquosi: si plus justo frigidi, vel calidi: si acres, mordacesque evaserint; si in putredinem, aut corruptionem abierint, aut aliter, aliterque affecti fuerint, adhuc in veneni naturam commutati; propterea ad ejusmodi defectus corrigendos, ac tollendos, præcipuæ indicationes dirigendæ erunt; quin & insuper, unde istiusmodi vitia processerint, sedulò inquirendum, ut si-

ve

ve correctione solùm, sive etiam evacuatione promota, deleantur. Redigit autem omnem sanationis, & præservationis viam ad duas principales, unam, quæ alteratione, alteram, quæ evacuatione perficitur. Si namque humores non multùm à naturali statu recesserint, sintque facilè emendabiles, sola alteratione, correctioneque in pristinum statum salutarem reducentur. At verò si in alienam, atque Naturæ penitùs inimicam, conditionem degeneraverint, erunt prorsùs eliminandi, & perfecta, exactaque evacuatione, extrà Corpus educendi. Idipsum agendum quoque erit in exitialium ferarum venenis, atque in iis, quæ pharmaca deleteria nuncupantur, aut etiam venena propriè dicuntur, utpotè quæ ex diametro humoribus, & partibus solidis adversantur, atque ideò insidiantur vitæ, & fomitis vitalis filum præcidunt. Quæ autem evacuationum genera, ad id exequendum adhibere oporteat, ad duas etiam classes revocat: & quidem alias communes, & generales appellat, ut quæ per cathartica, clysteres, vomitoria, sudorifica peraguntur: alias particulares nuncupat, & uniuscujusque partis proprias, quales speciatim fiunt per nares, aures, os, de quibus alibi à se actum dicit. Verumtamen promptiùs semper, atque expeditiùs, quæ superfluitates in primis ductibus coacervantur, per ventrem, & secessum educentur: quæ in Hepate sunt, per vias urinæ (ea tamen distinctione adhibita, de qua suprà ex eodem meminimus, num in parte, ejus gibba, vel concava), quæ per totum Corpus sunt diffusæ, sudoribus: quæ in capite, per palatum, per nares, vel per utrumque sputo, muco, furfure, quæ autem collectæ sunt in spatiis pectoris laxioribus, per guttur, simul cum tussi, quæ in Renibus, vel vesica, per urinam. Sed & servandam quoque esse, subdit, Revulsionem, & Derivationem, aut ad distantes partes, aut ad vicinas. De quibus omnibus cùm abundè satis superiùs dictum sit, non est ut hìc inutiliter repetentes in longius sermonem istum distrahamus. Solùm superaddere convenit, hæc omnia appellari à Galeno causas Salubres, sive conservantes, sive efficientes sanitatem, si malas ejusmodi humorum, aut partium dispositiones, adimant: Insalubres verò, si inferant, foveant, vel adaugeant: Neutras denique, si neque proficiant, neque officiant, vel etiam, si modò juvent, modò noceant, pro ratione, quamquàm & has, nec omninò causas posset quispiam appellare, quemadmodùm major pars sophistarum, qui rerum differentias invenire contemnunt, postremo loco concludit. (a)

CAPUT XVII.

C. & ultimum in Galeno.

De Parte Artis, quæ Convalescentes reficit, & Senibus congruit.

TEXTUS.

(T. 83.) *QUæ autem reficit, atque instaurat, in Convalescentibus, & Senibus locum habet. Quæ verò sit horum dispositio, & à quibus præcipuè causis ad naturalem reducitur habitum in libris, in quibus de medendi Arte tractavimus, abundè explicavimus; sed nunc per capita dicetur.* (T. 84.) *Dispositio igitur talis est. Probus quidem, sed exiguus est sanguis, atque una cum ipso spiritus animalis, atque vitalis: ipsæ verò particulæ solidæ sicciores, & idcircò eorum vires sunt im-*

(a) *V. etiam Gal. lib. de Constit. Art. Med. cap. 19.*

imbecilliores; atque earumdem ratione corpus universum, frigidius. (T.85.) *Causæ verò salubres, quæ hanc emendant dispositionem, ut uno comprehendam capite, sunt quæcumque præsentaneum, atque securum exhibent alimentum: secundum partem autem, in motibus moderatis, & cibis, potibusque, ac somnis consistunt.* (T.86.) *Sunt verò motus materiæ, vehicula, ambulationes, frictiones, & balnea; & ubi non parum se ex his profecisse senserint, paulatim se ad consueta opera transferant; Cibos autem aßumunt in principio quidem humidos, & concoqui faciles, neque frigidos: ac cum progreßi fuerint, eos etiam, qui plurimum præstant alimentum. Potus verò opportunus est, vinum quidem ætatem habens mediocrem, in substantia autem purum, atque perlucidum, quod scilicet vel subflavum, vel album existat, atque suaviter olens: gustui verò neque aqueum omninò, neque cum aliqua insigni qualitate, aut dulcedine, aut adstrictione, aut acritudine, aut amaritudine sentiatur.* (T. 87.) *Ut autem proximè diximus, de hisce omnibus in libris de Arte curandi conscriptis, plenius disseruimus. Nunc enim neque omnia particulatim recensere est nostri propositi institutum, sed solùm capitum mentionem facere intendimus eorum, quæ in aliis voluminibus latiùs explicavimus. Quorum omnium si prius, & numerum, & qualitatem exposuero, finem Libro imponam. Diximus itaque priùs, quòd alter est Liber, in quo de constitutione Artis Medicinæ disseruimus. Antecedunt autem eum alii duo de Constitutione Artium: sed hi quidem una cum hoc, cui nunc extremam manum adjecimus, seorsum sunt ab aliis libris, in quibus plenior doctrina explicatur. Illi verò talem inter se ordinem habent. De Elementis quidem secundùm Hippocratem liber unus, &c.*

S I N O P S I S.

Generaliora dumtaxat Capita Analeptices hic tantummodò rememorare velle fatetur Galenus; cùm de iisdem specialiùs alibi se egisse testetur; præsertim verò in libris *de Methodo Medendi*. Quæ propterea convalescentibus, & Senibus contingant, solummodò referens, malam in illis dispositionem exoriri docet ex sanguinis potissimùm mutatione partibus inducta. Equidem licèt plerumque sanguis in his probus sit, est tamen exiguus, debilis, effœtus, spiritibus neutiquam abundans, aut prævalens, adeoque tum in organis vitalibus, tum in animalibus deficiens: quare & vires imbecilliores in ipsis observantur, & operationes omnes elanguent. Hinc Corpus totum frigidum tactu percipitur, & in cunctis partibus siccius apparet: id quod qua ratione senibus præsertim accidat, latè à Nobis superiùs monstratum est, ob mutatam sanguinis diathesim.

Quæ ergo causæ possint illatam hanc Corpori dispositionem emendare, aut etiam in meliorem reducere, precipuæ referuntur, quæcumque scilicèt rectum usum sex rerum nonnaturalium comprehendunt; speciatim verò, quæ alimenti rationem habent, eamque moderatam. Sed & desumendas quoque illas esse, subdit, à motibus, & exercitiis convenienter adhibitis; itemque somno; vigilia, aeris incolatu, cæterisque. Quamobrèm cibi facilis sint digestionis, non frigidi, seu frigorifici dicti, nec crudi, crassi, viscosi: Senilis enim ætas ab his non leviter offenditur; & convalescentia Corpora, præ languore, ex præcedenti ægritudine contracto, ab eisdem pariter læduntur; & præsertim si ventriculus adhùc langueat. Potus sit quoque moderatus, & opportunus, quique vini usum per antecedentes ætates contraxerunt, ad se-

nium perducti, mediocritate servent; quin, & vino veteri solùm, penitusque depurato, atque omni feculenta, & sulphurea parte exuto, utantur; eoque vel subflavo, vel albo, suaviter olente, gustui grato, & facilè digestibili, quemadmodùm idem Galenus *l.* 5. *de san. tuend. c.* 5. pluribus insinuat. Neque solùm peculiaris ratio habenda est ciborum, & potuum, sed & Aeris quoque, atque exercitationum, & evacuationum consuetarum cujusque statui Naturæ convenientium, & eorum præsertim excrementorum, quæ assiduò progignuntur, de quibus peculiari Capite idem Galenus agit 1. *de tuend. valetud. cap.* 14. Et quoniam quæ per poros cutis insensibiliter perpetim transpirant, majorem illorum partem implent, observatione Sanctorii, iis propterea specialiùs incumbendum, potissimum ope, & beneficio frictionum, quas ex mente Hippocratis Galenus ipse pluribus Capitibus 2. *libro de tuend. valet.* examinavit, & ad sanitatem conservandam maximoperè commendavit; quippè quæ poros cutis amplificando, ac humores in glandulis subcutaneis contentos extricando, dissolvendoque, plurimùm conferunt ad sanguinis repurgationem, adeoque ad sustentationem vitæ, præsertim in senibus, quibus manifestior, ac laboriosior exercitatio præscribi nequit. Quamobrèm idem Galenus *lib.* 5. *c.* 3. *ejusdem Operis*, afferens illud Hippocratis: *Senum nemo quietem ex toto postulat; sed nec exercitium vehemens*, subdit: *Ceù enim ventulo quodam excitari, accendique calor eorum desiderat, vehementiore autem motu dejicitur.* (a) Verum de his omnibus, peculiari Opusculo, de Recto usu sex rerum nonnaturalium, latiùs mox agemus, ubi etiam cujuscumque status Corporis habitudinem, & qua methodo tractari debeat, in usum practicum reducemus. Quocirca finem his imponamus. Cætera, quæ in calce huius Capitis Galenus memorat de Libris à se conscriptis, quorum notitiam opus hoc præire debere ait, eosque propterea singulatim enumerat, cùm unicuique vestrum ex ipsius Galeni textu patere possint, nec peculiarem explicationem exigant, consultò prætermittimus. Atque ità esto.

F I N I S.

A. M. D. G.

DE

(a) *Totus quintus Liber de San. tuendæ in gratiam Senum conservandorum scriptus est, quem vide. Sicut etiam de Const. Artis Med. cap.* 20.

DE RECTO USU SEX RERUM NONNATURALIUM.

PRÆFATIO.



SI quæ unquam alia, ad Rem Medicam, ritè, rectèque faciendam, utilis, ac necessaria est pertractatio, planè quæ de sex Rebus Nonnaturalibus dictis, institui solet, longè, lateq; cæteris omnibus præcellit, & utilior simul est, ac præstantior: quippe quæ ad Corporis humani sanitatem conservandam, aut præservandam, morbosque abigendos, maximoperè confert, immò omninò necessaria est. Cùm enim Rex Nonnaturales, causæ sint necessariò alterantes, utque loquitur Fernelius, circumtensa nobis teneant retia, à quibus evadere non est datum, quinimò iisdem perpetim indigeamus; propterea fit, ut industriam omnem, omnemque curam adhibere necessum sit, ut pro temporis opportunitate ipsis convenienter utamur. Quamobrèm jure optimo Galenus 3. *Artis Medicæ*, & alibi, inter reliquas causas omnes, Corpus humanum sive ad bonum, sive ad malum alterare valentes, illas prætulerit, atque in re Medica specialiùs considerandas esse monuerit; unde plerisque consultum, iis tantummodò opportunè, congruenterque administratis, humanæ saluti, atque incolumitati, satis, superque prospici posse. De his ergò propositum Nobis est, breviter, ac dilucidè, peculiari hoc Opusculo, in usum Hominum salutarem, utiliora referre, atque examinare, ut unusquisque suæ possit, (sine aliorum auxilio) propriæque valetudini consulere.

Quænam autem istæ sint, non est quòd multum elaboremus: Constat enim apud omnes, Nonnaturales causas esse, quæ indifferentes simul sunt ad juvandum, & ad nocendum, & quarum usus, ad vitam conservandam, omninò necessarius sit. Hæ autem communi voto recensentur, Aer: Cibus, & Potus: Motus, & Quies: Somnus, & Vigilia, & Inanitio, ac Repletio: & denique Animi passiones; ad differentiam Causarum Naturalium, & Præternaturalium, quarum illæ perpetuò aptæ natæ sunt juvare; hæ verò penitùs, penitùsque nocere.

Sed & istæ solùm inevitabiles simul sunt, ad contradistinctionem earum: quæ contingentes, ac fortuitæ appellantur, adeòque prudenti hominum consilio, evitabiles fieri possunt; uti sunt Ictus, Casus, bestiarum Occursus, idque genus alia: At verò cuique patet, vitam absque Respiratione, adeòque sinè Aere, diutiùs servari non posse: atque ad instaurandas partes Corporis, quæ jugiter consumuntur, necessaria esse esculenta, & potulenta; ad quæ exquirenda, exolvandaque, Motu Corpus egere; ob absumptum verò ex motu sanguinem, viresque labefactas, opus esse

Quie-

Quiete, ſicut pariter Somno, & Vigilia ad eaſdem inſtaurandas, & ad naturales ſimul, & animales operationes alternatim peragendas; itemque alibiles ex aſſumptis cibis partes, Corporis partibus ad nutricationem ſuggeri, inutiles verò, & excrementoſas repurgari oportere; proindèque Repletionem, & ex adverſo Inanitionem neceſſarias eſſe: ac poſtremò, quia mala, vel bona aſſiduò nobis occurrunt, quæ Animum alterant, ac perturbant, totumque corpus exagitant, & variis, variiſq; pathematibus, ex varia, diverſaque illorum apprehenſione, obnoxios reddunt, illis propterea perpetuò affici, atque alterari contingit.

Harum ergo rectum, convenientemque uſum in poſterum explicaturi, quæcumque ad praxim Medicam magis facere videbuntur, ſigillatim referemus, & examinabimus, exordium capientes ab Aere, omiſſis intereà iis, quæ ad Phyſiologicam partem partinent, utpote quæ à Phyſicis ſunt accuratiſſimè pertractata.

De Natura, differentia, & uſu Aeris.

QUamvis nonnulla de Aeris Natura ſuperiùs memoraverimus, non tamen abs re factum puto, ſi aliqua alia in clariorem illius notitiam hic denuò referamus, & ibidem prætermiſſa adjiciamus.

Et quidem primò, à veritate nimium aberrant, qui Aeris Naturam à primis putatis qualitatibus deſumunt; nam præterquamquòd in his nec ipſimet conveniunt, cum Stoici illum ſua natura frigidum humidum conſtituant, quibus aſſentiri videtur Galenus, (a) ſubſcribitque Cardanus: Et Ariſtoteles 2. *de Gener. & Corrupt. c.* 3. humidum in prædominio, & calidum in ſubdominio fateatur: & alii æquè calidum, ac humidum: Valleſius verò 1. *contr.* 3. temperatum; & Averroes (b) aqua humidiorem: ac demum alii ad explendam latitudinem binarum qualitatum, illum in gradu octavo humidum, calidum in ſeptimo, & frigidum in primo faciant; quis tamen eſt qui non videat poſſe Aerem omnes ſuſcipere qualitates, cunctiſq; alterationibus obnoxium fieri, atque adeò non ab his ejus naturam eſſe deſumendam: ſi namque qualitates iſtæ eſſent illi propriæ, inſitæ, ac naturales, ab eodem profectò unquam ſeparari nequirent, & per aſſiduam earumdem mutationem, illum in perpetuo ſtatu violento detinerent, cùm nuſquàm ſua propria, naturaliq; temperie frueretur, & nuſpiàm ſub eodem ſtatu unius, ejuſdemq; qualitatis diutino tempore permaneret, ab una in aliam, perlevi momento, tranſilire coactus. Sed & ea ratione, cunctas eidem appingere, juxtà doctrinam Ariſtotelis, æquè benè liceret; quandoquidem ex ſuperiùs dictis, quælibet ex putatis his primis qualitatibus eidem attribui poteſt: quin & incorrupta ſubſtantia, fervens adhuc in in æſtu, & algens in hyeme, ſiccus in Borea, & ſummè humeſcens in Auſtro, æquabiliter conſervatur.

Cùm itàque cunctis ejuſcemodi mutationibus obnoxius ſit Aer, & omnes propemodùm qualitates prompte, & amicabiliter amplectatur, nullam exinde perpeſſus in ſui ſubſtantia corruptionem, ac æquè bene cùm ipſis omnibus conſiſtat, nihilum ſubſtantialiter immuta-

ta-

(a) *Gal.* 2. *de Simpl. med. fac.* 2., 8. *de uſu partium* 3. *l. quod An. mores, &c. l.* 4. *Cardan.* 2. *de Elem. c.* 4.

(b) *Collect.* 2. *cap.* 2.

tatus; profectò dicendum à prædictis qualitatibus naturalem suam constitutionem non emendicare. At verò quod proprium, atque inseparabile assiduò in Aere experimur, id est, ut Corpora quæcumque ambiat, suaque fluiditate, tenuitateque cuncta pervadat, ac subeat, & quaquaversùm, sive impulsus, sive distractus, sive compressus, & sive aliter, aliterve alteratus, aut commotus, diffundatur, atque ex vi elastica resiliat, tumeat, & attollatur. Quare in hac fluiditate, permeabilitateq; ab insito, ingenitoque elatere, substantialis, naturalisque illius constitutio reponenda videtur. Id autem si fortassis amittat, statim in sua substantia permutatur. Dupliciter verò hoc illi accidit, vel cùm immodicè crassescit, aut constipatur, ut in fodinis Metallorum, in subterraneis cryptis, cellis vinariis, aliisque similibus; vel cùm plus justo distrahitur, attenuatur, & rarescit, ut in altissimorum Montium fastigiis, & in Machina Pneumatica Boylea, quemadmodùm alibi à Nobis est demonstratum. Fluiditas autem hæc adeo est cum elatere conjuncta, ut tota videatur ab illo penitùs procedere, qui sicuti convenienter per illum interspersus, naturalem Aeris statum conservat, ità ex adverso constipatus, aut distractus ejus naturam conturbat, & permutat. Hinc si Aer tantam aliquandò patiatur constipationem, concretionemque, ut suo elatere privetur, fit, ut crassescat, ut aqua sibi analoga: & si rarefactionem, distractionemque omnimodam subeat, assimiletur Ætheri sibi attiguo: ad Naturam enim utriusque accedit; & medius, qui inter utrumque Aer est, Respirationi & animalium, præsertim terrestrium, vitæ tuitioni, utilis, ac necessarius propterea fit: quare qui ob summam coarctationem, aut exsolutionem, elatere destitutus, aut eodem ne vel minimum recentatus, aut etiam pravis halitibus, aliunde suggestis, coinquinatus, & pestifer est effectus, ad Respirationis usum ineptus evadit.

Et quidem innumera ferè sunt, quæ Aeri infensa, naturalem ejus constitutionem permutare possunt: unde, fluiditate vitiata, mala plurima Corporibus contingunt. Præ primis autem, halitus, ac vapores ex Terra, & Aqua erumpentes, Aerem diversimodè conspurcantes, nedum elaterem inficiunt, distrahunt, aut contrahunt, sed etiam Sanguini, & Cordi, nocumento sunt, ut evenit ex fodinis, Terræ hiatibus, voraginibus, Aquis stagnantibus, lacunis, cadaveribus insepultis, mephitibus. A Ventis quoq; Cometis, procellosis Imbribus, aliisque meteorologicis impressionibus Nive, Grandine, Pluvia, Pruina, Caligine, Aer non leviter inficitur, & inquinatur. Ex accessu pariter, & recessu Solis à nostro vertice, à quibus Temporum vicissitudines, nedum algores, & æstus, verum etiam aliæ, ex causis aliis nobis ignotis, alterationes, immutant, turbantque Aerem, quem plus solito, exinde comprimi, aut distrahi contingit; itemque ex Eclipsibus, ortibus, & occasibus stellarum, solstitiis, æquinoctiis, aliisque, uti testatur Hippocrates in libris *de Aere, Aquis, & locis & 1. & 3. Epidemiorum*. Increscentis etiam, & decrescentis Lunæ phases plurimum pariter immutant, alterantque Aerem, sicut etiam ejusdem depressiones, elationesque in suis Perigæis, & Apogæis, in quibus illum densari, aut expandi pariformiter experimur, quemadmodùm ex Barometris, & Hygrometris instrumentis palàm fit.

Quod ad Aeris differentias pertinet, quamvis ille sua natura simplex nullas differentias patiatur, quas Scholastici essentiales appellant; à Medicis tamen consideratus, quatuor accidentales subit

desumptas à Substantia, Situ, Motu, & Qualitatibus illi supervenientibus.

Ratione Substantiæ, alius Aer dicitur crassus, alius tenuis, alius purus, & serenus, alius impurus, & nebulosus. Ratione Situs, vel Aer est montanus, vel maritimus, vel campestris, & vel apertus, aut valle conclusus. Ratione Motus, dicitur Aer mobilis, instabilis, & intranquillus; vel contra stabilis, tranquillus, & immobilis. Postremò, quod ad Qualitates, alius est lucidus, luminosus, & apricus, alius obscurus, caliginosus, & opacus: alius frigidus, alius calidus, alius humidus, alius siccus. Sed & siccus prætereà dici potest, vel negativè; ob inopiam imbrium, & ventorum australium; vel positivè, propter caloris excessum, ut tempore vigentis Caniculæ, cum à nimio Solis æstu, Aer summè exarescit, & extenuatur; vel denique propter misturam halituum, è mineris erumpentium; quarum vis sit humidos vapores absumere, aut deprimere, vel etiam à flatu ventorum borealium, nebulas, & vapores fugantium, aut figentium, & depellentium ad ima; ut in diuturnis serenitatibus.

Sed & præter has, possunt quoque aliæ similes, Artis industria comparari, uni tantùm loco, vel domui aptabiles; putà cum ex Aquis odoriferis, aut Aromatibus, peculiari quadam vi, facultateq; imbuitur Aer, ut in affectibus Capitis, vel Pectoris; in hystericis affectionibus, doloribus articulariis, aliisque benè, vel malè olens, ac diversimodè vaporosus efficitur, his, aut illis halitibus affectus, qui valeant roborare, aut rarefacere, diaphoresim, aut sputum movere; idque genus alia. Id quod in Natura quoque, peculiari quorumdam locorum habitudine comperimus, ubi scilicèt vel à Thermis, & fossilium, ac mineralium fodinis, præsertim Sulphuris, Vitrioli, Mercurii, Æris; vel à cultura plantarum odoriferarum, quo præsertim tempore florent, ut Rorismarini; Croci, Jalsomini, Rosarum, Auranciorum, Citriorum; vel contra à malè olentibus Papavere, Cicuta, Nappello, umbrisque noxiis arborum, ex quibus non semel compertum, gravi somno soporari, aut aliter infici, diutiùs ibidem immorantes.

De usu Aeris postremò, magna est inter Doctores controversia. Attamen major illorum pars existimat Respirationi inservire, cùm Respiratio describatur, *Aeris per Os, & Nares attractio*, atque impossibile videatur viventem non respirare, & respirantem non vivere. Verumtamen neque in hoc inter illos convenit, cui usui Respiratio ista, & Aeris attractio sit. Aristoteles, & Galenus ad Cordis æstum, & sanguinis fervorem attemperandum; Cartesius ad sanguinem nimio motu attenuatum, aliquantisper figendum, cui videtur etiam inhærere Deleboe Silvius *Disputationũ Medicarum* 7. Gassendus ad repurgandas transeuntis per pulmonem sanguinis impuritates. Recentiores verò Anatomici ad promovendum circulantis sanguinis trajectum, è dextro in sinistrum cordis ventriculum, per pulmones, deservire arbitrantur.

Verùm hæc (ut in nostra Theoretice latiùs dictum) non omni ex parte ejus usum in Animalibus explent; is enim nisi assiduò recentetur, planè tuendæ vitæ ineptus evadit, ut in occluso undique conclavi, aut dolio, experimur. Quamobrem existimavit Paracelsus, quidpiam inesse Aeri vitali elixiri valde analogum, quod restaurandis spiritibus inserviat, & vitæ fomitem tueatur: de qua etiam re alia multa retulimus *Cap. de Respiratione*. Porrò Aeris ope, nedum Respiratio peragitur, verùm etiam Loquela, Olfactus, Auditus, Visus, qui nonnisi intermedio Aere perficiuntur. Sed & peruti-

rutilis quoque valde eſt, quæ per poros Cutis fit perſpiratio abſque Aere impoſſibilis; quin & tota ejuſdem vis, atque efficacia in tenui illa ſubſtantia conſiſtere videtur, quæ per ipſum diffuſa, elaſtica appellatur, & elateris nomine inſignitur: qua forte abſumpta, diſtracta, vel compreſſa, reliquum Aeris inutile prorsùs remaneret.

Quænam ſit Salubrior Aeris conſtitutio.

QUæſitum hoc in ſanis dumtaxat Corporibus proponitur examinandum: Nam in ægris, pro Morborum, & Cauſarum Morboſarum varietate, varius Aer eſt præſcribendus. Quare omni ægritudine remota, quæritur hìc ſolummodò, quinam Aer ſalubrior ſit exiſtimandus, ad Hominum vitam, ſanitatemque conſervandam.

Galenus 3. *Artis Med. t.* 10. In Corporibus optimè conſtitutis Temperatum Aerem ſalubriorem arbitratur. In iis verò, quorum à mediocritate, vel ab optima conſtitutione aliquis eſt receſſus, tantùm, inquit, ab ipſa mediocritate evariare oportere, quantus ab ipſa receſſus factus fuerit. Ratio deducitur ex eo, quia vita humana, ejuſque naturalis conſtitutio, cùm benè valet, intrà limites mediocritatis verſatur; quamobrem Aer illi aptandus, temperatus quoque, & mediocris eſſe debet, velut eidem maximè conformis, & conſentaneus. Si enim præcalidus eſſet, Corpora extenuaret, ſanguinem funderet, diſſolveret, labefactaret, adeoque naturale robur infringeret. Hinc Ariſtoteles *lib. de longitudine, & brevitate vitæ*, ſcripſit, Æthiopes, alioſque torridas regiones habitantes breviſſimam vitam vivere, diſſipato nimirum nativo illorum calore, ab exurente ejus climatis conditione. Et contrà, ſi frigidior Aer foret, poros Cutis conſtipando, beneficia perſpirationis impediret, & ſanguini per pulmonem refluo plurimum obeſſet, omneſque partes ſpiritales læderet, cùm frigidum Pectori officiat. Neque leviora mala imminerent ex Aere vel humidiori, vel ſicciori, cùm ex Hippocrate omne nimium Naturæ ſit inimicum; quin & ille delaxaret, hic plus juſto extenuaret.

Illum autem Temperatum Aerem eſſe ſubdit, in quo nec horret Corpus propter frigus in temporibus hybernis, nec ſudat propter æſtum in æſtivis. At hic vix mente concipi poteſt, cùm nullibi ſit reperibilis. Propterea commendatur alius æquivalens ab eodem 5. *meth. cap.* 12., qui ſcilicet, nec nimium ſublimis, & montanus ſit, nec multùm depreſſus, ac humilis, ut in vallibus; cujuſmodi ipſe ſubdit eſſe Aerem Stabienſem, & Veſuvianum in noſtra Campania, quò etiam ſuos ægros è Græcia mittere conſueverat.

Quoniam ergo temperatus omninò Aer vix invenitur, neque ſemper licet medium inter ſublimem, & depreſſum habere, aut Stabienſem Aerem incolere; conveniet propterea, ex reliquis omnibus Aerem ſeligere, tanquàm ſalubriorem, qui ad ſiccum potiùs, quàm ad humidum inclinet, cohærenter Hippocratis documento 3. *aphoriſm.* 15. dicentis: *Ex Anni Conſtitutionibus in univerſum ſiccitates ſunt imbribus ſalubriores, & minùs mortiferæ.* Siquidem in ſiccitatibus, ſuperfluæ humiditates, quibus plerumque Corpora abundant, & vita humana opprimitur, reſolvuntur, & nedum beneficio inſpirationis, ſed etiam perſpirationis, quemadmodùm fusè Galenus oſtendere proſequitur *in commentario ejuſdem Aphoriſmi*: Atqui experimur quoque Montanos, Maritimos, alioſque ſiccum Aerem incolentes, diutiùs, ac ſalubriùs vivere, quàm habitantes humidum, & in Vallibus concluſum,

ant campestrem, vaporibus plus justo refertum; quandoquidem siccitas membra omnia confirmat, sanguinem ab impuritatibus emundat, sensus acuit, corpora agiliora reddit; contrà verò humiditas delaxat, emollit, inquinat, hebetatque. Hinc etiam loca humida inhabitantes, facilè putrefactiones incurrunt, fluxiones, torpores, cachexias; ut proinde scripserit idem Hippocrates 3. *aphorism.* 5. Australes ventos, uti humefacientes, auditum hebetare, caliginem visui offundere, caput gravare, tarditatem, ac languorem inferre.

Nec obstant, quæ à quibusdam objici solent: & primò, quòd ex eodem Hippocrate 3. *aphorism.* 9. in Autumno exitiosi morbi fiant: Ver autem saluberrimum dicatur; cùm tamen Autumnus siccus sit, & Ver humidum. Nam respondetur cum Galeno, eundem Aphorismum exponente, Autumnum non tam ratione siccitatis exitiales morbos inferre, quàm ob illius summam inæqualitatem; quandoquidem in eodem die modò calor, modò frigus viget; unde idem Hippocrates ibidem *textu* 4. inquit: cum eadem die modò calor, modò frigus persentitur, autumnales morbos expectare oportet. Alias quoque causas affert idem Galenus eodem loco, quas & Nos latiùs in nostris commentariis super Aphorismos, sumus prosequuti.

Nec obstat 2. quòd Senectus idcircò inter ætates pessima sit, quia sicca: optima verò Pueritia, quia humida. Nam Respondetur siccitatem in senibus nocuam fieri, quia interna, & immoderata, quæque juncta est calori nativo jam languescenti. At verò siccitas in Aere desideratur, quia externa, qua scilicet humida, & copiosiora excrementa absumi, extenuari, & digeri possint: Constat siquidem evidenter longæviùs, & salubriùs vivere siccos senes, quàm humidos, & excrementosos: quamobrèm si in his humida ista excrementa ab Aere sicco absumantur, meliùs, & connaturaliùs degent.

Nec obstat 3., quòd propria Aeris qualitas dicatur humiditas, non siccitas, adeòque illa potiùs, quàm ista sit præferenda. Nam respondetur ex dictis Naturalem Aeris qualitatem esse potiùs fluiditatem. Sed etsi humiditas foret, adhuc ipsa consideranda esset non respectu ejusdem Aeris, sed Nostri, quæ excedens, & immoderata, humana corpora superfluitatibus adauget, cùm Aer humidus, si ulteriùs vaporibus, & imbribus humescat, impurus fiat, adeòque humanæ vitæ infensissimus evadat.

Quinam Aer quibus Corporibus sit utilior.

Hactenùs de Aeris constitutione salubriori, ad Humanam vitam in genere consideratam, comparata; nunc singularum Aeris differentiarum respectu uniuscujusque Corporis, tum sani, tum ægrotantis, juvamenta, & detrimenta referamus, ut exinde prudens Medicus variam Aeris habitudinem, singulis Corporibus, vel benè, vel malè valentibus, adaptare sciat.

Et quidem primò, crassus Aer confert macilentis, iisque omnibus, quibus Cutis forte fortuna, vel à nativitate laxior est, facilè in sudores extillans, vel in transpirantes halitus uberiùs evaporat; unde Corporis marcor, virium dispendium, crebra destillatio, sanguinis eruptio, aliudve simile contingit. Crassus similiter Aer prodest podagricis, & catarrho obnoxiis, ex nimia succorum tenuitate, acritateque: Vigilibus item, & Iracundis: quippe in his crassior sanguis desideratur, qui Aeris beneficio facillimè acquiritur; præsertim quia per inspirationem sensim in pulmonibus ab illo crassescit; mox verò

tò per Cor in Corpus universum delatus, non solùm reliquos succos pedetentim incrassat, condensatque, sed etiam viscerum fermenta temperat, & moderatur. Contra verò tenuis Aer, & apricus commendabilis est obesis, succiplenis, pituitosis; itemque obstructis crudis, humidis, cachecticis, gravedinosis, cute nimium adstrictis, somniculosis, atque ad Hydropem, & affectus Asthmaticos proclivibus. Obscurus, & opacus ex adverso, vigilibus, lippis, ophthalmicis, & cephalalgia laborantibus. Purus insuper, ac serenus Aer, quamvis cuicumque Corpori, ætati, & habitui laudabilis sit, specialiùs tamen commendatur stupidis, atque ingenio, ac memoria hebetibus, Asthmaticis, animi deliquio, aut palpitationi obnoxiis. At verò impurus, multis vaporibus refertus, qualis est caliginosus, aut nebulosus, licèt omninò nocuus videatur, utpote qui sanguinem, & spiritus perpetim inficere possit ad vitæ internecionem, aliquandò tamen contulit in Pestilentiis, quarum venenum acre, & arsenicale fuit; fertur enim interdùm desiisse pestes sævissimas, aere ex industria crassiori reddito, & multis vaporibus inquinato, ut olim Bizantii contigit per sterquilinia, carnes animalium putrefactas, malèque olentes, & similia. Atque hinc fortasse evenit, cur Urbes, & Oppida crassiorem aerem, ex stagnantibus aquis, & locis palustribus, sortita, immunia à pestilentiis sæpenumero observentur, cùm reliqua purioris, tenuiorisque aeris, vehementer admodùm affligantur. Cæterùm in hoc multùm quoque valet consuetudo, vel ab ipso primo ortu, incolatus, per quam naturalis quædam habitudo contrahitur, vel etiam ex diuturno tempore contracta sit: Quæ enim consueta sunt minùs molestare solent; & consuetudo altera natura dicitur.

Quod ad Motum, & Quietem præterea, haud commendabilis ex æquo est, tàm perpetuò quiescens, & immobilis, quàm assiduò mobilis, & immodicè ventis agitatus: uterque enim veluti à mediocritate declinans, vitæ humanæ noxius fit. Conferens autem est, qui leviter ventis perflatur, iisque præsertim orientalibus, qui nimirùm valeant congestos vapores difflare, ac discutere, ne moram in aere contrahentes illum inquinent. Sed & ex ventis ipsis, meliùs semper erit perflari aerem ventis borealibus, quàm australibus: hi siquidem illum turbant, humefaciunt, inficiunt; illi purificant, exiccant, serenant. At verò, quoniam aer recentari assiduò debet, idcircò immobilis penitùs improbatur; Occlusus siquidem aer pessimas, & graves affert, exitialesque ægritudines; quoniam exinde vis elastica plurimùm depravatur, & inidonea fit vitæ tuitioni, nisi etiam opprimat, & suffocet.

Quod ad situm insuper, Montanus aer plerumque salubrior esse solet, nisi tamen frigidior plus justo sit, & ventis continenter agitetur. Non sit autem penitùs aversus à Sole, nec in omni tempestate nivosus, aliter nocuus fieret pectori, ac pulmoni, & solùm tolerabilis in æstate. Maritimus verò, utpotè calidior, utilis quidem est in affectibus Pectoris, ex crudis, crassisque humoribus, progenitis; at verò nocuus, ex tenuibus, acribus, & salsis. Vallium aer omninò perniciosus, quippe qui immobilis, nebulosus, crassus, æstate calidissimus, frigidissimus hyeme. Campestris demùm medio quodam modo se habet, atque eo melior erit, quo à locis palustribus, lacunis, mephitibus, remotior fuerit, & salutaribus ventis suaviter commotus: juxtà stagnantes aquas, aut inter paludes situs, nocuus omninò reputatur, veluti nebulosus, caliginosus, & crassus, pravisque halitibus infectus.

Demum calidus, apricus, confert in

affectibus à frigore ortis, & in quibus sudor desideratur; nam poros aperit, humores attenuat, atque à centro ad circumferentiam illos promovet. Contrà verò frigidus, conducibilior est in his, quibus Cutis laxior est, facilèque transpirans. De febrientibus solùm lis esse potest, quinam aer sit illis congruentior: Nam ex uno capite videtur conferre frigidus, ad fervorem, & æstum Corporis temperandum; ex altero, cùm poros cutis corruget, sudoresque impediat, tantoperè illis salutares, nullatenùs commendabilis videtur. Verumtamen, ut utrique commodè consulatur, juvabit, ægros pannis quidem moderatè contectos detinere, ne constipata cute sudor inhibeatur; sed liberior cæteroqui aer, jugiterque recentatus hauriatur. Hecticis autem, atque ex diuturna ægritudine extenuatis, frigidus undequaque aer captetur, quo nimirum acritudo febris retundi possit, & sanguis ab omnimoda dissolutione præcaveatur. Hinc Hippocrates 3. *aphorism.* 10. Autumnum tabidis malum esse dixit: & 1. *aphorism.* 16. Victum humidum febricitantibus commendavit. Luminosus insuper aer nocet omnibus affectibus oculorum, præcipuè verò inflammationi: itemque morbis Capitis cum dolore, & vigilia conjunctis, Phrenitid, Maniæ, Cephaleæ, quibus opportunior est opacus. Contrà verò soporiferis affectibus, Lethargo, Comati, Apoplexiæ, prodest lucidus, & apricus, qui quodammodò à sopore ægrotantes excitet. Verùm in his, aliisque similibus, respiciendum semper ad causas morbos inferentes, vel conservantes; nam si illæ figentes sint, & coagulantes, lucidus, tenuis, & calidus aer expostulabitur; si verò dissolventes, & attenuantes fuerint, potiùs frigidus, crassus, & opacus exquiretur. Ita de aliis. Attamen consuetudo non minimùm attendenda est, quia sicut in cæteris, ità in aeris electione multùm prævalet: nam cæteris paribus, semper aer patrius, & consuetus melior insueto censendus erit, nisi tamen aliundè manifestè noxius videatur; unde compertum, habitantes loca palustria, vel campestria meliùs, & salubriùs quandoque degere in proprio, & consueto aere, quàm si in alienum transferrentur, licèt puriorem: tantum valet usus, & consuetudo inveterata: quod & in cibis, & potibus pariformiter experimur.

An, & quando liceat Aerem mutare, & quibus in ægritudinibus.

PLura hìc simùl exquiruntur, planè in Praxi Medica summopere scitu necessaria. Primùm autem, an simpliciter loquendo expediat aliquando mutare aerem; idque tam sanis, quàm ægris Corporibus.

Et dicendum prodesse non raró, tam sanis, quàm ægrotis aeris incolatum mutare. Sanis quidem documento Celsi *lib.* 1. *cap.* 3. dicentis: *Ex salubri in gravem prima hyeme, ex gravi in eum, qui salubris est, prima æstate, transire melius est.* Et sensus est, quòd ex aere salubri, ideſt temperato, in gravem, scilicèt calidiorem, ineunte hyeme, est transeundum; ex gravi verò, hoc est calidiore, aut etiam ficciore, insalubrem, ideſt temperatum, æstivo tempore, præsertim inter initia, migrandum est. Hæc autem mutatio potissimùm necessaria videtur, cùm formido est, ne ex mora in gravi aere, per æstatem febres sint adfuturæ; vel contrà, in aere laxiori, frigidiorique per hyemem immineant ægritudines, algoris inclementiam subsequentes. Quòd si Regio mutanda non videatur, cùm & Celsus ipse admoneat: *neque ex salubri loco in gravem, neque ex gravi in salubrem transitus sanis tu-*

tus est; fortè quia omnis mutatio, & præsertim maxima, humano Corpori nocua sit, ex Hippocrate 2. *aphorism.* 51.: præstabit saltem mutatione vestium uti ad versus aeris inclementias, documento Vallesii super 3. *Artis Medic. comment.* 3., ubi, in variis temporum mutationibus, etiam per singulos dies licere inquit, vestibus modò simplicibus uti, modò duplicibus, & modò delicatioribus, modò crassioribus. Ægris verò, Cœlum quoque mutandum aliquandò est, monitu Hippocratis *epidem.* 6. *sect.* 5., ubi *in morbis*, inquit, *mutare Cœlum conveniens est*: Quod explicans Galenus *in commentario*, subdit, mutationem Cœli prodesse, cùm ad aerem morbo contrarium pertransitur.

At quibus in morbis id liceat, subdubitare secundò juvat. Quoniam enim morbi vel acuti sunt, & breves, qui scilicèt vix quadragesimum diem transcendunt; vel chronici, & longi, qui ad menses, & annos integros producuntur: idcircò videndum, an in utrisque tutò liceat aerem mutare. Et sanè in chronicis nulli dubium, quòd aeris mutatio, nedum conveniens, & tuta sit, sed etiam saluberrima, præsertim cùm ad salubriorem, vel patrium, transmigatur, ex eodem Hippocrate *cit.* 6. *epidem. sect.* 5. Cùm enim Morbi Chronici ab humoribus crassis, atque hærentibus proficiscantur, adjuncta sæpè numero mala viscerum habitudine, non solùm nullum timetur periculum ex eorumdem commotione, quæ potiùs desideratur, sed etiam speratur ab ejusmodi aeris, & loci mutatione, facilior illorum discussio, extenuatio, & resolutio. Hinc experimur nullum majus remedium in hisce diuturnis ęgritudinibus inveniri, incolatus mutatione, ut subinde aer tenuior tenaces humores incidat, atque extenuet, seséque quaqua versum insinuans, & poros cutis reserans, Corporis impuritates difflet, absumat, aut exteriùs propellat. Atqui in affectibus Pectoris, ac Pulmonis, mirum quàm efficaciter operetur, seipsum cum sanguine præterfluente commiscendo, & sensim universas impuritates absumendo, ulcere deterso, ac roborata parte patiente; ut etiam empyicos, asthmaticos, phthisicos, hydropicos ex Pulmonis vitio relevet, atque in meliorem, salubrioremque statum perducat; quod sanè passim evenit in locis ad Vesevi calcem sitis, atque ad oras sulphurarias Puteolanas; ubi sulphuris, vitrioli, & aluminis fodinæ inveniuntur.

At verò in morbis acutis major est inter Authores difficultas: quandoquidem illi plerumque gignuntur ex humoribus tenuibus, & facilè mobilibus, qui promptè nimis commoventur, & fermentationi subjiciuntur, aut de loco in locum facillimè feruntur. Hinc communi voto noxiam in illis putant practici aeris mutationem, & præsertim cum febribus conjunctis, iisque continuis.

Verumtamen duo dumtaxat casus excipiuntur. Primus cùm non propriè aer mutatur, sed locus solùm, & habitatio cùm scilicet de una domo insalubriori ad aliam salubriorem pertransitur, ut de humili, humidaque casa, obscura, tenebrosa, aut de carcere, in liberiorem, altioremque habitationem mutatio fit. Secundus, cùm aer causa ægritudinis est, vel efficiens, vel fovens; veluti cum pravis vaporibus est inquinatus, maligna, pestilentique contagione infectus, aliusve similis. Unde Celsus *lib.* 2. *cap.* 1. *Pessimum Cœlum esse dixit, quod ægrum fecit, adeout in id quoque genus, quod natura pejus est in hoc statu, salubris mutatio fit*. Quamobrèm opus omninò erit aerem mutare, quandò is occasionem prębet ægrotandi, ex eodem Celso *lib.* 1. *cap.* 10.

Quo autem tempore id tutiùs liceat, tertio loco dubitare contingit. Et quod pertinet ad morbos materiales, & chronicos, conveniunt omnes, quòd purgato

priùs corpore (si tamen expediat) quamprimùm aeris mutatio facienda sit, inter initia scilicet incipientis morbi, antequàm ille altiores radices figat, juxtà illud:

Principiis obsta: serò Medicina paratur,
Cùm mala per longas invaluere moras.

Quod ad Morbos verò acutos, & præsertim febres, solent Practici, transacto saltem septimo die aeris mutationem permittere: ante septimum verò penitùs inhibere; ut nimirum prætereatur primus impetus acutorum, & ne humores per motum magis concitentur. Verùm semper ac aer occasionem præstitit ægrotandi, vel saltem ægritudinem fovendi, putaverim Ego statim prima, secunda, vel tertia ad summum die, mutationem esse faciendam, priusquàm morbus incrementum adipiscatur; nam in augmento morbi minùs tuta mutatio est. Cæterùm quod ad tempora Anni, nemo audet in his nostris Regionibus mutationem aeris, aut loci, commendare, diebus canicularibus, & sub Autumno, quousque iteratis imbribus, & flante Borea, fuerit aer omnimodè repurgatus. Experientia enim constitit plurimos periisse ex ejusmodi inconsideratis mutationibus; quamquàm & in id summè valeant intineris incommoda, per æstum, pulverem, vigiliam, ciborum, & potuum varietatem, idque genus alia; quæ si fortasse vitarentur, non adeo de aeris mutatione timendum foret, præsertim cùm in salubriorem, & patrium illa fieret.

Quo pacto Aer, cum pravus est, corrigi possit.

PRudenter equidem Galenus pluribus in locis admonet, nullam morbi curationem esse inchoandam, non priùs facta convenientis aeris electione, quippe qui multum conferat ad morbum, causamque morbi profligandam, restituendamque sanitatem. Verùm quia non semper commodus huic fini aer invenitur, nec ab eo, in quo æger degit, secedere licet, idcircò, si quæ in eo sunt incommoda, ut arceantur, aut emendentur, præstabit hìc breviter, ex Artis industria comparare; ut nimirum in morbi curationem concurrant omnia, quæ illius exequutionem explere valent. Quoniam autem aeris vitia ad tres classes revocari possunt, videlicet, quæ substantiam aeris, motum, & qualitates spectant, horum propterea correctiones breviter recenseamus.

Si ergo vitium aeris sit in substantia, fortè quia pravi halitus, ac vapores per illum dispersi, minantur corruptionem, depravato èlatere, aut nimium distracto, vel plus justo compresso; quo citiùs fieri potest, causa ejuscemodi pravitatis adimatur. Quare si ab Aquis stagnantibus proveniat, illæ aliò deducantur, excavatis in hunc finem foveis, reseratisque canalibus. Si à cadaveribus insepultis, sterquiliniis, aliisque excrementis, illa sepeliantur, crementur, aut aliò transferantur: mox verò pravi halitus per aerem dispersi ope Ignis dissipentur: nil enim efficaciùs, citiùsque aerem perficit, quàm Ignis, quo legimus Hippocratem è Græcia pestilentias abegisse, sylvis integris incensis, & combustis. In idem conferunt fumigationes Aromatum, thuris, styracis, benzoini, myrrhæ, calami aromatici, baccarum juniperi, ligni aloes, itemque lauri, rorismarini, myrti, & similium.

Si deficiat in motu, forsitan quia occlusus, & quietus plus justo est, quòad fieri possit, flabellis, ventilabris, & follibus agitetur; Contrà verò, si nimium mobilis, atque ventorum afflatu plurimùm agitatus, claudatur ad eas partes, unde flatus ipsi perspirant.

Si denique intemperatis qualitatibus afficia-

ficiatur, calefiat igne, & aromatibus, incenso quoque spiritu vini, si frigidior. Temperetur verò gelidarum aquarum inspersionibus, & fonticulis, itemque aceto rosaceo, & flabellis, si caleat nimiùm. Sic pariter in cæteris occurrendum, prout necessitas expostulaverit.

Quoniam verò majora, & procul dubio pejora damna ex aere emergunt, propter turbatam ejusdem fluiditatem, ubi nimirùm plus æquo densatus, aut distractus est; propterea constipato aeri Ignis præsentaneum remedium erit: Aqua verò, Acetum, & his analoga conferent eidem rariori reddito. Expertum enim est in fodinis metallorum, ubi aer densior invenitur, fossores tunc posse vivere, cum ignis ipse in iis perdurat, nec extinguitur: maxima namque intercedit analogia inter Ignem, & Animantium vitam. Sic in Crypta Anguiana prope Puteolos, sicuti Animal quodcumque intermoritur, nisi citò in liberiorem aerem extrahatur, ità & flamma quæcumque perit, & suffocatur. In rariori, distractiorique aere Aqua frigida remedio est; quandoquidem inter aerem, & aquam maxima cognatio inest: quo sanè auxilio sibi subitam opem attulerunt, qui per altissimos Peruvianæ Regionis montes iter facientes, periculum vitæ in respiratione subibant.

Neque leviora his mala incurrunt, qui varium in itineribus aerem, diversi generis halitibus infectum, inspirantes, pravis, malignisque febribus subjiciuntur: eo enim sanguis in pulmonibus diversimodè subactus, veneni conditionem nanciscitur, atque tum Cordi, tum cæteris partibus perniciosus evadit; quippe qui per fermentationem indebitam, vel in coagulationem, vel in dissolutionem tendit, utramque vitæ inimicam, prout halitus cum aere permisti, figendi, vel dissolvendi vim sortiti fuerint, veluti ex variis, diversisque Terræ hiatibus, specubus, voraginibus, aut fodinis, in sublime elati.

Præstabit ergo in his, ut iter facientes ejus generis medicamenta assiduò ore detineant, quæ pravos aeris halitus infringant, ac moderentur: Sic plerique se præmuniunt, mansis matutino tempore aromatibus, cinnamomo, caryophyllis, croco, mastiche, styrace, benzoino, ambra grisea, ligno aloes, roremarino, theriaca, mithridatio, antidoto magno Matthioli, cæterisque similibus: alii epoto vino generoso: alii julapio vitali, vitæ elixire, proprietatis, aut magnanimitatis, aquæ theriacali, aut spiritu theriacali cum camphora, aliquo tamen grato liquore temperatis: & rustici assumpto solùm allio, de quo Æmil. Macer. (a)

Allia qui mane jejuno sumpseris ore:
Hunc ignotarum non lædet potus aquarum,
Nec diversorum mutatio facta locorum.

Fertur quoque ad hoc idem valdè efficax Ruta, ex qua plerìqui antidotum confecere ad pestem præstantissimum, caricis, nucibus, & ruta commistis. Idipsum alii fatentur de Angelica, seu Carlina, de Scordio, Scorsoneria, Ruta capraria, Valeriana, aliisque. Sunt qui loco horum utuntur potiùs pilulis odoriferis, quarum formulæ plurimæ referuntur ab Authoribus, in tractatu de Febre pestilenti; quasi verò istæ suo odore opitulentur spiritibus, & Capiti, cum tamen aeris correctioni parùm, vel nihil suffragentur. At præcellit cunctis Camphora (seu Caphura) tum olfacta, tum assumpta, adversùs quamcùmque aeris infectionem, rectè tamen adhibita, & cum aliis convenienter commista; Ea etenim volanti sua substantia

---

(a) *lib.1.c.5. ex illo Virgil. Allia serpillumque herbas contundit olentes.*

tia vapores malignos potenter discutit, aut invertit, quapropter præcavet, ne inspirati sanguinem inficiant, ac depravent; & si verum est, quòd non ità pridem prodidit P. Athanasius Kircherius *in Scrutinio de Peste*, vagari per aerem in Pestilentiis, & aeris infectionibus, Vermiculos quosdam, qui de Corpore in Corpus contagiosam labem transferant, & imprimant, planè nil æquè potens erit, aut efficacius excogitari poterit, quod valeat vermiculos istos fugare, expellere, & enecare, quàm Camphora, vel olfacta, vel manibus contrectata, cùm hæc tota in halitus disperdatur, & quàm citissimè corpora quæcumque subeat, ac pervadat. Jure ergo optimo celebriores Medici, præstantioresque Pharmacopolæ, in Antidotis contra Pestem, camphoram semper adjunxere. At mihi plura essent in animo de illius efficacia commemorare, ut quæ nostris temporibus ferè neglecta, in usum sanè laudabilem redigeretur; sed nec locus, nec tempus permittit, ut in his diutius immoremur; satis propterea sit hæc obiter innuisse. Cæterum ad roborandos spiritus, attenuandumque sanguinem, & ventriculum vigorandum, nil præstantius oleo Cinnamomi stilatitio, ad guttas aliquot, cuicumque alii liquori permisto. Et de Aere satis.

De Cibo, & Potu.

POst Aerem nihil est quod vitæ tuendæ magis necessarium sit, quàm Cibus, & Potus, quandoquidem utriusque usu, jugis viventium consumptio restauratur, & sanguis ipse, perpetuo suo circuitu exsolutus, extenuatusque, quodammodò, novi cibi, & chyli suggestu, revalescit, vigoratur, & reviviscit, ne scilicèt in suo motu, unde pendet vita, deficiat. De his ergò, tamquàm causis, ad vitam sustinendam omninò necessariis, simulque ad juvandum, & ad nocendum indifferentibus, hìc selectiora referemus, atque in usum medicum revocabimus, omissis inutilibus, & supervacaneis.

De Natura, & differentiis Cibi, & Potus.

CIbus hoc loco, sub duplici respectu à Medicis consideratur, vel uti distinctus à Veneno, & Medicamento, vel ut quid differens à Potu. Sub priori sensu, significat omnem, & quamcumque substantiam, ex quacumque materia desumptam, humano corpori nutriendo idoneam. Venenum enim (a) id dicitur, quod naturam nostram non tutatur, sed corrumpit, adeoque potiùs illam mutat, quàm mutetur in eam. Medicamentum verò, quod nec mutat, nec mutatur, sed alterat solùm, commovetque Naturam ad sui levamen adversus morbos, causasque morborum. Alimentum demùm mutatur, & vertitur in substantiam partium. Cùm igitur Natura concoquendo superat, commutatque res in sui substantiam, atque per chylosim vertit eas in sanguinem, & carnes, Alimentum inde fit, & Nutrimentum Corpori; At verò cum ipsa ab assumptis, potiùs commutatur, corrumpiturque, Venenum emergit. Cùm denique medio quodam modo, patitur solùm, & alteratur, & neque superat, ac vincit, nec vincitur, & superatur, medicamentum exoritur. Hinc autem est, cur uni venenum fiat, quod alii cessit in alimentum, vel medicamentum, & viceversa: varia enim Corporum habitudo, succorum, ac fermentorum dispositio, Viscerum,

(a) *V. Gal. 3. de Temperam. 4. & 5. de simpl. med. fac. 1., & 1. ejusd. oper. 1. & alibi.*

rum, & Ventriculi præsertim, diversa constitutio, multum in hac re valet.

Sumitur secundò Cibus, ut quid differens à Potu, & ità significat omnem solidam substantiam, quæ mansa, ac dentibus attrita, in nutrimentum abit. Qua ratione Theologi Morales, res, quæ potantur, aut sorbentur, etsi sint alibiles, aut instaurantes, ad cibos, & alimenta non referunt, ut est chocolates, vinum, julapium quodcumque, elixir vitale, &c. Pepones verò, mala aurea, citria, & similia, licèt nihil nutriant, quia tamen dentium molitura egent, jejunium frangere dicuntur: quamquàm & plura ex his ad classem Medicamentorum revocentur.

Sed de Cibo, atque Alimento, notabile est, quod Hippocrates admonuit *lib. de Alimento*, illud scilicèt triplex esse: & quod *Nutrimentum* est, & quod *velut Nutrimentum*, & quod *futurum* est *Nutrimentum*. Primi generis Alimentum est, quod immediatè nutrit, & in aliti substantiam migrat: Secundi generis est Alimentum, quod proximè est ut nutriat, nempè chylus, appellatus ab Hippocrate, *velut Nutrimentum*: Tertii generis est Alimentum futurum, quod remotè se habet ad nutritionem Corporis peragendam, licèt habile sit ut nutriat, quemadmodum Cibus omnis, qui ingeritur, vel præparatur, ut edi possit; & de hoc potissimùm hìc agendum erit, veluti de re indifferenti ad juvandum, vel nocendum, sed cæteroqui ad vitæ conservationem necessaria.

Hoc itaque pacto consideratus, acceptusque Cibus, multas habere potest differentias, quas Medici cum Montano *aphorism. 1. comm. 4.* ad decem revocant, cùm decem in universum in cibis considerari possint, videlicet Substantia, Quantitas, Qualitas, Modus, Usus, Compositio, & Simplicitas, Condimentum, Motus, Ordo, & Locus.

Quod ad Substantiam, illa vel ad nutritionem, vel ad succum nutrientem refertur. A nutritione, aliqui cibi multùm, & vehementer nutriunt, ut carnes vitulinæ, suillæ, caponum; alii verò parùm, ac debiliter, ut sunt olera. A succo autem nutriente, nonnulli sunt boni succi, ut testes gallorum, ova sorbilia: alii mali succi, ut carnes bubulæ, caprinæ.

Quod ad Quantitatem, datur cibus Plenus, Tenuis, & Mediocris. Plenus non solùm vires tuetur, sed auget. Tenuis minuit potiùs. Mediocris tuetur solùm, & conservat. Rursùs Plenus, vel multùm, & benè nutrit, ut carnes vitulorum, caponum: vel multùm, & malè nutrit, ut legumina, pisces; carnes bubulæ. Tenuis verò, quia modicè nutrit, & parcus est; idcircò subdividitur in simpliciter tenuem, exquisitè tenuem, tenuissimum, & exquisitè tenuissimum. Simpliciter tenuis, minuit potiùs vires, quam augeat, ut fuit Ptisana Antiquorum. Exquisitè tenuis, est idem tenuis simpliciter, sed minori quantitate exhibitus. Tenuissimus, qui ad maximam inediam accedit, ut sunt uvæ passæ, caricæ, amygdalæ, certis tantùm temporibus exhibitæ. Exquisitè tandem tenuissimus, est omnimoda inedia, ut cùm reficiuntur solùm ægrotantes per certa intervalla, tincturis alchermes, julapio vitali, aqua cinnamomi, & similibus.

Quod ad Qualitates: istæ in cibis considerantur, vel tactiles, vel gustabiles, vel olfactiles. Unde dantur Cibi calefacientes, refrigerantes, humectantes, exiccantes, duri, molles, densi, rari, graves, leves, &c. Sic Aromatici dicuntur calorifici; herbacei frigorifici; succulenti humectantes; aridi exiccantes. Similiter duri, ut carnes assæ, vel fumo exiccatæ: molles, ut elixæ, juscula, & olera: densi, ut cotoneum: rari, ut ficus; graves, ut panis azymus: leves, ut panis

nis fermentatus: aſper, ut panis nauticus: læves, ut butyrum, & omnia pinguia, ac oleoſa. Ad guſtabiles referuntur Cibi dulces, ut mel, ſaccharum; amari, ut lupini, glandes, cacao; acerbi, ut fructus immaturi, & omphacium; auſteri, ut meſpila, ſorba, cydonia, immatura. Ab olfactu, aliqui odorem redolent, ut mentha, amaracus, baſilicum; alii malè olent, ut allia, cæpæ, porri.

Quod ad Modum, aliqui ſunt nimium excrementoſi, ut olera, radices, fungi: alii modicum proferunt excrementum, ut ova ſorbilia, teſtes gallorum, lac recens.

Quod ad Uſum, nonnulli cibi ſunt merè cibarii, ut panis, caro: alii ſunt ſimùl cibarii, & potulenti, ut lac, uvæ, fructus, melopepones, ſuccus carnium: alii demùm, ſunt ſimul cibarii, & medicamentoſi, ut pruna, ceraſa, manna, ſemina melonum, & quæcumque poſſunt urinam, ſudorem, vel ſeceſſum etiam promovere.

Quod ad Compoſitionem, & Simplicitatem; quidam ſunt ſimplices, quemadmodùm fuere à natura geniti: alii compoſiti, & artis induſtria comparati, & diverſimodè conditi.

Quod ad Condimenta, pari modò, dantur cibi non ſolùm compoſiti, ſed ſalſamentis variis confecti: alii ſimplices, & abſque ullo condimento parati. Inventa autem ſunt ejuſmodi condimentorum varia genera, ad ſtomachi gratificationem, præſertim in vomitibus, nauſeis, alvi dejectionibus, aliiſque ægritudinibus, in quibus ægrotantes adeò cibos abhorrent, ut cogendi ſint, ut illos capiant, multifariàm ſaltem præparatos.

Quod ad Motum, ſive localem, ſive fermentativum, digeſtionis, diſtributioniſque; nonnulli cibi ſunt facilis digeſtionis, ac diſtributionis, ut jura, ova recentia, cerebella animalium; alii verò difficilis, ut oſtreæ, ſpondyli, ac piſces teſtacei; itemque caſeus vetus, pedes Animalium, Limaces, Teſtudines.

Quod ad Ordinem, aliqui veluti labiles, facilèque corruptibiles, primo loco ingeri ſolent: alii ſolidiores, ac duri ſecundo loco. Plurimùm autem refert in cibis aſſumendis, ordinem ſervare, ut fusè nimis edocuit Galenus *de cauſis Morborum, & Symptomatum*, ad tuendam valetudinem, ægritudineſque vitandas.

Poſtremò quod ad loca, ex quibus alimenta comparantur; dantur cibi ex Tellure eliciti, ut radices, fructus, ſemina, folia: ex animalibus alii, ut carnes, piſces: ex animalium partibus, ut teſtes, mammæ, ac viſcera: & demùm ex partibus eorundem ſpuriis, & impropriis dictis, ut ſanguis, lac, ſerum, ova.

Quod inſuper attinet ad potum, hic propriè ſignificat liquidam quamcumque ſubſtantiam, quæ humefacere, & ſitim ſedare apta ſit. At verò neceſſe non eſt, ut frigida illa ſit, quippe multa ſunt, quæ etſi calida, vel calorifica putata, ſitim leniunt, vel extinguunt, veluti vinum, ejuſque ſpiritus, decoctum Cooffè, & herbæ Thee, Chocolates, aliaque hujus generis. Hinc falluntur, qui putant, potum propriè ſumptum refrigerandi, humectandique facultatem exigere, adeoque ſolùm Aquam gelidam ſitim ſedare poſſe: hæc namque in vera ſiti, quæ humidi carentiam ſequitur, magis expoſtulatur; ſecus, cùm à lymphæ, & ſalivarii roris craſſitie, ac viſcoſitate provenit, & falſa dici ſolet. Verùm de hac re aliàs.

Sed & nec minùs decipiuntur, qui verum potum arbitrantur eſſe oportere, qui tria præſtet, treſque eſſentiales conditiones participet: nempe quòd ſitim ſedet:

det: ad ciborum in ventriculo elixationem conferat: & ut alibilem substantiam in omnes corporis partes devehat. Siquidem, ut dictum, sitim multa alia temperant, præter Aquam: satis enim est, si lympham, serumque sanguinis absumptum, resarciant: Coctio autem, quæ in ventriculo peragitur, humido solùm eget, non frigido liquore: quin nec defuere, qui absque ullo potu, aut re potulenta, cibos quamoptimè confecerint; quoniam isti ope quorumdam succorum acido-acrium in ventriculo dissolvuntur, more quo metalla diluuntur Aquis stygiis, & non elixantur. Denique benè chylus, per vasa lactea trajectus, pressione musculorum Diaphragmatis, & Abdominis per ductus Thoracicos protruditur in Cor, indeque per universas arterias unà cum sanguine circumit. Sunt & in visceribus tantæ efficacitatis fermenta, ut etiam ab exsucco chylo liquorem extrahant, non dissimili modo, ac ex rebus durissimis novit Ars Spagyrica oleosos liquores, spiritus, & aquas elicere, ope ignis, aut mistura aliorum corporum, compagem partium ex mistis dissolventium. Itaque videtur Potus à Natura potiùs institutus ad reficiendam in propriis ductibus lympham, serumque, quod sanguini, per Cordis ventriculos refluenti, ad vitæ tuitionem usui est; atqui nedum ex aqua, cæterisque liquoribus, verùm etiam ex cibis ipsis, ope dissolventium succorum hæc haberi possunt; quamobrèm necesse non est, ut Potus essentialiter frigiditatem exigat; sed nec aliquando humiditatem, cùm satis sit, ut per liquiditatem, fluxilitatemque in suo circuitu sanguinem sustineat. Dixi per liquiditatem, fluxilitatemq; non humiditatem, quoniam pleraque fluida sunt, sed non humida, ut sunt hydrargyrus, spiritus vini rectificatus, aliaque hujus generis; immo & Aer ipse, qui perpetim nos ambit, & inspiratur. Et è converso, nonnulla sunt humida, & quæ manifestè humefaciunt, sed non fluitant, quinimò tenaciter adhærent, ut olea pleraque chymicè destillata.

Suas quoque Potus patitur differentias. Et primò dividitur in Potum Simplicem, Potum Alimentarium, & Potum Medicamentosum. Simplex Potus dicitur, qui solùm extinguendæ siti videtur addictus: cæterùm non nutrit, ut alimentum, neque alterat, aut aliquam evacuationem promovet, ut medicamentum: cujus quidem generis ponitur pura, & simplex Aqua. Alimentarius, quodammodò nutrit, vel saltem spiritus, & vires reficit, quale est vinum, lac, jura consumpta, & similia. Medicamentosus denique, præter vim, facultatemque sedandi sitim, pro rata sua etiam alterat, & aliquam evacuationem promovet; sive per sudorem, sive per urinam; unde extant potiones sudorificæ, diureticæ, & similes.

Secundò dividitur Potus in Naturalem, & Artificialem. Naturalis absque ulla Artis industria, Naturæ solummodò beneficio, Animantibus est concessus, qualis est pura Aqua. Artificialis verò, qui ab Arte est inventus, ut sunt omnes aquæ medicatæ, Cerevisia Germanorum, Birra Turcarum, aliaque his similia. De Vino autem controvertitur, num ad Naturales, an ad Artificiales Potus referri debeat, cùm ex una parte Naturalis dici possit, eo quòd sit succus uvarum expressus; ex altera verò dici debeat Artificialis, quoniam exigit non solùm uvarum pressionem, sed etiam fermentationem, & à fæcibus purgationem, ac multa alia per humanam solertiam investigata. Cæterùm multæ aquæ medicatæ, ut cinnamomi, anisorum, hordei, salsæ, &c. ad Artificiales referri debent; aliæ multæ ad Naturales, cùm pleræque Aquæ

Ther-

Thermales medicamentosæ sint, & aliquæ ventrem laxent, aliæ urinam cieant, aliæ excitent sudorem; præter eas, quæ ad usum externum adhibentur, ut ad scabiem, ad ægritudines oculorum, ad articulorum dolores, ad renum calculos, &c. At verò, quia frequentiores Potus sunt Aqua, & Vinum, de his speciatim aliqua recenseamus.

De Aqua, & Vino.

PRimùm hìc dubitandum occurrit; an reverà Aqua, præsertim Naturalis, & Simplex, nutritioni apta sit. Et communior sententia est, illam nullatenùs nutrire: quia Nutrimentum, ut vult Aristoteles, debet esse compositum, eò quòd mistis corporibus usui sit. At verò simplex Aqua est, immò Elementum purum credita, adeòque nutricatui inepta existimanda. Alimentum præterea, ut partibus nutriendis adhæreat, atque in illarum substantiam convertatur, aliquam præseferre debet consistentiam, & glutinositatem; Aqua verò utpotè omninò fluxilis, nequit partibus appingi, adeòque alibilis esse non potest. Attamen extant ex adverso, quæ suadeant, illam pro rata sua etiam nutrire, cùm experiamur Aquæ potores, & abstemios, plus reliquis pinguescere: imò plerique referuntur ad plures menses solo aquæ potu, & absque ullo cibo vitam sustinuisse. Verumtamen ipse putaverim Aquam solam propriè non nutrire, sed augmentationem nutritionis coadjuvare, scilicet nutrimentum jam antea cum sanguine commistum, & congestum, diutiùs conservando, atque à dissolutione tuendo; adeoque hac ratione Vitam ad aliquod tempus sustinere posse. Cùm enim portio sanguinis glutinosa, quæ in alimentum partium cedit, perpetuo circuitu continenter absumatur, & extenuetur, epotæ Aquæ beneficio tenaciùs consistit; ac diutiùs in suo glutine perseverat, ut proptereà non tàm facilè diluatur, & liquescat. Sed & fermenta dissolventia retundendo, sanguinis circuitum remorando, partium exsolutionem, perspirationemque impediendo, idipsum peragens Aqua, poterit subindè Vitæ dissolutionem retardare, atque in longius tempus illam protrahere.

Quamquàm autem Aquam simplicem, ac puram alere non posse, probabilius videatur, eo quòd partibus agglutinari nequeat; si tamen interiùs talem salium compagem, aut liquores quosdam inveniat, ex quibus facilè in coagulum vertatur, haudquaquàm inepta penitùs fiet nutricatui, cùm aliunde constet plerasque plantas, ut cucurbitarum, cucumerum, melopeponum, & similium, superaffusis perpetim aquis, intrà paucos dies sensibiliter increscere, dilutis scilicet ex Terra salibus, nutricatui conferentibus. Sicùt insuper durissima corpora, quibusdam liquoribus aspersa, mollescunt, & alia liquidissima congelascunt; ità etiam poterunt intrà Corpus ob misturam similium succorum, aquea, & fluida nimis, condensari; atque è converso densa, ac dura liquefieri, fluidaque reddi, in peculiaribus saltem Corporum constitutionibus. Idipsum confirmant gemmæ, lapides pretiosi, crystallus, glacies, ex aquis per salia quædam congelatis, solida reddita.

Sed & insuper Aqua, multa planè commoda, quæ nutritioni conferunt, affert, quæ breviter complexus est Vallesius *lib.* 1. *suæ Methodi*: & quidem sitim temperando, cùm illa præsertim ab æstu, & lymphici humoris inopia dependet, calidos vapores, humoresque quaquaversùm effumantes reprimit, & ebullientes compescit; inutilia excrementa per sudores;

res, & urinam promovet: & demum alvum non rarò lubricat: quæ omnia salubritati Corporis plurimùm proficiunt, adeoque saltem indirectè nutricationi, ac vigori.

Quænam autem Aqua ad potum ordinarium salubrior censenda sit, solet hìc ulteriùs ab Authoribus examinari. Et licèt Hippocrates *lib. de Aere Aquis, & locis* doceat, (a) sanum, & benè valentem nullam aquam distinguere debere, sed quamcunque obviam bibere, ex iis tamen, quæ frequenter potari solent; nihilominùs melior semper reputatur à Galeno *lib. de Ptisana cap.* 2. & 1. *de simpl. medic. facult. cap.* 4. & 5., quæ limpida est, omni odore, sapore, & colore carens; siquidem ista syncerior, & impermistior est: id quod videtur alia phrasi edocuisse idem Hippocrates *cit. loco*, cum inquit, Aquas pro potu debere esse *albas*, *dulces*, & *fragrantes*: ubi *pro albis* puræ, pro *dulcibus*, gustui gratæ, & pro *fragrantibus*, nihilum mali odoris redolentes, intelligendæ sunt. Idem quoque Hippocrates *aphorism.* 5. *t.* 26. Aquam illam commendavit, quæ citò calet, & citò refrigeratur, inquiens: *Aqua, quæ citò calet, & citò refrigeratur levissima est*: non tam pondere, quem virtute, ac puritate: quòd scilicet facilè meatus Corporis pervadat, nec impuritates deferat; inde enim arguitur nil cum illa permisceri, quod valeat ejusdem distributioni obicem ponere, aut puritatem inquinare, ut ex vitriolicis, sulphureis, aluminosis, ferreis, & similibus accidit.

Quæ igitur prædictas conditiones meliùs referat, videtur esse Aqua, è radicibus Montium extillata, & quodammodò per filtrum traducta, omnique impuritate exuta. Contrà verò mala est, quæ è Terra limosa, & fæculenta exoritur, & ubi Vermes, Hirudines, aliaque pravæ conditionis animalcula immorantur.

Quæ præterea excurrit per loca saxosa, & Soli est exposita commendatur: improbatur ex adverso, quæ restagnat, Solemque aversum habet. Huic succedit Aqua Pluvia, diutiùs tamen asservata in Cisternis convenienter ad hunc usum extructis, & quæ ex una in aliam cisternam deposita, & collecta sit. Ex aquis verò pluviis, meliores illas idem Author existimat *epidem.* 6. *sect.* 4., quæ decidunt cum tonitru, temporibus æstivis; siquidem, ut interpretatur Vallesius, sunt à Sole concoctiores, atque è vaporibus sublimiùs elatis, provenientes. (a) Verùm, quæ per vernale tempus decidunt, probæ quoque sunt. Post Aquas pluvias referuntur Puteales, quæ tamen è petrosis locis, multùmque excavatis, extillent; unde quò puteus magis altus est, latus, adapertus, capax, & ventilatus, eò melior. Has sequuntur Aquæ fluviales, modò istæ liberè excurrant, & cum stagnis non communicent; quæque è medio gurgite hauriantur, & deinde per filtrum trajiciantur: quo pacto Romani Aquam Tyberis repurgare consueverunt. Pessimæ demùm sunt stagnantes è lacubus recollectæ, palustres, atque ex glacie, niveque liquatæ, ex eodem Hippocrate *cit. lib. de Aer., Aqu. & loc.*, ude *aphor.* 5. *text.* 24. inquit: *Frigida qualis nix, & glacies, pectori inimica: tusses movet, sanguinis sputum, destillationes, &c.*

His nunc succedunt Aquæ Thermales, quæ inter sese differunt, pro varietate metallorum, & fossilium, per quæ transeunt, vel in quibus innascuntur. Et quidem ful-

(a) *Quisquis sanus est ac valet, is nullum discrimen faciat, sed semper eam, quę pręsens est, bibat. Hipp.*

(b) *V. Comm. nostr. sup. Aphor:* 26. 5.

sulphure alvum movent, abstergunt, & urinam promovent, quandoque etiam dysenteriam, & ardorem urinæ excitant. Nitrosæ urinam, & menstrua provocant; in longum autem usum adhibitæ diabeten afferrent, & stomacho nocerent. Bituminosæ, meatus Corporis infarciunt, sitim excitant, uterum, & vesicam lædunt, caput gravant. Ferreæ, & Chalybeatæ abstergunt, deobstruunt, incidunt: succos Corporis, & sanguinem acore infectos corrigunt, & quandoque, hac eadem ratione, fluxus inhibent, & adstringunt: Aluminosæ, & Maritimæ cutim abstergunt, & emundant, atque impactos in ejusdem glandulis humores attenuant, & exsolvunt; alvum tamen, & intestina corrodunt, si interiùs assumantur. Mercuriales, ventrem laxant, & vermes enecant. Quæ verò solùm ad externos usus adhibentur, ut sunt Aquæ thermales Puteolanæ, & Pythecusanæ, Lucenses, Nucerinæ, Spadanæ, & similes, ad sudorem promovendum, tumores dissolvendos, artus roborandos, detergendos renes, aut vesicam, aliterve, late describuntur à Lombardo, Capacio, Savanarola, Jasolino, ab Heers, Helmontio, Chesneau, aliisque, quos legere est.

Denique Aquæ medicatæ, & artificiales, variæ quoque sunt, pro affectuum varietate, ex diversis simplicibus, sive per decoctionem, sive per destillationem elicitæ, ut ex carduo benedicto, scorsoneria, betonica, cinnamomo, aniso, ligno guajaco, salsa, china, & similibus, ut passim apud Practicantes.

Vinum præterea hic sumitur, quod propriè apud Nostrates Vinum dicitur, ex Uvis è Vite domestica carptis, atque expressis, subactis, & fermentatis. Illud autem quamvis varium esse soleat, debile, potens, album, rubrum, tenue, crassum, dulce, austerum, acidum, sulphureum, aliudve; generaliter tamen acceptum, ad differentiam Aquæ, cæterorumque Potuũ, plurimas utilitates afferre solet; quarum præcipuæ sunt, quòd languido ventriculo opituletur, coctionem adjuvet, spiritus promptè reficiat, urinam promoveat, lac augeat, Corpus calefaciat, sensus omnes roboret, ingenium acuat, & Cor exhilaret; unde Galenus *lib. quod Animi mores corporis temperiem sequantur cap.* 5. scripsit: *Moderatum Vinum, & concoquit, & distribuit, & sanguinem creat, & nutrit.* Moderatum autem dixit; nam immoderatum omninò nocet, cùm præter ebrietatem, Apoplexiam, Aphoniam, Paralysim, Soporem, Convulsionem, Vomitum, Cardialgiam, Febrim, aliasque gravissimas ægritudines afferat.

Vini differentiæ multæ sunt, quas refert Hippocrates 3. *de Rat. Vict. in acut. à text.* 1. *ad* 8. illæ autem brevitatis gratia ad sex commodè revocari possunt, ex doctrina Galeni *eodem loco*; quoniam sex in illo considerantur, videlicet Substantia, Color, Sapor, Odor, Virtus, & Tempus.

Quod ad Substantiam, idem Hippocrates *cit. loco* dividit Vinum in crassum, seù vinosum, & in tenue, seù aquosum. Crassum, & Vinosum, quod firmiter, & maximè reficit, licèt difficulter concoquatur, & multum recrementi tartarei in visceribus relinquat; unde etiam facilè obstruit, inebriat, stomachum gravat, & meatus urinarios inquinat. Tenue verò, seù aquosum, græcè *Oligophorum* dictum, citò quidem digeritur, & meatus permeat, sed vel nihil, vel tenuiter restaurat; quin & non raro ventrem laxat, sudorem movet, urinam multiplicat, ac attenuat: quod confirmat pariter Galenus 3. *de natural. facult. cap. ult.* Quod ad Saporem, dantur vina dulcia, styptica, austera, subacida, & acerba. Dulcia

cia obstruunt, & flatus excitant; stypti- ca, & austera constipant: subacida, & acerba, viscosos succos gignunt, & fla- tus movent; & si omninò acida sint, intestina compungunt, & torminibus af- ficiunt. Quod ad Colorem, sunt vina rubra, & alba: Rubra roborant, & ad- stringunt: Alba laxant, & aperiunt. Sed & rubra rursùs, vel ad Nigrorem inclinant, & præter vim adstrictoriam, difficillimè concoquuntur, quia plurimo tartaro abundant: vel Cerasorum suc- cum æmulantur, & solent esse facilio- ris digestionis, ac stomacho magis ami- ca. Alba etiam, vel flava sunt, vel omninò alba, ac quodammodò coloris expertia. Flava sunt melioris nutrimen- ti; Alba verò, coloris expertia, solent esse tenuiora; ni tamen Arte sint ità comparata: siquidem cujusdam generis vina sunt artificiali quadam industria plurimùm albescentia, potissimùm quæ fermentationem non subiere, attamen potentia admodùm sunt, ac generosa. Quod ad Odorem; aliqua bonum odo- rem redolent, alia verò omnino inodo- ra sunt: semper autem odorifera me- liora reputantur. Quod ad Virtutem: aliud vinum est potens: aliud imbecil- lum. Potens ferè totum vertitur in spi- ritus, cùm destillatur; Imbecillum verò, ferè totum in phlegma. Quod ad Tem- pus demùm: alia Vina sunt antiqua, alia sunt recentia. Antiqua, vetustate temporis, veluti concoctiora, & depu- ratiora, semper meliora sunt. Recentia verò omnibus fermè visceribus inimica, quippe quæ flatus excitant, meatus ob- struunt, ventrem gravant, & tartarea, phlegmaticaque materia ventriculum, cæteraq; viscera opplent. Hinc experi- mur in destillationibus per alembicum, copiosiores, perfectioresque spiritus eli- ci ex vino veteri, paucos, & debilissi- mos ex recenti; quinimmò Mustum, si destillationi subjiciatur, in ardentes spi- ritus non evaporat, sed totum in tar- tareum, insipidumque phlegma conver- titur.

Sed cùm Vinum ex prædictis varia præ- stet commoda, & multa quoque incom- moda afferat; controverti propterea so- let, cujus naturæ ipsum sit, calidum ne, an frigidum: In utramque enim partem Veteres inclinarunt. Et quidem Macro- bius 7. *Saturnal. cap. 6.* frigidum illud es- se existimavit, nam præterquamquòd, præ cæteris liquoribus meliùs, citiùsque sitim plerumque sedet, potentissimè ine- briat, sensus obtundit, mentem hebetat, & summo sopore quodammodò opprimit; unde Hippocrates 5. *aphorism.* scripsit: *si ebrius quispiam repente obmutuerit, con- vulsus moritur, nisi febre corripiatur.* At verò, nisi illud frigidum foret, ejuscemo- di mala neutiquàm pareret; & nec per fe- brim illa desinerent. Sed & Empedocles, Vinum quoque dixit Aquam putrefactam; unde Versus.

Vinum est putrescens, ligni sub corti- ce, lympha,

Attamen ex adverso Plato *in Timæo*, Vinum appellavit, *calefactorium Ani- mæ, & Corporis:* quamobrem 2. *de legi- bus*, illud Pueris interdixit, ne Ignis Igni, ut ipse loquitur, adjiceretur. Aristote- les etiam 27. *sect. Probl.* 4. Vinum, in- quit, sua natura calidum, sedare tamen sitim magis, quàm Aquam.

Verùm, probabiliùs videtur, Vinum non calidum, sed calorificum esse appel- landum, quoniam per spiritus, quos no- stro sanguini citò communicat, effectus excitat calefactorios, etenim pulsus cele- riores, & vehementiores reddit, sangui- nis circuitum promovet, poros cutis, & meatus omnes aperit, sudorem, & uri- nam prolicit. Affert autem Morbos sopo- riferos, cùm immodicè potatur, idque tum pluralitate vaporum, Cerebrum, & ner-

nervos opplentium, & gravantium, tum etiam quia copiosiores succos in Cerebrum defert, qui cùm deinde non possint convenienter, & illicò distribui, atque per sua emissaria repurgari, sensus hebetant; & nisi somno digerantur, aut febri discutiantur, non rarò plus justo gravando, enecant: quamobrèm idem Hippocrates *eodem* 5. *aphorism. citato* subdit, *aut ubi ad horam pervenerit, qua crapulæ solvuntur, vocem recuperet.* Hinc quoque patet, cur dixerit Aristoteles *cit. sect. problem.* Vinum dilutum magis inebriare, quia majorem succorum copiam in Caput transfert.

Sed quis unquam Fracastorio assentiri poterit, qui vinum siccum arbitratus est, *lib. de Temperam. Vini cap.* 7., adversus communissimam Philosophorum, & Medicorum sententiam? (a) Verùm qui observaverit Vinum præsertim potens, & vetus, majori sui parte, in Aquam ardentem commutari, & in spiritus facillimè inflammabiles converti, qui deinde manibus contrectati non humefaciunt; certè Fracastorii opinamentum non penitùs, veluti paradoxum, admirabitur, si præsertim dictatis Aristoteleis velit inhærere. At verò ex his deducere Nobis liceat, per quot ambages versentur, qui nudis quatuor putatis primis qualitatibus, universam Philosophiam coarctatam volunt.

Quibus in morbis Aqua, vel Vinum conferat.

SIcuti non omnia, quæ in humanum usum deducta sunt, singulis sunt utilia, vel nocua, cùm quæ uni prosunt, alii obesse soleant: Sic Aqua, & vinum non omnibus simpliciter noxia, vel salutaria dicenda sunt. Quo planè modo plerique hominum falluntur, qui cùm noscant seipsos benè Aquæ usu valere, cunctis aliis potandam Aquam insinuant, & multis laudibus commendare non desinunt; cùm tamen præjudiciis exuti, passim experiamur, plerosque non levia damna pati, vel à minima Aquæ potatione, salubriùsque vivere, moderato Vini usu, & è converso. Sed & id prætereà mente tenendum, per varias ætates, modò unum, modò aliud proficere consuevisse; quandoquidem ætatum mutatione variant in Nobis succi, & fermenta Viscerum, præsertim stomachi; quibus aliquando contingit usu Vini, & quandoque Aquæ potu indigere, salubriùsque conservari: neque solùm per ætates varias, sed per diversas quoque particulares ventriculi affectiones, quandoque vinum leviùs ferri, graviùs aquam: interdùm verò ex adverso, graviorem molestiam à vino persentiri, eo quod fortasse in acorem vertatur, quàm ab aqua, quæ faciliùs toleratur, & vincitur, immò acorem ipsum efficaciter temperat, & emendat. Senes pariter nonnulli, ac stomacho imbecilles, non rarò Aquæ potu meliùs digerunt, citiùsque cibos conficiunt, quàm usu Vini: quòd si fortasse aliquandò parcè sumpserint, nedum statim illud eructant, sed & ventre inflantur, constipantur, dolent. Id autem neutiquàm, ut ipsi conqueruntur, adaucti caloris maleficio, qui in illis potiùs deficit, quàm exuperet; sed ob permutatam prædictorum succorum crasim, ut in Hypochondriacis sæpissimè compertum. Itàque non semper Vinum, nec omninò Aqua commendabilis in universum est, aut cunctis indiscriminatim præscribenda, generali quadam, immutabilique lege; sed pro ratione.

Et quidem in sanis optimè admonuit Celsus *lib.* 1. *cap.* 1. nullam certam, ratamque

(a) *V. Arist. in Probl. Gal.* 1. *de san. tuend. c.* 11. & 5. *ejusd. op. cap.* 5. *Avic. fen.* 1. 3. *c. de Melanch. &c.*

que regulam esse stabiliendam; cùm inquit: *Sanus homo, qui & benè valet, & suæ spontis est, nullis obligare se legibus debet. Hunc oportet varium habere vitæ genus, &c.* Pro ratione tamen Corporum, & Constitutionum, modò Vinum, modò Aqua commendanda est: etenim Corporibus succiplenis, humidis, debilibus, magis Vinum, quàm Aqua conferet. Contrà verò picrocholis, & robustioribus, potiùs conveniet Aqua. Sed & pro ætatis varietate, ac consuetudine, id ipsum usui aptandum: Nam senes, & consueti potiùs Vino: Pueri, & Fœminæ Aqua regendi sunt: Exercitati insuper, & laboriosam vitam ducentes, coguntur Vino uti crassiori, ac potentiori: otiosi verò, & sedentarii, vel Aqua simplici, aut medicata, vel ad summum, Vino tenuiori. Ità de cæteris.

Quod ad ægritudines verò, nocet Vinum in omnibus affectibus Capitis, præsertim ex acri, & bilioso sanguine progenitis: nam exinde cerebrum magis vaporibus per sanguinem delatis ex vino gravaretur. Similiter in omnibus fluxionibus, ex tenui liquore provenientibus, quæ faciliùs ab usu vini concitantur: qua ratione experimur, maximè lædi eos, qui articulariis doloribus cruciantur, à vini potu. Pari ratione reprobatur vinum in vulneribus, ulceribus, luxationibus, & fracturis, ne humores in partem affectam magis influant, illamque exasperent. Cæterùm estò ratione ægritudinis, Vinum omninò prohibeatur, poterit tamen aliquandò permitti, si consuetudo in contrarium vigeat, obstet senectus, & ventris imbecillitas. Ne verò grave damnum ab ejus usu subsequatur, levius, quo fieri poterit, concedetur, vel saltem benè dilutum, & modicè potatum: illud enim in gratiam virium, imbecillitatis ventriculi, senectutis, & consuetudinis, tantummodò permittitur. In aliis autem ægritudinibus quibuscumque, in quibus desideratur concoctio, ac dissolutio crudorum succorum, vis aperiendi, ac deobstruendi, promovendi menstrua, ac sputum, itemque attenuandi, incidendi, roborandi, vinum semper commendabile erit, magis tamen album, quàm rubrum, veluti facilioris distributionis, & transitus per vias urinarias, quale est vinum oligophorum dictum, sed non acidum; nisi tamen alvi fluxus rubrum potiùs expostulet. Quamquàm, ubi vinum sanum sit, de coloribus superstitiosè nimis agere, non sit opus.

At in febrientibus major difficultas esse solet, num Vinum, an Aqua illis conveniat. Et quamvis plerisque creditum sit, vinum illis nocere, prodesse solùm aquam; si tamen Authoritates Veterum, & Rationes, ac Experimenta consulamus, inveniemus vinum potiùs esse commendandum. Hippocrates enim, & Galenus, aliique è Græcis celebrioribus, vinum in febribus permisere, non solum in gratiam stomachi, sed etiam ad coctiones peccantium humorum adjuvandas, & ad febrim ipsam breviandam; quemadmodùm colligere est *ex libris de Ratione Victus in Acutis, & de Methodo medendi*: Illud autem album, & oligophorum dictum, seu tenue erat, quo scilicèt sitis simul unà etiam sedari meliùs posset. Sed & ratio ipsa suffragatur, cum experimentis. Siquidem febres desinunt coctione, sequestratione, & expulsione peccantis humoris, qui cum sanguine commistus fermentationem indebitam promoverat: modò vinum potiùs, non aqua, hæc omnia præstat: quamobrèm plerosque novimus unico, sed largo vini generosi potu, tam affluenter sudasse, ut momento febrim averruncaverint, neque solùm in declinatione universali, vel in statu, ut aliis quoque accidit ex potu aquæ, sed etiam inter initia, vel in augmenti decursu. Verùm in his peculiaris ratio semper habenda est, habitudinis

Corporis, ætatis, consuetudinis, anni temporis, & symptomatum febrim comitantium; nam in deliriis, inflammationibus internis, sudoribus diaphoreticis, aliisque similibus, tuta non foret talis temeritas.

In hypochondriacis præterea dubitari potest, num etiam vinum conferat. Et licèt in gratiam Ventriculi, summè imbecillis, vinum videatur commendabile, eo quòd flatus illis infensissimos, discutere queat; nihilominùs experimentis satis constitit, illud officere, non tamen ratione caloris, quem falsò insimulant; sed potiùs ratione acoris, quem suscitat, vel magis exasperat. Acidum enim quòd in ipsis exuperat, sive inconspicuum, sive manifestum, in causa est, ut vinum facillimè acescat, copiosiores flatus excitet; coctionem interturbet, viscera torminibus, atque æstuationibus afficiat. Hinc majus longè emolumentum nonnulli ex aquæ usu nanciscuntur, meliùsque se habent, cùm illa acorem diluat, & retundat; adeoque fermentationibus, atque hypochondriorum æstibus obsistat, ventrem laxet, & salia fermentorum invertendo, ac dissolvendo, tumultuariam viscerum agitationem, perturbationemque temperet, ac sedet. Atque hinc etiam fit, cur nonnulli, etsi stomacho valdè debiles, meliùs sufferant aquæ, quàm vini potum; quoniam stomachi fermentum molestam illam, turbatamque passionem, ex vino habitam, usu aquæ neutiquàm subit. Porrò plerisque non leviter contulere, aquæ per infusum cinnamomum, anisum, lignum sassafras, aliudve simile; & quibusdam aliis salutaris fuit aqua chalybeata, vel ex fonte, chalybis, aut ferri conditionem referente, ut apud Nos est elicita, vel etiam artificialiter comparata.

Denique in usu vini, hæc specialiter sunt advertenda, ut nunquàm jejuno stomacho potetur, nec in fine prandii, vel cœnæ: solet enim non rarò coctionem ventriculi interturbare, præsertim cùm potens fuerit, in debili Ventriculo. Puellis non permittatur, neque imbecillum caput habentibus, aut in soporem proclivibus. Moderatum præterea sit; nam immoderatum omninò nocuum, potissimùm si merum illud fuerit, crassum, acidum, nec dum benè fermentatum, aut ex vario vinorum genere commistum; itemque melle, aut sacchara concinnatum: ista enim semper visceribus infensa sunt. De eo verò, quod per filtrum colatur, ac depuratur, controversia est, quæ adhuc sub Judice manet. At licèt communiùs credatur nocuum illud omninò esse, existimaverim tamen innoxiè potari posse, usu tamen moderato, modò sit per iteratas repurgationes ab omni tartaro defęcatum. Mala etenim ex eo solùm oriri possunt, cùm fæculentum est, aut cùm aliis corruptis vinis commiscetur; & quidem vel vapidis, vel fugientibus, vel acescentibus, & degeneratis: quo pacto solent Oenopolæ mangonizantes, vina adulterata reconcinnare, & corrupta pro dulcibus, sanis, & suavibus vendere. Cæterùm vina fermentata, vetustiora, & penitùs defæcata, meliora semper sunt, ac salubriora.

De recta ratione victus corporum sanorum.

EX hactenùs dictis colligere nunc est, pro recto usu Ciborum, & Potuum ad sanitatem Corporum conservandam, præferendam semper esse simplicitatem ac parcitatem, varietati, compositioni, & copiæ. Meliùs enim, ac faciliùs chylificationis opus ex illa in ventriculo peragitur, quàm ex ista, eo quòd succi digestivi ineptiores semper fiant ad multigenam ciborum copiam dissolvendam, quàm ad modicam, simplicem, & uniformem;

præ-

præfertim verò fi eorumdem compofitio, ac miftura, talis, ac tanta fit, cum multitudine conjuncta, ut Ventriculo gravamen, fermentis digeftivis inertiam, & diffolutioni tarditatem inferat; unde poftmodùm cruditates, obftructiones, dolores, tumores exoriantur. Quamobrèm fcitè quidem dixit Hippocrates, *lib. de Flatibus*: *Diffimilia, & inæqualia alimenta feditionem in Ventriculo excitare*; eo quòd aliqua citiùs, ac faciliùs, alia feriùs, & difficiliùs concoquantur. Hinc propterea experimur falubriùs, diutiùfque vivere frugaliores Homines, helluones verò breviùs, & infalubriùs. Vivitur enim exiguo meliùs, (a) & Natura paucis fanè contenta eft. Jure ergo in vulgatum Adagium abiit: *Plures occidit Gula, quàm Gladius*. Mente proinde perpetuò tenendum Monitum illud M. Brafavoli.

Pone Gulæ metas, ut fit tibi longior ætas
Effe cupis fanus? fit tibi parca manus.

Atque illud aliud:

Ut vivam, edam. vivere non ut edam. (b)

Facta autem comparatione inter labiles, & folidos cibos: fanè illi, quacumque tamen confuetudine feclufa, iftos præcedere debent. Cùm enim ex Anatome conftet, cibos eundem ordinem intra Ventriculum fervare, quo fuerunt affumpti, & qui prius funt diffoluti, ac digefti, in inteftina defcendere; planè fi duri, ac folidi primùm ingerantur, impedimento quadantenùs erunt labilioribus: quocircà hi diutiùs detenti, facilè acefcunt, corrumpuntur, & in deleterios humores commutantur. Hac quippe de caufa DiarrhϾ, Dyfenteriæ, Choleræ, Ventris tormina, Febres, aliaque confimilia fæpiffimè in Praxi vifa funt, ab inverfo affumptorum ciborum ordine, proveniffe: ut etiam notavit Galenus *l. 3. de fymptomat. cauf. cap. 1. & alibi*. Dixi feclufa quacumque confuetudine, nam qui aliter his vefci confueverunt (ut præ cæteris funt Hifpani) vel nullæ, vel leviori noxæ fubjiciuntur. Vetufta namque confuetudo vertitur in Naturam: & quæ confueta funt, minus moleftare folent. Quæ autem his à quibufdam opponuntur nullius profectò momenti funt, attenta potiffimùm Anatomes veritate, & chylificationis opificio, per fuccos digeftivos ope fermentationis habito, ut jam cunctis notum.

Tempus infuper cibandi illud fit, quod ufu, & confuetudine, pro diverfa Corporum habitudine, & conftitutione, ætate, & varietate exercitiorum, comparatum eft; itemque pro varia Anni tempeftate, regione, aeris incolatu, cæterifque fimilibus; Etenim juxtà horum varietatem quibufdam lautiùs prandere, parciùs cœnare conveniet: aliis ex adverfo, prout ab ufu meliùs ipfis profuiffe compereriere. Sic negotiis diurnis addicti, laboribus, exercitiis, itineribus, expedit parciùs prandere, largiùs cœnare: contrà aliis. Quamquàm in univerfum, magis femper commendabilis fit Cœna frugalior, iis præfertim, qui lucubrationibus incumbunt, & civilem vitam ducentes, lautiùs prandere folent, juxtà illud.

Ut fis nocte levis, fit tibi Cœna brevis.

Cæterùm num bis, vel femel in die fumendus cibus fit, ex ipfiufmet Ventriculi habitudine, ac vigore, deducere licebit, & prout quifque in feipfo noverit. Verumtamen id præcipuè animadvertendum ex Schola Salerni, ut

Tu numquàm comedas, ftomachum nifi noveris effe
Purgatum, vacuumque cibo, quem fum-

(a) *Claudian. in Ruffin.*
(b) *Confer. Horat. l. 2. ferm. 2. & Pl. l. 11. cap. 52. victum parcum, & fimplicem commendantes.*

sumpseris ante.
Ex desiderio id poteris cognoscere certo.
Hæc sint signa tibi subtilis in ore saliva. (a)

Ex Qualitatibus modò Ciborum, crudi, frigidi, crassi, acerbi, duri, pingues, & oleosi, plerumque nocui sunt, præsertim stomacho debilibus: Coctionem enim, & distributionem retardant, calorem infringunt, spiritus, & liquores chylo destinatos hebetant, & obtundunt, ventriculum aggravant, excrementa multiplicant, cruditates, & obstructiones pariunt, & cuncta ferè mala progignunt. Quòd si his frigidæ potationes (ut nostris præcipuè temporibus) adjungantur, longè graviora damna exoriuntur. Atque hinc, ex effrænatæ Gulæ libidinibus, gelidisque tum Aquarum, tum Vinorum, aliorumque artificialium liquorum frequentissimis potationibus, cuncti nunc ferè valetudinarii sunt, lubricamque sanitatem, brevemque vitam degunt. Grati verò suavesque Ventriculo cibi, etsi ferè semper commendabiles sint, attamen moderationem servare debent: Nam aromatibus conditi, variisque salsamentis confecti, tandiù conveniunt, quamdiù stomacho sunt gratificaturi, si fortè langueat, aut tardè admodùm cibos conficiat. At verò quamquam consuetudo multum hac in re valeat, non tamen est tam longè à Naturæ modo removenda, ut in insalubritatem transeat, & ægrotandi causa fiat. Multa enim quæ in Juventute sufferri solent, succedentibus ætatibus nocua evadunt, etiamsi diutinus illorum usus præcesserit: quæque in Modo, Ordine, & Tempore anteà contulerunt, progressu temporum, & ætatum non leviter officiunt, mutata nimirum corporis, & partium constitutione.

(a) *Galen. 3. de loc. aff. 6.*

Singulorum denique Esculentorum, & Potulentorum Naturas, Vires, & Facultates, qui nosse cupit, legat Authores de Re Cibaria tractantes, præsertim verò Galenum de Alimentorum facultatibus, Jo: Bruyerinum, Arnoldum Villanovanum, Arnoldum Freitagium, Cl. Deodatum, Balthassarem Pisanellum, Castorem Durantem, Ludovicum Nonnium, Henricum Mundium, aliosque.

De victu ægrotantibus ministrando.

EX tribus Medicinæ præsidiis, quibus adversùs ægritudines jugiter à Medicis dimicatur, Diætetico, Pharmaceutico, & Chirurgico, primum sanè sibi locum vendicat Diæteticum: nec immeritò, quoniam cæteris utilius, præstantius, magisque necessarium est. Utilius quidem, quia ad vires conservandas dirigitur, sine quibus Morbi, & Causæ morbosæ nullatenùs fugari possunt: Præstantius, ac nobilius, quia ubi reliqua ad curandum, aut præservandum, sunt instituta, Diæteticum ad conservandum specialiùs collimat; modò apud omnes constat, partem Medicinæ conservatricem longè, latèque præcellere Curatrici, ac Præservatrici: quin etiam solius sæpissimè Diætæ rectа administratione, nedum conservamus, sed & commodè præservamus, atque abigimus morbos. Magis denique necessarium est; nam non semper ægroti medicamentis egent, ut sanentur; at verò semper opus habent, ut alantur, in gratiam virium conservandarum. (a) At verò sicuti Cibus opportunè exhibitus maximè confert, ità ex adverso nocuus omninò evadit, ubi importunè, excedenter, & non

(a) *V. Celsum lib. 3. c. 4.*

non convenienti modo adminiſtratur; Proinde factum; ut tam Veteres, quàm Recentiores Medici in rem hanc plurimum incubuerint, & varias diverſaſque Regulas in alendis ægrotantibus conſtituerint. Horum autem omnium primus communi voto proclamatur Hippocrates, utpote qui ſingula ad id facientia exactiſſimè examinaverit, quemadmodùm colligere eſt ex pluribus ejuſdem Operibus, in quibus rectam Victus rationem edocuit, ſpeciatim verò *lib.* 1 *Aphoriſmorum*, & *de Ratione Victus in acutis*, *de Diæta*, *& de Morbis*, ubi Regulas ſanè aureas in rectè adminiſtrando maximo hoc Medicinæ præſidio tradidit. Nos propterea illius documenta ſectantes diſtinctè eaſdem proſequemur, ordine, ut decet, congruentiori.

Primùm autem, facta comparatione Morborum acutorum, cum chronicis; quia in illis coctiones, ſecretiones, ſequeſtrationeſque morbificarum cauſarum citiùs perficiuntur, adeoque breviorem Natura cum morbo pugnam init; frugalior cibus exhibendus eſt; lautior verò in chronicis, ne ſcilicet propter temporis diuturnitatem vires concidant, documento Hippocratis *aphoriſm.* 1. *text.* 9. ubi *Conjectari oportet*, inquit, *an æger ſufficiat perdurare, quouſque morbus conſtiterit, &c.*

Si verò acuti morbi cum evacuationibus ſocientur, largior victus commendatur, damnatur tenuis, ex doctrina ejuſdem, tum 2. *aphoriſm.* 22. dicentis, *Morbi ab evacuatione pendentes, repletione ſanantur*: tum 1. *aphoriſm.* 4. ubi tenuis victus vituperatur in acutis, in quibus non convenit; uti ſunt morbi ab evacuatione procedentes: quemadmodùm advertit in *commentario* Galenus. Idipſum confirmat Celſus, cùm inquit: *Sicut in morbis, in quibus initium eſt ab evacuatione, nullum majus remedium veloci refectione; ità nullum majus damnum jejunio, aut parco cibo.*

At contra in acutis ab humorum copia pendentibus, tenuis victus optimus erit: authoritate ejuſdem Hippocratis 2. *aphoriſm. cit.* Si namque largior victus exhiberetur, procul dubio majora excrementa cumularentur; cùm tamen ex eodem Hippocrate 2. *aphoriſm.* 10. *impura Corpora quanto magis nutris, tanto magis lædis.* Accedit, quòd in his vires languere non ſolent, quippe quæ non longam cum morbo pugnam inierunt, adeoque multo cibo non egent, ut reficiantur.

In Chronicis præterea cum extenuatione conjunctis, nedùm aliquanto plenior cibus exhibendus eſt, ſed humectior: in his enim ſolet ſanguis acritate, & ſalſilagine muriatica plurimùm diſſolvi, atque adeò ſuo glutine privari: unde ad retundendam acritatem, atque ad impediendam ejuſcemodi diſſolutionem, conferet cibus humefaciens, uti ſunt jura, etiam ex glutinantibus medicamentis concinnata. Verum in chronicis cum obſtructione, tumore, ſcirrho, convenient alimenta attenuantia, licèt paulo pleniora: attenuantia quidem, in gratiam obſtructionis; paulo pleniora verò, ad conſervandas vires, ratione diuturnitatis temporis. Ubi notare decet, alium eſſe victum tenuem, alium attenuantem; tenuis enim vires diminuit, & ſaltem per accidens ſanguinis quantitatem detrahit; attenuans verò tuetur vires, & quandoque etiam auget, licèt humores incidat, & tenuiores reddat; immò etiam meatus omnes Corporis reſerat; ut cum E. g. carnibus, illarumque juribus incoquimus petroſelinum, ſampſuchum, cinnamomum, crocum, & ſimilia:

Quoniam verò non ſolùm victum, qualis deceat, ægrotantibus præſcribere convenit, ſed etiam opus eſt, ut debito tempore exhibeatur; propterea in acutis morbis, quia brevis eſt pugna inter Naturam, & Cauſam morbificam, citòque Augmen-

tum imminet, parcior cibus per ea tempora ministrandus, ne scilicet distrahatur Natura ab opere coctionis, atque ab inutilium succorum secretione, quæ tantopere necessaria est. Circà declinationem verò, plenior offerri poterit, ut vires restaurentur, sed tamen non plenissimus, ne eædem opprimantur, aut suffocentur: advertendo pariter quòd admonuit Hippocrates eodem 2. *aphorism.* 7. *Quæ longiori tempore extenuata sunt corpora, lentiùs reficere oportere, breviori verò, ocyùs*; pro ratione.

Nedum autem toto tempore ægritudinis acutæ, sed in Temporibus ejusdem particularibus, per singulas accessiones, varietas in cibando servanda est. Et quidem ineunte particulari accessione, cibus exhibendus non est, ex eodem Hippocrate 1. *aphorism.* 11. ubi dicitur: *In principiis Accessionum cibum dare nocuum est*: & *in ipsis Accessionibus abstinere oportet*. (a) Pro Accessionibus verò intelligenda sunt tria illa particularia tempora cujuscumque Paroxysmi. Principium scilicet, Augmentum, & Status. In principio namque si cibus exhiberetur, præter ventriculi gravamen, & cruditatem, febris procul dubio exacerbaretur, & facilè posset in deteriorem commutari. In Augmento, & Statu, omnia symptomata ingravescunt; propterea à cibi exhibitione, deteriora illa fierent, gravata nimirum, & fortassis etiam succumbente à cibo Natura. Hinc in omnibus periodicis febribus tria ista tempora, omninò cibis vacua, transigi debent. Neque solùm in febribus, sed in quibuscumque aliis ægritudinibus, quæ periodum quamdam servare solent, & statis temporibus exacerbantur, totum illud tempus exacerbationis, & repetitionis, prætereundum, ne magis Natura per cibum affligatur, & copiosiora excrementa cumulentur. Satis autem erit, in gratiam virium conservandarum, si per intervalla, instaurantes quædam potiones, tincturæ, aut elixiria, cochleatim offerantur; cibus verò, postquàm ægritudo remissionem subierit, exhibeatur.

Insuper, quia febres, vel intermittentes sunt, vel continuæ; diversa ratio in utrisque servanda est in cibis administrandis. Et quidem in intermittentibus, commodius semper tempus cibandi erit, in horis à febre vacuis, cavendo tamen, quoad fieri poterit, futuram accessionem, ut per horas sex, aut septem saltem, ante futuram accessionem, cibus offeratur; & vel plenior, ac solidior, vel parcior, magisve, minùsve liquidus, pro ratione virium, ætatis, anni, temporis, consuetudinis, & peculiaris constitutionis ægrotantis. In Continuis verò sat erit tempus ipsum declinationis expectare, ut docuit Hippocrates 1. *de rat. vict. in acut. text. penult.* inquiens: *tempus dandæ sorbitionis optimum est, cùm calor ad pedes descenderit, & reliquerit Cor*: quod sanè in declinatione contingit.

In febribus autem, quæ per dies impares exacerbantur, plenior cibus concedi poterit in diebus paribus levioribus; parcior verò in imparibus, utpotè gravioribus; servando tamen variam cibi conditionem, liquidiorem, vel solidiorem, pro ratione habitudinis ægrotantis, & virium necessitate; si nimirum ægri fuerint picrocholi, graciles, jejunium non ferentes, vel è converso.

Cùm verò febres nedum continuæ sunt, sed subingredientes, quarum scilicet accessiones repetunt in declinatione prioris, & antequam una desinat, altera subintrat; meliùs erit cibum offerre in medietate status prioris accessionis, antequàm, in ejusdem declinatione, principium posterioris accedat: Nam cæteris paribus, semper gra-

(a) *V. Commentaria nostra super hoc.*

gravius damnum imminet ex cibo exhibito inter initia accessionis, quàm in statu: cùmque unius accessionis declinatio sit principium alterius, oportebit à cibo abstinere in declinatione primæ, cùm hæc confundatur cum principio secundæ accessionis. Verùm in his Casibus non solidus, sed liquidus cibus esse debet, uti sunt jura, aliquantulum tamen vigorata testibus gallorum, ut & liquores carnium, seu carnes ipsæ consumptæ in Balneo Roris, & deinde expressæ, aliudve simile.

Quamvis autem initia Accessionum febrilium omninò vitanda sint, admonet tamen Galenus 10. *meth. cap.* 5., posse aliquandò refectivum aliquod exhiberi, si corpora picrochola sint, & stomachi imbecilitate laborent, adeout in animi defectionem facillimè incidant, qualis erat ille, cujus ipse ibidem meminit, qui in singulis accessionibus animo linquebatur, cum Ventriculi titillatione, & languore. At verò his satis erit, per aliquod tempus ante accessionem jusculum aliquod exhibere, vel etiam micam panis vino albo diluto maceratam.

Si præterea accessiones febrium adeò producantur, ut duas ferè integras dies comprehendant, quemadmodùm in febribus illis, quas Græci Tritęophyes appellabant, hoc est extensas Tertianas; quia æger tam longam inediam sufferre non potest, præstabit, transacto augmento, jusculum exhibere, aliudve simile jentaculum, & deinde in declinatione paulo largiùs alere; ita tamen, ut saltem horis sex, vel septem, futuram accessionem cibus antecedat. In Semitertianis verò, græcè Hemitritęis, quarum accessiones recurrunt graviores per dies impares, & in paribus, licèt mitiùs, continuò perseverant; parcior cibus, & liquidus in imparibus, paulò plenior, & solidus in paribus, offerri poterit, modò hic facilis semper sit digestionis, & boni nutrimenti.

Circumscripta autem quacumque consuetudine, melius erit bis saltem singulo quoque die naturali ægrotantes alere; & quidem horis matutinis, utpote plerumque quietioribus, cibo solidiori; liquidiori verò vespertinis, aut nocturnis. Unica siquidem comestio in singulos dies, ut plurimùm insufficiens est; si modica; gravans verò, & nocens, si larga. Dixi circumscripta consuetudine: nam si cæteroqui suetus æger foret in statu sano, semel in die cibum sumere, non est duplici perperàm gravandus in statu morboso, in quo naturales operationes valdè deficiunt. Dixi insuper cibo solidiori, & horis matutinis, quia plerumque quietiores istę sunt in ægrotantibus: quòd si fortasse secùs accideret, eligi debebunt, quæ minùs molestæ sunt. Idipsum observandum erit in febribus, quæ suos paroxysmos proferunt anticipantes, vel postponentes, ut nimirùm tempus illud eligatur, quod remissius videbitur, vel omninò febre vacuum, cavendo tamen, ab imminente accessione, quoad fieri poterit. Cæterùm in cibis liquidioribus præsertim, jusculis, minùs errabitur, cũ ab his minùs Natura gravetur: atque in hoc laudandi profectò sunt Romani Medici, longè cæteris, in cibandis ægrotantibus, cautiores.

In febribus denique Continentibus dictis, quæ scilicèt accessionibus, iteratisque paroxysmis carent, quietiores adhuc horæ eligendæ sunt: Hæ autem erunt, quæ minùs symptomatibus molestantur. Quòd si febres sint Homotonæ, idest eundem semper tenorem servantes, cibandi erunt ægrotantes horis consuetis tempore salutis, eo quòd in his Natura refici consueverat. Idemque dicendum in Increscentibus, & Acmasticis dictis. Verùm in his parcè nimis alendi sunt febrientes, & solùm in gratiam virium conservandarum, si fortasse langueant. Quòd si ægrotantes ferendo sint, ut valeant impetum febris effugerę abs-

absque cibo; melius erit omni prorsus alimento abstinere: ubi verò vires langueant, parùm, & sæpè illæ reficiantur liquoribus instaurantibus per vices, & moderatè exhibitis. Verumtamen in cunctis respiciendum semper ad ætates, habitudines corporum, consuetudines, Regiones, & Anni tempora: quamobrem Pueri, largiori semper victu tractandi sunt, cùm inediam ferre non possint; contra Senes, multo cibo non sunt gravandi, sed modico, ac repetito, ne vires concidant. Sic quoque aliter alendi sunt graciles, quàm obesi, illi quidem pleniori, ac humidiori; isti verò tenuiori, & ficciori. Ex consuetis plenius cibandi sunt Hispani, Germani, aliique, qui in statu salutis lautiori cibo fruuntur; partius verò insueti, ut Itali, præsertim Romani, & Neapolitani. Idipsum dicendum de Regionibus: Incolentes enim Regiones frigidissimas, ut Boreales, solidioribus alimentis; tenuioribus verò, habitantes Regiones meridionales: qui si fortasse uberius alendi forent, potius parum, & per vices, instaurentur. Denique quod ad Anni tempora, parcius Æstate, & Autumno, & cibis facilioris coctionis; largius Hyeme, & Vere, solidioribusque alimentis cibentur. In universum postremò frugalior cibus ægrotantibus convenientior semper est, saltem ratione causæ morbificæ, quæ à cibo plurimo increscere non debet, ne morbum protrahat, nec naturam aggravet, aut à sequestratione, secretioneque peccantium humorum retardet, aut impediat.

Quænam repletio pejor Panis, an Carnis.

AD calcem hujus tituli de Cibo, & Potu placet curiosam hanc disceptationem in medium proferre, atque examinare, quam licèt nonnulli alii proposuerint, exactè tamen nondum illam explicuisse mihi visi sunt. Pro Pane autem Triticeum intelligendum: nam qui ex hordeo, milio, ceterisque leguminibus, conficitur, in controversiam hanc non cadit.

Jamdiu ex Avicenna *fen.* 3.1.*doct.*2. *cap.* 7. effatum viguit *Repletionem omnem malam esse, Panis autem esse pejorem*: cui inhærens Jacobus de Partibus Avicennæ Commentator, rationem quoque adjecit, inquiens: *Repletionem Panis esse malam, quia stomacho diu injacet, gravans ipsum plurimùm, & opprimit pectoralia; & si descenderit tandem de stomacho non bene digestus, oppilabit Hepar, & Mesaraicas. At Carnes minori nocumento sunt, quia plus proportionantur humano Corpori, & minus premunt pectoralia, & si transeant indigesta ad Hepar, & Mesaraicas, minus stabiles, & magis curabiles oppilationes inducunt, quàm Panis.* Hinc factum; ut dictum istud in commune Adagium abierit, & Panis esum immoderatum longè pejorem esse carnibus, omnes propemodùm proclamaverint. Verùm ex adverso Alii, perpendentes Panis substantiam optimam esse, cunctis acceptam, Nationibus omnibus, quibus Triticum innotuit, familiarem, stomacho semper gratam, ac salutarem, vitæ humanæ sustentandæ valdè accommodam, pro eadem acriter pugnarunt, & Adagium illud in Carnis esum immodicum verterunt; ut proindè autument: *Omnem Repletionem malam esse, Carnis verò, non Panis, pessimam*; quemadmodùm præ cæteris nuperrimè ex multis recollegit Gaspar à Rejes, peculiari quadam dissertatione, quæ est *octuagesima quinta sui Campi Elysii Jucundarum Quæstionum*, ubi pro Pane multa congerens, in Carnis esum immoderatum, effatum istud inculcat.

At verò Mihi, ne utrique injurius forem, distinctione procedendum visum semper est, & comparatè solùm ad varias, differentesque Ventrium constitutiones, & Cor-

Corporum habitudines, diversosque usus è primordiis Vitæ acquisitos, modò ex uno, modò ex altero, immodicè sumpto, gravia damna evenire posse sum persuasus; ità tamen, ut à Carne ex faciliori corruptione noxam, à Pane verò, obtardiorem in ventriculo dissolutionem, subindeque exortam ingentem fermentationem, molestamque tumefactionem, fateri cogamur.

Et quidem Leones, Lupi, Ursi, Canes, ad plures, & plures libras crudas carnes devorant; Panem verò vix ad paucas ingerunt, quasi verò benè noscant, futurum exinde sibi detrimentum majus, cùm tamen Carnibus immodicis si graventur, vel evomunt, vel per alvum corruptas illas egerunt, & exonerantur. Ex adverso Equi, Boves, Asini, Muli, si multo frumento satientur, doloribus, ac cruciatibus ventris impensè admodum torquentur, mox etiam toto Corpore tumefacti pereunt. Cursorem Equum, de genere eorum, quos Barbaros vulgò nuncupant, aliquandò medium crepuisse vidi, quia ab Hero, ut victoriam in cursu assequeretur, intritâ ex vino generoso, anteà pastus fuerat. Sunt nonnulli, qui mecum de Ventriculi languore, tardaque digestione, cum non levi Ventris gravamine, conquesti sunt: cognito autem, quòd non aliunde id proveniret, quàm ab esu Panis inter edulia immoderato, indicta iisdem illius temperantia, sine ullo alio medicamento, molestiam illam evaserunt. Moderatus enim Panis, & benè fermentati, usus, ciborum dissolutionem adjuvat; immoderatus verò impedit, ac in longius tempus potrahit; non sine magno ventriculi fastidio. Atque hinc fit, ut pauca, ac durissima excrementa intestinalia egerant, qui multo Pane, omnique furfure exuto, vescuntur; cùm aliàs furfuroso usi, sicuti non multum inde nutriuntur, ità fæces copiosiores, lubricioresque reddunt. Sed & animadversione quoque dignum, quòd multo Pane saturi, nil deorsum, aut sursum egerunt, etsi ventriculo graventur; Carnibus verò repleti facilè per utramque partem exonerantur: fortè quia in his fibræ ventriculi liquore carnium delaxantur; in illis verò à glutine Panis corrugantur, & contrahuntur; ut proinde nonnisi peracta dissolutione, cibariam massam deponant. Accedit quòd Septentrionales Populi, qui in quotidianum usum carnes fumo, aut Sole arefactas habent, benè, ac salubriter vivunt; Panem autem, si aliquandò eo utantur, graviùs, molestiùsque ferunt: tantum usus, & consuetudo prævalet. Est hic Neapoli Nobilissima quædam Familia, è genere illorum, qui pro Stemmate Amaranthum, Immortalitatis Amantem, habent, in qua ex usu Avito vetustissimo, nullus à tenera ætate, pane vescitur, carnibus verò cujusvis generis saturantur sine ullo sanitatis incommodo. Sed ecquis unquàm piscibus crudis, locustis, aliisque similibus apud Nos vesceretur, quemadmodùm legimus commodè nutriri Septentrionales Americanos, sine sale, aliove condimento convenienti, nisi assiduus à Nativitate usus intercessisset. Non ità pridem fuit hìc Neapoli, qui sine ullo vitæ detrimento echinos, & crudos, & suis corticibus spinosis indutos, maxima cum facilitate devorabat, & promptè etiam digerebat; locustas item, spondylos, aliaque testacea. Ex adverso alium novi, qui ab esu fructuum Echinorum immoderato, Diabetem incurrerit, & Mortem; & alios plures, qui à spondylis, ostreis, limacibus, diarrhœam, dysenteriam, aut lienteriam passi sunt, periculosissimam. Sunt & alii plurimi, qui ab esu labilium ciborum malè se habent; duriores verò, solidioresque cibos & benè expetunt, & meliùs concoquunt. Sic ex fructibus, qui labiles sunt, & facilè corrumpuntur, plerique promptissimè ægrotant, alvo soluta; ab aliis verò durioris, solidiorisque substantiæ, non

non item: secùs alii, & alii multi. Hinc fateri decet, non omnibus æquè futurum, aut ex Pane, aut ex Carnibus immodicè esitatis, detrimentum, sed pro diversa Corporum, & fermenti stomachici habitudine, usuque vario.

Facta autem utriusque comparatione, quamvis ab esu carnium immoderato magna successura sit noxa ob faciliorem illarum in alvo corruptionem, nihilo tamen minùs à panis satietate, propter tardiorem ipsius exsolutionem, diuturnioremque in ventriculo moram, aut etiam ob ingentem inductam in sanguine fermentationem, majus damnum contigit experiri. Carnes equidem facillimè corrumpi, ac putrefieri cunctis liquet, potissimùm cùm à fermentis viscerum digestivis, ad tantam copiam inidoneis, in alibilem substantiam verti nequeunt, sed vel in acorem, vel in nidorem fætidum transmutantur; quo circà gravamine, aut irritamentò ventriculi fibris illato, vel evomuntur, vel dejiciuntur putrefactæ, & corruptæ. At verò Panis per hoc idem, quòd multi, & boni nutrimenti sit, abundantique glutine saturi, nocentior, si plus justo ingeratur, evadit. Ventrem enim aggravat, & opprimit, illiusque fermenta hebetat, & glutinosa sua substantia obtundit, fibras coarctat, & nonnisi diuturno nimiùm tempore dissolvitur; unde longam nimis moram ibidem contrahens, molestam tumefactionem, anxietatem, doloremque gravantem, & inflantem affert, non sine graviori periculo, præsertim si per immodicam fermentationem, acorem, acritatemque excedentem excitet, & sanguinem etiam inficiat. De Tritico in aqua elixo, scribit Galenus 1. *de alimentor. facult. cap.* 7. se aliquando, propter panis penuriam, cum duobus adolescentibus consociis ipsum elixum comedisse, & per totum sequentem diem saturum nil aliud edere potuisse; quod & idipsum à Rusticis ejus loci edoctus, grave, & concoctu difficile illud tandem esse concludit, viresque magnas habere, validèque Corpus nutrire, ac robur maximum conciliare: quò fortasse respicientes nonnulli apud Athenæum *lib.* 3. *Deipnos.* Panem ex Tritico confectum sic dictum voluere, ob alimenti copiam; ideòque apud Latinos Panis à *Pan* græcè, quod *totum*, & *universum* significat, appelletur. Idipsum confirmat Alexander Aphrodiseus *probl.* 66. *lib.* 2. Panem omnium ciborum maximè nutritium existimans: quò autem alimenta substantiæ sunt alibilioris, eò difficiliùs, tardiùsque digeruntur, ac proinde diutiùs in ventriculo detinentur, unde non levis illi noxa. Id sanè pro rata sua experiuntur, qui in pane, & Vino jejunantes, omnem famem uberiori pane explere coacti, ob promotam vehementem, ex longiori mora in ventriculo, fermentationem, ingentem acorem primùm persentientes, mox gravem per totum illum diem, laboriosamque molestiam patiuntur. Notum quippe cunctis est, usu panis nimio, distendi plus justo arterias, & venas, totumque Corpus majorem in molem assurgere, meatus infarciri, ac plurimùm impediri perspirationem, respirationemque; quamobrem coactus fuit Sylvaticus, licèt contrariæ assertionis propugnator, *controverſ.* 6. affirmare, quod *quæcumque optima sunt, si propter copiam corrumpantur, eorum corruptela multo sit deterior, quàm eorum, quę minus bona sunt*. Jure ergo ad quæsitum: *Panis nutritio, an Carnis melior?* respondit olim Petrus Hispanus: *Panem magis, & meliùs nutrire accidentaliter, quòd tardè convertatur, & multùm immoretur; Carnem verò magis nutrire naturaliter, quia citiùs digeritur, & citius dissolvitur*. Hac eadem, & multo validiori de caussa, Panis Azymus, subcineritius, aut non benè fermentatus, gravioris ponderis Ventriculo fit, & tardioris digestionis, ob mul-

multam, glutinosamque substantiam alitivam. Hinc non absre indictum Hebræis, ex Ægypto discessuris, diùque iterfacturis, ut Pane Azymo vescerentur, cum lactucis agrestibus, diathesi sanguinis mirificè opitulantibus; ut & Eliæ, ad longum iter sustinendum, provisum de Pane subcineritio. Sed & Ambylum pariter, Pastilli edules siliginei, cæteraque edulia, ex farina intrita, & absque fermento compacta, plurimi sunt nutrimenti, adeòque tardæ nimiùm dissolutionis, præsertim in stomacho debilibus. Atqui notabile equidem est, quòd Celsus *lib.* 2. *cap.* 24. Panem sine fermento inter res stomacho idoneas reposuit, *&c.* 25. fermentatum Panem inter res stomacho alienas; quin & *cap.* 28. *Panem fermentatum*, scribit, *facilè intus corrumpi, non fermentatum difficilè;* unde eodem *cap.* 25. statuit: *non quidquid boni succi est, protinùs stomacho convenire, neque quicquid stomacho convenit, protinùs boni succi esse.* Quare concludendum non magis ex carnium esu immodico, quàm ex pane intemperanter assumpto, inductam saturitatem nocuam fieri: id quod probandum proposueramus. Nil enim in Natura tam bonum est, ut aliquando obesse non possit; nec ex adverso tam malum, ut alicui interdùm non prosit, attenta præsertim corporum habitudine, & varia, diversáque ab incunabulis consuetudine acquisita, ut aliàs quoque innuebamus. Quamquam haud inficiari queam multas species Carnium ad saturitatem usque ingestas nullius ferè incommodi in quibusdam observari, ut presertim experiuntur Apuli in esu Carnium Vervecinarum, toto tractu ejus Regionis, quippe quæ tam salutares sunt, & boni succi, ex peculiari illius climatis, & fertilium pascuorum conditione, ut nedum benè nutriant, & faciliter digerantur, sed (quod majus) Corpori floridam salubritatem impertiantur, quemadmodùm & de Vervecibus Hispanis, eisdem ex caussis, circumfertur. Idipsum testantur ab esu Carnium Vitulinarum Accolæ Promontorii Minervæ, Massæ Lubrensis, Surrenti, Vici Equensis, & adjacentium locorum, ubi nedum Vituli Vaccarum, sed & Sues salubres Carnes proferunt, absque ullo Corporis detrimento, ad satietatem usque comestas: quod secùs de Panibus accidit.

De Motu, & Quiete.

MOtus à Medicis consideratur ut Caussa Nonnaturalis; comprehendens sub se omnem exercitationis speciem, per quam Corpus benè, vel malè affici potest: Quamobrèm describi solet, quod sit, *Manifesta Corporis agitatio.* Sunt qui etiam Animum ad ejusmodi agitationem referant, quoniam ex Hippocrate 6. *epidem. sect.* 5. Hominum cogitatio dicitur Animæ deambulatio. Verùm hæc ad Animi passiones potiùs revocanda videtur, quia in illis Animus reverà commovetur, & perturbatur. Quies ex adverso describitur, quod sit *Mansio, Stabilitas, seu Otium Corporis*. Sicut enim per Motum Corpus eundem situm non servat; ità per quietem in eodem consistit, & otiatur. Id autem intelligendum tam secundùm totum Corpus, quàm secundùm partes: nam dantur quædam genera Exercitiorum, in quibus partes solùm moventur, ac exercentur, ut in Arte Sutoria, in Rota Figuli, &c.

Motus autem ex Galeno 2. *de san. tuend. cap.* 2. triplex est, Simplex Motus, Exercitium, & Labor. Simplex Motus intelligitur, per quem ita leviter Corpus agitatur, ut nec ad sudorem, nec ad anhelitum, nec ad lassitudinem deveniat, ut est moderatus incessus. Exercitium est Motus sensibilior, qui ex Galeno *cit. loco*, com-

comprehendit respirandi frequentiam, & sudoris exitum. Labor demum, adhuc major Motus est, & complectitur non solùm sudorem copiosum, sed etiam defatigationem, cum anhelitus difficultate. Quies ex adverso duplex etiam est, simplex scilicèt quæ adeo levis, & brevis est, ut Motus potiùs videatur, quàm Requies: & Magna, quæ cum otio confunditur. Est autem Otium talis, ac tanta Corporis, & Vitæ tranquillitas, cum omnimoda Motus vacatione, ut si paucas quasdam operationes demas, ad Mortem referri possit, cùm Vita nostra in operationibus consistat: otiosi autem non solùm ab immoderatis, & mediocribus sed etiam à consuetis, & levibus exercitationibus desistunt.

Etsi autem ità inter se differant Motus, Exercitium, & Labor, consuevere nihilominùs Medici Vetustiores, illos confundere; Sic Hippocrates *epidem. 6. sect. 6.* Exercitium, & Laborem pro eadem re usurpat, cum inquit: *Labor, Cibus, Somnus, Venus, omnia mediocria*: ubi pro Labore Exercitium intelligit. Et eodem *6. epidem. sect. 4. Labor*, inquit, *Cibum præcedat*. Et *2. aphorism. 8. ubi fames*, ait, *laborandum non est*; ideſt, non exercendum. Galenus quoque *5. de san. tuend. cap. 11.* & *1. ejusdem operis cap. 8.* confundit Motum cum Exercitio, dicens, dari triplicem speciem Exercitii: nam, *vel movemur à Nobis ipsis, vel ab Aliis, vel à Medicamentis*. Sed & sæpiùs referuntur veluti inter se plurimum differentia, ac distincta; quemadmodùm ex eodem Galeno *2. de san. tuend. cap. 2.* ubi per mutationem anhelitus distingui dicitur Exercitium à Motu. Idem etiam *3. Artis Medic. t. 12. in exercitiis*, inquit, *cùm primò cœperit lassari Corpus, quiescendum*: lassitudo autem laborem sequitur; quod idem docuerat Hippocrates *2. aphorism. 48.* inquiens, *In omni Corporis motu, ubi laborare cœperit, quies statim lassitudinem aufert*. Ubi verbum *laborare*, non sonat *exerceri*: falsum enim est, quòd inter initia exercitiorum lassitudo accidat, & quiescendum sit. Quare Exercitium rigorosè à Labore distinguitur, quia Labor lassitudinem affert; secùs verò Exercitium; necesse autem non est, ut semper in exercitiis sudor habeatur, cùm aliquibus saltem non sit ità facilis; unde in his satis erit, per lassitudinem, & anhelitus difficultatem, Exercitium à Labore discriminare. Hinc sudor, lassitudo, & respirandi difficultas non simùl omnibus præcipienda, sed pro Corporum ratione varia.

Prætereà ex Galeno *cit. 2. de san. tuend. cap. 8.* Duplex Exercitium distinguitur: Syncerum unum, Operosum alterum. Syncerum dicitur, quod nullum opus ad extrà relinquit, cujusmodi est Cursus, Lucta, Digladiatio, Ludus parvæ pilæ &c. Operosum verò, quod post se opus aliquod relinquit, ut Fossio, Fabricatio, Piscatio, Venatio. Alia insuper Exercitiorum genera, velocem Corporis motum exigunt, non tamen vehementem laborem, aut grande robur, veluti est ludus parvæ pilæ. Alia ex adverso, vehementem laborem exquirunt, & robur validum; nullam tamen in operando velocitatem; ut est Fossio, ponderum Elevatio. Alia demum utrumque comprehendunt, ut Remigatio. Inter hæc autem, prætulit idem Galenus Ludum parvæ pilæ *libro*, quem de eodem inscripsit, *cap. 2.*, quoniam omnia membra indifferenter exercet, neque multum virium dispendium affert, cùm grande robur non exigat.

Verùm & in his advertere juvat, quod idem Galenus *cit. loc.*, & Avicenna *fen. 3. p. doctr. 2. cap. 2* de accidentalibus quibusdam exercitiorum differentiis docuerunt, illas scilicet desumi posse vel à Movente, vel à Mobili, vel à Tempore, vel à Spatio, vel à Loco. A Movente, vel valido,

vel imbecilli, desumuntur vehementes, & debiles exercitationes: Vehementes ut Fossio, Lucta, Digladiatio, Saltatio, in quibus validissimæ vires requiruntur: Debiles, ut Ludus palmariæ pilæ, Disci jactus, levis Chorea, in quibus tam validæ vires non expostulantur, licèt citatior agitatio exquiratur. A Mobili, aliud Exercitium est totius Corporis, aliud alicujus tantùm partis: ad primum revocatur Ludus parvæ pilæ: ad secundum, Vociferatio Scriptio, Rotæ circumvolutio. Rursùs vel Mobile à seipso movetur, ut in prædictis exercitationibus; vel ab alio, ut in Lectica, in Sella, in Rheda, in Navi. A spatio desumuntur Exercitationes breves, vel longæ. A Tempore, celer, & tarda, diurna, nocturna, matutina, vespertina. A Loco demum, si hic est publicus, Exercitium ibidem peractum, dicitur Gymnasticum; si privatus aut est acclivis, vel declivis, planus, vel asper, ad solem, vel ad umbram. Qui autem plura de his scire satagit, adeat eruditissimum Mercurialem *in sua Arte Gymnastica.*

Quantam autem diligentiam Veteres in ejusmodi Exercitiorum generibus adhiberent, mirum sanè est; quandoquidem, ut refert idem Galenus *cit. lib. de san. tuend.*, antequã ad exercitia accingerentur, primùm Corpora lavabant, atque à sordibus detergebant; mox oleis, & non raro odoriferis, inungebant; deinde alvum exonerabant, atque etiam, si fortassis oporteret, usu clysterium: postmodùm exercebantur ad sudorem usque; postremò quam optimè, sudorem, & recrementa cutis abstergebant, & sedato Corpore ad mensas accumbebant. Neque hæc perperàm quis putet acta, sed summo planè judicio: quippe Cutis primùm lota, atque à sordibus detersa transpirationi promptior evadit, quæ viventibus cunctis summoperè necessaria est. Ne verò deinde exaresceret ab exercitiis, consultò inungebatur. Alvi posteà exoneratio perutilis omninò erat, ne propter exercitia obdurescerent excrementa, aut diutiùs detenta dolores excitarent, & ægritudines parerent: Exercitia autem ad sudorem usque producta, omnia prorsus Corporis inquinamenta depellebant, cùm omnibus constet majora emolumenta nobis accidere perspiratione, & sudore, quàm quacumque alia evacuatione: graviora etenim mala nobis eveniunt ab excrementis in glandulis præcipuè cumulatis, atque ab impedita transpiratione. Denique sudoris detersio omninò necessaria erat: siquidem sudor detentus in habitu Corporis refrigescit, & fluxiones, febresque parit. Ad hæc omnia cibus postremò, & quies consequebantur; quoniam ad instauranda membra, per laborem defatigata, alimento, & quiete opus erat.

Quæ commoda, atque incommoda, Motus, & Quies afferant.

MUlta præstat commoda Motus, multa Quies; ut propterea non omnibus indiscriminatim; aut hæc, aut ille prescribendus, vel interdicendus. Et quidem simplex Motus sanguinem ab excrementosis humoribus, aut halitibus repurgat, extenuando quæ crassa sunt, difflando verò, quæ tenuia: coctionem, distributionemque alimentorum adjuvat: obstructioni opitulatur, reserando meatus, & incidendo crassos, tenacesque succos: putredini, ac corruptioni resistit, nam ab otio, & quiete immoderata stagnantes humores facillimè corruptioni subjiciuntur: viscera quoque, & articulos confirmat; unde fortiores fieri eos experimur, qui assiduis exercitationibus sunt addicti: quin & podagrici, postquàm tenuiores, molestioresque humores fuerint resoluti, maximam à motu utilitatem nanciscuntur. At verò,

verò immoderatus, atque importunus in multis nocere potest; præsertim verò, coctionem ciborum sollicitando, illam non perficit, sed turbat; simulque cum excrementis portionem chylosam confundit; ut propterea infarctus viscerum afferat, sanguinem conspurcet, ac febrim excitet, præsertim si tempore æstivo, aut autumnali, sub sole fiat. Eadem de causa, nonnumquàm affert inflammationes, erysipelata, dolores potissimùm Articulorum; siquidem per exercitationem immoderatam nedum humores fluxiliores evadunt, sed etiam Artus ipsi delaxantur. Labor demùm, nonnisi in iis Corporibus proderit, quæ multis, crassisque succis abundant, ad eosdem attenuandos, & per sudorem digerendos. Cæterùm nocet natura debilioribus, quia vires atterit, corpus exiccat, & humores nimiùm concitando, febres, & inflammationes inferre potest.

Quies ex adverso, si moderata sit, vix oberit: etenim per eam, veluti alternatim habitam, digestio peragitur, ac promovetur: alimenta distribuuntur: egeruntur excrementa: nec fuliginum transpiratio retardatur: vires reficiuntur, sanguine exinde non inquinato: membra Corporis instaurantur, non delassantur: quamobrèm non immeritò cecinit Ovidius. 4. *Heroid.*

Quod caret alterna requie, durabile non est:
Hæc reparat vires, fessaque membra levat.

Contrà verò Otium inutile prorsùs est, immò nocuum; quandoquidem alimenti distributionem inhibet, meatus obstruit, excrementa constipat, caput vaporibus replet, Cor, & sanguinem crassis succis inquinat, totumque Corpus pinguedine, & lentis humoribus obruit; unde pigrum, decoloratumque illud efficit, segnemque animum reddit, & sensus omnes, tum internos, tum externos hebetat. Hinc idem Poeta: 1. *de Ponto,*

Cernis, ut ignavum corrumpant otia Corpus;
Ut capiant vitium, ni moveantur Aquæ?

Etenim ut benè Lucretius:

Semper in assiduo motu Res quæque geruntur. (a)

Solùm autem ad vulnera consolidanda, & fracturas ossium glutinandas conducibile est, cùm ista motum non admittant, ne scilicet fasciæ, ligaturæ, laquei, dimoveantur, & medicamenta agglutinantia à sua sede removeantur; quin & partes ipsæ uniri commodiùs possint per quietem. Cæterùm in reliquis omnibus omninò vitandum. Quòd si Animi quoque Otium adjungatur, profectò malorum omnium origo fiet. Hinc idem Ovidius *de Remedio Amoris*, admonuit, illud esse omninò fugiendum, cùm cecinit;

Otia si tollas, periere Cupidinis Arcus,
Da vacuæ menti, quo teneatur, opus.
Quæritur Ægisthus quarè sit factus adulter;
In promptu causa est, desidiosus erat.

Atque ante ipsum Hippocrates scripsit *lib.* 2. *de Diæta*, Corpus, & Animum hebetare: nam, ut ex eodem 2. *Aphorism.* 51. omne nimium, periculosum est, & Naturæ inimicum. Perperàm ergo voluere Asclepiades, & Erasistratus, (*b*) Quietem ad sanitatem tuendam plurimùm conferre, referente Galeno 1. *de san. tuend. cap.* 8.; si præsertim isti de extrema Quiete, seù Otio, sermonem habuerint; quippe experimur Homines in carceribus detentos; Pisces

(a) *lib.* 1. *de Rer. Nat.*
(b) *Fortè isti de Quiete, & Tranquillitate Animi intellexerunt: Nam* Tranquillitas Animi hæc est vita Hominis. *Eccles.*

sces in piscinis clausus; & Aves in Aviariis coercitas, minùs salubriter vivere: immò Aerem ipsum, & Aquam, in corruptionem abire, si diù immota maneant, & restagnent. Contrà verò carnes defatigatas, vividiores, salubrioresque evadere.

Rectè itaque docet Galenus 1. *de san. tuend. cap.* 3. duobus humanam vitam egere, *deperditi* scilicet *instauratione*, & *excrementorum resolutione*; quorum primum præstat Quies, secundum Exercitatio. Atqui non immeritò Aristoteles 1. *Cœli*, & 2. *Meteororum*, dixit, si Cœlorum motus desineret, Mundum planè universum fore corruturum: Et Nos alibi latè monstravimus Vitam nostram, & cujusvis Animalis in motu, atque exercitio operationum, consistere; quin & in Plantis ipsis, quæ videntur motu carere, nuperrimè M. Malpighius, succi nutritii circuitum perennem quoque detexit, qui si fortasse interrumpatur, statim intereunt.

De Recta Motus, & Quietis Administratione.

QUandoquidem ad vitam sustinendam modò Motus, modò Quies necessaria est, videndum hìc propterea, quibus, & quandò Motus, aut ex adverso Quies conveniat.

Et quidem primò de Operationibus Naturalibus dubitari ante omnia solet, num Ciborum confectioni, ac distributioni conferentior sit Motus, an Quies.

Pro utraque parte sunt, qui pugnent. Galenus enim *lib. de cibis boni, & mali succi cap.* 2. Quietem potiùs commendare videtur; unde 7. *meth. cap.* 12. docuit, lautiorem esse debere Cœnam Prandio; quia post cœnam somnus, & quies, post prandium ferè semper Motus sequitur: at verò melius, subdit, peragi coctionem quiete, & somno, quàm motu, & exercitio: & rationem assignat, quoniam calor, coctionis opifex, per motum dissolvitur, ac forinsecùs distrahitur; colligitur verò, & ad interiora revocatur, quiete. Contrarium verò tuetur Joubertus *lib.* 1. *Paradoxor. cap.* 7. pluribus contendens, prodesse magis motum ad coctionem perficiendam, quia per motum calor acuitur, humores attenuantur, & cibus citiùs ad intestina delabitur; quamobrèm fieri inquit, ut laboriosi homines pluries in die cibum sumere cogantur, quia citiùs, meliusque cibos digerunt, & conficiunt.

Verùm ad litem hanc conciliandam ipse putaverim, distinctione procedendum: Vel enim de coctione in Ventriculo sermo fit, quæ dissolutio est, & Chylosis dicitur; vel de chyli jam confecti repurgatione, atque ab inutilibus partibus secretione, quæ in intestinis tenuibus peragitur, & distributione perficitur. Si de prima sermo fiat, certè conferet magis Quies; si de secunda, potiùs Motus. In prima enim succi Ventriculi dissolventes, digestivi dicti, per quietem minimè distrahuntur, aut evanescunt, quoniam hi, cùm per arterias in Ventriculi glandulas extillent, & beneficio succi nervei volatilioris foveantur, si fortasse per motum sanguis extenuetur, ac exolvatur, & volatilis illa substantia evanescat, aut langueat, pauciores, inertioresque communicabuntur; quiete verò abundantiores confluent, à sanguine vegetiori suggesti. Accedit, quòd per motum, septum transversum in respiratione cum adjunctis musculis abdominis citatur, adeoque intempestivè nimis, cibum nondùm benè in Ventriculo confectum, ad intestina protrudit. Contrà verò, si sermo sit de distributione, conferentior motus erit; nam hæc peragitur in Intestino tenui, per separationem inutilium partium ab utilibus,

quæ deinde in venas lacteas inseri debent: modò plurimùm ad hoc conducit Motus, qui faciliorem reddit ejusceemodi intromissionem. Adde, quòd per motum viæ reserantur, attenuantur humores, & dissolutio illa, quæ ex mistura succi pancreatici, & fellei in intestinis tenuibus fit, citiùs promovetur. Verùm hæc in Corporibus sanis intelligenda, & semota quacumque consuetudine; nam in morbosis, fortasse aliter disponenda res foret; sicut pariter in consuetis ab assumpto cibo statim exerceri: idque potissimum, si de exercitio propriè dicto, non verò de labore intelligatur: hic enim indifferenter omnia consumit, & utiles simùl, ac inutiles partes extenuat, ac dissipat. (a)

Dubitari secundò potest, quibus Corporibus, Habitibus, atque Ætatibus, conducibilior sit exercitatio, vel quies.

Et dicendum, quòd loquendo de omnimoda quiete, seù Otio; nulli certè aut Corpori, aut ætati proderit, nisi solùm in quibusdam casibus, & ægritudinibus, de quibus suprà. Unde benè Galenus 5. *de san. tuend. cap.* 11. dixit: *nullus unquàm ex omnimoda desidia benè se habuit.* Solùm ergò difficultas erit de Motu, & Exercitatione majori, vel minori; quibus scilicet magis conveniat exerceri, quibus minùs. Et quidem maximè omnium primi, Senes essent exercendi, quia cùm finis exercitationis sit alimentorum distributio, & excrementorum resolutio, procul dubio senes potiùs, quàm juvenes, excrementis abundantes, & carnes, ac vias constipatas, porosque adstrictos habentes, motu, atque exercitatione indigerent. Verùm quia ad Motum exercendum virium robur exquiritur, & membrorum firmitudo, quæ Senili ætati deest, exercitatio nequit illis imperari. Quamobrem Galenus 5. *de san. tuenda cap.* 3. Senibus, paulò robustioribus tantùm, modicum præcipit exercitium ad reficiendas vires; more quo lévis flammula modica agitatione vivíscit. Præterea licèt Juvenes, ob virium robur, maximum exercitium sufferre possint, non tamen omnibus indiscriminatim illud permittendum: laxós namque poros habentes, facilèque sudantes, macilenti, picrocholi, destillationibus obnoxii, ne per exercitia magis extenuentur, & in tabem incidant, motu immodico abstinere debent. Hinc his Hippocrates *epidem.* 6. *sect.* 4 *t.* 15. quietem potiùs, & refrigerantem potum commendat, ut scilicèt acris illorum Sanguis temperetur, & humores consistentiores fiant. Excluduntur pariter, qui ex hæreditaria contagione obnoxii creduntur Podagræ, Ulceribus, Erysipelati, aliisque similibus ægritudinibus, eo quòd per motum facilè humores attenuarentur, & ad debiles, affectasque partes, confluerent. Cæterùm obesis, succiplenis, phlegmaticis, serosa colluvie scatentibus, obstructis, conferentior motus erit; quippe qui per sudorem tantam humorum copiam minuere potest. Pueri denique, utpote molles carnes, facilèque difflabiles habentes, non sunt admodùm exercendi, ne immoderata exsolutione absumantur, & internam consumptionem subeant; & sicut ex Hippocrate 1. *aphorismor.* inediam isti ferre non possunt, ità nimia exercitatione nullatenùs extenuentur. Attamen, qui humidiores observantur, & obstructionibus, aut cruditatibus obnoxii sunt, præcæteris exerceantur. Hinc quibus calculosa dispositio imminet in Vesica, motus commendatur, documento Hippocratis *lib. de Aere, Aquis, & locis*, ne scilicet crassi, tenacesque succi in vesicam decumbant; sed potiùs per sudorem, vel per alios ductus Corporis, resolvantur.

Du-

(a) *Confer. comm. nostrum super* 1. *lib. aphor.*

Dubitari tertiò poteſt, quo tempore magis conferat Exercitium. Et ſane communi voto fatentur Medici, ſalubriora eſſe exercitia matutina; Unde Hippocrates 6. *epidem. ſect.* 4. dixit *laborem, cibum præcedere debere*, & 3. *de diæta* clariùs expreſſit, *à Cœna deambulandum non eſſe, ſed ſolùm ſurgendum, aut ſtandum; manè verò deambulationibus utendum*. Quod idem cofirmat Galenus 5. *de ſan. tuend. cap.* 11. Equidem Cibus per nocturnum ſomnum digeſtus, meliùs matutino exercitio diſtribuitur, & excrementa tum alvi, tum reliquorum viſcerum, promptiùs deponuntur, & evacuantur: Accedit, quòd Corpora ventre plena ſi exercerentur, facilè obſtructiones incurrerent, intromiſſis nimirùm chyli portionibus, nondum benè repurgatis, in vaſa chylifera. Verùm in his, ſicut in cæteris, plurimùm valet Conſuetudo, ſecundùm quam unuſquiſque exercitii tempus, & modum, in ſeipſo determinabit. (a)

Idipſum profectò dicendum de Exercitii qualitate, ac duratione. Plerique enim ſunt, qui niſi diutiùs, & vehementiùs exerceantur, non benè valent: Alii contrà, ſi parumpèr excedant, in morbos incidunt. Verùm tamen ſemper conferet, intrà limites mediocritatis ſe continere; etenim Hippocrates, *Laborem, Cibum, Somnum, Venerem, mediocria eſſe debere*, ſcripſit: & Galenus, *cùm primùm laſſari Corpus cœperit, quieſcere oportere*. Reſpiciendum autem perpetuò ad vires eſt, & pro illarum ratione, vel plùs, vel minùs exercitia præſcribenda erunt; ubi enim illæ tulerint, diutiùs, cùm verò ferendo non ſunt, parciùs, leviuſque exercendum.

(a) *V. etiam Celſ. l.* 1. *c.* 2. 3.

De Somno, & Vigilia.

QUid Somnus, quid Vigilia ſit, nec adhuc benè conſtat apud Authores. Ariſtoteles enim *libro de Somno, & Vigilia cap.* 1. *Vinculum*, illum appellat, *primi Senſiterii*, quod ex ejuſdem mente, Cor, eſt. Et *cap.* 4. *ejuſdem libri*, *Conventum eſſe Caloris*, ait, *ad intima*. Galenus verò, pluribus in locis, ſed præſertim 2. *de ſymptomatum cauſis cap. ult.*, & 2. *aphoriſm. comm.* 3., *Cerebri refrigerationem* definit: & *lib.* 2. *de ſymptom. cauſis*, *Animalium facultatum Quietem* nuncupat; unde viſum eſt pleriſque, *Temporaneam operum animalium feriationem*, illum ex eodem, deſcribere. Sed & Homerus Somnum appellavit *Animarum requietem*, quemadmodùm refert idem Ariſtoteles *cit. lib. de Somno, & Vigilia*. At verò Argenterius *lib.* 1., *de Somno, & Vigilia cap.* 12. maluit per privationem eundem definire, cùm dixit, aliud non eſſe, niſi, *ipſum non ſentire*, ad differentiam Vigiliæ, quam *ipſum ſentire*, definivit. Sed longum nimis eſſet per ſingulas tum Veterum, tum Recentiorum ſententias divagari; quamobrèm ſatis Nobis erit, id cunctis acceptum profiteri, Somnum eſſe, *Statum illum Corporis Viventis, in quo ſenſus omnes ſopiti, ac quodammodò ligati, manent*. Vigiliam verò ex adverſo, *cùm illi ſoluti, atque in exercitio ſunt poſiti*. Unde autem id accidat, latè in noſtra Theoretice ſumus proſequuti, cùm ex variis, diverſiſque cauſis fieri poſſit, ut illi ſoporentur, aut contra diſſolvantur, quas hìc proinde conſultò omittimus, eo quòd potiùs ad Phyſiologiam pertineant. Non eſt tamen prætereundum, quòd à cauſarum varietate, atque ab affectione diverſa Cerebro illata, evenit, ut Somnus

modò Naturalis, modò Morbosus evadat; ille quidem temporaneus, & conferens; hìc verò multum protractus, & nocens; unde postmodùm multæ emergunt differentiæ, ut alius somnus sit longus, alius brevis, alius profundus, alius levis; itemque vel continuatus, vel interruptus, turbulentus, vel tranquillus, cum somniis, vel absque, & sic de cæteris. Verùm quæ magis ad partem Medicinæ practicam facere videntur, hìc examinemus.

Quænam sint commoda, atque incommoda Somni, & Vigiliæ.

QUamvis Somnus, & Vigilia, sibi vicissim succedentia, ad vitæ sustentationem perutilia sint, immò etiam necessaria; si tamen immoderata fuerint, & importuna, omninò nocent. Quare Hippocrates 2. *aphor.* 3. inquit: *Somnus, & Vigilia, utraque modum excedentia, malum.* Et *textu* 4. subdit: *Nec satietas, nec fames, nec quidquam eorum, quæ Naturæ modum excesserint, bonum.* Itaque moderata esse debent: hac enim dumtaxàt ratione summopere conferunt; Et quidem moderatus somnus animum recreat, & viscera humectat defatigata, ac lassa restaurat, spiritus reficit, coctionem adjuvat, fluxiones prohibet, dolores sedat, acres humores temperat, tenues, ac mobiles compescit. Vigilia verò moderata, vitalem calorem acuit, sanguinem crassum attenuat, excrementa promovet, alimenti distributionem, & fuliginum perspirationem faciliorem reddit. Contrà verò Somnus si fuerit immoderatus, præter Corporis, & Animi segnitiem, excrementorum evacuationem retardat, caput vaporibus opplet, sanguinis circuitum remoratur, sensus omnes, præsertim internos hebetat, & ea omnia mala parit, quæ Otium. Sed & immoderata Vigilia, spiritus, & sanguinem extenuat, vires dissipat, & totius Corporis languorem inducit, unde etiam mala graviora, febres, Animi defectiones, virium languores, & similia, exoriri possunt.

Quo tempore Somnus sit congruentior.

SEclusa quàcumque consuetudine, connaturalius, atque opportunius dormiendi tempus est nocturnum: suo enim silentio Nox blandè admodùm somnum allicit, & conciliat, atque ob Solis absentiam, cùm minus sensus ab externo lumine distrahantur, faciliùs planè consopiuntur: quamobrèm summa ratione ejuscemodi tempus videtur à Natura comparatum, pro animalium quiete, ut per diem defatigata, ac labefactata ob vigiliam, & exercitia, nocturno somno, reficerentur. Dictum est, seclusa quacumque consuetudine; nam si fortasse aliis temporibus usus dormiendi sit inductus, procul dubio consueto tempore dormiendum; documento etiam Hippocratis 2. *pronost.* 11. unde qui noctes insomnes ducunt, lucubrationibus, aliisque operibus addicti, & vel matutino, vel meridiano tempore consuetudinem dormiendi nacti sunt, consuetum tempus servare poterunt: Consuetudo etenim altera Natura dicitur. Vitandus autem erit somnus meridianus ab iis, qui Capitis affectionibus sunt obnoxii, nam per somnum meridianum Cerebrum graviter afficitur, & vaporibus oppletur, eoque magis si inconsuetus ille sit, uti rectè etiam monet Avicenna 3. *p. doctr.* 2. *cap.* 9. Atque hinc Schola Salernitana cecinit.

Sit brevis, aut nullus tibi somnus meridianus:
Febris, pigrities, Capitis dolor, atque Catarrhus;
Hæc tibi proveniunt ex somno meridiano.

Solet etiam somnus vespertinus Cerebrum gravare, ut & quicumq; alius indebitus, & insuetus, veluti inductus ab aliis, quàm à vaporibus cibi assumpti. Excipiuntur autem somni lassitudinem, & defatigationem insequentes; hi quippe lassitudinem auferendo, & consumptas vires instaurando, quocumque tempore prosunt.

Sed quot horas dormire liceat, adhuc dubitari solet. Et quamvis plerique sint, qui velint sex, aut septem horarum spatium satis esse somno indulgere; nihilominùs in hoc, sicut in reliquis, certa meta præscribi nequit; cùm non eadem sit singulorum hominum Natura, & Constitutio: etenim nonnulli longiori, alii breviori somno opus habent, pro varia Corporum habitudine, usu, exercitiis, cibis, & potibus assumptis, aliisque. Respiciendum quoque est ad Anni tempora, ætates, & Hominum status: nam longiores Hyeme, & Vere exiguntur; Æstate, & Autumno breviores. Pueri diuturniori somno egent, breviori Senes. Exercitatam, & laboriosam vitam ducentes, longiorem; breviorem, otiosi expostulant. Idipsum de Obesis, & Gracilibus dicendum est; siquidem diutiùs hi, parciùs illi dormire debent.

Quinam sit melior, ac salubrior dormiendi modus.

PUtat Avicenna *lib.* 1. *fen.* 3. *doctr.* 2. *cap.* 9., inter initia somni prodesse, in dextrum latus decumbere, quia ex tali decubitu Ventriculus ab Hepate magis fovetur, & in chylificatione adjuvatur, quæ ope caloris ab eodem peragi creditur; quin & ex hoc decubitu Cor minus affici, & molestari existimatur. At utrumque non tanti est, ut dormire in sinistrum latus aliis salutare non sit: etenim chylificatio perfectiùs absolvi poterit in fundo Ventriculi carnosiori, atque in sinistrum latus inclinante, ubi à superincumbente Jecore, (si fortasse confectioni ciborum conferat,) magis illa promovebitur. Neque exinde timendum de Corde, quod suis interseptum involucris, atque interjecto Diaphragmate, minimè turbari, aut affici potest, cibo intra ventriculum concluso; dummodò tamen moderatus ille sit; nam si immoderatus, à quocumque decubitu is oberit. Accedit, quòd Decubitus, primo somno, ad dextrum latus, nocet Pyloro, qui Rector chylificationis dicitur Helmontio; & in sinistrum factus, quia à confluentiori succo, seù fermento Ventriculi digestivo citiùs illa promovetur, non leviter proderit. Quare non magis in unam, quàm in alteram partem decumbere posse rationi consentaneum videtur. Verùm tamen in hoc consuetudini quoque standum esse, meliùs semper existimaverim: ut quemadmodùm unusquisque decumbere consuevit, somnum capiat; dummodo ægritudo aliqua nil obstet, per quam necesse sit commodiorem situm sibi deligere. Sic Hypochondriaci, splenetici, palpitationi cordis obnoxii, aliique non facilè sufferunt lateris sinistri decubitum, alii ex adverso pro ratione: ut in Pleuriticis, Empyicis, Hepaticis experimur. Porrò in sanis valdè conferet, situm interjectis vicibus mutare, ut primo somno decumbentes in dextrum, experrecti volvantur in sinistrum, & vice versa: hac enim ratione cibus in ventriculo meliùs conficitur, & portiones ejusdem dissolutæ faci-

faciliùs per pylorum deducuntur in intestina. Vitandus autem omninò decubitus supinus, veluti infensus Respirationi, & nocuus Diaphragmati, unde insomnia mala, Cordis oppressiones, Incubi, & suffocationis pericula. Proni etiam decubitus mali sunt à superincumbente spina, totoque Corpore, supra Thoracem, non sine vitæ periculo. Permittuntur autem in stomacho debilibus, in doloribus Ventris, & Intestinorum, exigente non rarò, idipsum Natura, qua plerumque patientes ipsi in pronum si tum decumbere compelluntur, ut levamen aliquod nanciscantur.

De ægrotantium decubitu.

ACcuratissimus Hippocrates, sicut ex omnibus accidentibus, quæ ægrotantibus eveniunt, indicia, vel bona, vel mala exactissimè deduxit, & posteris mandavit; ità ex eorumdem decubitu plurima recollegit, planè ad praxim Medicam summoperè conferentia; unde solers Medicus conjicere possit salutarem, vel exitiosum eorumdem eventum. Is equidem 1. *pronostic.* hæc de decubitu ægrotantium protulit. Conveniens, & salutaris Decubitus in ægris, talis esse debet, qualis in statu sano consuevit, scilicèt ut cubet ægrotus vel in dextrum, vel in sinistrum latus, cervice, manibus, & cruribus parùm inflexis. Mali enim sunt decubitus supini, manibus, cruribusque diductis, atque extensis: Pejores, si proclivis ille jaceat, aut è lecto delabatur in pedes; qui si prætereà nudi inveniantur, & pannis minimè contecti, nec calentes, sed potiùs tepentes, aut frigefacti, vel etiam ad lividum colorem vergentes, adhuc graviores, pravæque ægritudinis indicia erunt, atque eo magis, si manus simùl una consentiant, & cervix inæqualiter dispersa, ac distracta collabascat. Tales enim decubitus internam viscerum agitationem designant, adeoque inflammationem, vel præsentem, vel imminentem. Non rarò etiam delirium prænunciant, & hærentis alicubi Sanguinis notæ sunt, extremamque virium labefactionem, à vitiata ejusdem diathesi, significant. Lethale etiam signum esse solet, hianti ore ægrum dormire: maximam enim in organis respirationis læsionem portendit, sicut pariter gravem Cerebri, & Nervorum affectionem, si incommissis palpebris dormiat, & labia inæqualitèr dimoveat. Cubare insuper in Ventrem, reductis cruribus, dolorem viscerum naturalium significat, modò decubitus hic consuetus non fuerit tempore salutis. Velle prætereà in acuto morbo ægrotantem assiduò residere, malum est; & longè pejus in affectibus Pectoris, ac Pulmonis: quod sæpissimè observamus in Peripneumoniacis. Denique jactare crura, velle è lecto surgere, integumenta removere, se nudare, fascias solvere, festucas colligere, floccos evellere, aliudve simile insolitum, & inconveniens peragere, internæ inflammationis, & delirii argumenta sunt.

Quibus in morbis somnus, & in quibus vigilia conveniat.

NUlli dubium quòd in omnibus soporiferis affectibus, Lethargo, Caro, Comate, Apoplexia, Somnus obsit, adeòque illum permittere calamitosum: quin potiùs omnino incumbendum, adhuc medicamentis dolorem inferentibus, vigiliam excitare. Contrà verò in Delirio, Pervigilio, aliisque similibus, omni industria Somnus est conciliandus. Similiter in internis Inflammationibus somnus prohibeatur ex Hippocrate 6. *epi-*

epidem sect. 5., Sicut etiam in febribus sudorosis, quas Græci Helodes, & Typhodes appellant, vitandus est; itemque inter initia omnium accessionum febrilium. Contrà verò commendabilis in ægritudinibus ex cruditate progenitis, pariterque ex fluxionibus, catarrhis, cæterisque cum dolore, & destillatione conjunctis, vel in quibus sudor exoptatur, aut virium refectio.

Verùm in Paroxysmis febrium subdubitare contingit, quo tempore minus periculosum sit, dormire. Et sanè ingruente accessione dormiendum penitùs non est, pari ratione, ac de usu Cibi scripsit Hippocrates 1. *aphorism.* 11. ne Natura à Causa morbifica magis opprimatur. Sed neque in augmento ejusdem, ne febris protrahatur, aut deterior fiat, motu Cordis per somnum tardiori reddito, qui tunc amplior fieri debet. Vitandus quoq; est in Statu, in quo multoties criticæ evacuationes evenire solent, ne fortassis impediantur, aut retardentur. Excipitur autem Sudor, qui à sommo faciliùs promovetur: Hinc Medici communiter in Praxi universam præcipiunt accessionem absque somno esse transigendam, immò etiam si fieri possit, transacta declinatione, dummodò tamen febris de genere intermittentium sit, & intervallum aliquod inter unam, & alteram accessionem admittat; sin secùs, tutior somnus erit in ipsa declinatione, antequàm novus ingruat paroxysmus. Cæterùm in aliis febribus procedendum, quo pacto superiùs, de cibi exhibitione, dictum est.

An liceat, post assumptum pharmacum catharticum dormire.

VUlgò hactenùs putatum, nullimodè dormiendum esse post assumptum catharticum, ne per somnum impediatur evacuatio, quæ ab assumpto Pharmaco exquiritur; quippe somnus evacuationes omnes vel detinet, vel retardat, excepto sudore. Addunt Hippocratis authoritatem, qui 4. *aphorism. t.* 14. & 15. consulit, post assumptum helleborum ad motiones magis ducendum esse Corpus, si major evacuatio exoptetur: somnum verò esse conciliandum, quotiescumque sistere convenit. Verùm distinguenda sunt tempora pro hujus Quæsiti resolutione. Vel enim Sermo est, de tempore immediatè post assumptum pharmacum, & planè non solùm licebit, sed summopere conferet dormire, potissimum si medicamentum fuerit assumptum sub forma pilulari: tunc enim per somnum meliùs illud in Ventriculo dissolvetur, seù, ut ipsi dicunt, actuabitur, pro citiori, & efficaciori Ventris solutione. Postquàm verò fuerit dissolutum, & actuatum, à somno erit penitùs abstinendum, ne evacuatio impediatur. In praxi siquidem experimur, ab assumptis catapotiis, seù pilulis, posse etiam ad horas somnum protrahi, ut solida illarum forma diluatur, & in intestina vis cathartica earumdem delabatur, ubi nimirùm Evacuatio ex confluxu succorum fellei, & pancreatici, promovetur. In aliis verò Medicinis potabilibus ad horam circiter dumtaxat somnum permittere licebit, ob faciliorem eorumdem dissolutionem; dummodò desit periculum gravaminis capitis, aut vomendi metus. Quòd si purgans Medicamentum ejus sit generis,

quod simul cum cibo exhiberi solet, tunc longè magis permittendus somnus erit: qua ratione compertum pluriès est, plerosque commodè medicinas solutivas retinuisse, quas cæteroqui paulo post evomere consueverant. Atqui in hoc peculiaris cujusque habitudo attendenda semper est, sicut & consuetudo, ac usus uniuscujusque Corporis.

Sed an hæc eadem militare possint in Medicamentis Vomitoriis? Equidem in his dispar est ratio: Nam Cathartica Dejectoria vires suas non exserunt, nisi postquàm intestina gracilia subierint, & ex mistura cum succis pancreatico, & felleo, molestam, irritantemque motionem intestinis attulerint, qua quicquid in se continent, quæque in adjunctis partibus subsistunt, motu peristaltico propellunt. At verò Vomitoria per Ventriculi solummodò subversionem, ac nauseam, operantur, quo fit, ut vix post semihoram, vel horam integram, vomitum cieant: quapropter Somnus in tam brevi spatio permitti non potest; quin imò si accideret, noceret, impedita vomitione, indeque excitata Cardialgia, vel Syncope: quamquàm à conditione varia ejusdem, vel vehementioris, vel levioris, gravius, vel mitius damnum esset adfuturum. De reliquo, in aliis Medicamentorum generibus, sive illa per sudorem ducant, sive per vias urinæ, somnus conferet; neque enim promptiùs, faciliùsque sudor prodit, quàm in dormientibus. Sputum denique, & Anacatharsis vigiliam exposcit; unde soporifera, & opiata, in excreationibus cum tussi potissimùm, nocua sunt, nisi solùm, ut acres, salsasque destillationes temperent, vel ut materiam extussiendam reddant concoctiorem; attamen hæc cum moderamine. Et de Somno, & Vigilia satis.

De Repletione, & Inanitione.

NOmine Inanitionis, & Repletionis, non hìc omnis Evacuatio, ac Repletio intelligenda est, sed ea dumtaxàt, quæ in statu sano præsertim fit, Excrementorum nimirum, aut Alimentorum, qua prorsus egemus; & eorum quidem, ut exoneremur, ne ab iisdem cumulatis opprimamur; istorum verò; vel ut vacuati repleamur, vel ut viribus destituti, reficiamur. Cùm enim Repletio, & Inanitio inter causas Nonnaturales communiter ex Galeno referantur, & istæ indifferentes sint ad juvandum, & ad nocendum; simulque necessariæ ad vitæ conservationem; profectò nomine Repletionis, Alimentorum illa intelligenda erit; & nomine Inanitionis, hæc, Excrementorum. Quæ verò in statu morboso egerenda sunt, quamvis ad evacuationis genus referantur, quia tamen non semper accidunt, neque illis perpetuò indigemus; proinde haudquaquàm ad causas Nonnaturales, sed ad Præternaturales, & Curativas revocantur.

Itàque de his solùm Inanitionibus, & Repletionibus sermo hìc agendus foret, quæ vitæ humanæ conservationem necessariò comitantur, vel consequuntur, ut illa incolumis, quoad fieri possit, perseveret: qua ratione erunt simul causæ omninò necessariæ, & indifferentes ad juvandum, & ad nocendum: nam sicut moderata, & opportuna repletione, reficimur, ac sustinemur; ita immoderata, & importuna gravamur, atque opprimimur, & non rarò etiam graviter ægrotamus. Quod idem ex adverso evenit ab Inanitione, etenim si egerantur, quæ convenienter egeri debent, uti sunt excrementa, passim cumulari solita, & ex diversis coctionibus, ac secretionibus emergentia, prosunt;

sunt; si verò detineantur, obsunt. Hæc autem non solum ex alvo, & ex viis urinæ; verùm etiam ex sputo, muco narium, sordibus aurium, sudore, transpiratione, aliisque deducenda sunt.

Verùm quamvis hìc Inanitio, ut dictum, intelligenda dumtaxàt sit Excrementorum, naturaliter contingentium, Evacuatio, quia nihilominus apud Medicos comprehendere quoque solet omnem, & quamcumque ab humano Corpore egestionem; propterea generaliter sumpta, describi solet, quod sit, *aut Alimentorum, aut Excrementorum, aut etiam partium solidarum, extrà Corpus eductio*. Et quidem, ut Inanitio propriè habeatur, necesse est, ut id, quod evacuatur, expellatur extrà Corpus; nam si non extrà Corpus expelleretur, sed ab uno solùm viscere in aliud transmitteretur, evacuari dici non posset: cujusmodi sunt Decubitus, & Abscessus humorum in articulos, vel in glandulas. Sed & insuper corpulentum esse debet, & humorale, quod ejicitur; unde mutationes in situ, alterationes, correctionesque, aliæque hujus generis motiones, minimè dicuntur evacuationes, cùm reverà nil educatur, sed solùm corrigitur, mutatur, accommodatur, vel emendatur. Præterea evacuantur non rarò Alimenta, putà cùm per vomitum cibi, & potus, vel corrupti, vel crudi, vel immutati ejiciuntur; aut etiam cùm in Lienteria, aut Cœliaca affectione alimenta egeruntur eo ferè modo, quo fuerunt ingesta. Ampliùs, sæpè etiam evacuantur excrementa, vel sponte Naturæ, vel ab assumpto pharmaco, ut cum faces subducuntur, vel putres, corruptique humores evacuantur. Denique non rarò partes ipsæ solidæ Corporis excernuntur, quemadmodùm contingit in ulceribus Pulmonum, Renum, Vesicæ, Intestinorum; itemque cùm in ossium fracturis Squamæ, aut cùm in vulneribus, & ulceribus, excrescentes carnes, aut fungosæ, vel etiam putrefactæ, atque ab aliis sejunctæ extrahuntur.

Attribuuntur Inanitioni complures differentiæ, quæ desumuntur à principio Inaniente, & Evacuante, à Modo Evacuationis, ab Eventu, à Virtute Evacuantium, & à Loco. Hinc vel Evacuatio à Natura inchoatur, & ab eadem perficitur, & dicitur Naturalis; vel ope medicamentorum promovetur, & dicitur Artificialis. Et quamvis universæ evacuationes à Natura sint, & ope ejusdem absolvantur; nihilominùs, quas sola Natura inchoat, & perficit, Naturales propriè dicuntur; Artificiales verò, quæ auxilio medicamentorum; & Medici ministerio, provocantur.

Ab Evacuationis Modo, vel Sensibilis, vel Insensibilis appellatur. Sensibilis, in qua quod excernitur sensibus patet, ut Sudor, Vomitus, Sputum. Insensibilis, in qua quod excernitur sensum nostrum effugit, ut in Resolutione Tumorum, perspiratione Cutis, aliisque crisibus, per quas Morbi, & causæ morbificæ desinunt, absque ulla manifesta evacuatione.

Ab eventu, alia completa est, alia incompleta. Completa, cùm totus humor morbum faciens educitur; quod ex conferentia, & tolerantia, dijudicandum monuit Hippocrates 1. *aphorism.* 2. Incompleta, cùm non totus: id quod conjicere solemus ex perseverantia Morbi, & symptomatum adjunctorum, aut ex Recidivis. Ad hanc classem imperfectarum Evacuationum reducuntur Translationes, Depositiones, & Decubitus humorum; siquidem per ejusmodi translationes, non rarò solet morbus præcedens mitescere, sed deinde vel regredi, vel in alium commutari. Sed & in his notare decet, num à parte nobili ad ignobilem, vel vice versa Decubitus fiat: primi generis propriè dicitur Abscessus, & Decubitus: secundi gene-

generis dicitur Raptus, & Irruptio. Hinc apud Græcos *Apostasis*, *Metastasis*, *Diadoche*. Si autem translati humores in partibus ignobilibus consederint, & persistant, salutare: ad partes nobiles verò delati, lethale. Quare, ut abscessus salutares sint, non solùm universum peccantem humorem transpositum necesse est, ut referant; verùm etiam à parte nobili remotissimum, atque in partibus ignobilibus, & capacibus, persistentem, itemque coctioni, suppurationique obtemperantem; ut in Parotidibus, Bubonibus, Abscessibus sub axillis, cæterisque similibus, est experiri.

Ab Evacuantium insuper Virtute, alia Inanitio dicitur *Eradicativa*, alia *Minorativa*: per illam peccantes humores omninò eliminari solent; per hanc solummodò diminui. Ad hanc ultimam reducuntur Evacuationes illæ, inter initia morborum habitæ, quas Medici Symptomaticas appellant, bonas quidem in ratione Causæ, quæ diminuitur, malas verò in ratione Signi, quoniam significant multitudinem, aut pravitatem peccantium humorum. Inediæ etiam diuturnæ aliquo modo inanire dicuntur, ob novi alimenti defectum, & insensibilem precedentis subtractionem.

Postremò à Loco, alia Evacuatio dicitur Universalis, alia Particularis. Universalis, quæ totum Corpus indifferenter evacuat. Particularis, quæ detetminatas tantùm partes. Inter universales recensentur ex Galeno 2. *aphorism. comm.* 17. Sanguinis missio, & Purgatio, *& alibi*, etiam Sudor. Ad Particulares revocantur Anacatharsis ex pectore, Vomitus ex ventriculo. Sputum ex faucibus, &c.

Quod secundò pertinet ad Repletionem, illa opposito modo describitur, quòd sit, *Immissio alimentorum, vel excrementorum intra Corpus, præter Naturæ institutum*; vel ut placuit Galeno *lib. de plenitudine cap.* 11. *Copia humorum in universo Animalis corpore*: ubi sub nomine humorum, comprehenduntur tum alibiles, & utiles, tum excrementosi, & inutiles. At verò, ut hi plenitudinem faciant, præter Naturæ institutum intrà corpus colligi debent: nam conveniens alimentorum assumptio intrà ventriculum, debita quantitas sanguinis intra Venas, & Arterias, idque genus alia, plenitudinem non efficiunt. Itaque extrà modum, & ultrà Naturæ exigentiam immissa, aut cumulata, veram tantummodo Repletionem constituunt. Sed & Alimentorum, vel Excrementorum, aut Humorum excedens quantitas Repletionem reverà facit: nam si fortasse flatus, spiritus, vapores, aliudve non corpulentum, in vasis Corporis increbrescerent, et si amplificare, & inflare possent, plenitudinem tamen, ac repletionem neutiquàm inferrent.

Suas quoque Repletio differentias habet. Et quidem ratione materiei, alia dicitur humoralis, alia excrementosa: alia vera, quæ omnium: alia spuria, quæ unius tantùm humoris: alia universalis, quæ in toto Corpore, alia particularis, quæ in una tantùm parte: alia, quæ ad vasa dicitur, alia, quæ ad vires; quoniàm ex Galeno *cit. lib. de Plenitudine cap.* 3. & *aphorism.* 2. *comm.* 17. Repletio est quid Relativum, respiciens vel vasa, quæ humores continent, si fortasse plus justo repleantur; vel vires, quæ ipsorum copiam sustinere debent, si fortassis à plenitudine opprimantur, vel graventur: quamquàm nisi penitùs inter se invicem utramque hanc plenitudinem differre putet Ludovicus Mercatus *lib.* 2. *de Recto Præsidiorum usu, cap.* 4., quod etiam bona fide testatur Vvalæus *in sua Meth. Medend.* & nunquàm se observasse unam sine altera fateatur; sed & ipse vix alterutram hactenùs reperiisse affirmare ausim.

Traditur tamen Plenitudinis quoad vires indicium: Impotentia regendi Corpo-

ris pondus, absque ulla causa manifesta, & cùm nil penitus præcesserit, quod Corpus delassare potuerit; quemadmodùm deducitur ex Hippocrate 2. *aphor.* 5., ubi spontaneas lassitudines morbos prænunciare scripsit; unde Galenus *lib. de curandi ratione per sanguinis missionem cap.* 4. *cùm quis*, ait, *solita munera exercere nequit absque eo, quòd erratum aliquod commiserit, plenitudinem quoad vires, ex pravis humoribus, atque excrementis, Naturam opprimentibus, adesse significatur.* Hæc insuper Repletio, secundùm triplicem Corporis virtutem, Naturalem, Vitalem, & Animalem, triplex quoque dicitur, ex doctrina ejusdem Galeni *cit. lib. de Plenitudine*, & 9. *meth. cap.* 10. Interdum enim virtus Animalis gravatur, ut ex sensu ponderis, & pigritiæ in motu, atque operationibus Corporis. Aliquando virtus vitalis opprimitur, ut ex Pulsuum inæqualitate, & arteriarum compressione. Denique sola virtus naturalis gravatur, ut ex tarda excrementorum egestione, & naturalium operationum ad coctionem, & nutritionem pertinentium, tarditate.

Postremò Repletio, quòd ad Vasa, vel Plethorica, vel Cacochyma dicitur. Plethorica, in qua boni, & laudabiles humores superabundant, quemadmodùm de Athleticis meminit Hippocrates. Cacochyma verò, cùm humores pravi exuperant: qui si omninò inemendabiles sint, non solùm cacochymiam, sed cacoethiam efficiunt. Internoscuntur autem cacochyma, & cacoethica Plenitudo ex malo Corporis habitu, cutis colore fædato, mala partium nutritione, pruritu, carbunculis, doloribus, tumoribus, aliisque in unam, vel aliam Corporis partem erumpentibus; quin & pro varia eorumdem conditione, solent Medici cacochymiam pituitosam, biliosam, vel melancholicam accusare: at non ex eo, quòd reverà humores isti præcesserint in statu sano Corporis, sed quòd ob malam viscerum habitudinem, & fermentorum vitium, præternaturaliter emerserint; unde & hi, & multigeni alii, crassi, viscosi, acidi, salsi, acres, austeri, acerbi, serosi, tartarei, flavi, virides, nigri, similesque ex variis, vitiatisque fermentationibus, ac misturis, inter sese habitis, exoriuntur, præsertim à chylo, sero sanguinis, lympha, succo felleo, & pancreatico, depravatis.

Quoniam verò ex malo horum humorum apparatu, atque ex plenitudine cacochyma, lassitudines contingunt: unde Segnities, Defatigatio, Ineptitudo, Torpor, & Impotentia in operationibus vitæ; propterea opportunum judicavi hìc aliqua de Lassitudinibus memorare. Quare sit.

De Lassitudinibus.

QUoties Corpus pravis humoribus repletur, vel in omnibus, vel in aliquibus functionibus vitæ tuitioni necessariis deficit, potissimùm verò in iis, quæ ad Sensus, & Motus animales spectant; unde lassitudo, & quædam defatigatio totius sequitur, ex qua conjiciunt Medici imminentem, ac futuram aliquam ægritudinem subesse; propterea videndum hoc loco, quid nomine Lassitudinis sit intelligendum.

Et quidem Lassitudo describi solet, *Impotentia regendi Corporis pondus*, ut deducitur ex Galeno 2. *aphorism. comm.* 5. & 3. *epidem. comm.* 2. Ab ejusmodi enim impotentia judicium sumitur præternaturalis, & morbosæ corporis constitutionis, quoniam facillimè percipitur, & cuicumque obviam fit. Quis namque non conjectabit malè seipsum habere, cùm in motibus peragendis, & in sustinendo corporis pondere, impotentem se agnoverit? etiamsi

iamsi nullum aliud indicium pateat ex pulsu, respiratione, nutritione, & similibus. Quamobrèm rectè Hippocrates ex hoc solo indicio 2. *aphor. t.* 5. futuras, & imminentes ægritudines prænunciavit. Hinc sequitur, Lassitudinem ad symptomata esse referendam, cùm sit tristis, & molestus quidam sensus Corporis in ejusdem motu locali. Cùmque quodlibet symptoma morbum, & causam morbi subsequatur, propterea præcedere oportebit vitium aliquod in membris sensui, & motui destinatis: Hæc autem affectio ad classem dolorum reducetur; nam lassitudo non sine aliquo dolore fit; unde pro causa recognoscet pravos humores per sensitivas partes diffusos, vellicantes, ac pungentes, aut saltem distendentes, vel gravantes.

At verò, quoniam molestus ejuscemodi sensus triplex esse solet, proinde Lassitudo triplex quoque est, documento etiam Galeni *cit.* 2. *aphor. comm.* 5.; (*a*) nam vel sequitur sensum tensionis, & dicitur Lassitudo Tensiva: vel fit cum sensu inflammationis, caloris, & ardoris, & dicitur Phlegmonosa, seu Inflammatoria; vel denique fit cum sensu ulceris, & dicitur Ulcerosa. In Tensiva, Corpus tensum percipitur, adeòut difficulter flecti possit: & fieri solet vel à copiosis humoribus musculos, & vasa distendentibus; vel à flatibus cavitates partium plus justo inflantibus. In Lassitudine Phlegmonosa, inflammationis sensum inferente, persentitur quidam sensus ardoris, & æstuationis, inductæ potissimùm à sanguine acriori, & inflammabili, seu fermentescibili. In Ulcerosa denique percipitur molestia quædam lacerans, & dispescens partes motui addictas, ob humorum acritatem, salsedinem, aciditatem, similemve. Ex his autem veluti simplicibus Lassitudinis differentiis, exurgunt aliæ compositæ, passim ab Authoribus memoratæ, putà Lassitudinis Tensivæ Ulcerosæ, Ulcerosæ Phlegmonosæ; Phlegmonosæ Tensivæ; & Tensivæ ulcerosæ phlegmonosæ; prout molesti sensus vel aliquarum, vel omnium prænarratarum differentiarum participes sunt; quamobrèm pro varietate earumdem, non solùm indicabuntur præjacentes vitiosi humores, verùm etiam futuræ ex his ægritudines prædicentur.

Sed qua ratione Hippocrates dixerit *cit.* 2. *aphorism.* 5. Lassitudines morbos prænunciare, cùm tamen mox dictum sit, illas morbos, & causas morborum sequi, nempè vitiosos humores. Verùm Lassitudines, & aliquos morbos, & causas morborum leviores consequuntur; & alios graviores portendunt. Sequuntur quidem depravatam actionem sensus Tactus, putà dolorem, ex pravis humoribus inductum; portendunt verò alios graviores, nempè inflammationes, febres, similesque, cùm scilicet pravi illi humores in fermentationem indebitam adacti, intimiores corporis partes subierint, & principaliora viscera infestaverint.

Non est autem hic prætereundum, quòd memoratæ Lassitudines spontaneæ esse debent: nam si fortasse causam aliquam manifestam consequantur, putà defatigationem ex labore, aut exercitio immoderato, facilè per quietem desinunt, ut dicitur etiam 2. *aphorism.* 48. Plurimùm autem interest inter Lassitudinem, seù Defatigationem à causa interna illatam, & à causa externa provenientem: siquidem hæc sola quiete superatur; illa verò nonnisi edomita, vel educta causa interna humorali, à qua originem desumit.

Sed adhuc dubitare contingit, quomodò Lassitudo, species quædam doloris sit, cùm tamen dolor continui solutionem consequatur. Et dicendum solvi quodammodò

(a) *V. etiam Gal. l.* 3. *de san. tuend.*

dò continuum in laſſitudinibus, ab ipſis humoribus diſtendentibus, vellicantibus, aut inflantibus partes. Siquidem continui ſolutio in dolore requiſita non ſemper facta eſſe debet, ſed ſufficit, ſi fiat, ſi non ſenſibiliter, & conſpicuè, ſaltèm inſenſibiliter, & inconſpicuè. Et quamvis Galenus etiam intemperiem cauſam doloris fecerit, illa tamen ſubita, ac violenta eſſe debet, quæ propterea, acritati humoris juncta ſit oportet; neque ex nuda tantùm qualitate proveniens, adeoque abſque humoris vellicantis, mordentis, aut prementis, præſentia, haberi nequit: quare continuitatis ſolutionem, ſaltem inconſpicuam, neceſſariò comprehendet.

Ex his denique deducitur diverſimodè occurrendum eſſe ſpontaneis Laſſitudinibus, prout variæ illæ fuerint, & diverſam humorum conditionem indigitaverint. Siquidem Phlegmonoſæ, & cum ſenſu inflammationis, & ardoris junctæ, recta victus ratio temperans opitulabitur, adhibitis quoque medicamentis ardorem, & acritatem corrigentibus. In Tenſiva præter congruam victus rationem, expoſtulabuntur flatus diſcutientia, & acorem in humoribus emendantia. In Ulceroſa denique convenient, quæ ſalſos, acreſque humores, muriaticam conditionem adeptos, corrigere poſſunt, aut etiam extrà Corpus educere. Cæterùm in omnibus ſemper proderunt, quæcumque vim habent ſanguinem à ſuis ſuperfluitatibus emundare, illaſque per diaphoreſim, aut per diureſim ſenſim, ſenſimque promovere.

De recte inſtituenda Inanitione, & Repletione.

GEnerale documentum hac in re præ oculis ſemper habendum, ut qui humores humano Corpori, vel conſervando, vel alendo, conferre poſſe videntur, ſint omninò detinendi, nullaque ratione vacuandi; Contrà verò, quicumque inutiles, excrementoſi, malèque affecti fuerint, omni prorſus induſtria ſint abigendi: id quod potiſſimum in quotidianis excrementis ſervandum eſt, ut ſunt fæces, lotia, cutaneæ evaporationes, ſputa, aliaque è corpore expurgari ſolita, pro varia tamen corporum conſtitutione, & habitudine.

Sed ut ſingula ſingulis referamus. Humidiora, ſucciplena, pituitoſis excrementis ſcatentia, deſtillationibus, ac fluxionibus obnoxia corpora, omni jure, & per vias urinæ, & per ſputa, & per narium emunctionem, & per tranſpirationem, & per ſudorem, & per victus rationem attenuantem, in meliorem ſtatum ſunt reducenda. Contrà verò, quæ gracilia ſunt, acribus humoribus abundantia, & calorificis ægritudinibus obnoxia, in humectantem victum inclinent, & potiùs per alvi ſubductionem, leniter tamen, repurgentur. Idem dicendum de Corporibus exercitatis, aut ex adverſo otioſis. Pueri præterea, præſertim voraces, ob multa excrementa, quæ congerunt, inanitione, tum per vias urinę, tum per inteſtina, conſervandi. Adoleſcentes verò, & Juvenes, pro ratione varia habituum, & exercitiorum, diverſimodè tractandi erunt. Viri denique, & Senes, quia temperatiores in victu eſſe ſolent, nulla manifeſta evacuatione, per medicamenta moleſtandi ſunt; niſi tamen videantur in unam, aut alteram ægritudinem inclinare. Plerùmque autem conducibilior illis eſſe ſolet, quæ per ſputum, atque anacatharſim, vel etiam per vias urinæ, evacuatio fit. Cæterùm in ægritudinibus, Inanitiones quoque variæ eſſe debent, pro cauſarum, & partium affectarum varietate, de quibus in Praxi. Speciatim autem in Fœminis, Menſtruorum conveniens purgatio promovenda ſemper eſt: ſicut enim ab illis commodè fluentibus,

bus, benè plerumque se habere solent; ità ex adverso, in diversas, gravesque ægritudines incidunt, cùm deficiunt, vel supprimuntur. Idipsum dici debet de Evacuatione illa, quæ plerisque in virilitate accidit, ex hæmorrhoidibus. Siquidem cùm hæc per intervalla, & moderatè contingit, salutaris esse solet, atque à plurimis ægritudinibus præcavere; ut dicitur *6. aphorism.* 11. & *6. epidem. sect.* 3. At verò immoderatà, vel quæ inerat penitùs suppressa utraque multorum malorum causa evadit, præsertim Tabis, aut Hydropis, ex eodem Hippocrate *ibidem*.

Quod ad Repletionem verò, illa opposito modo administranda est; cùm, scilicet Corpus plus justo fuerit inanitum: Nam quemadmodùm, quæ repletione fiunt, inanitione sanantur, ità vicissim per inanitionem inducta, tolluntur repletione. Hinc in Corporum extenuationibus, dejectionibus, & alvi profluviis, hæmorrhagiis, aliisque, quibus illa immodicè inaniuntur, convenienti refectione, repletioneque utendum: ea tamen distinctione, quam memoravit Hippocrates *2. aphorism.* 7. inquiens; *Quæ longo tempore extenuata sunt corpora, lentè reficere oportet: quæ verò brevi, breviter*: habito pariformiter respectu ad stomachum, & vires, si ferendo sint.

Quoniam verò inter ea, quæ replere, aut inanire solent, vel nullus, vel immodicus Veneris usus, à Medicis recensetur; breviter propterea videamus, quæ commoda, vel incommoda ille afferat. Et quidem iis, qui ex plenitudine laborant, ob lautam victùs rationem, vitamque sedentariam, conferre solet, quemadmodùm & ipsa Natura, in spontaneis pollutionibus, seipsam exonerans, ostendit. Juvat insuper in humidis corporibus, & in morbis ex pituita ingruentibus documento Hippocratis *6. epidem. sect.* 5. dicentis: *Venus in Morbis ex pituita, utilis*. Moderata tamen illa esse debet; nam immoderata plus justo debilitans, officit; etenim corpus exiccat, & Tabem, quam Dorsalem Hippocrates appellavit, infert: capiti, nervis, & articulis nocet. Quamobrem sicuti commendabilis videtur in corporibus succiplenis, sanguineis, robustis, otiosis; ita omninò vituperanda est in gracilibus, extenuatis, stomacho, & cerebro languidis. Atqui præ oculis monitum illud habendum à Virgilio de Usu Bacchi, & Veneris, depromptum.

Vina sitim sedent: natis Venus alma creandis
Serviat: hos fines transiluisse, nocet.

Sed an majora mala accidant ex Inanitione, an ex Repletione, non inutiliter dubitatur. Verumtamen, non de quacumque Inanitione, ac Repletione proponitur difficultas, sed de immoderata solùm: nam si de moderata sermo fiat, proculdubio utraque vix nocere potest; quippe vita nostra utraque omninò eget, ut supra probatum. Itaque de immoderata, & Naturæ consuetum debitum excedente, tantummodò queritur. Et licèt tam Inanitio, quàm Repletio immmoderata perniciosa sit, nam omne nimium Naturæ inimicum; & neque satietas, nec fames, cùm modum excedit, conveniens est: Nihilominùs si comparentur damna ex utrisque provenientia, fatendum omninò erit, majora semper esse, & graviora ab Inanitione procedentia, quàm ex Repletione: nam quæ ab Inanitione fiunt, viribus directè adversantur, cùm ex illa istæ protinùs fatiscant, & exsolvantur. Modò cùm vires languent, vel deficiunt, vita quoque deficit. Hinc Hippocrates etiam in iis, quæ ad victum pertinent, tenuem exquisitè, damnavit, veluti viribus oppugnantem, cùm dixit: *In tenui victu ægri delinquunt, quo fit, ut magis lædantur*. Sed & faciliùs quoque occurritur Repletioni, si fortasse excesserit diffici-

ficiliùs verò, & quandoque etiam nullatenùs, inanitioni; cùm facilior semper sit detractio, quàm Adjectio. Qua fortasse etiam ratione, lethalem dixit Hippocrates, convulsionem ab evacuatione immoderata dependentem: quod sanè ex Repletione nil tale quidpiam præsagivit.

Ex Inanitionibus autem, periculosior semper censenda est, quæ alimentorum, & præsertim sanguinis, fit, undecumque is prodeat: quippe exinde Vitæ thesaurus exhauritur. Ex locis verò, perniciosior ex Hippocrate censetur, si per partes superas, quàm si per inferas egeratur; servata tamen pari evacuationis quantitate, & citrà quamcumque corruptionem, aut partium exulcerationem. Post sanguinis inanitionem, nocua putatur chyli egestio, modò continua sit, & languorem Ventriculi, ejusque fermenti vitium, consequatur: nam si fortasse à cibis proveniat, vel quantitate excedentibus, vel qualitate infensis, minùs mala existimatur, veluti à causis externis inducta. Gravis ulterius Inanitio est illorum humorum, qui fermenti loco sunt, & coctionibus, ac secretioribus viscerum conferentes. Unde immodica fellei humoris, & succi pancreatici, ac lymphæ evacuatio, periculosa semper est. Extenuatio item immoderata seri Pericardii, non raro perniciosa fuit; quemadmodùm sectionibus cadaverum pluries innotuit: inde enim Cor in suo motu adeò offenditur, ut tandem hebescat, & desinat. Ad hanc classem reducũtur egestiones partium solidarum, & si fortasse ex organis, magis vitæ necessariis, puta Cerebri, Cordis, Pulmonis, aliorumque prodeant (quippeque sanguinis motum tutantur, vel promovent) omninò mortiferæ erunt; aliarum verò partium non item Sic expertum aliquando Pulmonum apices extremos, aut Hepatis, ut & mucronem Cordis, & corticem Cerebri superficiarium, mortem nullam attulisse, etsi vulnere, vel ulcere sauciata, ut ex Paræo, Aquapendente, Hildano, Bartholino, aliisque memoratur. Inter reliqua denique excrementa copiosiora, nondùm benè liquet, cuinam Inanitioni majus periculum tribuendum sit. A sudore nimio, & ubertim fluente, licèt plerique in Tabem postremò sint deducti; nihilominùs adhuc multi referuntur ad annos integros sudasse, citrà ullum vitæ periculum; modò tamen febre caruerint. Ab alvi dejectionibus ferè perpetuis plurimi sunt qui evaserint, quamvis diarrohee morbosæ limites attigerint, citrà tamen Intestinorum erosionem. At verò urinæ profluvium passi, vel nulli, vel pauci memorantur, qui diutiùs vixerint, forte quia tanta urinæ quantitas serum sanguinis, & lympham exhaurit, quæ maximè omnium vitæ tuitioni, & gyræmati opitulantur. Quòd si non solùm urina uberiùs profluat, sed etiam referat conditionem mellitam, qualis in Diabete observari solet: nedum periculosior est, sed omninò lethalis, si præsertim cum febre conjuncta sit, quemadmodùm in praxi pluries compertum; exsolutum scilicèt sanguinem designans. De ceteris tandem egestionibus, Sputo, Narium muco, Vomitu, si Naturæ consuetum servent, nil est, quod exinde timendum sit, cùm plerique sive Natura, sive usu inveterato, facilè sibi fecerint ejuscemodi evacuationes, & absque ullo vitæ incommodo: quamquàm per vomitum habita gravior aliquanto esse possit, & progressu temporis exitiosa evadere; stomacho nimirum labefactato.

Non dissimiliter dicendum de eorumdem excrementorum retentione. Sudor enim detentus, atque in glandulis subcutaneis frigefactus, multoties obfuit, & febrem attulit acutam: aliquando etiam catarrhum, ac tussim, cum dolore pectoris; itemque pleuritidem, peripneumonia, repercusso interiùs sudore, præsertim tempore hyemali. A retento vomitu, sæpesæpiùs

plùs Cardialgiæ ſubortæ ſunt, nec non febres, ventris inflationes, dolores inteſtinorum, icterus. A retentis fæcibus, colici dolores, volvuli, tympanites: atque à ſuppreſſo lotio, iſchuria, veſicæ tumefactio, dolor, febris, & ſimilia. Comparatione autem facta inter Fæcum, & Urinæ retentionem, certè periculoſior ſemper obſervata eſt omnimoda urinæ ſuppreſſio, quàm fæcum. Etenim iſtę ad plures dies citra ullum vitæ periculum remoratæ referuntur, & deinde paulatim excretæ; at verò ab urina per hebdomadam ſuppreſſa, etiamſi deinceps excernatur, vitæ periculum certiùs imminet; & rari ſunt illi, qui exinde ſupervixerint: idque fortè quia urina retenta, (præter ſui molem, & ſalium acrium miſturam Veſicæ, Ureteribus, & Renibus infenſam) ſanguinem, reliquoſque humores conſpurcat, ac depravat, non ſine ingenti principalium viſcerum læſione, unde poſtmodùm pulſuum exilitas, corporis torpor, ſenſuum hebetudo, ſopor, ac tandem lethargus, vel apoplexia inſequuntur: quo mortis genere, ejuſcemodi ægrotantes perire conſueverunt, obiitque Tycho Brahe Danus, Aſtronomiæ Reſtaurator eximius.

Quæ ſint in Excretis, & Retentis conſideranda.

UT Excreta, ac Retenta, ſive utilia ſint, ſive inutilia, ex alibilibus, aut excrementoſis humoribus procedentia, poſſint generaliter à Medicis, pro ſalutaribus, aut nocuis, ſtabiliri, ſex in univerſum conſideranda ſunt, Subſtantia nimirùm rei excretæ, vel retentæ, Qualitas, Quantitas, Tempus, Modus, & Locus.

Quod ad Subſtantiam videndum, quænam res excernantur, cibus, aut chylus, ſanguis, & humores alibiles; an excrementoſi, felleus humor, aliuſve: itemque num partes ſolidæ Corporis; ut & Vermes, Lapides, Arenulæ, & ſimilia, quæ dicuntur toto genere præter naturam.

Quod ad Quantitatem, num evacuationes ſint immoderatæ, & modum conſuetum excedentes; an verò moderatæ, & convenientes, habito præſertim reſpectu ad Corporum conſtitutiones, habitudines, ætates; pariterque ad morbos, cauſaſque morborum.

Quod ad Qualitatem, num humores excreti acres ſint, acidi, ſalſi, craſſi, viſcoſi, tenues, fætidi, corrupti, nigri, flavi, virides, &c.

Tempus etiam excretionis eſt obſervandum, num inter initia morborum, an in declinatione; num poſt coctionem, ſecretionemque, an verò in concoctis, commiſtiſque ſuccis inutilibus ſimul cum utilibus.

Modus pariter excretionis conſiderandus, num faciliter, an difficulter illi egerantur, putà cum doloribus, anxietatibus, animi deliquiis, aliiſque moleſtiis.

Denique Locus conveniens eſſe debet, nempè qui Naturæ ſit conſuetus; unde etiam in ſtatu ſano ſuperfluitates Corporis ſoleant evacuari; ut urina per veſicam, fæces per alvum, neutiquam verò per os.

Hæc eadem conſideranda erunt in Retentis; an ſcilicet retineantur ea, quæ juvare apta nata ſunt; an contrà, quæ præter naturam prorsùs nocua, corrupta, & excrementoſa. In Qualitate, & Quantitate, ſi degenerent à naturali conſtitutione, & à conſueto Naturæ, atque ea quantitate, quæ congruit Corporis habitudini; etenim licèt, E.g. felleus humor in cyſti, naturaliter colligi, & conſervari debeat, ſi tamen debitam qualitatem, & conditionem, quantitatemque convenientem non ſervet, vitioſus erit. In Tempore: etſi ſerum ſanguinis, ac lympha utiliter cum ſanguine commiſceatur, niſi tamen

men statuto tempore secernatur, & expurgetur, nocet. Sic pariter urina, ac fæces ipsæ, estò expurgari assiduò debeant, nihilominùs non statim ac in Vesicam, & Intestina fuerint deposita, egeri debent, sed per aliquod saltem tempus detineri: ità de cæteris. In Modo: sicut facilis semper esse debet Egestio quæcumque excrementorum; ita ex adverso Retentio quælibet humorum utilium oportet ut sit absque molestia. Undè licèt Cibus E. g. debeat omni jure in Ventriculo detineri, quousque concoquatur, & vertatur in chylum; non tamen illi molestus sit, oportet; quamobrèm, cùm dolorem, anxietatem, aut gravamen affert, morbus est. Denique Loco: necesse equidem est, ut utiles, & salutares humores nedum detineantur, sed in suis quique conceptaculis: uti felleus humor in cysti: lympha in vasis lymphicis; sanguis in venis, & arteriis: extrà propria namque vasa stagnantes, omninò nocui sunt. In his igitur omnibus detrimenta Corpori accidunt, etiamsi secundùm naturam sint, quæ detineri debent. Hinc scitè quidem monuit Galenus *in Prorrheticis*: *Etiam ex iis*, inquiens, *quæ suapte natura utilia sunt, & vitæ consentanea, gravissimas ægritudines proficisci posse; quinimmò ab his graviùs ægrotantes affici solere, & irreparabiliùs obire, cùm à consueto Naturæ desciverint.*

De Passionibus Animi.

TAmetsi Galenus 3. *libro Artis Medicæ*, ultimum locum, inter sex Res Nonnaturales, Animi Passionibus adscripserit; sunt tamen illæ longè admodùm cæteris præferendæ, veluti in alterando efficaciores, cùm sint hostes intestini, & nobiscum innascantur, & degant. Quamobrèm idem Author *lib. de ludo parvæ pilæ cap.* 1., majorem industriam adhibendam esse monuit, in regendis Animi Pathematibus, quàm in corporalibus motibus mitigandis, moderandisque: atque eo magis, quò Animus dignitate corpori præcellit. Et eodem 3. *Art. Medic. t.* 16., *liquet*, inquit, *ab ipsis* (ideſt benè valentibus) *caveri oportere omnes Animi immodicos affectus, videlicet Iræ, Tristitiæ, Furoris, Timoris, Invidiæ: hæc enim alterant, atque à naturali statu corpus avertunt.* Et quidem tam repentini, ac violenti Animi motus non raró sunt, ut Rationi minimè obtemperent, & universam Corporis œconomiam subvertant.

Et quamvis de moderandis Animi passionibus agere pertineat ad Philosophos Morales, eo quòd isti in regendos, corrigendosque mores incumbant, cùm plerique ob magnum Timorem pusillanimes evadant; & alii ex Ira in Furorem deducantur; & nonnulli alii ob vehementem Tristitiam, sylvestrem vitam ducant; qui deinde, ope Moralis Philosophiæ, Timidi, Audaces redduntur: Iracundi, Timore reprimuntur: & Mœsti, Animi alacritate levantur: Medici tamen pravos ejuscemodi motus corrigunt, & emendant, prout Sanitati detrimento esse possunt: Etenim rectè, inquit Vallesius 1. *meth. cap.* 15., nil firmiùs hæret Corpori, quàm quod venit ab Animo; propterea hìc ab istis illæ considerantur, prout obsunt, vel prosunt Corporis incolumitati: quandoquidem sine corporeis instrumentis, sanguine potissimùm, & spiritu, non peraguntur, ad quorum commotionem, turbationemque, salus vel infirmatur, vel confirmatur.

Primùm autem de harum Passionum Origine, primoque fonte, licèt à quibusdam dubitari soleat, communiùs tamen ad Appetitum Sensitivum, ità à Philosophis nuncupatum, illas verisimiliùs referendas esse censent, cùm exinde reliqui sensus externi corporis, ad variam ipsius affe-

affectionem, pariformiter coafficiantur. Equidem Passiones istæ, motiones quædam Animi sunt, per spiritus, & sanguinem, in cunctas partes Corporis delatæ, proindeque varias perturbationes inferentes; ideoque absque motrice aliqua vi, quæ moveat, agitet, atque perturbet, fieri nequeunt. Motrix autem ista Vis, seù Potentia, in organis motui destinatis, potissimùm in fibris, tum rectis, tum obliquis, tum transversalibus, aut curvis dictis, atque adeò in contextu, plexuque illo interno Cerebri, unde etiam Nervi originem sumunt, & ubi per arteriolas, purior, ac tenuior sanguinis pars in spiritus volantes, seù in purissimum, limpidissimumque liquorem, quem succum nerveum vocant, vertitur, sita est: quamobrèm pro varia affectione, impressioneque eidem illata, diversimodè spiritus, ac sanguis ipse, commoventur, fibræque nervorum exagitantur, ex objectis nimirùm jucundis, vel injucundis, vim illam, internumque sensum afficientibus, juxtà variam, diversamque simulacrorum in Phantasia repræsentationem, sive ad bonum, sive ad malum incitantium. Neque verò quis exinde deducat varias ibidem inesse facultates, aut distinctas illarum sedes; cùm benè omnes istiusmodi operationes ab uno, eodemque principio manare possint, quod deinde secundùm varias impressiones diversimodè operetur, & actiones exserat diversas, pro diverso, varioque impulsu indito fibris, nervis, cæterisque partibus Corporis, subindeque sanguini communicato; unde postmodùm pallores, rubores, tremores, impetus, hebetudines, aliaque hujus generis suboriuntur. Quod autem à Cartesio dicitur de Glandulâ Pineali, veluti sede, & organo peculiari harum omnium operationum, non cunctis arridet; quin & nec desunt, qui ex Anatome referant, illam aliquando in dissectis cadaveribus inventam non fuisse, aut etiam repertam petrefactam; cùm tamen nulla læsio in Operationibus Animalibus, dùm in vivis essent, fuisset observata: quamquàm & id potuerit in extremo vitæ spiritu iisdem accidere. At verò istiusmodi Passiones ad Animam Rationalem referre, non videtur rationi consentaneum, cùm etsi per spiritus tenuissimos is eam operari fateatur, isti tamen materiales, & corporei, neutiquam cum Rationali Anima Spirituali consortium inire possunt, aut in agere, aut in pati: quo proinde factum, ut ab aliis ejuscemodi Passiones dicantur potiùs operationes Totius, atque adeò ad totum Corpus animatum pertinentes.

Verùm ut ab hisce Physicorum ambagibus extricemur, & quantum ad Rem Medicam facere videtur, breviter Nos expediamus, retento communi loquendi usu, pro explicandis Animi passionibus, ea methodo procedemus, ut nulli oppugnare videamur, admittentes solummodò ea, quæ sine ulla difficultate ab omnibus indiscriminatim, nedum recipiuntur, sed in seipso quoque unusquisque Hominum experitur.

Et sanè certum apud omnes est, ab objectis jucundis, vel injucundis, benè, vel malè afficientibus externos sensus corporis, excitari in nobismetipsis motionem, affectionem, perceptionem, aut si mavis aliter appellare, perturbationem quandam, in interiori sensu, qua Animo commovemur ad prosequendum, vel ad aversandum, fugiendum, & evitandum id, quod Nobis objectum est. Inde autem suscitatur in Nobis impressio, seù perceptio quædam, ex apprehensione ejusdem objecti, vel boni, vel mali, levior, aut gravior in Animo, unde sanguis, & spiritus statim commoventur, unàque simul partes sensitivę Corporis diversimodè afficiuntur, ut patet ex pallore, aut rubore cutis, frigore, vel calore, rigiditate, vel laxi-

laxitate membrorum, aliisque similibus. Perceptio autem ista boni, vel mali, jucundi, vel injucundi, tristis, aut delectabilis, nonnisi in Cerebro primùm fit, adeòque in sensu aliquo interno, quem liceat cùm cæteris appellare Sensum communem, Appetitum sensitivum, aut aliter, ut libuerit; cùm aliunde certum sit, Imaginationem ejus objecti in Nobis progigni, cum æstimatione gravioris, aut levioris boni, vel mali, præsentis, aut imminentis, exindeque sequi diversos Animi affectus, Cor, Sanguinem, Spiritus, totumque Corpus perturbantes, ac benè, vel malè afficientes, pro varia perceptorum objectorum impressione. Cùm igitur hæc omnia cuique notissima sint, absurdum non erit, Apprehensionem, seu Perceptionem istam ad Imaginativam referre; Æstimationem verò, ad sensum internum, aversantem, aut prosequentem, quem Appetitum sensitivum appellare licebit: ac demùm diversas exinde ortas Animi motiones, perturbationes, passiones (græcè Pathemata) denominare: quæ quidem in suo principio promovente consideratæ, ad Motus, & Actiones pertinebunt; in effectibus verò, quos pariunt, Passiones dici debebunt. In hoc autem neminem, sed & nec Cartesium ipsum, dissentire, crediderim, qui idcircò renuit duos appetitus in parte Animæ sensitiva constituere, Irascibilem unum, Concupiscibilem alterum, quia *nullam*, ut ipse inquit, *in Anima distinctionem partium fingere possumus*, veritus ne exinde facultates diversas in eadem collocare cogeretur, atque non minùs has duas irascendi, & concupiscendi, quàm innumeras alias, & admirandi, & amandi, & sperandi, & odiohabendi, & metuendi, & sic de cęteris. Attamen vocabula ista facultatum, & potentiarum, etiam in operibus mechanicis admittuntur, atque in Cuneo, Vecte, Trochlea, Libra, Lance, & similibus, has potentias Mechanici considerant; quamvis nil aliud in ipsis sint, quàm dispositiones, actiones, ac instrumenta motuum, & ponderum movendorum: Sed & cùm quis dormit, nec videt, nec audit, & tamen potentiam videndi, ac audiendi benè dicitur habere: Quin & vigilans adhùc, si videre, ac audire nolit, claudens palpebras, & aures obturans, potentias nihilominùs illas non amittit, per organa nimirùm benè disposita, quibus Anima, remotis impedimentis, ad videndum, & audiendum determinatur. Parùm ergo interest, nomina rebus imponere, aut imposita retinere, pro Nostri intelligentia, dummodò in rebus ipsis conveniamus. Cæterùm quis unquàm per hæc nomina diversa, diversas potentias, aut distinctas partes in Anima imaginabitur? cùm & neque per Intellectum, Voluntatem, ac Memoriam, sive Reminiscentiam, quæ immediatè ab ipsa procedunt, ipsique insunt, quidpiam ab eadem distinctum, ullus unquàm est suspicatus. Liceat itaque has voces retinere, ut confusionem in Veterum doctrinis evitemus, & faciliùs, quæ ad nostram rem Medicam faciunt, explicemus.

Ab Appetitu igitur Sensitivo dicto, Animi passiones profluere concedamus, ex quo Animal à præcedenti sensuum externorum notitia, naturaliter inclinatur ad bonum sensibile, cognitum ut tale, aut declinare conatur à malo, ut tale pariter apprehenso. Quamobrèm reliquis sensibus externis præesse dicetur, & eo ferè modo se habere ad Imaginativam, seu Phantasiam, quo Rationalis Appetitus, idest Voluntas, se habet ad Intellectum. Ut enim Voluntas, velut Potentia cæca, ab Intellectu lumine pleno, regulatur, ferturque in bonum ab eodem Intellectu præcognitum; ità Sensitivus Appetitus ducitur in bonum ab Imaginatrice perceptum; quin & pro varia objectorum repræsenta-

tione, diversimodè commovetur, vel ad prosequutionem, vel ad fugam, objecti apprehensi.

Ejusmodi insuper Appetitus Sensitivus duplex statuitur, Concupiscibilis unus, Irascibilis alter: nam in iis, quæ ad sensus pertinent, movetur Animal ad ea, quæ prosunt, vel saltem prodesse videntur; retrahitur verò ab his, quæ obsunt, vel putantur obesse; unde Concupiscibilis Appetitus. Cùm verò nititur occurrere obicibus, rei consequendæ fruitionem retardantibus, Irascibilis appellatur. Quamobrèm Concupiscibilis Appetitus tendit in bonum sensibile absolutè: Irascibilis verò in bonum sensibile difficile; non quòd difficultatem per se primò appetat, sed tantùm ut illam removeat, ac superet, ut exinde bono fruatur. Et quamvis Platonici duplicem hunc Appetitum in distinctis sedibus collocarint, nempe Irascibilem in Corde, & Concupiscibilem in Hepate, ad quos proinde sejungendos Septum transversum interposuisse Naturam, ajebant, quo unus cum altero minimè communicaret; communior nihilominùs sententia cum Aristotele existimat, unà simul in Corde utrumque residere, eo potissimùm argumento, quòd in Animi passionibus ab utroque Appetitu manantibus, Cor semper commoveatur, ut ostendunt concitati pulsus; siquidem tum in bono sensibili absolutè, tum in bono difficili consequendo, Cor afficitur, & pulsus perturbantur.

Atque hinc, profluentes ab hoc Appetitu sensitivo Animi passiones, idcircò tales dicuntur, quia non sine quodam sensu Voluptatis, aut Doloris fiunt, & cùm Appetitus operatur, quodammodò patitur ab objecto, vel jucundo, & delectabili, vel injucundo, & molesto; unde & Imaginatrix potentia vehementer concutitur, & Cor, ac Corpus universum plurimùm afficitur, ac perturbatur, commotis unà simul spiritibus, & sanguine, per totum diffusis: id quod tam manifestè patet in Ira, Gaudio, Timore, Mœstitia, ut aliquandò etiam facies palleat, aut rubeat, cutis horreat, lingua titubet, caput vacillet, atque aliter, aliterque Corpus totum concutiatur. Hinc modò describi solent Animi Passiones, quòd *sint Motus Appetitus sensitivi circà bonum, vel malum sensibile opinatum, seu apprehensum, & judicatum ut tale, ab Imaginatrice, seu Phantasia, cum aliqua involuntaria Corporis mutatione*. Dicuntur Motus, quia reverà in his Appetitus excitatur, & ad objectum commovetur: non tamen sunt Motus continui, quia non semper, ac assiduò Appetitus ab objectis afficitur. Et quamvis Passiones dicantur in effectu, quia ab illis Corpus patitur; in Radice tamen, seu in Origine, Actiones, & Motus sunt, profluentes ab ipso Appetitu sensitivo, ut dictum. Dicuntur circà bonum, vel malum sensibile, à Phantasia apprehensum, ut differant ab actibus Voluntatis, quæ fertur in bonum, vel malum à Ratione, & ab Intellectu prę-cognitum: quoniam, ut anteà notatum, quemadmodùm Voluntas, Potentia cæca, regitur ab Intellectu; ità Appetitus sensitivus regulatur à Phantasia, seu Imaginatrice Potentia. Dicuntur denique, cum quadam involuntaria, seu naturali Corporis mutatione; quandoquidem reverà Corpus subinde ab illis alteratur, & commovetur, sive cùm ex Gaudio Cor plus justo expanditur, & facies, ac oculi vividiores apparent; sive cum in Timore, & Mœstitia illud contrahitur, & hi caligant, & pallent; sive cùm in aliis affectibus diversimodè perturbantur, & commoventur; in quibus planè aliqua semper corporalis mutatio contingit. In idem ferè concidit Cartesii definitio, qua *Passiones istæ*, *dicuntur Perceptiones*, *aut Sensus*, *aut Commotiones Animæ*, *quæ producun-*

ducuntur, conservantur, & corroborantur per aliquem motum spirituum: Nisi quod in ista, Passiones, ad Principium potiùs earumdem referuntur: in illa verò, magis ad commotiones, perturbationesque Corpori illatas, veluti effectus, de quibus potissimùm hìc sermo est, & Nos agere proposuimus.

Ad has insuper Passiones excitandas tria in universum concurrere solent, duo quidem interna, tertium externum. Interna sunt, Appetitus Sensitivus, à quo proximè Passiones emanant: & Phantasia, seù Imaginativa, sensuum omnium Radix, & Origo. Externum verò est objectum, quod Phantasiam primò commovet, per sensus externos: nam nisi objectum externum per sensus apprehenderetur, vel ut bonum, vel ut malum, à Phantasia, certè Appetitus Sensitivus neque moveretur ad illud appetendum, vel fugiendum; adeoque neque Passiones excitarentur, nullaque fieret in Corde, totoque Corpore commotio, ac perturbatio. Itàque, ut Animi passiones inferantur, necesse est, ut objectum jucundum, vel injucundum, triste, aut delectabile, per sensus externos efferatur in Phantasiam, quæ prout illud apprehenderit, firma, stabilique perceptione, sub ratione boni, vel mali, Appetitui sensitivo repræsentabit. Cùmque utraque potentia in sensu, motuque Animali consistat, statim commovet fibras nervorum, per quas traducitur in Cor impressio, & commotio, subindeque sanguis, per arterias influens, diversimodè affectus, & concitatus, fertur per cunctas partes Corporis; unde postmodum universalis, & manifesta concussio, ac perturbatio, sive horroris, frigoris, tremoris; sive ruboris, exardescentiæ, & caloris; sive pallidi, aut rosei coloris, aliusve; pro varia Passionum excitatarum affectione. Hinc in Ira plerumque rubet facies, oculi splendescunt, exardescit cutis; quia sanguis concitatur, & effervescit: in Mœstitia, & Timore pallet, livescit, refrigeratur, & contremiscit, quoniam in suo motu lentescit sanguis, concrescit, & quodammodò congelascit: in Gaudio, & Lætitia roseo colore illa perfunditur, & oculi alacriores observantur, à sanguine scilicet vividiori, expansiorique: submittuntur verò ex adverso in Verecundia, & Pudore; & sic de aliis.

Plurimùm autem ad hæc conferre solet Corporum habitudo varia: Etenim experimur plerosque nasci proclives ad Iram, alios ad Timorem, quosdam ad Tristitiam, ad Lætitiam alios, nonnullos ad Commiserationem, & alios ad oppositas, diversasque alias Animi affectiones. Pro varia siquidem nedum Corporum constitutione, verùm etiam pro dispositione organorum, promptiùs suscipere solent, unam, vel aliam ab objectis impressionem. Quemadmodùm enim exteriora sensuum organa in quibusdam aptiora observantur ad audiendum, videndum, gustandum, tangendum, odorandum, aliterve in aliis operandum; ità & interiora organa, credere licet, ad hos, vel alios motus Animi, esse procliviora, magisque disposita. Hac quippe ratione, pluries ex Anatome compertum, Fortes, & Audaces sortitos fuisse Cor mole parvum, textura densum, & non rarò etiam pilis stipatum: Pusillanimes verò, structura laxius, amplius mole, & vasorum, ac fibrarum laxitate, debilius. Sed & ad idem multùm quoque valet sanguinis, reliquorumque humorum constitutio varia; unde qui sanguinem nacti sunt tenuiorem, fluidioremque, cum aliqua volanti acritate, proni sunt ad Iram; qui verò contrà, sanguinem sortiti sunt compactiorem, acidioremque, quem vocant melancholicum, proclives sunt ad Tristitiam; sicut alii ad Lætitiam,

titiam, alii ad Metum, & alii ad alias Animi passiones, pro varia scilicet sanguinis crasi, & habitudine. Hinc etiam comperimus, pueros, & Fœminas esse timidiores, facilèque prolabi in commiserationem, ac fletum; contrà verò Viros, & Senes; Immò ipse idem, qui in ætate puerili verecundus, placidus, meticulosus, ac misericors observabatur, ætatum mutatione sæpe sæpiùs indolis oppositæ, differentisque propensionis evadit: non alia certe de causa, nisi quia per ætatum mutationem variant organa, & sanguinis, reliquorumque humorum constitutiones. Ubi enim biliosus, & acer sanguis prævalet; fibræ quæcumque Corporis, & præsertim Nervorum, facilè proritantur, commoventur, & exardescunt. Qui verò acidus, & malancholicus est, coarctat potiùs, gravat, deprimit; & serosus, ac pituitosus, obstruit, hebetat, laxat. Atqui etiam ex varia organorum structura, sensus quoque, & motus in nobis variant; unde aliqui Auditu, alii Visu, alii Gustu, Olfactu, aut etiam Tactu, cæteris præcellunt.

Verumtamen, uti ex Natura, & Nativitate plerique proclives fiunt ad unam, aliamve passionem contrahendam, ità possunt & alii ex iteratis actibus idipsum per Habitum comparare, cùm Habitus per actus acquiratur. Quare etsi quis à Nativitate sit Iracundus, poterit ex oppositis actibus pluries, sæpiusque repetitis, mitior, ac placidior fieri: & qui pusillanimis erat, audacior evadere. Oportet autem unum motum per alium oppositum reprimi, & emendari, ut exinde contraria affectio inducatur. In hoc equidem summè valet Rationis, & Voluntatis imperium, ut de Socrate, Hippocrate, aliisque Ethnicis memorant Historici, & passim Nos legimus in Vitis Sanctorum Patrum. Sed & unica etiam volitione idipsum quisque peragere potest, si vehemens Voluntatis imperium accedat, præpolleat, firmiterque consistat.

Quænam autem, & quot sint ejusmodi Animi pathemata, vix ausim certo numero comprehendere, cùm neque inter Doctores tum Veteres, tum Recentiores, de hoc hactenùs conventum sit. Id autem factum videtur, quia licèt objectum Appetitus Sensitivi unicum sit, nempe Bonum appetendum; per accidens tamen potest esse malum, in quod feratur; idque sive fruitionis gratia quia putatur, ut Bonum, sive gratia aversationis, ut ex illius fuga, Bono fruatur: quo fit, ut Appetitus sensitivus, quemadmodùm fertur in Bonum, vel in Malum, putatum ut Bonum; ità & Animi Passiones circa Bonum, vel Malum versentur. Quamobrèm Stoici ex hoc objecto voluerunt, quatuor dumtaxat esse Animi Passiones: Vel enim Bonum, aut Malum præsens est, & circà Bonum dixere versari Gaudium, circà Malum, Tristitiam: Vel Bonum, aut Malum, futurum est; & in Bonum futurum, Spem; in futurum Malum, Timorem; unde Gaudium, Spem, Tristitiam, & Timorem, Generales Passiones illi constituerunt. At verò Peripatetici cum Aristotele, non ab Objecto, sed ab Appetitu Concupiscibili, & Irascibili numerum earum desumpserunt, atque ideò ad undecim revocarunt; Sex quidem pertinentes ad Appetitum Concupiscibilem; & Quinque ad Irascibilem. Ad Concupiscibilem reduxerunt Amorem, Desiderium, Gaudium, Odium, Fugam, & Tristitiam. Ad Irascibilem verò Spem, Desperationem, Timorem, Audaciam, & Iram. His alii ex Recentioribus duodecimam adjunxerunt, Placiditatem, seù Commiserationem, veluti Passionem Iræ oppositam. Quin & nonnulli alii adjecere Pudorem, Impudentiam, Indignationem, Invidiam, Æmulationem, Zelo-

typiam, Pœnitentiam, Admirationem. Cartesius verò innumeras alias recensuit, & quidem longa nimis serie; diversaque methodo distinctas, ut apud eundem legere est, quoniam Passiones ab illarum Radice desumpsit, non verò in effectibus consideravit, quamobrem inter eas, Admirationem fecit primam. Apud Ciceronem, *Tuscul.* 4., quatuor dumtaxat principales Passiones memoratæ referuntur, nimirum Animi ægritudo, seù Tristitia, Lætitia, Metus, & Libido. Per Animi ægritudinem morsum quendam doloris induci ait: per Metum, Animi recessum, ac fugam; per Lætitiam profusam Hilaritatem: per Libidinem effrænatam appetentiam. At his veluti generibus alias tamquam species subjecit, & Animi ægritudini Invidentiam, Æmulationem, Obtrectationem, Misericordiam, Angorem, Luctum, Mœrorem, Ærumnam, Dolorem, Lamentationem, Sollicitudinem, Molestiam, Afflictationem, & Desperationem. Metui subdidit Pigritiam, Pudorem, Terrorem, Timorem, Pavorem, Exanimationem, Conturbationem, Formidinem: Voluptati, seù Lætitiæ suppofuit Delectationem, Jactationem, & ex malo alieno Gratulationem, Libidini demum subdidit, Iram, Excandescentiam, Odium, Inimicitiam, Discordiam, Indigentiam. Explicat prætereà quid per unamquamque passionem ipse voluerit intelligendum, & subdit, Invidentiam, esse ægritudinem, propter alterius res secundas, susceptam. Æmulationem, esse Animi concupiscentiam ex carentia ejus, quo alius est potitus. Obtrectationem, esse quandam Zelotypiam, Misericordiam, Animi commotionem ex alterius miseria. Angorem, esse ægritudinem Cor prementem. Mœrorem, ægritudinem flebilem. Dolorem, ægritudinem cruciantem; & ità de cæteris, ut apud eundem legere est. Sed neque defuere, qui omnes Animi passiones ad duas commodè referri posse dixerint, nimirùm ad Amorem, & Odium: quapropter desiderium appellarunt, Amorem boni absentis: Lætitiam, Amorem boni præsentis: Spem, Amorem in bonum arduum: Desperationem, Amorem ex arduitate deficientem. Et contrà, Fugam, esse Odium mali absentis: Dolorem, esse Odium mali præsentis; Audaciam, Odium in malum arduum: Metum, Odium ex malo arduo: & Iram, Odium in causam mali.

Sed quamvis tam varii sint in referendis Animi Pathematibus Authores, quia tamen, quæ magis ad Medicum negotium facere videntur, illæ speciatim sunt, quæ Corpus humanum potissimùm exagitant, & excruciant, ut facilè valeant illud in ægritudines sive graviores, sive leviores adducere; idcircò, omissis aliis, quæ minoris momenti sunt, solùm hìc de iis agemus, quæ violentiùs, molestiùsque Corpus afficiunt, atque breviter examinabimus illarum naturam, vim, atque efficaciam, quam tum nocendo, tum proficiendo afferunt; ac denique Remedia, tàm physica, quàm moralia, quibus easdem corrigere, vel abolere possimus.

Et quidem primo loco sese offert Amor, qui Choragus omnium affectionum appellatur, immò illarum omnium compendium est; quippe Amantes nunc gaudent, nunc tristantur, nunc timent, nunc irascuntur, & modò una, modò alia passione cruciantur. In eo autem definiendo multùm variant inter se DD. Plato illum inquit, esse *Appetitum quendam, quo bonum sibi quispiam desiderat.* Alii verò ex eodem descripserunt, *Desiderium Boni;* unde Sanctus Thomas, *Boni complacentiam* illum appellavit; sive ut aliis placet, *Boni, pulchrique possidendi, & fruendi Desiderium.* Medici ferè communiter,

Cordis, & *sanguinis ingentem perturbationem*, nuncupant; quamobrem *Passio passionum* quibusdam dicitur. Sed nec ex Platonicis defuere, qui illum dixerint esse *quandam Animi fascinationem*, unde subdunt, cur tam facilè Amantes desipiant, macrescant, & non rarò etiam emoriantur. Vocant alii *primum Appetitus sensitivi motum in bonum sensibile*; quoniam inter cæteras Animi affectiones Amor primùm, & specialiùs fertur in bonum sensibile: cùmque bonum secundùm eosdem Platonicos duplex sit Intellectuale unum, Concupiscibile alterum; hinc etiam Amor, alter dicitur Intellectualis, & Divinus, alter Concupiscentiæ, & Terrestris.

Verùm omissis his, quæ de Amoris Natura alii retulere, dicamus Nos, Medicorum more loquendo, Amorem esse, *Affectum Animi procedentem ex Appetitu concupiscibili in bonum sensibile, cum manifesta Cordis agitatione*. Quamobrèm Aetius explicans illud Ovidii.

Res est solliciti plena Timoris, Amor.

inquit, non solùm ex illo Cor, & sanguinem vehementer commoveri, sed esse sollicitam quandam mentis insaniam, qua Amantes de objecto amato perpetuò cogitant, atque ad illud mente feruntur. Et quidem tanta solet esse non rarò ex vehementi Amore Animi perturbatio, ut plerique manifestam desipientiam incurrerint, ac veluti Ecstasi abrepti, fiant cogitabundi, & nec videant, nec audiant, quæ iisdem offeruntur, immò nil rectè prorsùs agant, quod cæteroquì, si animadverterent, benè, ac prudenter gestum vellent.

Ex his autem oritur, cur ab Amore partes cunctæ Corporis incalescant, & sæpenumerò febricitent; unde plurimi ad extremum contabuisse memorantur: quoniam sanguis ex perenni Cordis, & Mentis agitatione plus justo extenuatur, & acrior fit, adeòque ineptus evadit nutritioni, accretionique. Hac eadem de causa Pervigilium, Inquietudo, creber Anhelitus, Suspiria, Anxietas, & alia hujus generis mala plurima Amantes comitantur.

Sed speciatim de Pulsu animadvertere est, illum ex Amore celerem, frequentem, elatum, inæqualem, facilèque mutabilem fieri; unde fertur Erasistratum agnovisse Amorem Antiochi; & Galenum Juvenem amantem Romæ deprehendisse. Et quamvis Galenus ipse dicat 1. *prognost.* 4., nullos esse proprios Amoris pulsus, sed varios, quia nimirùm variæ passiones cum illo jungi solent, ad quarum diversitatem diversimodè Pulsus perturbatur: hic tamen pulsus varius, & inæqualis, videtur proprius Amantium, græcè *Eroticus* appellatus. Verùm ejuscemodi pulsus manifestior fieri solet ad præsentiam, vel ad memoriam Rei Amatæ: qua planè industria præfatos Authores ad deprehendendos Amantes, usos fuisse legimus. Hinc ergo patent Amoris incommoda: etenim præter Animi ingentem commotionem, inquietudinemque, plerumque contingunt febres pusillæ, de genere Hecticarum, macies totius Corporis, pallor ex mala ciborum digestione, nutritioneque; itemq; vigiliæ diuturnæ, deliria, & præsertim melancholia.

Sed tamen ex adverso, ab eodem multa beneficia non rarò manasse referuntur. Narrat si quidem Cardanus de proprio filio, qui cum ignavus omninò, incultus, ac ferè stupidus videretur; ab Amore evaserit perelegans, venustus, sagax, & facundus. Ovidius quoque, Magister Amorum, multa de seipso confitetur, eadem ex causa successisse. Verùm de his dicere non plus decet; cùm alioqui omninò certum sit, quòd quæ bona plurima ex Amore Intellectuali

pro-

proficiscuntur, nulla ex terrestri manare possint, nisi solum ad perniciem; ut in ipso filio Cardani, & in Ovidio, præ innumeris aliis evenere.

Pro curatione denique Amoris, multa à Medicis, & Philosophis Ethicis referuntur; licèt Propertius dicat:

Omnes humanos sanat Medicina dolores:
Solus Amor morbi non amat Artificem.

Atqui non curatur Amor amatæ rei fruitione, cùm subinde potiùs increbrescat, & per Zelotypiam acriùs, vehementiùsque divexet. Excogitarunt plerique universum veterem sanguinem è Corpore Amantis esse exhauriendum, ut ex novi sanguinis benigniori conditione fascinum rei amatæ penitùs deleretur: vel si hoc fieri nequeat, esse Corpus ejusdem pluries ab atra, & deleteria infectione repurgandum, quam ipsum contraxisse ajunt: in quam rem & Syrupi, & Aquæ, & Electaria, & Pharmaca, corrigentia simùl, & emundantia ejusmodi inquinamenta, commendantur. Exhilarantes prætereà confectiones, epithemata cordialia, ablutiones attemperantes, & alia similia, ab iisdem proponuntur. Verùm ista sæpenumerò inutilia sunt, quibus tam fixus plerumque est, & inquietus Animi affectus, ut nisi hic primùm averruncetur, reliqua omnia supervacanea evadant. Quamobrèm præstabit contrariis potissimùm passionibus, hærentem ossibus Amorem, sensim absque sensu primùm resecare; mox verò præsidia medica superaddere: neque verò ea, quæ tam manifestè iteratis evacuationibus sanguinem debilitent, & exhauriant, sed quæ potiùs in meliorem crasim reducant, & temperatiorem efficiant: Itaque conferet paulatim in mentem Amantis inserere defectus aliquos rei amatæ, & quidem tum physicos, tum morales; putà deformitatem, ægritudinem; mox etiam malos mores, infidelitatem, & similes, ut in illius odium, aut aversationem inducatur. Hac enim arte plerique recensentur ab Amore suæ Amasiæ excidisse. Juvabit ulteriùs applicatio Amantis in studia, negotia, lites, aliasque exercitationes, penitùs differentes, ut inde Mens aliò intenta, paulatim rei amatæ obliviscatur: quia sicut Otium fomes est Amoris, ità ex adverso corporis, & mentis exercitatio illum extinguit; unde Ovidius: (a)

Otia si tollas, periere Cupidinis arcus:
Comtemptæque jacent, & sine luce faces.

Et mox,

Finem qui quæris Amori,
Cedit Amor rebus: res age, tutus eris.
Desidiam puer ille sequi solet: odit agentes.
Da vacuæ menti, quo teneatur opus.

Affert & idem Ovidius aliud Amoris remedium, inquiens:

Successore novo vincitur omnis Amor.

At hoc potiùs est novo Amore, & fortasse pejore, veterem eradicare. Conducibilior autem est absentia ab objecto amato, & adhuc efficacior Peregrinatio; unde idem Poeta. (b)

Manat Amor tectus, si non ab Amante recedas:
Utile finitimis abstinuisse locis.

Verumtamen præstat cunctis, malorum ex Amore derivantium perpetua recordatio, juxtà monitum ejusdem Ovidii. (c)

Sæ-

(a) *lib.* 1. *de Rem. Amoris.*
(b) *lib.* 2. *de Rem. Am.*
(c) 1. *de Remed. Amor.*

Sæpè refer tecum sceleratæ facta puellæ:
Et pone ante oculos omnia damna tuos. (a)

Quare & librorum de ejus malis agentium assidua lectio summè proderit; itemque Corporis afflictatio, ciborum multorum abstinentia, cum morigeratis viris conversatio, mortis meditatio, atq; in Deum frequens, ac devota sui ipsius commendatio.

Odium opposita Amoris Passio, sicuti non raro eidem mederi consuevit, & profuit; ità sæpè etiam, cùm extrà limites excurrit, degenerat in furorem, & nedùm Amori, sed etiam Quieti, Paci, & animi tranquillitati adversatur, & officit. Hinc describitur, *Impetus Appetitus Irascibilis in malum sensibile*: Etenim quemadmodùm Amor dicitur motus Appetitus concupiscibilis in bonum; ità ex adverso Odium Impetus Irascibilis in malum. Jungitur etiam cum illo Displicentia, Discordia, Ira, quia per ejusdem affectionem sic perturbatur Cor, & sanguis, itemque Phantasia, imò & Ratio ipsa, ut omnes ferè operationes Corporis immutentur: quamobrèm vultus pallet, riget Corpus, albescunt labia, fauces arctantur, lingua titubat, pulsus deprimitur, oculi turbantur, frons rugatur. Hac de causa, nulla illius commoda memorantur, nisi solùm quod effrænato Amori medela sit. Cæterùm mala innumera ab illo exoriuntur, & quidem tùm Animi, tum Corporis; quia, ut dictum, facilè transit in Furorem.

Totis ergo viribus incumbendum, ut illi statim inter initia occurramus, non solùm inducto Amore rei odio habitæ, verùm etiam Animorum reconciliatione, ac pace. Multum etiam in hanc rem valent munera, venerationes, submissiones; itemque ut in Amore dictum, peregrinationes, vel in res jucundas, ac hilares, congruentes applicationes.

Ira passio affinis Odio, describitur à Philophis moralibus, *Vindictæ desiderium*, *seu Appetitus*: A Medicis verò, ut deducitur ex Galeno 1. *de differ. febrium cap.* 3. & 2. *de symptomat. caus. cap.* 5. definitur, *Ebullitio*, *seu Effervescentia sanguinis circà Cor*. Quamquàm idem Galenus 2. *de san. tuen. cap.* 9., in ejusce sanguinis ebullitione Furorem consistere asserat, cujus accessorium ultionis appetitum esse. Verùm fervor sanguinis Iræ potiùs causa est, procedens ex malo odio habito. Hinc Iracundia familiaris est biliosis, & atrabilariis dictis, ac facillimè æstivo tempore accidit, potissimùm ex immoderatis potibus vinorum meraciorum; Unde idem Galenus *aphor.* 4. *comm.* 2. Iram, inquit, Temeritatem, atque Immanitatem, seù Ferociam, atrabilarii humoris passiones esse; ut etiam Aristoteles 2. *sect. problem.* 26. insinuavit.

Incommoda ergò Iræ sunt, quòd febrim non raro excitet, ut multis quoque ostendit Galenus 1. *de differ. febr. cit. cap.* 3., nam sanguinem vehementer commovet, atque ad indebitè fermentescendum disponit; promota nimirum parte vo'atili, ac tenuiori, atque in partem sanguinis glutinosiorem adacta, unde etiam Cerebrum sæpenumerò afficitur, & in delirium, aut pervigilium lacessitur: quare Iracundi proclives quoque sunt ad Maniam, & Furorem. Observatum pariter est, nonnullos ex vehementi Ira Apoplexiam, vel Epilepsiam incurrisse: quosdam etiam ferè exanimatos repentina Syncope correptos, in terram concidisse, exsoluto spiritu, vel compresso, ab irrumpente sanguine, Corde. Multa ex adverso commoda afferre potest, præsertim in humidioribus, & crasso sanguine scatentibus: etenim illum attenuando, & serositates, ac flatus discutien-

(a) *V. etiam Terent. in Eunucho.*

tiendo, robur quodammodò excitat, & virilem animum efficit, ut propterea Galenus 3. *de difficult. respirationis cap.* 13., juxtà doctrinam Hippocratis *epidem:2.sect.* 4. doceat, prodesse nonnunquàm irasci, excitandi gratia nativum calorem, præsertim in decoloratis, & frigidis. Notabile est, quòd refert Franciscus Valleriola *in suis Observationibus*, quendam jamdiu paralysi, ac membrorum contractione laborantem, repentè ferè ex ingenti Ira, consanuisse, quam data opera assidentes promoverant, prudenti Medici consilio.

Denique quòd spectat ad ejusdem Remedia. Corrigitur Ira nedum contrariis passionibus, præsertim Timore, verùm etiam victus ratione, sanguinis acritatem temperante. Quòd si præterea talis, ac tanta sit, ut in Furorem vergat, tunc omni industria non solùm corrigendus sanguis erit, sed & ab ejuscemodi labe pariter repurgandus, quemadmodùm in Mania. Fertur similiter plurimùm in his prodesse Musicam, cùm plerique Ira perciti, furorem cantu, & harmonia temperarint: quippe Animi impetus suavi cantu demulcetur; cujus quidem Artis ope, peculiari quadam modulatione, in furorem adacti, coerciti plurimi referuntur.

Timor non infimum locum retinet inter Animi passiones, & licèt circà malum futurum versetur, illud tamen arduum, & difficile esse debet: cui scilicet vix resisti possit; spes tamen omninò extincta non sit, sed adsit, licèt exigua, imminens malum evitandi: quòd si inevitabile prorsus foret, non tam Timor, quàm Tristitia excitaretur. Hinc describitur Timor, *Motus Appetitus sensitivi ex affectione, quam imprimit malum imminens difficulter evitabile.* Ut autem ab eodem affectionis genere procedunt Spes, & Desperatio, ex bono absente arduo; ità Timor, & Audacia ab eodem pariter affectionis genere oriuntur, ex malo imminente arduo. At verò arduum Malum intelligi debet hoc loco, quod non solùm difficulter vitari potest, sed quod magni alicujus momenti est: etenim si levissimum foret, Timorem non inferret; quamobrem sicuti Spes adhuc fertur in Bonum difficile, & seipsam elevat ad superandam obicis difficultatem; sic pariter ex adverso Metus circà malum se habet; cùm ferè ab illo succumberet, nisi ab Audacia sublevaretur. Id autem evenit, quia in Timore sanguis quodammodò refrigeratur, & torpet, imò & Cor ipsum in suo motu plurimùm hebetatur, unde sensim deinde totum Corpus horrore corripitur, & pallore manifesto fœdatur. Qua de causa Timor describitur à Medicis: *Sanguinis refrigeratio, & vitalium spirituum conventus circà Cor, ob imminens aliquod periculum:* cùmque modicus, & quasi spiritu depauperatus sit ille sanguis, qui in partes extimas excurrit, propterea fit etiam, ut cutis universa rigeat, ac palleat, & pulsus fiat parvus, & frequens. Quandoque etiam sudor exoritur frigidus, cùm scilicèt ob ingentem hujus passionis vim, serum è sanguine exprimitur, & effertur in cutim, compressæque glandulæ subcutaneæ foras in sudorem illum extrudunt.

Ex hoc nunc patet, quænam sint incommoda, & detrimenta Timoris: is quippe sanguinem condensando, ad circuitum ineptum reddit, atque ob crassitiem, difficulter admodùm capillares arteriolas, ac venulas pervadit; unde totius Corporis torpor, & ad tactum manifesta refrigeratio. Si verò repentinus sit, ac violentus, nedum Animi defectionem, & syncopen, verum etiam mortem inferre potest; quemadmodùm deducitur ex Galeno 5. *de locis affect. cap.* 1. At verò plurima quoque ex illo proficiscuntur emolumenta: & quidem fluidum plus justo, tenuem, & æstuantem sanguinem reprimit, quocircà ejus fluxui momento ferè mederi solet, cum illum sistat. Non raró etiam febres quarta-

nas

nàs inveteratàs sub ipso horroris initio fugavit: etenim incusso repentino, ac inopinato Timore, invertitur quodammodò universus sanguis, & fermentum febrile penitùs pervertitur, ac immutatur, vel saltem obtunditur. Solvit quoque singultum, ea propemodùm ratione, qua cohibito spiritu, quicumque motus Septi transversi desinit, aut interrumpitur; indeque Ventriculus commovetur, & excutitur, atque à re eundem molestante liberatur; quare Singultus, Risus, atque etiam Tussis sistitur. Iram denique in furiosis temperat, si tamen is validus, vehemens, & subitaneus sit; aliter potiùs illam exasperaret.

Quod ad illius Remedia, partim ex contrariis passionibus, partim etiam ex rebus physicis illa petuntur. Ex contrariis passionibus quidem, excitata Audacia: hæc enim directè opponitur Timori; nā quemadmodum Timor sanguinem contrahit, & figit, Audacia ex opposito explicat, & dissolvit: in illo pulsus parvi, & languidi; in hac magni, elati, & vehementes: in illo pallor, tremor, frigus; in hac rubor, impetus, calor: in illo plantus, & ejulatus, animique demissio, in hac firma, & alta vox, atque elatum caput. Remedia verò physica sunt, primò victus ratio eorum, quæ calefaciendi, & sanguinem floridiorem reddendi, apta sunt; quamobrèm Vinum, ejusque spiritus, & quæcumque ex illo confici solent juvamento esse possunt; item omnia aromatica ex cinnamomo, pipere, caryophyllis: similiter ambra grisea, moschus, bezoinum, camphora, atque ex his paratæ confectiones alchermes, hyacinthina, diambra, omne genus elixiris, & alia quæcumque, Cor, & vitale robur fortificantia, prosunt, & opitulantur.

Sicuti Timor est de malo imminenti, ità Spes est de bono futuro, cui contraria passio est Desperatio, quæ circà bonum versatur, cujus tamen consequutio impossibilis creditur. Oritur autem Spes ex affectione, quam bonum absens, cum aliqua difficultate conjunctum, imprimit, & non aliter Nos commovet, quàm si arduum revera non foret: id enim intelligitur bonum, vel malum difficile, quod nonnisi difficulter obtineri, aut evitari possit; unde talis motus in Appetitu sensitivo, qui ex prædicta affectione oritur ergà bonum illud arduum, appellatur Spes: Desperatio verò ab opposito, cùm per motum illum à boni prosequutione desistimus, veluti putati impossibilis consequutionis. At verò scire oportet, excitatam in Nobis affectionem hanc, respectu boni absentis, tripliciter posse considerari: vel enim refertur ad bonum simpliciter, vel ad illius absentiam, vel denique ad ejusdem difficultatem. Sub prima consideratione, excitatur Amor, qui versatur ergà bonum, ut tale. Sub secunda, excitatur Desiderium, quod dirigitur ad bonum absens. Sub tertia, exurgit Spes, quæ est ad bonum quidem, sed arduum, non tamen invincibile. Et quidem, ut Bonum est, Appetitum Sensitivum allicit: ut absens, lacessit, & provocat: ut difficile, deterret, sed cum credulitate, quòd tandem assequatur. Quòd si difficultas talis, ac tanta sit, vel saltem ita putetur, ut consequutionem desperet, loco Spei, Desperatio exorietur. Hac autem ratione, ferè semper cùm Spe jungitur Audacia, per quam non omninò cessamus à Boni persequutione, quamvis illud difficile Appetitui objiciatur; immò contranitimur difficultati, ut eam tandem superemus. Hinc modò sequitur, cur in Spe vultus appareat hilaris, sed cum aliqua Animi anxietudine, atque impatientia, & totum Corpus exinde commoveatur. In Desperatione verò langueat vultus, deprimantur oculi, & Corpus totum veluti immobile observetur, cum taciturnitate, & mœstitia.

ſtitia. Quare ſicuti Deſperationi totis viribus occurrendum, ne hæreat, cùm plurima mala ab ea illicò exoriantur; ità omnis induſtria adhibenda eſt, ut Spes perenniter conſervetur: eſt enim de genere earum rerum, quæ numquàm non proſunt. Jure ergò finxit Ovidius 1. *de Ponto*, illam ſolummodò in terris nobiſcum commorantem remanſiſſe, cùm cecinit:

Hæc Dea, cùm fugerent ſceleratas Numina terras,
In, Diis inviſa, ſola remanſit humo, &c.

Porrò per eam Animus ſublevatur, & vires ſuſtinentur, ne concidant.

Gaudium, ſeù Lætitia, quamvis à pleriſque ad Rationalem Appetitum referatur, quia tamen adhuc in Appetitu Senſitivo, ad præſentiam objecti delectabilis, excitatur, idcircò, ut differentia aliqua inter utrumque ſtatuatur, appellandam nonnulli propriè volunt Lætitiam, in Appetitu Senſitivo, Voluptatem; Gaudium verò in Appetitu Rationali; Delectatio autem ſit utrique communis. Verùm hæc ſæpe ſæpiùs à Philoſophis, & à Medicis confunduntur. Definitur ab his, quòd ſit *Exceſſus quidam Concupiſcibilis Appetitus, cum manifeſta Cordis amplificatione*. A Moralibus verò quod ſit *Motus quidam in Appetitu Senſitivo ex præſentia boni ſenſu percepti*. In utraque definitione Motus dicitur concupiſcibilis Appetitus, nam reverà ad hunc pertinet, qui ad præſentiam boni commovetur, & quodammodò exultat: Voluptas enim, ac Delectatio nonniſi de bono eſt, & non ſolùm in ſenſu interno, ſed etiam in externo manifeſtatur: quandoquidem cùm gratum E. g. cibum guſtamus nedum delectationem percipimus in ipſo Appetitu concupiſcibili, verùm etiam in Organo Guſtatus; quamobrèm meritò dicitur, ex præſentia boni, ſenſu percepti; quia reverà ſenſus oblectatur circà gratam affectionem extrinſecùs habitam, & intrinſecùs deinde impreſſam; unde etiam vellicationes, titillationes, atque internæ commotiones in ſanguine, & partibus ſolidis percipiuntur, & ſpecialiùs in Corde, ut patet ex pulſu magno, & elato, ob uberiorem ſanguinis appulſum. Sed & Septum quoque tranſverſum ſubinde commovetur, atque amplificatur; quandoquidem facillimè conſequitur inde Riſus, & Thoracis amplitudo, ſimulque unà totum Corpus exultat, & roſeo colore perfunditur.

Verùmenimverò, quamvis tot beneficia afferat Gaudium, & Lætitia, non rarò tamen modum excedens, Animum, & Mentem conturbat, imò ſanguinem, & ſpiritus plurimùm à Corde ſegregando, imbecillum, effæminatumque illum reddit, atque inducta virium jactura, exſolutoque ſpiritu, repentè aliquando interitum attulit: ut præcæteris memorat Galenus 2. *de cauſ. ſymptom. cap.* 5. Qua etiam ratione accidit nonnullos immoderato Riſu periiſſe; cujus mortis genere memorantur extincti Sophocles, Dionyſius Tyrannus, & Diagoras Rhodius. Sed prodeſt ex adverſo Mœſtis, & Melancholicis, in quibus tamen metuenda adhuc eſt ejuſcemodi repentina mutatio, cum interitus his faciliùs contingat, eo quòd depreſſum Mæſtitia Cor, effœtuſque ſanguis, ſi per Gaudium repentè diffletur, facillimè fatiſcit, & emoritur. Cæterum ſi fortaſſe exigatur ingentis Gaudii remiſſio, putà, cum ſpiritus vitales diſſipantur, & evaneſcunt, occurrendum leviter infrigidantibus, & incraſſantibus ſimul, ac roborantibus, ut nimirum ab illis ſanguis temperetur, & evolantes ſpiritus compeſcantur. Sed & cohibendus quoque erit ejuſmodi affectus immoderatus contrariis paſſionibus, & præſertim ſi cum immodico, & effrænato riſu jungatur, incuſſo aliquatenùs Timore, objecta ſcilicèt re, aliquantulum moleſta, itemque repræ-

repræsentatis iis, quæ sensim ad Mœstitiam deducant. Verumtamen hæc non affatim sunt inducenda, ne subitam, ac violentam in Corde motionem penitus contrariam, & non minùs periculis vacuam, excitantia, Vitam in pejus adducant, aut de medio tollant.

Gaudio, & Lætitiæ directè opponitur Mœstitia, quæ *Animi affectus est, in quo desperato Gaudio, ob aliquod malum præsens, vel ut tale putatum, Animal mente, & corde dejicitur, adeòque dolentem, negligentem, sylvestremque vitam ducit.* Necesse est itaque, ut ex objecto malo sensibili, similis affectio Menti, & Cordi inferatur, ut exinde mala impressio universo etiam sanguini inducatur; qui proptereà in suo motu retardatus, parumper concrescit, & crassius, terrestris, acidusque evadit. Hinc non solùm in organis internis, verùm etiam in externis, potissimùm in facie, & oculis, ejusce mœroris affectio manifestatur; siquidem vultus livescit, oculi illacrymantur, & totum Corpus manifesto torpore corripitur; quin & Pulsus contrahuntur, ac debilitantur, fiuntque in mœrentibus tardi, rari, pusilli; quoniam sanguis hebescit in motu, & concrescit in crasi. Hac eadem de causa, ob diuturnam mœstitiam, partes cunctæ Corporis marcorem incurrunt, corrugantur, frigescunt, cum vigilia, inappetentia, & non raro etiam cum delirio melancholico. Unde patent damna Mœstitiæ, etenim pigrum, ineptumque hominem reddit, Cor atra fuligine opprimit, & si diù perseveraverit, insaniam parit, per quam societas, conversatio, & quodcumque valet Animum reficere, & exhilarare, molestiam afferunt. Potest tamen ex adverso aliquandò prodesse, si moderata sit, præsertim iis, qui ex immoderato gaudio corde afficiuntur, & in leipothymiam proclives sunt. Excedentem quoque transpirationem inhibet; quamobrèm sudori immodico opitulatur, ut & sanguini immoderanter fluenti. Id autem, quod à quibusdam fertur, sapientiorem Animum efficere, authoritate Aristotelis 3. *sect. problem.* 1., verum omninò non est: etenim ad Sapientiam, Prudentiam, & Ingenium, exquiritur repurgatum, detersumque Cerebrum, unà cum sanguine tenui, florido, ac puro, multisque spiritibus referto: quæ omnia in Melancholicis, & Mœrentibus deficiunt. Atqui Aristoteles cùm dixit: *In Republica administranda, in Carminibus pangendis, & in studiis Philosophiæ Melancholicos extitisse optimos*, non intellexit de Melancholicis ex atro, acidoque sanguine, sed solùm in rebus agendis graves, seriò animadvertentes, profundèque cogitantes, quales referuntur atrabilarii potiùs, quàm reverà melancholici (*a*). Postremò quod attinet ad illius correctionem, commendantur Mœstis, & Melancholicis quæcumque vim habent repurgandi sanguinem à fœculenta terrestreitate acida spiritus figente. Quare plurimùm in id valet Aer lucidus, tenuis, purus, & apricus; cujus sanè beneficio plerique à diuturna mœstitia convaluere. Res pariter odoræ, gratèque olentes, optimæ sunt: aspectus quoque virentium arborum, deambulationes per loca amæniora, idque genus alia. Verumtamen oportebit ex adverso ea omnia simul unà removere, quæ occasionem mœrendi præbere, vel doloris causam memorare possunt. Qua arte usa fertur Græcorum Helena, cùm Trojani excidii apud eos mentio fieret. Simul enim suum Nepenthes illis offerebat, & ad res lætas sermonem convertebat, ut Author est Homerus. Hinc Amicorum suavium societas, & musicis instrumentis excitata voluptas, summum remedium mœstis est. Attamen non ideò cohi-

(a) *Legatur Comment. nostr. super aph. 23. 6.*

cohibendus eisdem est fletus, & ejulatus, quo plurimùm Cor, & Cerebrum atro illo humore exonerantur, & Animus è tanta tristitia sublevatur. Sed cur lacrymæ tam facilè prosiliant in mœrentibus, quæ non rarò ex nimia lætitia adhuc in gaudentibus comparent? Ratio deducitur ex varia impressione ocularibus glandulis illata; quippequæ constringuntur, ac exprimuntur propter dolorem in Mœstitia, & amplificantur plus justo in Gaudio: utroque autem modo fieri potest illacrymatio: glandulæ enim oculares, ubi aqueus liquor continetur, sunt instar spongiæ, quę sive comprimantur, sive delaxentur, contentum liquorem emittunt. Denique ad Mœrorem valde confert somnus: is enim laxat fibras Cordis, Cerebri, & Nervorum, quæ ex dolore, & luctu erant corrugatæ, & contractæ; siquidem ex mœrore dolentes, plurimum conqueruntur de quadam Cordis compressione, & Thoracis angustia: quamquàm hæc ad Diaphragma potiùs pertineat, quod sicut in Gaudio nimiùm amplificatur, ità in Mœstitia constringitur; unde etiam Respiratio interrupta, Singultus, Suspiria. Si ergò Somnus Mœrori remedio est, planè quæ vim habent sopiendi, cujusmodi sunt ex opio concinnata, præsentanea auxilia erunt: ejus equidem virtutis dicitur fuisse Nepenthes illud Homericum, à quo suum Joseph Quercetanus, Hartmannus, aliique denominatum voluerunt. Verùm de hoc legi meretur noster Petrus la Seina *peculiari libello*, quem inscripsit, *Homeri Nepenthes*. Veruntamen ex Vino, & Cordis exhilaratio, & Mentis sopor, commodè inducitur ad Męstitiam abigendam: quocircà in Sacris Literis summoperè mœrentibus commendatur: *Date siceram mœrentibus, & Vinum his, qui amaro sunt Animo*.

Ex omnibus autem Animi passionibus dubitare nunc contingit, quæ nocentior, & perniciosior censenda sit. Et quidem pro singulis sunt qui pugnant, cùm omnes pro rata sua, & pro varia Corporum habitudine, gravia, & lethalia symptomata afferre valeant. At verò circumscripta quacumque morbosa, aut imbecilla Corporum constitutione, vel naturali propensione, & consideratis dumtaxàt Animi pathematibus secundùm propriam uniuscujusque affectionem, quam humano Corpori inferre solent: dicendum, quòd vel difficultas proponitur de subito, ac repentino malo, vel de diuturno, fixo, ac propterea difficiliùs superabili. Si de primo genere malorum sermo sit, profectò efficaciores, periculosioresque erunt, summa, ac inopinata Lætitia, & vehemens, ac repentinus Timor. Si verò de secundo genere, erit Mœstitia, & radicatus Amor. Ex Iratis enim, si credendum Galeno, 2. *de Sympt. Causis cap.* 5., nemo mortuus est; utpotè quia nec calor vitalis in illis infringitur, nec robur virium dissolvitur, ut ipse subdit. Et quidem nemo interit nisi Cordis robore labefactato, quod in Ira potiùs acuitur, quàm dissolvatur; & licèt per Iram portio aliqua sanguinis extenuetur, rarescat, & exsolvatur, illa tamen modica est; crassa, & glutinosa verò, quæ abundantior, longè magis per Iram vivificit, & perficitur. Cùm igitur in Ira non totus sanguis exsolvatur, neque Cordis motus deficiat, sed potiùs elatior fiat, proculdubio per ipsam neminem interire posse fatendum. Quòd si aliquot historici referant, quosdam ex Ira periisse, certè hi non ex Ira propriè, sed ex alio accidenti, puta extrema inedia, vigilia diuturnà, febre, aliove simili, & ferè ex arbitrio, mortem subiere; aut etiam ex voluntaria respirationis cohibitione, quemadmodùm fuit Barbarus ille servus relatus ab eodem Galeno 2. *de motu musculorum*, qui cohibita respiratione sibi mortem intulit: sed & nonnulli seipsos quoque ex Ira interfece-

ce-

cerunt, gladio, ruina, veneno. De cæteris Passionibus res est manifesta, quòd ejuscemodi damna inferre nequeunt, quemadmodùm ex superiùs traditis evidenter colligitur; exceptis Amore, Mœstitia, Gaudio, & Timore, à quibus Interitus sæpissimè accidit; eo tamen discrimine, quòd ab Amore, & Mœstitia seriùs, citiùs verò, immò aliquando repentè, ex ingenti Gaudio, ac vehementi Timore ut etiam adnotavit Galenus 5. *de locis affect. cap.* 1., cujus rationem idem attulit *cit.* 2. *de Symptom. caus. cap.* 5. Experimento pariter pluries constitit, eos, qui ex mœrore mortui sunt, nonnisi post diutinum tempus obiisse, extrema macie consumptos, & penitùs tabefactos: quippe ex Amore perierunt (dummodò in furorem adacti sibi ipsis mortem non intulerint,) lenta febre, ac paulatim consumpti sunt.

Pro Praxi denique advertendum, quòd admonet Galenus *lib. de ludo parvæ pilæ*, nil magis conferre ad morbos omnes facilè tolerandos, quàm hilari, ac speranti animo esse: cui inhærens Vallesius 1. *meth. cap.* 15. consulit, ut in qualibet ægritudine spem, & gaudium sibi languentes concilient: Plerique enim sunt, qui propter morbi formidinem adeò tristantur, ut illius conditionem longè deteriorem reddant: contra verò gaudentes, & sperantes, faciliùs morbum sufferunt, & abigunt, sublevata per Gaudium, & Spem Natura. At verò nec prætermittenda est ejusdem Vallesii in hanc eandem rem animadversio: interdum enim ægri ob nimium gaudium, summamque spem, quam habent, putantes potissimùm ægritudinem levem esse, suaque sponte desituram, inobedientes, ac immorigerati evadunt, unde plurima in victus genere errata committunt, medicamenta deserunt, & Medico rectè præcipienti non obediunt, quàmobrèm morbi causam fovent, & morbum ipsum exasperant. (a) Ne igitur ejusmodi malè agendi occasio ægrotantibus præbeatur, debet prudens Medicus, vel timorem illis incutere, vel morbum quamvis levem, paulo graviorem indicare, vel saltem sub aliquo dubio referre, ut exinde, prudentiores, & cautiores fiant. Verùm sicuti hoc pro temerariis ægris efficacissimum videtur documentum; ita timidis, & pusillanimibus; non raro poterit esse perniciosum. Quare prudenter, & scitè Galenus 6. *epidem. comm.* 2. *t.* 43.; ità rem hanc distinctam ferendam voluit: *si ægrum non timidum esse cognoveris, vera ipsi dicere conaberis, nihil eorum, quæ in morbo futura sunt, subtrahens, neque dissimulans; at si timidum; omnia ex quibus ipse meliori animo futurus sit, dicito; neque tamen magnoperè mentiaris*. Hæc ille.

Quoniam verò præter antedicta, maxima quoque exquiritur in ægroto confidentia ergà Medicum, qua sibi promptiùs spem recuperandæ salutis conciliat, atque hæc ex forti Imaginativa promanat, ut proptereà plerique Medicorum conati semper sint, illam impensiùs, quo fieri potuit, commovere; operæ pretium existimavi, hoc loco de Viribus ejusdem, quantum ad Medicum negotium facere videbitur, edisserere, ut exinde quisque sciat, quàm illa in Nobis valeat; proinde fit.

De Viribus Imaginatricis.

DE vi, atque efficacia Imaginatricis facultatis, multa equidem Authores varia, ac propemodùm admiranda, literis tradidere, (b) cùm ipsa Radix sit cunctarum passionum in Appetitu sensitivo

(a) *Confer. etiam, quod idem inquit 4. meth. c. 3. & in 6. epidem. 2. t. 36.*

(b) *V. de Viribus Imag. Thom. Fien. qui ex aliis plurima in unum recollegit.*

vo excitatarum, atque animalium operationum sentientis Animæ potior, ac principalior origo. Neque solùm in operationibus sensitivis, & motivis, præcipua causa est, sed in vitales etiam, & naturales imperium exercet. Nos eapropter juxtà earumdem divisionem, quam Medici communiter recipiunt, Animalium, Vitalium, & Naturalium, vires illius prosequemur, selectiora dumtaxat recolligentes.

Et quidem primò in operibus Animalibus maximam vim exserit Imaginatrix; omnes etenim Operationes Animales tum sensitivæ, tum motivæ, ad unicam Imaginativam ipsis prępositam revocantur: sensitivæ quidem, quoniam Æstimatio, Memoratio, sensus communis, & quicumque alius sensus internus, reipsa cum Imaginativa confunditur, aut ab ipsa regulatur, ut latè probatum supponimus ex physicis. Sensus quoque externi, ex communi omnium sententia, ab internis sensibus reguntur, atque adeò specialiter ab Imaginativa; unde Aristoteles putavit cunctis Animantibus duos tantùm sensus esse necessarios, Externum unum, putà Tactum; Internum alterum, nempe Imaginatricem: reliquos verò, sicut in plerisque deficiunt, sic ad vitam sustinendam necessarios non esse jure optimo est arbitratus. Motivæ verò operationes, quoniam in musculis, aut per musculos fiunt, planè ab Imaginatrice diriguntur, atque illius ductu, ac regimine peraguntur.

Atque hinc modò est, quòd in ægritudinibus Capitis, in quibus sensus interni imminuuntur, vel abolentur, Apoplexia, Caro, Lethargo, Comate, sola semper vigeat Imaginatrix, nec unquam deficiat, etsi functiones reliquæ lædantur, nisi tantùm cum Animalis interitu; quamobrem depravari dumtaxat potest, ut in Deliriis, nequaquam verò penitùs aboleri, ac extingui, vita superstite. In somno pariter Naturali, licèt sensus omnes consopiantur, atque in suis operibus ferientur, sola tamen Imaginatrix vigilat, quemadmodùm patet in Insomniis, in quibus nedum operationes Animales internæ peraguntur, verùm etiam nonnunquàm externæ, cùm dormientes jactemus crura, brachia, totumque corpus commoveamus; sintque non pauci, qui obloquantur, rideant, plorent, ambulent, ut in somnambulis palam est.

In eisdem quoque operationibus internis mira videtur esse hujus Imaginativæ potestas; etenim ob simulacra, tam hærenter eidem infixa, plerique fuerunt, qui se vitreos existimarint: alii Naso, Capite, cæterisque membris diminutos: alii se pro Regibus, aut Principibus habuere: alii se alatos esse; alii se versos in Angelos, in Deos. Contra alii, sibi hostes insidiari: alii noluerunt edere, bibere, respirare, mingere, ut innumeris exemplis testantur Authores.

In Operibus similiter Vitalibus vim suam non levem Imaginatrix exercet, cùm Respiratio, & Pulsus plurimùm immutentur, & varient pro ejusdem affectione varia; sicut in Delirantibus, Melancholicis, Ecstaticis, aliisque est experiri; ut prætheream hìc, quæ hactenùs de Animi pathematibus est memoratum, in Corde, & sanguine perturbatis. Hac eadem de causa accidit, febres ex vehementi Animi commotione excitari, præsertim ex Ira, & Amore; vel contrà ex repentino Timore desinere. Sic etiam Risus, Singultus, Oscitatio, statim desinunt, commota ab objecto inopinato Imaginativa.

In Operibus denique Naturalibus, quàm valeat Imaginatrix, cunctis notum: Nam & fames, & chylificatio, ac fœcum egestio, atque urinæ expulsio, aliæque naturales operationes vitiantur ad ejusdem Imaginatricis perturbationem. Nonnullis sola pharmaci purgantis imaginatio-

ne, apprehensioneque, alvi dejectio promota est; aliis vomitus repentè concitatus, ab aspectu rei nauseam moventis, vel etiam ab olfactu malè olentis objecti; aliis, tristis alicujus rei apprehensio, totius Corporis horrorem incussit. Sed admirabilius sanè, quòd in partibus generationi destinatis, ex Imaginatione, apprehensioneque delactabilis objecti, contingit, ut etiam noctu, atque in profundo somno, propter insomnia turpia, & obscæna, semen effundatur; quamobrèm fit, ut ferè communiter credatur, plurimùm Imaginativam in fœtuum generatione cócurrere; indeque maculatos infantes oriri, diversis stigmatibus affectos, pro rerum, in concubitu, & formatione fœtus, apprehensarum, aut concupitarum, varietate.

Morbos quoque Imaginatrix vehemens inferre potest, ut etiam, & removere. Sic plurimi ex forti imaginatione, qua se malè habere arbitrati sunt, in pessimas ægritudines inciderunt. Contrà alii à gravibus ægritudinibus evasere per imagines, manuscriptas chartulas, simulacra, periapta, signacula, quibus sisi, tam potenter Imaginatrici illorum efficaciam impressere, ut seipsos certò inde sanandos crederent, & reipsa sanati sint. Atque hinc plurimi Circulatores ridiculis planè carminibus gravissimas ægritudines profligarunt: unde Paracelsus tot amuleta, ac periapta excogitavit; itemque characteres, sigillaria, & numismata descripsit, ad Imaginativam scilicet commovendam, & sublevandam, per quam ingenti spe excitata, Natura morborum causas vinceret, ac debellaret. Hinc etiam Transplantationes morborum in saxa, fluvios, arbores, aliaque insensilia, originem traxere, quæque Arcana, & Secreta dicuntur, à plurimis Authoribus recollecta.

Neque solùm plerique statuunt, Imaginativam vires suas in iisdem Corporibus, in quibus viget, exserere; sed etiam in alios quoque transferre, ac transfundere posse addunt; cùm asserant inveniri quasdam Hominum species, quales creduntur sub certa Astrorum configuratione geniti, qui morbos in alios inferant, aut excitent: cujus sententiæ faciunt Avicennam, ejusque Interpretes Forolíviensem, Gentilem, Petrum Aponensem, aliosque, qui plurima illatarum exindè ægritudinum exempla congessere ad perniciem usque, sola Phantasiæ efficacitate. Sic etiam nonnulli alii testantur posse ex adverso, ejusdem activitate, morbos quoscumque sanari; ut de Domitiano Suetonius scribit. Pariter fatentur alii Phantasiæ vehementis vi, atque imperio, ferocia adhùc animalia compesci, Serpentes avocari, illosque innoxiè tractari, & alia planè admirabilia peragi. Ad hanc quoque classem referunt vim Fascini, & Incantationis, qua existimant ab Imaginatricis Virtutis præcellentia unius, alterius Phantasiam veluti inferiorem, ac quodammodò subordinatam, turbari, atque tam violenter commoveri, ut exinde operationes cunctæ lædantur, ac vitientur. Verùm hæc vana omninò sunt, & commentitia. (*a*) Qua verò ratione contingant, mox clariùs aperiemus, ubi tamen priùs aliqua de Fascino, & Incantamento, paulo altiùs edisseruerimus.

De Fascino, & Incantamento.

INter ea, quæ Naturæ Arcana dicuntur, atque in abditis Philosophiæ penetralibus sunt recondita, Fascinum, & Incantamentum à plerisque collocatur, cùm nedùm de ejus Natura, controversiæ plurimæ, & variæ, à Doctoribus motæ sint, verùm etiam de illius Etymologia, ac significatione, non leviter insuper contendatur.

Et

(*a*) *V. Andr. Libav. in Osvvald. Croll. Mag.*

Et quidem Nonnulli cum Martino Del-Rio *lib. 3. disquis. Magic. quæst. 4. sect. 1.* Fascinum, seu Fascinium existimant Græconymum esse, idem significans, ac Invidentiam apud Latinos: quique in hac re sequuntur Cælium Calcagninum *opusculo de Calumnia*, & Franciscum Vallesium *lib. de Sacra Philosophia cap. 68.* putantes, idcircò invidentiam significare, quia vis fascinandi oculis potissimùm inest, ut etiam vulgus opinatur: quin ipsa vox *Invideo*, si Ciceroni credendum, nimium videre sonat; nam qui invidet, nunquàm oculos ab eo, cui invidet, removet. Hinc D. Augustinus, relatus ab eodem DelRio *cit. loco*, exponens illud *Deuteronomii cap. 28. Invidebit Fratri suo*, vertit, *fascinabit fratri suo*. At verò Zacutus Lusitanus *lib. 3. Histor. Principum Medicor. qu. 31.* à Fasce, vel Fascia, dictum putat Fascinum, & Fascinium, quia ligat, & quasi fasciat, quem læsit: juxtà quam expositionem, nonnulli apud Lazarum Guttierium *opusc. de Fascino dub. 1.* Fascinum describunt, quoddam Incantationis genus esse, quo homines ità ligantur, ut liberi non sint, nec suæ mentis compotes. Alii verò, ut refert Daniel Sennertus *Tom. 4. lib. 6. p. 9. cap. 1.*, ut & Zacutus suprà memoratus, Fascinii nomen à fando deductum arbitrantur, eo quòd opinentur, verbis, laudatione, & incantatione Fascinum inferri; quin alii, hac ratione moti, potiùs à verbo Facio, ejus originem desumunt, cùm effascinatores Malefici sint, & perniciem moliantur, ut præ cæteris existimat Nicolaus Perotus *in Cornucop. Martial. epigramm. 2.* Denique nonnulli alii ob id Fascinum nuncupatum volunt, quòd Infantibus potissimùm, utpotè mollioribus, ac tenerioribus, in cunis jacentibus, & fasciis obstrictis, noceat.

Sed neque solùm in Nominis derivatione tam dubii sunt Authores, verùm etiam in ejusdem Natura, ac Definitione; siquidem non omnes illud uniformiter vel describunt, vel admittunt; ut proinde ausim dicere, eximios cæteroqui Philosophos, cùm de aliis rebus accuratissimè disseruerint, Fascinationis tamen Naturam hactenùs, parùm, vel nihil attigerint, & nullatenùs sint assequuti. Verumtamen istud inde accidisse crediderim, quia non omnes conveniunt sit ne Fascinum quidpiam fabulosum, vel dæmoniacum, an verò quid Physicum, & Naturale, & nonnihil etiam cum contagione conjunctum: quare quilibet pro suo arbitratu Fascinationis Naturam descriptam voluit.

Primùm autem ex Theologis plerique, super Expositione *cap. 3. Epist. D. Pauli ad Galatas*, (a) Fascinum describunt, esse *Sensuum ludificationem*; siquidem magicis illusionibus per ipsum homines decipiuntur. Alii cum Vairo *lib. 2. de Fascino, cap. ult.* illud inquiunt esse *perniciosam qualitatem, diabolica arte illatam, ob tacitum, vel expressum hominum pactum*: quam etiam definitionem tradit, & recipit Martinus Delrius *super alleg. loco*. Alii, ut refert Sennertus *supra cit. loco*, Fascinum faciunt, *Incantationis genus, quo intuitu, & laudatione, homines, bruta, imò etiam plantæ ipsæ contabescunt, & emoriuntur*. Zacutus prætereà Lusitanus suprà relatus, est, inquit, Fascinatio, *perniciosa quædam qualitas propter odium, vel amorem inflicta*. Sed & Vallesius *cit. lib. de Sacra Philosophia cap. 68.* *quia qui benè valent, & deinde ægrotant, vel venusti deformes fiunt, fascinati dicuntur*, inquit, *Effascinatores esse, qui nimiùm acutè intuendo, ipsos lædunt, idcò videtur esse*, subdit, *Fascinatio, læsio oculis illata, & concepta, profecta ex quadam*

(a) *V. Card. de Vio Cajet. super illud: O insensati Galatæ, quis vos effascinavit, &c.*

dam *affectione Animi ejus, qui intuetur: quapropter rationem aliquam pulchri, aut expetibilis esse oportet in eo, quod fascinatur, & malignitatis in Fascinatore*. At verò Jo: Lazarus Guttierus *opusc. de Fascino dubio* 3. definit illud esse *Venenum invido animo illatum, & vel visu immissum, vel verbis ejaculatum*. Addunt alii cœlestem influxum, unde Fascinum latiùs hunc in modum describunt, ut refert Vairus *cit. lib.* 1. *de Fascino cap.* 2. *Perniciosa quædam qualitas, visu, tactu, voce, conjunctim, vel divisim, sub certa Cœli constitutione adhibita, propter Odium, vel Amorem inflicta*. Restrictiùs verò Sanctacrucius *lib.* 1. *de Morb. & Symptom. cap.* 4. Fascinum describit, *Affectum ab oculis videntibus rei visę communicatum, & in aliqua prava qualitate fundatum*. Denique Jo: Langius *Epistol. medic. lib.* 2. *epist.* 36. Fascinum existimat, læsionem quandam esse ob effluvium malorum vaporum venientium ex Corpore venenato, unde Fascinationem ait esse: *Vaporis virulentiam è Corpore noxio, natura ab aliis diffidente: seu defluvium, quo aliorum Corporis habitus, & spiritus, per visum, contactum, invidiam, ob vocis, & maledicæ linguę virulentiam, per vaporis halitum conspurcati*.

Tanta autem in his varietas orta videtur, ut dictum, ex eo, quia non apud omnes æquè constat, an Fascinum sit quid Naturale, an Dæmoniacum, & num etiam Fabulosum potiùs, ac mente confictum. Etenim nonnulli sunt, qui putant fascinandi vim à Nativitate quibusdam Corporibus inesse, adeòque dari Fascinatores à Natura: cujus opinionis præcipuus est Zacutus Lusitanus. Alii verò existimant solùm hoc à Dæmonibus excitari, proindèque rem, omninò Dæmoniacam Fascinationem arbitrantur: hominibus verò inferri per Magiam, & Incantationem, mediante pacto implicito, vel explicito, cum Cacodæmone. Immò Martinus Delrius *disquis. Magic. lib.* 3. *quęst.* 4. *sect.* 1. addit, ejusmodi genus hominum ab ipso Dæmone, speciali quodam stigmate obsignari, Canis, Equi, aut alterius Animalis; vel etiam duplici pupilla, in alterutro oculorum, à cæteris contradistingui: etsi Plinius scribat *lib.* 7. *cap.* 2. hos naturaliter ità signatos nasci; quemadmodùm Ovidius 1. *Amor. eleg.* 8. sub persona Liciæ Aniculæ Incantatricis memorat. Atque hinc fortasse factum, cur apud Veteres, ad arcendum Fascinum, inventa fuerint Carmina, (seu Versus quidam) in Nuptiis dici solita, & Fescennina appellata, quæ primùm scripsisse, atque in usum duxisse ferunt, Pompejum Festum.

Verùm enim verò quærendum primò est, an reverà Fascinum detur, ex quo Morbi inferri possint: Nam non desunt, qui id penitùs inficientur; quamvis plurimi alii sint, qui id affirment, imò & visu, & voce, & laudatione, præter contactum, & contrectationem, ægritudines infligi posse contendant: & primùm de visu afferunt illud Virgilii:

Nescio quis teneros oculus mihi fascinat Agnos.

Adduntque Plinii Authoritatem *lib.* 7. *cap.* 2. attestantis in Illyriis inveniri, qui visu effascinent, (a) eosque à cæteris internosci, quòd binas pupillas in unoquoque oculo habeant; unde Ovidius describens Aniculam illam Incantatricem, dixit: (b)

Suspicor, & fama est, oculis quoque pupula duplex
Fulminat, & geminum lumen ab orbe venit.

Quinimmò vulgus putat, non solùm ab Invidis, Iratis, & Inimicis, sed à quibuscum-

(a) *V. etiam A Gellium lib.* 9. *cap.* 4.
(b) *cit. eleg.* 8. 1. *Amor.*

cumque etiam familiaribus, adhùc Amicis, Infantes potissimùm posse effascinari; adeout Plutarchus 5. *sympos. qu.* 7. mulieres admoneat, ne diutiùs Infantes suos ab ejusmodi hominibus inspectari sinant.

De voce etiam, & laudatione adjiciunt, ex eodem Virgilio *Ecloga* 7.

Aut si ultrà placitum laudarint, baccare frontem
Cingite, ne vati noceat mala lingua futuro.

Idemque testatum à Plinio *lib.* 7. *cap.* 2. qui scribit in Aphrica integras reperiri familias effascinantium, verbis, & laudatione; unde prodiit, quod vulgò adversus eos, qui nimium laudant, inclament: *Benedicat Deus*: (a)

Postremò contactu idem fieri posse fatentur, ex eodem Plinio *cit. loco*, qui testatur in Æthiopia esse quosdam, quorum sudor contactu noceat, & effascinet: confirmatque Codronchius *de Morbis veneficis lib.* 2. *cap.* 3. Atqui solo etiam halitu fatetur Plutarchus ex Philarcho *c.* 5. *sympos. qu.* 7. *Thibiorum spiritu, & sermone affectos contabuisse, & ægrotasse*, itemque *interno odio* dumtaxat: quapropter Horatius: *Odio obscuro, morsuque venenat.*

Hisce Authoritatibus adjiciunt Rationes. Inquiunt enim ex his generibus hominum vapores, & halitus tam infensos emitti, ut adstantes, præsertim pueros; quorum carnes tenerrimæ, facilè inficiant: qua ratione subdunt, menstruantes fœminas, effluviis malignorum halituum, ex oculis erumpentium, lucidissima specula inficere, lippientibus oculis affectos pari ægritudine, adstantes contaminare. Afferunt quoque exemplum de Basilisco, qui visu inficit, & enecat; ac de Lupis, de quibus Virgilius cecinit: *Lupi Moerim videre priores*; eo quòd si primi hominem inspiciant, raucum faciant, pro contactu verò, & contrectatione palam est apud omnes, menstrui sanguinis effluxu, tactas virentes arbores arefieri, abortum prægnantibus inferri, & rabiem Canibus, per ejusdem contactum, aut linctum.

Addunt quoque experimenta, desumpta ex pluribus observationibus Medicorum, qui fatentur se multa genera ægritudinum per fascinum, & incantationem illata, observasse. Sic fatetur Langius *lib.* 1. *epist.* 38., vidisse quendam diù acerbissimis doloribus ex fascino cruciatum, qui deinde, ejecto cultro per cutim ex uno hypochondriorum latere, seipsum occiderit: aperto autem cadavere, inventa in ejus ventriculo fuere diversa ferramenta, ad formam serræ, vel cultri, unà cum variis capillorum globulis. Fœminas alias memorat Alexander Benedictus *l.* 7. *suæ Praxis*, ejecisse acum crinalem cum capillis. Alii plures eodem fermè modo doloribus agitati referuntur, res propemodùm extraneas egessisse, ut ex Foresto, Codronchio, Benivenio, C. Gemma, cæterisque fusè colligit Sennertus *c. l.* 6. *p.* 9. *c.* 3. Sed & quibusdam suppressam fuisse urinam; aliis carnalem copulam, atque coeundi usum impeditum; aliis excitatum continuò vomitum; aliis Tabem inductam; aliis iteratas syncopas, & cætera graviora mala; quæ ad interitum miseros ægrotantes tandem deduxerint, vel saltem nulla arte curabiles.

Attamen ex adverso Jo: Vvierus *De Præstigiis Dæmonum lib.* 3. *cap.* 14., in dubium hæc omnia vertit, immò acriter contendit, ab ejusmodi fascinationibus Morbos infligi non posse: quæ verò à præ-

(a) *De magicis excantationibus plura etiam vide apud Balthas. Bonifac. ludic. histor. lib.* 14. *cap.* 9. *&* 10.

à præcitatis DD. referuntur, vel omninò fabulosa putat, vel Dæmonum fraude, ac dolo, patrata, potissimùm ubi Corpora melancholico humore fuerint affecta: in his enim faciliùs ejusmodi simulacra malorum imprimuntur, & fortiùs phantasia perturbatur; unde postmodùm diversæ ægritudines, & viscerum affectiones exoriuntur. Sed & præterea subdit, (*a*) mera esse figmenta, quæ de Lamiis passim recensentur, neque eisdem esse credendum, etsi ore proprio fateantur se aliò à Dæmonibus transferri, ac inter convivas versari, varia, ac diversa videre, aut tractare: etenim se certis experimentis cautum factum confitetur, quòd Lamiæ istæ somno profundo per quasdam inunctiones diutiùs detentæ, à Dæmone illudantur, objectis Phantasiæ simulacris eorum, quæ se tractasse, vidisse, & perlustrasse ajunt, cùm tamen loco motæ nullatenùs sint. Refert in hanc rem ex Codronchio, & Porta, historiam cujusdam Vetulæ, quæ pollicita erat se brevi responsa aliundè allaturam, idque ut faceret, jussisse omnes è suo cubiculo egredi, mox vestibus exutam, unguēto quodam se vehementer perfricuisse, & in soporem profundum concidisse, itaut nullimodè sentiret, adhuc verberata; at verò ubi medicamenti vis desiisset, è somno experrecta, multa, se vidisse narravit, maria, montesque transmeasse; cùm tamen reipsa constaret, illam alto sopore detentam intra suum cubiculum jacuisse, adstantibus intereà ipsis, quibus spoponderat se brevi responsa daturam, rei eventum opperientibus. Hinc concludit, Lamiarum facinora nulla esse, illarumque confessiones vanas, & commentitias, atque solo Phantasiæ errore dumtaxat induci, ut credant, se talia peragere, quæ reverà non sunt, sed per somnia dumtaxat à malo Dæmone eisdem objecta: cùmque fœminæ credulæ nimiùm sint, proinde fieri, ut tenaciter existiment, quæ per somnium illis acciderunt, reverà perpetrasse. In hanc eandem sententiam concesserunt Alciatus, Duarenus, Ærodius, Michael Montanus, Philippus Camerarius, aliique plures, apud Delrium *lib.* 2. *disquis. magicar. qu.* 16. His etiam adde Jo: Baptistam Porta *lib.* 2. *Magiæ Naturalis cap.* 26. & Leonardum Vairum *lib.* 2. *de Fascino cap.* 13. At longè gravius est, quod affertur à Gratiano *in caput* 12. *caus.* 26. *quæst.* 5. his verbis: *Illud enim non est omittendum, quod quædam sceleratæ mulieres, retrò post Satanam conversæ, Dæmonum illusionibus, & phantasmatibus seductæ, credunt, & profitentur se nocturnis horis cum Diana Dea Paganorum; vel cum Herodiade, & innumera multitudine mulierum, equitare super quasdam bestias, & multarum terrarum spatia intempestæ noctis silentio pertransire, &c.* Quare cùm ab his non levis famæ Doctoribus afferatur illud potius à Cacodæmone mulieres inter dormiendum pati, non abs re concludit Vvierus, illas esse potiùs meliùs informandas, atque præjudiciis exuendas, quàm ex ejuscemodi confessionibus castigandas. Quòd autem valeat Dæmon illas decipere, ac illudere, facilè probatur ex eo, quòd benè is possit inter insomnia, atque in profundo sopore, objicere Phantasiæ simulacra illarum rerum, quæ sibi velle prospicere præconcipiunt; sicut enim naturaliter cunctis accidit, solere in somno diversis phantasmatibus affici, seque putare videre, tractare, audire, alloqui, tantà verisimilitudine, ut plerumque complacentiæ, aut displicentiæ non leves suboriantur; ità planè, & multo meliùs accidere potest, si diabolica sagacitate, atque malitia, phantasiæ repræsententur simulacra rerum, cum tan-

(a) *lib. de Lamiis.*

tanta claritate, at putent somniantes, reipsa se talia vidisse, gustasse, audisse, & contrectasse: nil quippe Dæmoni deest, quod fraude, ac dolo perficere nequeat, intra limites Naturæ, ut omnes communiter fatentur: permittente tamen Deo.

Ad conciliandas autem oppositas istiusmodi sententias, distinguere oportebit, quòd vel sermo est de Fascino, visu, voce, laudatione, & simplici contactu illato, ut superiùs ex mente quorumdam memoratum, & hoc profectò nullum est, nullumque esse potest in Natura. Vel de eo, quod Dæmonum opificio peragi potest, Deo tamen permittente, & hoc sine ulla difficultate inferri potest; verùm tamen per magisteria, & venena naturalia, quibus Dæmon ipse utitur, tanquam rerum naturalium omnium optimè instructus, commovendo, perturbando, & inficiendo humores Corporis, sive, ut communiter dicitur, applicando activa passivis: quamvis, & id rarissimum esse soleat, cùm non semper eidem à Deo id agere permittatur.

Et quidem in prima Fascini, & Incantamenti significatione, nemo sanæ mentis unquàm affirmabit, posse Corpora infici, aut ægritudines infligi, visu, aut voce, cùm effectus reales, quales sunt læsiones operationum, & affectiones morbosæ partium, neutiquàm possint absque alicujus Corporis malè affecti contactu, aut contagione, ex uno in alium transferri. Et quamvis per visum aliqui morbi inferri credantur, uti est lippitudo oculorum: isti tamen non ex visu, sed ex palpebrarum affectarum contagione, atque halitibus inde profluentibus, communicari posfunt, pari modo, ac de cæteris affectibus contagiosis experimur. Fascinum autem solo visu inferri dicitur, citrà quamcumque apparentem in oculis fascinantium ægritudinem, quæ etsi foret, neque posset in tam distans transferri, quemadmodùm de Fascino vulgò traditur. Quod verò dicitur de Basilisco, de Lupis, aliisque Animalibus, fabulosum est: adhuc tamen si vera forent, quæ de eisdem memorantur, potiùs ingenti, inopinatoque timore, evenire posse dicendum: quoniam ex timore inopinato, subito, ac vehementi, superiùs dictum est, plurimùm Corpora affici posse: atque hac propemodùm ratione dictum à Virgilio, Lupos raucedinem inferre; siquidem ex vehementi Timore vox faucibus hærere solet, & ferè Aphoni fiunt perterrefacti. Et licèt Serpentes, ac præsertim Cerastes, & Aspis, cùm coitum affectant, in intuentes hianti admodùm ore pestiferos quosdam halitus ad certam distantiam ejaculentur, & oculos intuentium inficiant, & offuscent: id tamen nil commune habet cum Fascino. De voce autem, & verbis res est manifestissima, quòd nil reverà naturaliter agant, cùm voces semel emissæ statim dispereant. (*a*) Quod insuper à Virgilio fertur, Serpentes incantationibus ligari, cùm inquit.

> *Frigidus in pratis cantando rumpitur Anguis.*

Poeticè dictum puta, ut & de Incantamento Amatorio: nisi tamen ista dæmoniacum opus involvant, de quo infra: Tactus denique licèt possit quasdam ægritudines inferre, ut in scabiosis, reverà tamen illæ nunquàm communicabuntur, nisi priùs fuerint in ipso inficiente; unde lepra E. g. non communicabitur nisi a leproso, & lepra infecto; & scabies non nisi ab eo, qui scabie anteà infectus sit: at verò effascinatores dicuntur inferre morbos ex Fascino, quos ipsi non patiuntur, nec anteà contraxerant. Accedit, quòd ea genera Venenorum, quæ in qui-

(a) *V. Bonifac. Ludicræ hist. l. 14. cap. 9. & seq.*

busdam animalibus sunt, & citrà sui noxam aliis inferuntur, ut in Vipera, Scorpio, & similibus, debent cum sanguine commisceri, & in arterias, ac venas immitti, ut inficiant, ac enecent, nam si fortasse superficietenùs tantùm admoveantur, imò etiam si sorbeantur, nil damni afferunt. Igitur nulla ratione defendi potest quòd effascinantes per contactum aliquid venenosum in Corpus effascinati inferant, aut immittant, ut exinde ægritudo suboriatur, & non raro lethalis. Verùm tamen si tenellos infantes ad manus habeant, poterunt in commissuris ossium eos luxare, & aliter, aliterve extorquere: id quod sanè quicunque malignus homo, citrà Dæmonis operam, agere poterit, si voluerit, in illa tenera ætate.

Quod verò pertinet ad Fascinum ope Dæmonum inflictum, quamvis negari nequeat, id reverà inferri posse, Dei tamen permissu; nihilominùs fatendum hoc tantummodò posse à Dæmonibus peragi, usu, ac maleficio rerum naturalium. Cùm enim ipsi sciant quid unicuique conducibile, aut contrà perniciosum esse possit, si profectò adhibeant, quæ nocua sunt, quæque agitant, perturbant, inficiuntque humores, vel viscerum actiones depravant, nedum oberunt, sed etiam gravissimas, & quandoq; mortiferas ægritudines excitabunt: qua ratione fieri consuevit, ut sanguinem in acidum, & melancholicum succum permutent, unde postmodùm pessimæ, & diuturnæ ægritudines exoriuntur. Sic planè, verisimile est egisse in Job, permissu Dei, quem diversis generibus ægritudinum diu afflictatum legimus in sacris literis. Neque verò necesse semper est, adhibitis intrinsecùs venenis, ægritudines promovere, cùm satis quoque esse possit, si illa exteriùs Dæmon admoveat, & per poros cutis immittat, si perspirationem impediat, si timorem vehementem incutiat, si excrementa retardet, si humores concitet, ac perturbet, si in intemperantiam alliciat, si in sex rerum nonnaturalium errata hominem inducat, & Phantasiæ, ac Appetitus sensitivi commotione suadeat, ut sponte sua quis delinquat, & à salubritate decedat. Porrò solent non raro hæc omnia patrare Dæmones ex pacto cum Sagis inito, ut ex testimonio gravissimorum Doctorum constat; quamvis & iidem sæpesæpiùs illas tantummodò edoceant, quid agere debeant, ut morbos excitent, aut infausti eventus in rebus agendis illis accidant. Verumtamen hæc rarissimè contingunt, & nonnisi permittente Deo.

Sed nec exinde inficiabimur, posse etiam non raro variis illusionibus Dæmones decipere, persuadentes se gravia mala patrare, quæ reverà nulla sint, si dumtaxat credulitatem, & firmam, fixamque in phantasia opinionem imprimant, ejuscemodi damna evenisse, quæ rei ipsa nulla fuerint. Sic etiam multoties, cùm præcognoscant aliquem ex malo humorum apparatu intrà breve tempus ægrotaturum, possunt Sagis persuadere, se jam ingentia mala adversus illum, quem ipsæ volunt effascinatum, præparare, cùm tamen morbi illi sint naturaliter eventuri. Eodem fermè modo consueverunt infaustos eventus præsagire, non solùm singularibus personis, sed etiam integræ Regioni, Provinciæ, Civitati, fortè quia norunt id naturaliter, ex certa serie causarum, superventurum. Ità quoque prædicunt non raro futuras tempestates, Terræmotus, Caritates, Serenitates, Ventos, Pluvias, quæ cæteroqui naturaliter contingunt. At verò opera merè voluntaria, nonnisi ex conjecturis solùm, ab inclinationibus hominum deductis, proferre possunt; ut cum de bello, insidiis, litibus, rixis, homicidiis, furtis, aliisque præsagiunt: Quo ergo pacto, plerisque

in

in ejusmodi prænotionibus illudunt, ità in cæteris operibus humanis, & multò magis si naturalia illa sint, decipere possunt.

Solent etiam sæpenumerò per spectra multa damna inferre: puta cùm ante oculos objiciunt idola, effigies, species, ac simulacra rerum, terrorem inferentium sive noctu, sive interdiù, potissimùm in locis opacis, & tenebrosis, specubus, sylvis, montibus, aliisque; unde postmodùm exoriuntur repentinæ in humoribus commotiones, atque adeò febres, aliæque ægritudines, vitæ periculum involventes.

Verùm quamvis hæc ope Dæmonum incuti possint, & aliquando in Praxi sint observata præter ea, quæ in reipsa obsessis fiunt; non semper tamen putandum difficiles curatu ægritudines per Fascinum inferri, ut vulgò creditur: sæpè enim evenit morbos reddi insanabiles, vel ex ignoratione causarum, & partium affectarum, vel ex ignorantia remediorum, illis conferentium. Et licèt pleræque ægritudines à Sagis ipsis illatæ credantur & Fascini, aut Incantamenti maleficio, referantur ab iisdem inflictæ, & adhuc si seipsas opifices attestentur, non tamen illis credendum; cùm sæpissimè accidat ipsas primùm fuisse deceptas, mox etiam alios, & alios falsos esse: Equidem pluries constitit tam Effascinatores, quàm effascinatos falsa credulitate, atque fraudolenti impostura circumventos, fuisse delusos; & sub hac credulitate Dæmonis imperio subjectos, in ægritudines incidisse, ob turbatam ex Phantasia Corporis Oeconomiam; unde se reverà per fascinum læsos existiment, & eò magis, quò cum vehementi ista imaginatione in Mœstitiam, ac Timorem delapsi, evadunt melancholici. Hoc autem pacto fit, cur etiam Hypochondriaci, & qui habitu præditi sunt tristi, & melancholico, quales dicuntur Saturnini, cogitabundi, timidi, suspiciosi, & similes, facile ejuscemodi ærumnas incurrant: itemque fœminæ, idiotæ, populares homines, aliæque hujus generis personæ. Sunt & alii, qui aliis ex causis ægrotantes, quia ab incongrua, & importuna diversorum medicamentorum farragine curati non fuere, statim de Fascino suspicantur, cùm tamen morbi illi naturaliter evenerint, & convenienti methodo tractati curabiles fuerint.

At cum dictum sit, posse Dæmones per Sagas diversimodè morbos excitare, vel saltem futuros, & imminentes præsagire solere; quæri ex adverso potest, an valeant sanitatem amissam restituere, & morbos sive per seipsos, sive naturaliter inductos, tollere. Et quidem affirmativè dicendum: etenim qua ratione morbos inferre valent, poterunt & illos abigere, & egros in salutem revocare, applicando activa passivis; idque sive sensibiliter, & patenter per medicamenta, cunctis cognita, sive insensibiliter, & occultè, aliena opera, atque industria: humores scilicet commotos, ac depravatos, temperando, aut repurgando. Nil equidem profectò obstat, quin id, quod Homines auxilio Artis, & Naturæ, sæpissimè peragunt, queant etiam Dæmones persolvere, & multò meliùs. In quam rem plurima ab Autoribus exempla referuntur à gravissimis ægritudinibus sanatorum. Verùm & in hoc sæpesæpiùs Dæmones deludunt, iisdemque ferè modis, quibus superiùs meminimus; ut non raro observatum in vulneribus, ulceribus, luxationibus, quæ revera sanata non erant, licèt adstantium oculis curata viderentur.

Sed adhuc curiosiùs quæri potest, an Dæmones possint Seni juventutem restituere, omnemq; morbum tollere adhuc Deo permittente. Et quamvis multi gravissimi DD. affirmativam sententiam tue-

antur, moti ex eo, quòd licèt nobis ignotus sit modus recuperandi humidum, quod vocant, radicale, vitæque sustentamentum, per ætates deperditum, benè tamen Dæmoni is notissimus est. Mihi tamen nunquàm persuadere potui, quo pacto id Dæmon; (sed nec Bonus Angelus) peragere valeat; quippe hac ratione posset hominem reddere immortalem; nam quo pacto, quave virtute, posset semel senectutem in juventutem revocare, & omnem morbum tollere, posset, & bis, ter, decies, centies, ac jugiter, perpetuòque perficere, atque adeò vitam hominis perpetuare: quod impossibile. At vita nostra suis limitibus conclusa est, cùm unicuique constituti sint termini, quos transilire, nisi tantùm supernaturaliter, ac speciali Dei favore, non licet. Dæmones autem nulla ratione possunt Naturæ vires transcendere; ut anteà dictum est.

Sed tamen potest Dæmon absque ullo cibo, ad certum tempus, hominem conservare, adeoque efficere, ut is inediam diutiùs sufferat. Etenim si id naturaliter plerisque accidit, ut absque cibo ad plures dies vixerint, negari profectò non debet, multò meliùs idipsum præstare posse Dæmones. Sive autem id agant, impediendo sanguinis dissolutionem, sive contrahendo succos ventriculi digestivos; sive subministrando aliquid occultè, quod retundat illorum vim, & causæ consumptivæ efficaciam, parùm refert hìc examinare. Dixi tamen, ad certum tempus; nam cùm sanguis iteratis suis circuitionibus vitali elatere destituitur, necessariò instauratione eget, ut vitam in motu Cordis tueatur; nisi etiam & in hoc Dæmones innumerabilibus suis illusionibus imponant.

Sed qua ratione Dæmon potest absque cibo, & potu, in longius tempus vitam hominis conservare, pari ratione valeat, cibum adeò exquisitum comparare, quo quis seipsum diutissimè ab ærumnis mortalibus tueri queat? Et dicendum nullimodè posse alimentum adeò perfectum naturaliter confici, etiam Dæmonum virtute, quod valeat vitam diutissimè sustinere, atque in perpetuum protrahere. Et ratio est, quia non potest Dæmon agere, quod Naturæ vires transcendat; quòd si semel Dæmon id agere posset, non esset cur idipsum pluries, ac pluries perficere nequiret, atque adeò immortalem hominem non redderet, qui cùm cæteroqui ab intrinseco mortalis sit, nequit proinde viribus Naturæ ità perfectè restaurari, ut ad interitum tandem non sit desiturus. Quod autem dicitur de Aquila, de Phœnice, de Serpentibus, aliisque per intervalla reflorescentibus; reverà hæc non juvenescunt, nec in perpetuum vivunt, sed solùm, assumpto novo alimento vigorantur, & vires, limitatas tamen, resumunt, quæ tandem aliquando desinent. Sic de Aquila scribit Ulysses Aldrovandus *lib. 1. de Avibus*, etiam ex testimonio D. Augustini. De Phœnice verò, omninò fabulosum à peritioribus existimatur, quòd reviviscat. Serpentes denique exutis dumtaxat vetustis exuviis, atque resumpto alimento, per aliquod tempus vigescunt, & instaurantur, neutiquam verò in perpetuum vivunt.

At major difficultas est de fructu ligni vitalis Terrestris Paradisi. Siquidem de eo Sacra Genesis habet, quod polluerit vi revocandi homines perpetuò ad juventutem, atque adeò vitæ perpetuitatem tribuendi. Scribitur enim *Geneseos* 3. *Nunc ergo, ne fortè manum suam mittat, & sumat etiam de ligno Vitæ, & comedat, & vivat in æternum*. Ex quibus verbis videtur manifestè deduci, habuisse Pomum illud vim restaurandi vitam, ac propterea illam in perpetuum ducendi. Quin & Vallesius super hoc textu, *lib. de Sacra Philosophia* ad mentem Galeni *lib. de marcore cap. 3.*, referen-

ferentis Sophistam quendam Ægyptium retulisse Naturalis Mortis causam, non ad Naturæ necessitatem, sed ad ignorantiam agendorum; subdit: si enim homines fructum Ligni Vitalis, vel aliud quid simile non ignorarent, jugiter profectò instaurati perpetuarentur, & in æternum viverent. Verùm acutissimus Scotus 2. *sent. distinct.* 19. *qu.* 1. nullum adhuc putat excogitari posse alimentum, quod id exactissimè peragat; quia nullum alimentum potest in substantiam aliti converti, quin priùs in ventriculo non transmutetur, atque adeò agat, & patiatur, & in ejusmodi actione, & passione, pro rata sua alteret, & perturbet Corpus assumentis. Addit insuper idem Author, quòd prædictum Pomum Ligni Vitalis non erat virtutis infinitæ, ex qua infinitus effectus proficisci posset, qualis est vitæ perpetuitas; quamobrèm nec ipsum potuisset vitam hominis in æternum protrahere. Quamquàm ad hoc respondeat D. Thomas 1. *part. qu.* 97. *Art. ult.*, quod id non fecisset Pomum illud unica comestione, sed aliis, & aliis iteratò, prout fuisset opus. Attamen per adjecta verba Geneseos: *Ne fortè sumat etiam de Ligno Vitæ, & comedat, & vivat in æternum*: Unica comestio videtur fuisse satis; nisi verò id longævitatem diuturniorem, non veram æternitatem significet. Sed & Lignum Vitæ diversum dicitur ibidem à ligno scientiæ boni, & mali, adeoque aliud à vetito: nam *cap.* 2. duplex lignum memoratur, Lignum Vitæ unum, & Lignum Scientiæ boni, & mali alterum, quod Adæ fuit interdictum. Sed hæc ad Theologos.

At verò qui consideraverit fuisse adhuc in Adamo illas easdem causas nostræ consumptionis, & mortalitatis, quæ in unoquoque homine reperiuntur, procul dubio asserere cogetur, illum suapte natura mortalem ab intrinseco extitisse; fuisse tamen redditum solummodò immortalem, speciali Privilegio, ac dono Dei Opt. Max., si præceptum sibi indictum transgressus non fuisset, adeoque in Originale peccatum non incidisset. Quare primi illi Parentes conditi fuerùnt cum dono immortalitatis, ea tamen conditione, ac lege, ut si peccarent, donum illud amitterent, quod ex mera Dei liberalitate concedebatur; ideoque relicti in Natura, naturalem moriendi necessitatem incurrerent. Atque hinc etiam patet, quamobrèm Apostolus dicat: *per peccatum Mors intravit in Mundum*, quia per peccatum Adæ fuit amissum donum illud immortalitatis. Id quod clariùs liquet ex eo, quia si intra vires Naturæ fuisset alimentum, vel medicamentum valens vitam hominis perpetuare, certè Adam, qui post peccatum, cuncta, quæ in Natura erant, benè etiam novit, nec deinceps amisit, ex scientia sibi infusa, potuisset pariter seipsum perpetuare, & alios posteros edocere, quo pacto vitam in æternum prorogarent. Cùm igitur id nec noverit, nec egerit, profectò dicendum, extrà limites Naturæ illius perpetuitatem fuisse, & non nisi supernaturaliter, ex speciali Dei beneficio. Legi quoque de hac re meretur Helmontius, licèt aliter eam examinet, & enucleet.

Verùm unde est, quòd nequeat id naturaliter peragi, atque ex indicto Naturæ ad interitum quodcumque vivens, velit, nolit, festinet? Duæ equidem rationes, ex multis, quas retulere DD., mihi semper visæ sunt congruentiores. Altera affertur ab Avicenna: altera à Vallesio. Inquit Avicenna: Virtutes omnes, quibus homo regitur, & gubernatur, finitæ sunt; ergo tandem is dissolvetur; nam quod finitum est, terminum habet. Subdit Vallesius: Causæ Corpus humanum Consumentes celeriores in agendo sunt Restaurantibus; ergò istæ ab illis tandem præoccupabuntur. Quòd autem Causæ consumentes (sivè externæ, sive internæ illæ dicantur) sint celeriores in agendo, patet; nam simplici

plici alteratione dissolvunt, & consumunt; at verò Restaurantes tot, tantisque præparationibus, & coctionibus egent, ut antequam istæ sint elaboratæ, jam plurima facta sit Corporis consumptio; quippè multum temporis exquiritur ad chylificationem, multum quoque ad secretionem inutilium partium ab utilibus, atque ad harum distributionem longè majus; itemque ad oppositionem, nutricationem, ac repurgationem excrementorum: quare, ubi istæ operationes expletæ sint, & substantia deperdita restaurata fuerit, jam longè major, & celerior consumptio facta est, ut consideranti patet.

Sed jam redeamus in viam. Quoniam superiùs dictum est, Morbos quosdam à Dæmonibus, maleficio Sagarum, infligi posse, Deo tamen permittente, non abs re propterea erit signa breviter hic tradere, quibus à reliquis ægritudinibus, naturaliter evenientibus, internosci queant, licèt perrarum sit, (si fortasse accidant,) quin Medicos adhuc solertes nō decipiant. Et quidem id speciàliùs perpetuò præ oculis habendum, ut quidquid videtur ordinem consuetum naturalium Causarum invertere, aut confundere, suspicionem maleficii inferat: etsi enim Dæmones intrà vires Naturæ dumtaxàt operentur, solent tamen ordinem, & methodum naturalium Causarum rarò prosequi, eo fortàssis fine, ut magis decipiant, & in errorem agendi homines deducant. Solent etiam sæpesæpius Causas morborum adeò perturbare, ut effectus pariant differentes, complicatos, ac inter se invicem discordes, quibus humana solertia Medici occurrere cùm satagunt, magis prævertant, agitent, & confundant. Sed & quandoque obsistunt medicamentis naturaliter agentibus, atque hoc dolo Medicos, & Assistentes fallere adnituntur, qui cùm non videant effectus convenienter sortiri, ut aliàs consueverant, facilè in opposita delabuntur, & à recta Methodo deviantes, potiùs officiunt, quàm proficiant. Hinc autem inductus est usus, & quidem salutaris, apud plerosque, benedicendi, atque exorcizandi, quæcumque ægrotantibus exhibentur, ne scilicèt illorum vis à Dæmone impediatur, aut retundatur. His igitur, aliisque modis, cùm benè possit Dæmon morborum causas fovere, aut illarum ablationem impedire, proinde, quoties à consueto operandi modo, tàm Morbi, quàm Causæ morbosæ, nec non etiam medicamenta deflectunt, magnoperè de maleficio verendum. Præterea licèt Dæmon vires Naturæ transcendere nequeat, potest tamen vim, atque illius energiam elevare, ut quodammodo videatur Naturam ipsam excedere, ac superare: quemadmodum enim possunt Homines, artificiali industria, agentia naturalia in suis viribus exacuere; sic & Dæmones idipsum peragere valent: Ità quidem spiritus, essentiæ, olea, salia, ex mistis corporibus elicita potentiùs, ac efficaciùs agunt, & longè admodùm prævalentiora fiunt, quàm ipsa, mista, & impura. Itaque si hæc humano artificio peragi possunt, procul dubio efficaciùs, ac præcellentiùs à Dæmonibus persolventur, ac propterea vires Naturæ quodammodò elevabunt; quæ cùm Nobis ignotæ sint, videbuntur excellere, & suprà Naturam operari. Modi insuper agendi naturalium Causarum nobis occulti plerumque sunt, at Dæmonibus notissimi; unde facilè fit, ut credantur effectus inde provenientes, præpollere Naturæ, & ipsius agendi modum excedere; sicuti aliquando compertum in curationibus vulnerum, nullo medicamento vulneratæ parti patenter admoto.

Cùm igitur morbi accidunt ità in suis causis, & effectibus, seu symptomatibus difformes, ut peritos etiam Medicos in illorum cognitione dubios reddant, planè dubitandum quàm maximè erit de Maleficio.

ficio. Sic etiam si symptomata dissentanea sint, aut de momento in momentum nunc levia, nunc gravia fiant, nunc exacerbentur, & ingravescant, nunc ex adverso mitescant, & remittantur, sine ulla evidenti causa: Si cùm morbus pusillus appareat, symptomata graviter molestent, præsertim de genere vigiliarum, deliriorum, dolorum, &c. Si brevi tempore æger in marcorem deducatur, sine ulla manifesta evacuatione, aliave conspicua causa consumente, aut absque signis ejuscemodi extenuationes comitari, aut præire solitis: si æger in quibusdam motibus, aut operationibus impotens observetur, citrà manifestam ejus partis affectionem, putà cùm legere non potest, etiamsi mente benè constet; non deglutire, licèt fauces non ægrotent: non concubere, etiamsi nulla ægritudine in genitalibus afficiatur, ut non raro compertum in conjugatis: si sæpiùs animo deficiat, & pulsus non mutentur: si tremor, ac timor repentè invadens, pluries repetat, sine quocumque animi pathemate, aut nervorum, & cerebri læsione: si ægritudines chronicæ admodùm fiant, & procedente tempore non ingravescant, aut in vitæ discrimen ægrum adducant, nullisque remediis cedere videantur, velut ex dolore capitis diuturno, aut etiam stomachi, observatum: quocircà & per philtra, & per pocula amatoria, nonnulli ad extremum tabefacti referuntur, atque tam amore cruciati, ut solam Amasiam deperirent. Alia innumera exempla, ab Authoribus memorata ejuscemodi ægritudinum, maleficio illatarum, prætermitto, quæ sanè peritissimis etiam Medicis fuere admirationi. Quare cautum omninò Medicum esse oportet, ne in his fallatur, aut fallat.

Si ergo de morbis ex maleficio illatis probabiliter timeatur, omnis diligentia adhibenda, ut quo citiùs fieri possit adimantur. Ad quod assequendum, tria ab Authoribus generaliora proponuntur, Magicum unum, Naturale alterum, Tertium Supernaturale, & Divinum; quamobrèm hìc breviter videndum, quo licitè quis uti possit. Et quidem de Divino, ac Supernaturali nulla potest esse difficultas; quin & hoc summis, iteratisque precibus à Deo Optimo Maximo jugiter expetendum; nam si, ut superiùs dictum est, nil queat Dæmon adversùs homines moliri sine Dei permissione, procul dubio, quotiescumque Deus misericors abnuerit, ac supremo suo imperio aliter præceperit, Dæmones, atque illorum opera malefica, illicò recedent. Itaque orationibus, exorcismis, Sanctorum Reliquiis, & quod maximum, Sacramentorum auxilio adversus talem, ac tantum hostem, continenter dimicandum.

Difficultas autem est de Magica Curatione, an illa uti liceat, ut nimirum iisdem mediis, quibus morbi inducti fuere, feliciter arceantur. Et quamvis Paracelsus *libro de occulta Philosophia*, doceat, id licitè exequi posse, instructis in hunc finem certis Imaginibus, ac Simulacris; nihilominùs impium à cæteris id existimatur, cùm nulla ratione liceat cum Dæmonibus, sive immediatè, sive mediantibus idolis, ac characteribus, commercium habere, quemadmodùm ex pluribus Sacræ Scripturæ locis expresse etiam deducitur. Sed neque à Magis, Sagisque, aut aliis similis conditionis hominibus idipsum expetere decet; quamquàm videatur hoc à plerisque commendatum: cùm id, quod à Sagis exquiritur, reverà à Dæmonibus expetatur, etenim quod Sagæ operantur, per Dæmones agunt, vel potiùs Dæmones operantur Sagarum precationibus. Neque in hoc satisfacit protestatio, ut benè advertit Sennertus, nam protestatio ista erit dictum contrarium facto: atque ob hanc eandem rationem existimat idem Author, nec cogendos, aut aliter ad ejusmodi

modi sanationem, maleficiique remotionem impellendos esse Magos. Neque præterea inquirere licebit maleficia ipsa, ut inventa deleantur, & comburantur; quoniam, inquit, inquisitio hæc fieri non potest absque notitia à Dæmonibus habita: modò interdicitur quoque petere consilium à Dæmonibus. Verùm de hac re Theologi consulantur, & legantur præ cæteris Martinus Delrius, Petrus Thyræus, Codronchius, & Sennertus, qui latè materiam hanc exagitant, & exponunt: Nobis autem satis sit hæc innuisse.

Quod ad Curationem denique Naturalem; quamvis plurimùm apud Auctores controvertatur, num reverà ista in Maleficiatis possit adhiberi; quia tamen, ut superiùs dictum, Morbi, qui putantur à Dæmonibus inflicti, naturaliter plerumque contingunt; proinde hos ope, & auxilio Naturæ, ac naturalium medicamentorum, benè curari posse credendum. Rectè ergo distinguit hac in re Sennertus, triplex genus morborum, qui pro veneficis habentur. Primum eorum, qui naturaliter contingunt, & solùm attribuuntur maleficio, ac Maleficis, quia à Dæmone fraudulenter sunt præsagiti. Secundum eorum, qui à Dæmonibus excitantur, sed per causas naturales, valentes humores corporum immutare, ac depravare. Tertium denique eorum, qui absque ulla opera naturalium causarum immediatè à Dæmone creduntur infligi. Modò, excepto hoc ultimo, cætera genera morborum benè poterunt medicamentorum auxilio curari, & aboleri. Verùm tamen, cùm & Nos superiùs probaverimus, plerumque etiam Dæmones illudere, neque ex se quidquam agere posse, nisi per causas naturales diversimodè complicatas, profectò dicendum, ut qua ratione, permittente solùm Deo, Dæmones humana Corpora affligere possunt, ità quoque, permittente eodem, poterunt morbi à Dæmonibus illati convenienter curari, accedente tamen unà simul auxilio supernaturali, quod repellat Dæmones, ne retardent, aut impediant actiones medicamentorum, aliorumque agentium naturalium: quamobrèm, ut antea notatum, semper proderit medicamenta ipsa ægrotis offerenda, benedictionibus, exorcismis, aliisque precibus, & auxiliis supernaturalibus fovere. Attamen oportebit priùs morbum, morbique causam esse cognitam, adversus quam medicamentis opportunis oppugnandum sit; nam satis non est, remedia quæcumque benedicere, nisi simul conferentia illa sint, & ad morbum, morbique causam debellandam efficaciter facientia.

Et quidem, si morbi naturaliter sint progeniti, nil vetat, quin benè, & perfectè sanari possint remediis purè naturalibus. Si prætereà sint inducti à Dæmonibus, sed sola perturbatione humorum, aliarumque causarum naturalium: quia etiam istæ viribus Naturæ sedari possunt, atque in statum naturalem reduci, procul dubio nulla alia opera exigitur, quàm ut exacta cognitione earumdem causarum, debitis, & convenientibus medicamentis corrigantur; impedita intereà Dæmonis opera, ne activitati remediorum obicem ponat: quo pacto plurimi sanati referuntur à Martino Rulando, Codronchio, Jonstono, Henrico ab Heers, aliisque. In ejusmodi autem Curatione, ea Methodus servanda videtur, quam unusquisque morbus, pro sui ratione, videbitur expostulare, quamquàm humori melancholico repurgando speciàliùs sit incumbendum, cùm plerumque eo Dæmones utantur ad morbos inferendos, vel conservandos. Sed & Alexipharmaca quoque semper proderunt, qualia sunt Hypericum, Ruta, Verbena, Herba Paris, Artemisia, Abrotanum, Aristolochia longa, & rotunda, Hyssopus, Salvia, Betonica, Rosmarinus, Citrium, & similia. His

adji-

adjicere optimum erit, tum Capitalia, tum Cardiaca, eo quòd Cerebrum, & Cor præ cæteris soleant in Maleficiatis languere; unde confectio de Hyacinthis, Alchermes, Diambra, Diapliris, Julep Vitale, Elixir vitæ, Syrupi exhilarantes dicti, de pomis Regis Saporis, Diamargariton utrumque, Antidotus magna Matthioli, & oleum de Scorpionibus ejusdem, summopere conferent. Unguenta denique, suffumigia, lituræ, idque genus alia extrinsecùs admota, ex thure, galbano, castoreo, styrace, bezoino, cæterisque, pro varia ægrotantium habitudine, peti poterunt à præcitatis Authoribus, qui fusiùs de hac re volumina compilarunt.

Pro Coronide tandem, non abs re erit, quæ ad præservationem à maleficiis commendantur, hìc breviter etiam commemorare. Ethnici id præstare posse commenti sunt, Rhamnum, & Alyssum, de quibus Dioscorides scribit, quòd præ foribus domuum appensa, maleficia arceant. Plinius lignum Palmæ præfert, ut & Corium frontis Hyenæ, ac pellem Lupi, ejusque oculos. Alii efferunt cornu Caprinum. Alii jecur Lupi assatum, ac suffumigatum. Alii commendant Coralium rubrum. Alii Vespertilionem arefactum. Quintus Serenus, Allium. Aristoteles *sect.* 20. *problem.* 34. Rutam, inquit, effascinationis pharmacum esse: & Theocritus, in sinum inspui, cùm ait: *Ne vcrò lædar fascino, ter ipse in gremium meum inspui.* Labia, & frontem aceto, aut saliva, aut etiam cinere, fuligine, vel sale, linire, putatum aliis salutare: quo fortasse respexit Persius, cùm *Satyra secunda* cecinit:

> *Ecce Avia, aut metuens Divum Matertera cunis*
> *Exemit puerum, frontemque, atque uda labella*
> *Infami digito, & lustralibus ante salivis*
> *Expiat, urentes oculos inhibere perita.*

Alii alia. (*a*) Sed hæc vana sunt, & apud vulgus falsò, fortè etiam diabolica fraude, invecta. Id autem certum omninò erit, soli Deo in cunctis fidere, atque eidem unicè se precibus commendare; nec non specialiter alicui particulari ex Sanctis Patrono sui tutelam committere, potissimùm tutelari Angelo, quem sibi in custodiam datum certò scit, itemque Michaeli, & Raphaeli Archangelo, qui dicitur Medicina Dei. Reliquiæ Sanctorum desuper gestatæ efficacissimæ etiam sunt, ut & Cereæ imagines, nuncupatæ AGNUS DEI, à Summis Pontificibus quotannis benedictæ, ac fidelibus distributæ; si tamen pia devotione recolantur. Verùm præcellit omnibus Gratia Dei: *Nam* (Apostolus inquit (b) *si Deus pro nobis, quis contrà nos?* Et de His satis.

A. M. D. G.

Conatus omnis irritus,
Quem non Deus adjuverit.

(a) *V. etiam librum Galeno adscriptum de Incantatione, Adjuratione, & Suspensione, ubi multa in hanc rem referuntur, præter citatos Authores.*

(b) *ad Rom.* 7.

INDEX RERUM NOTABILIUM.

A

D

Fæ-

Medi-

Prin-

Sa-

Tem-

T

V

FINIS.